DE
DEO TRINO ET VNO
Tomus Secundus.

IN QVO AGITVR DE RESPECTIVIS, SIVE DE TRIBVS PERSONIS DIVINIS: VBI Germana Scoti mens aperitur, atque ad eius institutum disceptatur,

AVTHORE
P.F. CLEMENTE BRANCASIO DE CAROVINEA
Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ Reformat. Prouinciæ Neap. Sacræ Theologiæ Lectore.

CVM DVPLICI INDICE, ALTERO DISPVTATIONVM, Quæstionum, & Articulorum; altero rerum notabilium.



Col.

NEAPOLI Ex Regia Typographia Egidij Longhi. MDCXL.
SVPERIORVM PERMISSV.

Reuerendissime Patri

P. F. BENIGNO A GENVA

TOTIVS ORDINIS D. FRANCISCI OLIM Ministro Generali, nunc vero Cismontanæ familiæ Commissario itidem Generali.

FRATER CLEMENS BR*ANCASIVS A Carauinea S. D.*

PRodit alter de Trinitate tomus auspicijs tuis, Reuerendissime Pater, & id quidem multis nominibus, tum quia dum euulgãdo operi admouerim alacriter manum, deficientem (nescio qua remora in medio cursu) progrediendi vlterius animum excitasti, additisque calcaribus ad metam vsque perduxisti, aliter non peruenturum; adeo vt tuum potius sit dicendum, tum quia cui magis, qui ex Seraphicæ Reipublicæ latissimis in humilitate, & paupertate campis nascuntur fructus, sunt offerendi, quam illi, qui suauitate, &

tem-

temperantia morum, prudentia cum incomparabili vigilantia regiminis, admirabili innocentia vitæ irriguis fontibus, quin potius fluminibus totum irrigauit iam diu, & irrigat Seraphicum Ordinem ad vberrimam frugem? Tum etiam ad vitandam, qua incurrerer ingrati animi notam si tot, tantorumque beneficiorum in me collatorum memoria, at saltem aliquid, hac quamtulacumq; sit, occasione sumpta non haberet testimonium. Excipe igitur, & solita benignitate opus eius foue, quem nullo vsquam tempore fouere, & fauoribus prosequi desijsti. Vale Reuerendissime Pater, quem Deus incolumen diu seruet in Seraphicæ Religionis incrementum.

AD LECTOREM

CAEpi recensere superioribus annis, quæ de Deo Trino, & vno in scolis legẽdo dictaueră; at cũ deinde illa sub prælo tipographi publicanda versarentur, animaduertimus commodi voluminis fines opus excessurum si vlterius progrederemur; quamobrem in duos partiendum tomos decreui. Habuisti primum, habes nunc alterum: qui quidem, & ipse (quia de Deo nunquam satis) excreuisset satis vltra, nisi manum contraxissem. Non deerit occasio, quid aliud corollarie attingendi in reliquis Theologicis, atque philosophicis tractatibus, quos promptos habeo vulgandos, si ab ipso Deo Optimo Maximo, à quo cuncta bona procedunt, hoc mihi datum fuerit, sique hęc, quæ iam euulgaui, cognouerim tibi placuisse. Interim vale atque æqui, bonique consule, quæ literarum parens monet Augustinus vt & hic repetam.

Augustin cap. 1. de Trinitate.

Nec me pigebit, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit, sicubi erro, discere: proinde quisquis hæc legit, vbi pariter certus est, pergat mecum; vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me: vbi meum, reuocet me. ita ingrediamur simul viam charitatis, tendentes ad eum, de quo dictum est, quærite faciem eius semper: & hoc pactum coram Deo cum omnibus inierim, qui legens dicit, non vere dictum est, afferat, si placet, suam sententiam, & redarguat meam si potest: quod si cum veritate, & charitate fecerit, mihique cognoscendum facere curauerit, vberrimum laboris mei fructum cæpero.

Ac proinde me ipsum, hæc, & omnia mea correctioni, & pedibus subijcio Sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ, quoniam ipsa est fundamentum, basis, columna, & infallibilis magistra veritatis.

INDEX DISPVTATIONVM, QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM

IN TRIBVS LIBRIS DE TRINITATE Contentorum: in quo, l. Librum, f. folium indicat

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA De Diuinis Emanationibus.

DISPVTATIO TERTIA. De Distinctione ad intra in ordine ad productiones.

DISPVTATIO QVARTA. De Ordine in Diuinis.

LIBER SECVNDVS.

DISPVTATIO PRIMA.
De Diuinis Personis.

DISPVTATIO SECVNDA.
De Constitutione Diuinarum Personarum.

DISPVTATIO TERTIA.
De Circuminsessione

LIBER TERTIVS.

De Diuinis personis in particulari.

Art.

DISPVTATIO TERTIA
De Spiritu Sancto.

DIS-

DISPVTATIO QVARTA.
De Missione diuinarum personarum.

DISPVTATIO QVINTA.
De Apparitionibus diuinarum personarum.

DISPVTATIO SEXTA
De Effectibus missionis Spiritus sancti, siue de Donis.

DE TRINITATE IN SE.

TOMVS SECVNDVS;

LIBER PRIMVS.

DISPVTATIO PRIMA;

QVÆSTIO PRIMA;

Vtrum detur Trinitas, quænam huius vocis Ethymologia, quale ſignificatum, & circumloquutio.

Trinitatē negantes.

VLTRA Arium, de quo, ferè toto Trinitatis tractatu, deſtruentem conſubſtantialitatem diuinarum Perſonarū, ſunt & Alij ipſam de medio tollentes Trinitatem: Et quidem Theodorus Beza ep. 1. ſequutus Seruetum, appellauit Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, Cerberum tricipitem. Michael Seruetus lib. 1. contra Trinitat. appellat Tritheitas, omnes qui ſanctiſſimam cōfitentur Trinitatem: vnde & ait habere eos Deum tripartitum. Heribertus, & Liſorius penes Glaber lib. 3. c. 8. deliramenta ait eſſe ea, quæ dicuntur de Trinitate. Caluin. lib. 1. Inſtit. c. 13. exoptabat ſepulta eſſe nomina Trinitatis, Lutherus Conc. 1. Dom. de Trin. è lytanijs deleri iuſſit illud, *Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis*, & Lambertus Danæus lib. aduerſ. Genebrard. hanc eandem orationem, *Sācta Trinitas vnus Deus miſerere nobis*, aiebat eſſe inconcinnam, & ineptā. Valentin. Proth. 33. Trinitatem appellauit originem omnium errorum. Alij apud Valent. lib. 5. de Trinit. Deos omnes Gentilium appellabant minores, Trinitatem verò, ſeù Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, Deos maiores. Theodorus Dorſch. Deum trinum, & vnum, nomine ſolummodo eſſe Deum, cæterum eſſe Idolum. Plerique plus iuſto Trinitatis perſonas multiplicabant: aduerſum quos ita ſtatuit Cōcil. Bracar. 1. can. 2. *Si quis extra Sanctam Trinitatem, alia neſcio qua diuinitatis nomina introducit, dicens; quod in ipſa Diuinitate ſit Trinitas Trinitatis, ſicut*

Gnostici, & Priscillani dixerunt, anathema sit. Inter cęteros verò, qui ad Trinitatem addiderunt quaternitatem, seù quartā personam, fuit Anastasius Imperator, asserens nō Trinitatem adorandam esse, sed quaternitatem: ob id verò, penes Cocc. lib. 1. de Trinit. art. 4. fulmine percussus interijt; atque demum Trinitatis voces, veluti nouas, & profanas deriserunt Transyluani, & Valentinus Gentilis penes Bellarm. lib. 2. de Christo c. 1.

2 Cęterū admittēdam esse Trinitatem, toto ferè habebitur hoc opere de Trinitate, pręcipuè quęrendo verùm cum vnitate essentiæ stare possit Trinitas personarum, de quo suo loco.

Trinitatis vox à Græco, et Latino quid.

3 Vt verò aliqua de ipso nomine dicamus, In primis vocabulum *Trinitas*, & *Trinus* latinè, est in Græco *Trias*. Est verò Ethymologia, *Trinitas*, tanquam *Trium vnitas*; ita Alensis 1. p. q. 66. m. 1. art. 1. Albert. p. 1. q. 45. m. 1. ar. 2. inquiens, *secundùm catholicam fidem Trinitas dicitur triū vnitas*. idemq; habēt Scholastici cū Magistro in 1. d. 24.

Vox Trinitatis non vsurpata ab Ethnicis.

4 Vox hæc *Trinitas* ignota planè Ethnicis antè prædicationē huius mysterij; ratio, quia denotat vnitatem essentiæ in tribus; quod tamen Ethnici negant, & ob hoc minus norunt. Hinc quoq; deducitur nō competere Creaturis; ob eandem rationem, dum substantia limitata, & finita vna numero non possit esse in tribus. Benè verum, quòd *Trinus* fuit ipsismet Ethnicis cognitum, & vsurpatum, hinc Cicero ad Attic. ait, *trinas literas*: Cæsar lib. 7. belli gallic. *trinis castris potiuntur*: indeq; etiā à Canonistis vsurpatur, & loquentes de monitionibus docent pręcedētro debere *trinam monitionem*. cōsonat & August. tract. 125. in Ioan. *Redditur negationi trina trina confessio*.

Trini Ethymol.

5 Vocis *Trinus* qualisnā sit Ethymologia, verum sit nomen simplex, an compositum, ait Henric. 2. p. art. 37. q. 3. esse simplex, deriuans ex dictione græca *Tris*. Ratio, quia si esset compositum, itaut significaret *ter vnum*, committeretur nugatio dicendo *Trinus, & vnus*, sufficeret namque dicere *Trinum*. Nihilominus Isidorus ait esse nomen collectiuum, inquit enim lib. 7. Ethymolog. c. 4. *Trinitas* appellatur, quod fiat totum vnum ex quibusdam tribus, quasi *trinnitas*. & D. Tho. 1. p. q. 31. art. 1. ad 2. scribit, *Nomen collectiuū duo importat, scilicet, pluralitatem suppositorum, & vnitatem quandam, scilicet ordinis alicuius; Populus enim est multitudo hominum sub aliquo ordine comprehensorum. quantum ergo ad primum, hoc nomen Trinitas conuenit cum nominibus collectiuis: sed quantum ad secundum differt. quia in diuina Trinitate non solùm est vnitas ordinis, sed cum hoc est etiam vnitas essentiæ.* ait ergo esse nomen collectiuum ex vnitate, atque pluralitate consurgens. Confirmatur ex Ethymologia, quia dicitur *Trinitas*, tanquam *Trium vnitas*.

Trini vox an simplex, an collectiua.

Respon. D. Tho. Henric.

Respon. D. Bonau.

6 Verùm D. Bonau. in 1. d. 25. art. 3. q. 1. in corpore, duo docet, primò, tale nomen non esse collectiuum; secūdò, hoc, & huiusmodi nomina, esse similia collectiuis: & confirmat authoritate Magistri asserentis nomen hoc *esse quasi collectiuum*; Ratio autem D. Bonauenturæ ea est, quoniam *vnitas collectiuorum est vnitas aggregationis, quæ consequitur*, inquit, *pluralitatem: hic autem est vnitas formę. quæ non est pluralitatem consequens, ideo non est collectiuum tale nomen.* Sensus verò Seraphici Doctoris est: in vnitate collectiuorum adest pluralitas suppositorum, & pluralitas naturarum; in diuinis autem adest pluralitas suppositorum, & vnitas naturæ. Confirmatur, vnitas aggregationis est minima vnitas, adest namq; in vnitate collectiuorum ad sūmum vnitas ordinis: at in diuinis adest vnitas maxima, quæ est vnius, eiusdemque numero essentiæ. quapropter cantè loquitur vnà cum Magistro, Sāctus Doctor, inquiens esse nomen hoc *quasi collectiuum*.

7 Ad Henricum respondet idem Bonau. non committi nugationem, *quia sicut hoc verbum Cede habet intellectum huius verbi dandi, & loci, similiter in proposito &c.* Responsio, alioqui obscura explicatur per sequentia: & quidem in 1. d. 24. art. 3. q. 1. ait, non ineptè dicitur *nasus symus*, quāuis *nasus* claudatur *in symo*, sic etiam nō ineptè dicitur *Sancta Trinitas vnus Deus*, & tamen in Trinitate includitur essētiæ vnitas.

8 Cla-

8 Clarius respondebimus si dicemus primò non committi nugationē, quoniam nō specificatur eadem prorsus ratio formalis per *Trinum*, & *vnū*, etenim per *vnum* demonstratur essentiæ vnitas; per *trinum* pluralitas personarum. Dices, hoc idem importatur per *Trinum*, sustinendo *Trinum* non esse simplex, sed compositum. Respondeant ad hoc qui sustinent esse compositum. Cæterum sit secunda responsio tùm ad præcedentia, tùm ad replicam, quod *Trinus* significat implicitè, id, *quod vnus* significat explicitè: etenim vox *Trini* non significat de se absolutè vnitatem in omni, & semper, siquidem dum dico *trina monitio*, monitiones illæ non sunt vllo modo vna, sed omni ex parte plures, igitur *trini* vox non significat necessariò vnitatē quantum est de se, prout competit etiam creaturis; ergo vt fideles magis explicitè credant Deum esse trinum, & vnū, ideo vltra *trinus*, additur, *vnus*, Philosophus namque negaret hanc consequentiam, est trinus, ergo & vnus, vt passim infra demonstrabitur, præcipuè disput. hac q. seq. igitur vt innotescat Deum trinum esse etiam vnum, inde ad *trinus* additur *vnus*: vnde cessat Hērici nugatio, quoniam id, quod implicitè importat *Trinus*, id importat explicitè *ipse vnus*.

Trinitatis vox antiquissima.

8 Nomen *Trinitatis*, & *Trini* antiquissimum est, & in primis habetur ex Scripturis, vt 1. Ioan. 5. *Tres sūt, qui testimonium dāt in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnū sunt.* Item Iacobus frater Domini in sua Missa prout habetur tom. 6. Biblioth. ait, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sācto, trino, & vni.* indeque, *Trinitas vnus Deus.* & infra. *Sanctam, & consubstantialem Trinitatem.* Ioannes Euangelista apud Prochorum in eius vita, mentionē facit: & Petr. Apoc. apud Clem. l. 1. Recogn. in fin. Dionysius de diuin. nomin. c. 1. *In omnibus ferè diuinis libris Diuinitatem ipsam sacris laudibus ornari, vt vnitatem, & vt Trinitatem propter cœlestis facūditatis in tribus personis enunciationem.* & cap. fin. *Diuinitas, vnitatis, & Trinitatis nomine celebrata.* ac de myst. Theol. *Diximus*, inquit, *quomodo diuina natura vnica dicatur, & trina:* Tertullianus lib. contra Prax. Iustinus Mart. in exposit. fid. Origen. in c. 21. Num. homil. 12. & in Isai. homil. 4. sanct. Martial. Apostolorum discipulus epist. ad Burdegalenses cap. 10. Gregor. Thaumat. penes Gregor. Nissenum, hi, alijq; expressam mentionem faciunt de Trinitate: quid dicam de Athanasij libris, præcipuè de symbolo, tantopere conclamante Trinitatem? quid de Hilario? quid inde de Augustino, Hieronymo, cæterisq; Patribus Ecclesiæ, & quid de Scholasticis, peculiares tractatus agentes de Trinitate? Insuper Nicenum Concil. lib. 2. appellat Trinitatem indiuiduam, & consubstantialem. Dionysius Papa penes Athanas. lib. de decret. Nicenæ Synodi. Felix Pap. II. epist. 3. ad Benign. &c.

9 Dum autem vox hæc *Trinitatis* importat vnitatem essentiæ, & personarum pluralitatē, expostulatur quid nam istorum importet per sè primò, & principaliùs? Alensis 1. p. q. 66. m. 1. ar. 1. G. nebrard. l. 2. de Trin. & Bellarm. lib. 2. de Christo c. 5. aiūt nomine Trinitatis non significari essentiam, sed personas. Dicendum primò Trinitatis vocabulum de se, abstrahendo, & in genere loquēdo, importat primo pluralitatē, & numerum: probatur ex ipsa voce, quæ quidem numerica est: ergo de se importat tria: confirmatur, sicut duo, *quaternitas, quinitas*, importāt duo, quatuor, & quinque, ita dicendo *Trinitas*, de se importatur numerus trium: vnde hoc erit suū primarium, & principale signatum. Accedit, quod non semper cum *Trinitate*, abstractiuè loquendo, stat essentiæ vnitas, stat namq; in creaturis nomen *trinitas*, at cum diuisione naturæ; Dicendum secundò, quod nomen *Trinitatis* importet cum pluralitate suppositorum essentiæ vnitatem, id euenit in subiecta materia Trinitatis diuinæ, vt est diuina, ergo nomen hoc importat & pluralitatem, & vnitatem. Dicēdum tertiò, id, quod primò, & principaliter signat, est pluralitas personarum, vndè primario importatur pluralitas, & secundario essētiæ vnitas. In hoc autem discordamus à negantibus importari primario vnitatem: Quapropter dicimus quartò, inte-

Trinitas quid de principali importat.

integrum significatum *Trinitatis* importari per personarum pluralitatem, & essentiæ vnitatem: hæc est D. Bonau. sup. q. 2. Richar. q. 1. Alberti sup. art. 2. & communiter cæterorum. Accedit communis vsus, & intelligentia Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & Scholasticorum, vtrumque significatū adaptantium Trinitati. Dices, nomen hoc de se abstrahit ab vnitate, vt patet in creaturis. Responsio est, quod loquendo, abstrahendo à subiecta materia, ita est: at dum sumus in subiecta materia huius altissimi mysterij, dicendū est importare vtrumque: licet vnū primario, & alterum secundario. Quæ res cur non potius importabit vnitatem primario? Resp. nomen ipsum se declarat; nam dū dicimus *dualitas* importantur duo, ex sui natura, ergo dū dicimus *trinitas* importabit tria de sui naturali significato: sicut etiam dum dicimus *vnum* importatur vnitas, vnde fit, vt cùm dicimus *Deus vnus*, per vnitatē importatur Dei vnitas de sui natura, ita quoque dum dicimus *Trinitas* importabitur *tres* ex sui natura. Confirmatur, quia dicimus, *Deus trinus, & vnus*, per *trinum* importatur personarum pluralitas, & per *vnum*, essentiæ diuinæ vnitas: patet expressè in symbolo Athan. dum dicitur, *Fides catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Smysingus de Trinit. disp. 5. q. 2. num. 34. in primis ait importare solum numerum trium suppositorum. inde autem subdit, *imo præterea expressè significat eorundem vnitatem in essentia, &c.* opposita sūt hæc, importare solum numerum personarum, & importare expressè vnitatem essentiæ. Alij dicunt vt *in obliquo*, & *materialiter* importet essentiæ vnitatem &c.

An concedendum ter vnitas. Essentia, an trina.

10 Ethymologia hæc, *Trinitas*, id est *trium vnitas*, vsque modo adstipulata præsertim à D. Bonau. sup. q. 2. præferenda est illi, qua diceretur *ter vnitas*, vt docet idem Sanctus Doctor; ratio, quia sicut diceretur *ter vnitas* de Trinitate, ita de Trino dici posset *ter vnus*: hoc autem significaret Deum non esse vnum in essentia, sed ter vnū, seu habere *ter*, vel *trinam* essentiam diuinam. Dices, conceditur, *Deus est trinus*, ergo concedendum essentiam esse trinam. Resp. negando consequēs, quia in eo datur intelligi essentiam numerari, nec esse vnam, de Deo autem dum dicimus esse trinum, iam cōstat Deum teneri suppositaliter, & personaliter, quam suppositionem non facit essentia, ergo concedendum, *Deum esse trinum*, non tamen *essentia est trina*. sed de hoc magis infra.

Vnus, & Vnū quid important.

11 Circa eandē vocem *Vnus* constabit sæpissimè differentia inter *Vnus*, & *Vnum* sumpto vtroque in casu recto; ea autem pro nunc est, quod *Vnus* masculinè significat personam; *Vnum* neutraliter, importat essentiam: quia verò personæ distinguuntur realiter, hinc nō conceditur *Pater est vnus cum Filio*: ex quo tamen sunt cōsubstantiales, habentes eandem essentiam, hinc concedendum, *Pater est vnum cum Filio*. propterea; Christus Io: 10. de seipso ait, *Ego, & Pater vnum sumus*, dixit autem *Vnum*, non *Vnus*. & Ecclesia in Hymno ad Tert. *Nunc Sancte nobis Spiritus vnum Patri cum Filio.* importando vnitatem essentialem, non personalem.

Vnum, & Vnitum an idem.

12 An verò idē sit *Vnum*, ac *vnitum*, vt sicut dicimus Pater est vnum cum Filio, & Spiritu sancto, sic quoq; dici posset esse vnitum Filio, & Spiritui sancto. Equidem Græci vtuntur etiam voce importāte *vnitum*, vt apud Dionys. de diuin. nom. c. 2. & Nazianz. orat. 23. Verùm latina Schola abstinet ab hac voce; ratio, quia ea vniuntur, quæ de se sunt separata; siuè ea possunt vniri, quæ de se possunt separari, & diuidi, vnitio nāq; opponitur separationi, & diuisioni: in diuinis autem non cadit separatio, & diuisio: vnde Christus aiebat, *Omne Regnum in seipso diuisum dissipabitur*, at *Ego, & Pater vnū sumus*, intendens docere nusquam separatum esse Filium à Patre. Confirmatur ex D. Bern. lib. de consid. inquiens, *Deum esse vnum, sed non vnitum*, ratio, inquiens, quia *non partibus constat, vt corpus*, quæ est altera ratio, quia vnitio cadit super partes, in ordine ad cōpositum constans ex partibus. Hilarius l. 5. de Trin. *Patrem, & Filium*, ait, *esse vnum, sed non per vnionem*, & Beda in Boet. de Trin. *Tres personæ dicantur*

cuntur vnus Deus, non vnus ab vnione; non enim tres personæ vnus Deus participatione, sed vnus idētitate essentiæ.* De Græcis verò dicendum, talem esse morem eorum; at idem intendunt, ac Latini, nempè per vnitionem explicare *vnitatem essentialem*, & esse in natura *Vnum.*

Idem, & Vnum an importent eundem sensum.

13 Sunt planè personæ idem, & vnum essentialiter, vt suo loco constabit. Petitur verò vtrum eundem sensū faciant istæ, *Pater, & Filius sunt idem;* ac *Pater, & Filius sunt vnum?* Respon. tialiter, subiecta materia Trinitatis vtique eundem sensum important; etenim sunt vnum essentialiter, & sunt idem essentialiter, & hæc significata important sensum eundem: At est distinguendum, vel loquimur de rigore sermonis, & de vocibus secundùm se in suo genere: vel in subiecta materia: si loquamur de primo, dicimus esse magis propriam loquutionē hanc, *Pater, & Filius sunt vnum*, quam *sunt idem*, ratio, quia *Vnum* iam cōstat, quod de sui natura importat essentiā, ergo indicat de se identitatem naturæ: at *Idem* est commune ad idem realiter & essentialiter: vnde est, vt dicendo absolutè, *Pater, & Filius sunt idem*, non potius de rigore sermonis importabitur identitas essentialis, quàm personalis: vnde est, vt loquutio talis expostulet modificationem, addendo, vel *essentialiter*, vel *Deus, vel in Deitate &c.* vt dicendo sunt idem *essentialiter* sunt *idem Deus*, sunt *idem in Deitate, &c.* loquendo autem de secundo, iam penes catholicos currit sensus, & intelligentia, quod dum catholicus inquit, *Pater, & Filius sunt idem*, intelligat non de identitate reali personali, vt Sabellius, sed de identitate naturæ, atque essentiali.

An concedendum esse vnicum.

14 Sicut autem sunt personæ *vnū*, & Deus est *vnus*, vtrum concedi posset *Deum esse vnicum, & singularem.* D. Tho. 1. p. q. 31. art. 4. cum D. Bonau. in 1. d. 21. art. 2. q. 1. negant, & probant, quia aliàs Deus diceretur esse solitarius, atque personarum diuinarum cōsortio exclusus: de qua re agemus infra. Nihilominus non est, cur negare debeamus Deum esse vnicum: ita Dur. in 1. d. 9. q. 1. & Suar. l. 4. de Trin. c. 13. num. 4. ratio, quia *Vnicus* non importat ibi *solitarium*, sed vnitatem naturæ, vnitatem Deitatis: idem etiam Deus de seipso dixit, *videte quòd ego sum solus*, at non indicabat Deitatem remanere solitariam absque consortio personarū, sed quòd solus ipse esset Deus, & nō a ius; & propterea subdidit, *et nō est alius Deus præter me*: ita à pari, *Vnicum*, importat idem, ac esse vnum Deū, & non plures Deos. Insuper vox *Vnicum* indicat excellentiam, & eminentiam talis rei vnicæ, cùm verò Deus sit omnium eminentissimus, hinc iure ei competit esse vnicum. Confirmat hoc Dionys. de diuin. nom. cap. 1. inquiens *Aduertimus Diuinitatem sanctè prædicari, vt singularem quidem, atque vnicā ob simplicitatem, atque vnitatem illius excellentis indiuidui.* *Deut. 32.*

Triplicitas an in Deo.

15 Cùm autem constet Deum esse *trinum*, & vnum, vtrum dici possit esse etiam *triplicem*: negatur communiter à Scholasticis, vt Alens. p. 1. q. 66. m. 1. art. 4. D. Tho. 1. p. q. 31. art. 1. ad 3. cæterisque. Ratio D. Thomæ est, quia triplicitas significat proportionem inæqualitatis, quia est species proportionis inæqualis ex Arithmeticis, at in diuinis nulla reperiri potest proportio inæqualitatis. Hanc tamen rationē impugnant Suar. loc. cit. & Vasqu. 1. p. disp. 131. c. 3. quandoquidem numerus ternarius est species proportionis inæqualis, adest autem in diuinis numerus ternarius personarum. Adde oportere dari duos saltem Deos, etenim vnitas, & vnum negat æqualitatem, quam dicunt duo. Hinc aliunde assignanda ratio, vt ideo negetur triplicitas, ne dicamus esse triplicem Deum. quod si triplicitatem assignes personis, iam adest triplicitas personarum, ergo triplicitas adaptari potest ad personas, semotis imperfectionibus, quas dicere posset aliunde ipsa triplicitas. Dices, *Deus est trinitas, Deus est trinus*, ergo erit etiam verum quod sit Deus triplicitas: negatur consequens, siquidem *triplicitas* multiplicat essentiam, *trinitas* verò, seù *trinus*, multiplicat solas personas: ita expressè D. Bonau. in 1. d. 19. dub. liter. 12. inquiens, *Quia hoc nomen, trinus, specialiter ad hoc inuentū est, vt significet pluralitatem in suppositis*

tis cum vnitate formæ; quia autem hoc nomen, triplex, dicit distinctionem simpliciter in termino, cui additur, vel quantum ad formam, vel quantum ad partiũ multiplicationem: & quia in Deo nõ cadit multiplicatio, nec quantum ad formã, nec quantum ad partes, ideo nullo modo potest dici triplex. Hoc quoque habet Concil. Trident. 11. in fidei professi. loquendo de Trinitate, inquiens, *Non tirplex, sed Trinitas, & dici, & credi debet.* August. lib. 6. de Trin. c. 7. *Nec quoniam Deus Trinitas est, ideo triplex putandus est; alioqnin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater, et Filius.* & c. 8. atque serm. 38. *Cùm itaq, tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est*, atq; lib. 13. c. 3. *Non Deus triplex, sed Trinitas.* Nazianzenus denique ad Euagr. de diuinit, *Quomodo Numen accipi debeat exponamus, simplex ne, an triplex: sic. n. nos loqui, & credere, nominum ternio cogit.* Hæc omnia in ordine dicuntur ad Diuinitatem, ne nomine *Triplex*, censeamur multiplicitare Deitatem: At verò non implicat, vt dixi, personis adaptare, ratione numeri personarum, triplicitatem: ita idem docet Nazianz, Orat. 39. in sancta lumina, inquiens. *Deum porro cum dico, vno, eodemq; triplici lumine perstringamini: triplici quidem quantum ad proprietates, siuè hypostases, siuè personas, vno autem quantum ad substantiæ, hoc est diuinitatis rationẽ.* Confirmatur, siquidem Theologi vtũtur in diuinis nomine *duplicis processionis*: quod si admittitur *duplex*, ad rationem productionum, admitti potest *triplex* ratione suppositorum, duo enim supposita sunt producta, & vnum improducta.

An Trinitas sit trina.

16 Petes, an concedenda ista, *Trinitas est trina.* Præpositiuus affirmat penes Alens. 1. p. q. 66 m. 2. art. 1. & Albert. 1. q. 45. m. 1. art. 2. Negant tamen idem Alensis. & Albert. atq; D. Bonau. in 1. d. 24. art. 3. q. 2. D. Tho. 1. p. q. 30. art. 1. ac Carthus. 1. d. 24. quæst. 5. Ratio, quia vel Trina cadit super supposita, vel super substãtia n: si detur primum, inde sequitur multiplicari numerum personarum vsque ad nouem, quia tria ter ducta reddunt nouem: si secũdum, sequitur inde triplicari diuinam essentiam.

QVÆSTIO II.

Vtrum liceat Scholasticis disputare de Trinitate.

Sectariorũ hæreses.

1 SEctarij Theologiam scholasticam vocãt errorum, & abhominationũ sentinã: Caluinus citandus; ait, *scholasticos Theologos, velut obducto velo Christum texisse, & plurima mala texisse.* Lutherus, de quo infra, Theologiam ait esse *ignorantiam veritatis, et fallaciam*, & Scholas vbi ea docetur, esse *Antichristi lupanaria*. Vuikleffus appellat eas *Castra Cainitica*: & gradus scholasticos esse introductos gẽtiliter, impius Lutherus lib. contra Latomũ & lib. de abroganda priuata Missa, sicut & Melanthon Apolog. contra Parisienses: idem Caluinus lib. 3. Instit. c. 2. sect. 2. cum Vuikleffo, damnãt catholicorũ laborem, & studia circa Sanctissimæ Trinitatis arcanum: ipseque Melanthon aiebat, *Scholasticã Theologiã esse recenter natam Parisijs, vnà cum Magistro ante annos 400. & obscurasse Euangelium, & fidem extinxisse.* idque in odium fidelium Scholasticorum laborantium atramento, & sanguine pro tanti mysterij confessione. Ariani aie-

bant,

bant, Filium nequaquam seipsum cognoscere posse, quanto minus substantiam Patris æterni: quos cõfutat Athanasius orat. 1. contra Arianos, & Felix Papa I. epist. 3. ad Benign. Epis. Origenes inquiebat, quòd Patrem nec Filius videat, nec Spiritus sãctus. refert Epiphan. in Ancor. Hi opponuntur alijs alio extremo laborantibus, atq; dicẽtibus, posse Trinitatem naturaliter demõstrari, cuiusmodi fuerunt Gnostici, Valentinus, Marcio, Basilides, Saturninus, contra quos Iræn. lib. 2. c. 48. de quibus agemus seq. quæst.

Argumenta hæreticorum.

2 Ex argumentis verò, quæ afferunt, hæc sunt potiora. Primò Paulus ad Coloss. 2. *Videte*, inquit, *ne quis vos decipiat per Philosophiam, aut inanem fallaciam*. abijcienda ergo sunt studia hæc, & humani labores circa tanti mysterij cõfessionem, ne decipiamur. Secundò, Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*. hoc ergo sufficit, vt saluemur, fides, & baptisma. Tertiò Prou. 25. *sicut qui multum mel comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est Maiestatis opprimetur à gloria*. & Eccles. 3. *Altiora te ne quæsieris*: & rursus, *In pluribus operibus Dei ne fueris curiosus, non enim est tibi necessariũ, ea, quæ abscõdita sunt, videre oculis tuis*. Quartò, 1. Cor. 2. *quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei*. & Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater, & Patrem quis nouit, nisi Filius*. Quintò in Cõcil. Carthag. 4. c. 16. statuitur, *ne Episcopus libros Gentilium legat*. Sextò, obijcit Erasmus, quòd Theologi nonnũquam inutiles, & ineptas quæstiones exagitant: Item, quòd in rebus grauioribus quandoque nimis sobriè, & ieiunè se habeant. Septimò, Sixtus Papa II. ep. 1. ad Grat. Episc. tom. 1. Conc. ponderat illud Iacobi 28. *sapientiã Dei vnde inuenies? latet enim ab oculis hominum, & à volucrib. cœli abscõnsa est*. Ephræm. Syrus sermonem 17. composuit, *Aduersus eos, qui Filij Dei naturam curiosè scrutari nituntur*. Clemens Rom. ep. 1. ad Iacob. fratr. Dom. *Deum*, inquit, *à nobis discutiendum non esse, qui in nobis ipsis nescimus quod sapimus, quomodo mens nostra generat verbum*. Ambros. lib. 1. de fid. ad Grat. cap. 5. *si Paulus ea, quæ audiuit, raptus in cœlum, ineffabilia dicit, quomodo nos exprimere possumus paterna generationis arcanum, quod nec sentire potuimus, nec audire?* Chrysost. in Matt. 1. homil. 4. loquens de æternali generatione Filij, ait, incomprehensibilem esse, exemplo generationis temporalis, inquiens, *si istam, quæ mille celebrata testibus, oculis inspecta, manibusque contrectata est, interpretari tamen nullus potest; quem cumulum non excedunt furoris, qui ineffabilem illam generationem Dei ex mera curiositate, anxiè, & scrupulosèq; rimatur?* Augu. tract. 99. in Ioan. *Quid illic intersit inter procedere, & agere, longum est quærendo differere, & temerarium, cum differueris, definire*. Et denique Concil. Nicæn. lib. 2. ita loquitur, *Ne quæras ò Philosophe, alioquin studes, te præcipitem agere, perscrutari tentans, quæ inscrutabilia sunt*. Insuper idipsum cautum videtur in l. Nemo Clericus C. de Sum. Triu. & fid. cath vbi dicitur, *Nemo Clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis de fide christiana publicè turbis coadunatis, & audientibus tractare conetur in posterum*. & ibi Glos. Hostiensis. &c.

Assertio Catholica.

3 Cæterum non abijcienda sunt Scholasticorum studia, insudationes, & labores, imò adhibenda, & quam maximè commendenda erunt, quatenus ex ipsis refutantur hæreticorum errores, & fidei veritas magis explicatur. Et in primis Augustinus lib. 2. de doct. Christ. per capita multa, præcipuè 8. 16. 29. 31. 36. 37. &c. demonstrat, quãtum vsus Artium, seù scientiarum naturalium conferat ad Sacræ Scripturæ intelligentiam, & c. 40. docet, vtendum nobis esse Philosophorum scientijs, dẽptis tamen erroribus, vt *veluti expoliatis Aegyptijs*, thesauros philosophicarum scientiarum, *tanquam ab iniustis possessoribus eripiamus*; appellat autem eos, *possessores iniustos*, quandoquidem teste Apostolo, *cùm cognouissent Deũ, non glorificauerunt, sed euanuerunt in desiderijs suis*. Rom. 1. Accedit Hieron. epist. ad Magn. Orat. Rom. idem studiũ commendans; ac proinde subinferens, eos, qui Philosophorum scientijs vtũtur, adimplere (mysticè tamen) illud Deuter. 21. vbi præcipiebat Dominus, quod si quis alienigenã vellet in vxorem ducere, nonnisi prius rasa cæsarie,

Philosophi iniusti philosophiæ possessores, ex Aug.

rie, præcisis vnguibus, in domum suam introduceret: ita & agant, inquit, Catholici dum philolophicis vtūtur doctrinis, abiectis eis prius, & resecatis erroribus. Paulus etiā Actor.16. sententiam Poetæ nō abhorruit, ad Athenienses inquiens, *sicut quidam vestrum Poetarum dixit, Genus Deorum sumus.* Basilius sermone quodam, cui titulus, *Quomodo vtilitas capienda sit ex Græcis Autoribus*, affert exemplum Danielis, qui *in Babilone Chaldæorum sapientiam fertur didicisse.* Exemplum quoq; Moysis, *qui in Aegyptiorum disciplinis se exercitaße dicitur*, Clemēs Alexandr. l.1. tr.8. Strom. ait, *Meritò Apostolus variam, & multiplicem dixit Dei sapientiam.* Hæbr.1. *vt quæ multifariam, multisq; modis, per artem, per scientiam, per fidem per prophetiam, suam ostendit potentiam ad nostrum beneficium.* & insuper lib.5. subdit, *Eam, quæ cum fide conuenit, quæstionem, quæ supra fundamentum fidei superædificat, splendidam, ac magnificā veritatis cognitionem, optimā eße scimus.* Cassiodorus in Cant. 8. ibi *si murus est, ædificemus propugnacula argentea &c.* sic scribit, *cùm cæperint Apostoli prædicare Ecclesiæ de Gentibus congregata, si tales fuerint Auditores, qui meritò perfectionis muri appellari possint, dū scilicet, vel naturali ingenio præditi, vel philosophica eruditione præstantes, quasi murus defendere, & munire possint, ædificemus super hunc talem murum propugnacula argentea, idest, addamus illis eloquia diuinarum Scripturarum.* Iustinus Martyr postquam ostenderat non posse nos attingere ad tanti mysterij penetrationem, ita in exposit. fide Trinit. scribit, *Non debemus tamen in totum ad ea quærēda desistere, sed pro sua quisque portione accepta à Domino scientiæ strenuè rem examinet; certus, nō quidem exactè se percepturum, profuturum tamen per huiusmodi contemplationem, accedendo ad illum propius, &c.* Athanasius epist. ad Serap. postquam obiurgauit illos, qui perscrutari volūt profunda Dei, quæ nemo scit, *nisi Spiritus Dei.* subdit nihilominus, *sed tamen ne taciturnitas nostra causam illis impudentiæ præbeat, audiant è nobis vicissim, &c.* idemque præstat in quæst. de natura Dei, q.14.15. Et Augu. 4. de Trin. cap.1. ait, *scire oportet non solùm quid sit credendum, sed etiam quomodo & pijs opituletur, & contra impios defendatur.* Ita quoque vniuersim agunt cæteri Patres, vt Nyssen, lib. ad Ablabium. Basil. Clemens, Hieronymus, &c.

4 Demum Apostolus Petrus ep. 1. cap.3. ait, *parati semper ad sanctificationem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe.* Alij idipsum intelligunt de fide, ita namque *de fide* legunt Oecumen. Glosa, Beda, Gratian. d.36. cap. qui Eccles. S. Hinc & *Petrus.* Fulgentius autem de vtraque, & *fide*, & *spe*, ad Trasimund. c. 1.

Soluuntur obiecta hæreticorum.

5 Ad opposita autem potest multipliciter responderi, iuxta quæ habebitur intelligentia, & Scripturarum, & Patrum. Et primò, velle de Trinitate disputare, ea solummodo intentione, & fine, vt per philosophicas rationes demonstretur, & concludatur naturaliter tale mysterium, abnegata prorsus credulitate, & fide: id quidē est error maximus, cum ex seq. quæst. constabit nō posse mysterium hoc naturaliter demonstrari. Secundò, vt eatenus disputetur, quatenus impugnari intendatur tale mysterium, & comprobari hæreses Gnosticorum, Sabellianorum, & Arianorum, cæterorumque hostium Trinitatis; hoc est maxima hæresis. Tertiò, vt eatenus disputetur, quatenus animus ad credēdum mysterio reducatur per disputationem solummodo, & non per fidem: hoc error maximus, etenim isti non assentirent mysterio per fidem. Quartò, quatenus ideo disputationem texamus, vt mysterio, quod per fidem credimus, & tenemus obscurè, fiat nobis per philosophicas disputationes apertum, patens, & clarum, & velut manibus attrectabile; at hoc est summa dementia, quia Trinitatis mysterium nō cadit sub sensu, estq; adeò eminens, vt non possit cognosci nisi per fidē. Quintò, vt eo pacto disputetur, quatenus si disputationum rationes conuincāt, credatur mysterio, aliàs ei discredatur: hoc vtique est abnegare de tanto mysterio fidem: item cessaret meritum, quia teste Gregor. *fides non habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum.* Sextò, locis recensitis improbatur vitiū curiositatis, vt inter

Quomodo liceat vel non, disputare de Trinitate.

cæteros Basilius docet homil. 25. inquiens, *Taceant curiosi, & in Ecclesia Dei superuacanea vestigare desistant, ac de quibus ratio omnino non redditur, ne vestigentur.* hineque Ecclesiastieus c. 3. ait, *Quæ præcepit tibi Deus, hæc cogita semper, & in pluribus operibus illus ne fueris curiosus;* etenim diuinorum arcanorum cognitio assequenda est, non curiositatis ergo, sed laudis Dei, & salutis animarum. Ad eos, siuè consimiles sensus procedunt loca siuè Scripturarum, siuè Patrum, quę videntur pugnare in oppositum, sicut & textus citatus in l. Nemo.

Scholastica non omnib. necessaria ad salutem.

6 Singulariter verò ad illud, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluabitur.* Resp. hinc concludi nō esse necessariam scholasticam vnicuique, vt saluetur, etenim rudes, & simplices absq; scholasticis exercitationibus credēdo, & operando possunt saluari: nihilominus necessaria est ipsi Ecclesiæ militāti, etenim mediante illa, militat contra hæreses. & se tuetur ab Hęreticis mediante labore, & assiduis studijs Theologorum, propterea q; Augustinus aiebat, *scire oportere non solùm quid sit credendum, sed quomodo & pijs opituletur, & contra impios defendatur:* attigimus autem hęc to. 1. disput. 1. q. Rudes autē, & indoctiores credendo implicitè quę credunt explicitè sapientiores, saluantur.

7 Ad id de Episcoporum &c. Respondetur ex August. epist. 56. ad Dioscor. dicente, *Non decora facies rerum attingit sensum meum, cum cogito, Episcoporum ecclesiasticis curis circumstrepentibus districtum, atque distentum, repente, quasi obsurdescentem, cohiberi ab his omnibus, & dialogorum Tullianorū quæstiunculas vni Scholastico exponere: quod quantum dedeceat, tu etiam sentis.* cæterum de lectione librorum iam diximus tùm ex eodem Augustino, tùm tùm Hieronymo &c.

Quæstionū inutilium exagitatio an omnino inutilis.

8 Ad illud de aliquibus quæstionibus superuacaneis, ineptis &c. dicēdum, quòd si defectus contingat, non est Theologiæ, sed curiosi Theologi; defectus namq; solet esse Artificis, non Artis. Item nec omnino inutiles solent tales quęstiones esse; etenim exacuitur ingeniū, mens exagitatur, aliaq; cōmoda insurgunt, quæ ex frequenti Artis exercitatione oriri solent. Et ad id, quod grauiores quæstiones quandoq; minus dignè, minusq; aptè tractantur, Respōdetur, quòd *quandoq; bonus dormitat Homerus,* non enim omnia possumus omnes, sed altero alter veracius rem assequi solet iuxta qualitatem talenti, vnicuique elargiti à Deo.

Theologia an antiqua an noua.

9 Ad id de nouitate scholasticæ per tempus Magistri &c. Dicendum, quod Theologiam considerare possumus vel quantum ad substantiam, vel quantum ad methodum tradendi eam: loquendo primo modo, antiquissima fuit, & simultanea cū fide; statim'nàque ac veri Dei cognitio introiuit in mundū, ingressa etiā fuit ipsa Theologia: ipseque Adam fidem incipiens habere de Deo, habuit quoque Theologiæ infusionem, sicut & cæteras scientias ab ipso Deo, vt tom. 1. disput. 1. q. 1. ostendimus: In nouo autem testamēto, Damascenus orat. 2. de dormitione Deiparæ sub fin. ita loquitur, *Aderat autem & Domini frater Iacobus, & Petrus, suprema, & antiquissima Theologorum sūmitas.* ecce quomodo sub initio etiam temporum siuè veteris, siuè noui testamenti aderat Theologia. loquendo autem secundo modo, cæpit successiuè methodum acquirere, qua explicatius traderetur, & informa scholastica: idq; antiquitus ex Augustino potissimum, cæterisq; Patribus: de Augustino namque legitur in eius officio, *Tàm multa piè, subtiliter, & copiosè scripsit, vt christianam doctrinam maximè illustrarit: quem in primis sequuti sunt qui postea theologicam disciplinam via, & ratione tradiderunt.* vsquequo deuentum fuerit ad tempora Magistri sententiarum, post quem Scholastici methodum ipsā ad faciliorem normam traduxerunt.

Cæterum viso iam quid dicendū de scholasticis insudationibus circa Trinitatem, inquiri posset quibusnam munus hoc competere possit, & quibus non: videndus Farinaceius de hæresi quæst. 178. citans plurimos.

QVÆSTIO III.

Vtrum naturali ratione demonſtrari poſſit Trinitatis myſterium.

ARTIC. I.

Proponuntur argumenta affirmatiua.

1 PRo parte affirmatiua ſic arguitur. Primò, quidquid de ſui ratione formali eſt principium productiuum alicuius, illud in quocunque eſt, habet rationẽ principij productiui: Sed memoria perfecta, nempè præſentialitas obiecti, cum intellectu, & voluntas perfecta, ſeù voluntas fœcunda, eſt de ſui ratione formali principium productiuũ, ergo in quocunque reperiuntur, ibi ſunt principia producendi, reddendo ſingula ſingulis: ſed vtrumque iſtorum reperitur perfectè in Deo ergo in Deo ſtat productio, vna per intellectum, & hæc eſt Verbum, alia per voluntatem, & hæc eſt Spiritus Sanctus: Sed omne productum eſt realiter diſtinctum à producente, quia nihil producit ſeipſum, ergo ibi ſtat perſona producens per intellectum, & hæc erit Pater, ſeù perſona prima ſtat perſona per intellectum producta, & hæc eſt Verbum, ſeù Filius & ſtabit perſona producta per voluntatem, & hæc erit Spiritus Sanctus. Dices argumentum indicare eſſe in Deo potẽtiam quidem in actu primo ad producendum, non autem actualem productionem; contra, quia importatur vtrumque & probatur, in diuinis ſunt ſimul, & idem, poſſe, & eſſe; ratio, quia quæ in diuinis ad intra ſunt, neceſſaria ſunt, vnde Deus, quia poteſt ſie, ideo eſt, etenim ens neceſſarium eſt: ergo ſi poteſt in diuinis adeſſe iſta duplex productio, vtique actu erit.

2 Secundò, obiectum prout eſt in memoria, eſt ratio, & principium productiuum ſuipſius prout in intelligentia: in diuinis eſt perfecta intellectiua memoria; ergo eius obiectum eſt ratio productiua, & communicatiua ſui in intelligentia: at intelligentia hæc erit Verbum, quod eſt perſona Filij, ergo. prob. anteced. etenim lapis, quem habeo obiectiuè in intellectu, eſt principium productiuum, ſeù communicatiuum ſui ipſius in intellectione, quia quid facio intelligẽdo lapidem, quàm communicare lapidem meæ intellectioni etenim intellectio eſt partus ipſius lapidis, ſimulachrum, & imago lapidis, quia à cognoſcente, & cognito paritur notitia.

3 Tertiò, omne bonum eſt ſui ipſius communicatiuum; ergo ſummè, & infinitè bonum eſt ſummè, & infinitè ſui communicatiuum: Deus eſt tale bonum, ergo communicat ſemetipſum ſic ſummè, & infinitè: at talis communicatio non poteſt fieri ad extra, ergo ad intra; non enim creatura eſt capax ſummæ, diuinæq; communicationis, quia *finiti ad infinitum nulla eſt proportio.*

4 Quartò, productio naturalis eſt omnino prima; patet, quia productio libera non poteſt eſſe prima, cùm voluntas præſupponat intellectum, tanquam agens naturale ad agendum, voluntas enim non fertur niſi in præcognitum; ergo in Deo ſtabit productio naturalis; ſed hæc non poteſt eſſe pri-

mo circa creaturas. prob. quia Deus non agit necessario ad extra, ergo talis productio erit omnino ad intra.

5 Quintò, in qualibet conditione entis, quæ de sui ratione nō est imperfecta, necessitas est perfectio simpliciter, ergo non repugnat dari ens necessario productum: si non repugnat, ergo actu datur, quia posse in Deo non differt ab esse. Confirmatur ens in quantum ens, diuiditur per producēs, & productum: ergo in Deo stat producens, & productum.

6 Sextò, relationes producentis, & producti sunt compossibiles in eadem natura, licet non in eodem supposito; ergo stabit in natura diuina productio ad distincta supposita. Declaratur maior, quia generatio humana stat in eadem specie humana, omnes namque homines, producentes, & producti sunt de specie, & natura human, at non stat in eod. supposito, quia nihil generat seipsum, sed producit suppositum distinctum; ergo à simili stabit productio in diuinis, itaut personæ diuinæ sint omnes de natura diuina, attamen sint suppositaliter distinctæ. Confirm. relationes secundi generis possunt esse in ead. natura, Ar. 5. met.

7 Septimò, ex creaturis cognoscimus Deum esse Creatorem; sed Creator est trinus, & vnus; ergo ex creaturis cognoscimus Trinitatem.

8 Octauò, in creaturis datur multitudo, inæqualitas, & separatio: sed hæc dicunt imperfectionem, ergo opposita iustorum sunt ponenda in Deo; at multitudini opponitur vnitas: inæqualitati æqualitas: & separationi opponitur connexio; ergo in Deo stabit vnitas, nempe essentiæ: æqualitas Patris, & Filij: & connexio amborum cū Spiritu Sancto.

9 Nonò, in Creaturis stat vestigiū & imago Trinitatis; ergo naturaliter ex cognitione creaturarum deuenimus in Trinitatē: sequela patet, quia imago, & imagatum, vestigium, ac vestigiatum sunt correlatiua, quorum cognito vno, cognoscitur & reliquū.

10 Denique multi Gentiles, Ethnici, & Philosophi hoc arcanū cognouerunt sine fide: ita testatur Clemens Alex. l. 5. strom. Euseb. l. 11. de præpar. euang. Cyrill. lib. 1. & 2. de contra. Iulian. in specie autem August. lib. 7. confess. c. 9, narrat, se in libris Platonicorū legisse, non quidem his verbis, sed & multiplicib. suaderi rationibus, quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, idem in l. 11, de Ciuit. cap. 23. vaticinium narrat Sibyllæ, siuè Erithreæ, siuè Cumanæ, quo Christi natiuitas, passiō, mors, ac resurrectio enarratur clarissimè. Eugub. in lib. de peremni Philos. enarrat illud Mercurij Trismigisti dial. 4. *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem*; ex quo videtur innuere generationem Filij, & spirationē Spiritus Sācti, Plotinus librum composuit de trib. hypostasib. à quibus omnia principium trahunt, ac denique Cyrill. vbi supra oraculum refert Orphei, sic dicentis, *Cælum adjuro te Dei magni sapiēs opus; Vocem adiuro te Patris, quam loquutus est primum, quando mundum vniuersū suum firmauit consilijs*, quo loco Cyrillus per vocem *Patris* intellexisse, inquit Orpheus, *ipsum Filium Patris*.

11 Ex Catholicis mysterium hoc posse naturaliter probari insinuat in primis Richard. de Sancto Vict. l. 1. de Trin. c. 4. & l. 3. c. 3. ac lib. 9. c. 1. Henr. quol. 8. q. 14. Cusanus l. de docta ignor. c. 7. 8. 9. & in dial. de pace fid. c. 7. 8. ac l. 2. Cribrat. Alcor. c. 5. & deniq; Raymond. Lull. refertur etiam Gerson Alphab. 13. l. H. Immo Alphonsus, & Heruæus ad hos addunt Scotum; propter rationes hucusque allatas, quæ adeo difficiles, & efficaces ipsis visæ sunt, vt existimarint voluisse naturaliter demōstrare Trinitatem: nouissimè autem Suarez l. 1. de Trin. c. 12. de eod. Scoto ait, eum docuisse, saltem Angelum posse naturaliter mysterium Trinitatis attingere in 4. d. 49. q. 9.

12 Adest vltimo argumētum Raymundi Lullij: arguit autem sic: Cui competit bonitas, competit & bonificare: & vbi est bonificatiuum, ibi est bonificabile, seù bonificatum: in Deo est summa bonitas, ergo summa bonificatio, siuè per bonitatem productio. Hucusque probauit productionem. Pergit verò probando identitatem, & distinctionem: Inter bonificantem, & bonificatum reperitur concordia; er-

gò inter personas reperitur identitas. Insuper vbi est concordia, ibi adest distinctio, quia quæ concordant, aliquo modo distinguuntur, & sic habebitur distinctio personarum.

ARTIC. II.

Quid senserit Scotus circa demonstrationem Trinitatis.

Impostura Hern. Toletan. & Suar. contra Scotum de cognit. Trin.

1 VTique Herneus, Alphonsus, & nouissimus Suarez mendaciter de Scoto loquuntur, & imposturā faciunt, dum autumant intendisse naturaliter demonstrare Trinitatem. Equidem de Herueo, rationibus Scoti, pefatigatus, æstimauit eas esse omninò insolubiles, atque ad eum inquit sensum Scotum adduxisse eas, vt naturaliter, efficaciterq; ostenderet mysteriū Trinitatis. Verum fallitur omnino, quia non omnia legit, debuerat autem totum Scoti discursum legere, quem si legisset, non ita aduersus eum proclamasset: Scotus ergo in 1.d.2.q.5. lit.A, adducit rationes eas, de quibus Herueus meminit; multas ex quibus breuiter adduximus in præced. art. nihilominus idem Scotus in eadem quæst. §. *Secundus articulus* lit. C. sic ait, *Secundus articulus; tandem oportet ostendere rationes ad istam quæstionem soluēdam non esse demōstrationes*: Inde verò pergit rationes easdem soluere, eliminare, atque apertè demonstrare eas non concludere, nec conuincere, quia deberent præsupponere lumen fidei, & alia, de quibus Scotus ibi: itaq; patet hos Authores errare circa intelligentiam Scoti. Item idem Scot. in 1. quæst. Prol. clarè ostendit esse necessariam revelationem mysteriorum fidei, itaut non possit intellectus creatus naturaliter attingere ad ea. Insuper in quol. q. 14. ex professo idipsum quærit, & apertè concludit non posse naturali demonstratione intellectum, siuè animæ, siuè Angeli, assequi: Rursus in eodem primo d.42. id repetit in respons. ad primum, & d.3.q.2. litt.C. hoc ipsum habet: & hoc idem rememorat in 3.d. 24.q.1. lit. L. & alibi sæpissimè.

2 Circa Suarium, in primis falsò allegat Scotum in 4.d.49.q.11. etenim nihil ibi Scotus de hoc, vt constat: vel ergo aliunde transcripsit, vel si legit, non benè perspexit.

Arguit Scotus aduersus seipsū, & soluit.

3 Id verò obijcere posset, siue is, siue alter, quia Scot. in 2. d.3. q.9. sub lit. N. & B. imò per totum, tribuit Angelo speciem intelligibilem distinctè repræsentantem diuinā essentiam, per quam speciem Scotus inquit, naturaliter Angelum posse cognoscere diuinam essentiam: hinc verò arguitur, potest naturaliter intelligere essentiam, ergo etiam naturaliter cognoscere eā, vt repertam in trib. personis, & hinc naturaliter cognoscere Trinitatem. Argumentum hoc facit contra se ibidē Scot. sed clarissimè soluit illud negando conseq. quia distinctè abstractiuè cognoscitur à nobis quidditas aliqua creata in se, sed non cognoscitur in quibus suppositis sit, vel qualiter sit: ita cognosceret per speciem diuinā essentiam, sed non cognosceret modū essentiæ, quo est in trib. Idem Scotus rursus arguit contra seipsum, & contra datam responsionem, inquiendo quod quando supposita sunt in natura ex aliqua intrinseca, & naturali necessitate, sequitur vt cognita natura, cognoscantur, & supposita: sic autem se habent diuina supposita in diuina natura: sed naturam cognoscit naturaliter, ergo & modum naturæ, quo existit in trib. Respondet Scot. quod talis cognitio non esset naturalis, quia non esset à causa naturali, nec Angelus ad eam attingeret naturaliter, sed esset a specie, quæ in hoc casu esset causa supernaturalis. ecce quomodo negat modum cognoscendi naturaliter. Liceat autem referre verba eiusdem Scoti vt magis pateat mēs ipsius Scoti, is autem prædicto loc. secundi sub lit. D. sic scribit, *Non videtur inconueniens ponere intellectui Angeli inditam esse*, nempè speciem, *à principio*: qualis verò sit, & quomodo se haberet Angelus penes eam, declarat, subdens, *ita quod licet ipsa non sit naturalis intellectui, hoc modo, quod iste intellectus possit ex naturalib. suis eam acquirere, neque etiam ut possit eam habere ex actio-*

Species diuinæ essentiæ in Angelo ex Scoto.

Speciē abstractam diuinæ essentiæ quomodo appellet naturalem.

ectione alicuius obiecti agentis naturaliter, quia non potest eam habere præsentialitate alicuius obiecti finiti mouentis, nisi essentia diuina tantùm, quæ nihil aliud à se causat naturaliter naturali causatione, tñ sicut perfectiones datæ Angelo in sua prima creatione (licet non necessario sequantur naturam) dicerentur naturales, distinguendo contra mere supernaturales .s. gratiæ, & gloriæ: ita ista perfectio data Angelo potest dici naturalis, ita quod quicquid cognoscit de Deo virtute huius speciei, aliquo modo non cognoscit naturaliter, & aliquo modo naturaliter: naturaliter in quantum ista nõ est principiũ gratuiti actus, nec gloriosi: non naturaliter autem, in quantum ad istam non posset pertingere ex naturalibus, neque actione aliqua naturali: habetur ergo quonam modo Scotus vocet eam naturalem, & non naturalem.

Beatus vtrum reflecti possit supra actum beatificum, naturaliter

3 Dices, ex tradita doctrina Scoti sequi, quod posset Angelus, vel anima habens talem speciem naturalẽ, Trinitatis, reflecti supra actum suum cognitiuum Trinitatis, siuè beatificæ visionis, & ita naturaliter etiã effectiuè videret Trinitatem, & beatificũ obiectum. ad hoc respondet Scot. negando conseq. quia reflexio talis non fieret, nisi virtute obiecti diuini, causantis talem primam speciem: vnde ait in quodl. 14. in fin. *Cùm arguitur, quod anima ex sua natura potest reflecti super actum beatificum, vt beatificus est, hoc posset negari: verum quidem est, quod reflecti potest; sed nonnisi virtute illius, cuius habet actum rectum.*

Richardus de S. Vict. exponitur à Scot.

4 Circa verò Richardum de Sancto Victore; ipsum nec improbat, nec redarguit Scotus, imò piè interpretatur: sic namque de ipso loquitur in 3. d. 24. q. 1. lit. L. *Si aliquis velit adducere Richardum, quòd non deficiunt demonstrationes de Trinitate probãda, dico,* ait Scot. *quod verum est, desunt tamẽ nobis rationes necessariæ ex principijs euidenter notis.* Nec etiam D. Thomas eiusdem Richardi sententiam omnino improbat, sed æquè benignè eundem exponit, vt patet 1. p. q. 32. art. 1. ad 2. itaque de Richardo Scotus ait, quod circa mysterium Trinitatis secundùm se inspectum non deficiunt demonstrationes, quoniã ex Rich. potest demonstrari, quantum est de se: nihilominus quantum est ex parte nostra, demonstrationes istæ deficiunt solo lumine naturę incedendo absque spetiali reuelatione, & illustratione. Patebit verò amplius hanc esse intentionem Scoti, ex solutione argumentorum oppositorum, quorum aliqua ipse affert, & soluit.

ARTIC. III.

Quæstionis enodatio, & solutio.

1 EX cõmuni sensu Theologorum decidimus quæstionẽ per propositiones singulas. Sit autẽ prima propositio, mysteriũ Trinitatis, vt Deus est trinus, & vnus, potest naturali lumine cognosci quoad terminos simplices talis propositionis. Assertio ista est Scoti 14. quodl. Est autem cõmunis, quod si in terminis penès alios non reperitur; nihilominus in virtute eam concedere omnes tenentur. Probat autem Scotus, fidelis, & infidelis disputantes de propositione hac, verũ Deus sit trinus, & vnus, discordant quidem in complexione terminorum, siuè in ipsa propositione, & conclusione, attamen cõueniunt in intelligentia terminorũ, qui sunt, primus, Deus, secũdus, trinus, & tertius, vnus: ergo infidelis naturali lumine potest cognoscere Trinitatis mysteriũ quoad terminos simplices. Da oppositum, & nõ poterunt pugnare, & contradicere ad inuicẽ; cùm. n. ignorantur termini, discurri, & concertari non poterit; ergo prius necesse est pręconcipiantur termini, in eorumq; cognitione simul cõueniant, inde verò ad certamen deueniatur complexionis: sed infidelis caret lumine fidei in pręcõceptione terminorum, ergo naturaliter cõcipi potest quoad terminos. addit rationes alias ibi Scotus art. 1. sub lit. D. E.

Mysterium Trinit. cognosci naturaliter potest quoad terminos simplices propositionis.

6 Secunda assertio. Potest intellectus creatus fide acquisita naturaliter credere, & naturaliter assentiri propositioni huic, *Deus est trinus, et vnus.* Est eius-

Fide acquisita potest credi naturaliter, sed nõ vt oportet.

eiusdem Scoti ibid. sub lit. F. probat Scotus ex D. August. 11. de Trinit. c. 3. vbi ait, *Ea, quæ remota sunt à nostris sensibus, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus, eisq; credimus, à quorum sensibus remota esse, vel fuisse non credimus*, & idem l. 15. de Trin. c. 1. vel 12. *Absit*, inquit, *vt scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum, alioquin nescimus esse Oceanum, nescimus esse terras, atque Vrbes, quas celeberrima fama commendat*, est etiam Molinę 1. p. q. 32. ar. 1. asserētis eo pacto Lutheranos credere fide acquisita arcanum Trinitatis. Assertio hæc Scoti intelligenda venit ad sensū Concilij Trid: etenim aliud est credere simpliciter, aliud est credere, prout oportet in ordine ad salutem æternā; assertio Scoti, & Molinæ intelligenda venit primo modo: at vt credatur secundo modo requiritur fides infusa, & gratia Dei; ita enim habet Concil. *Si quis dixerit sine præuenientis Spiritus Sancti inspiratione, & adiutorio posse hominem credere vt oportet, anathema sit*, sess. 6. c. 5.

7 Redeundo ad propositum, sic deducit Scotus argumentum, si fide acquisita credimus testi fide digno enarranti nobis aliqua, quę ignorabamus; multò magis eadem fide acquisita credere possumus, & debemus testi magis idoneo, & fide magis digno: testis verò hic est Ecclesia, quæ tāquam edocta à Spiritu Sācto, docet reperiri Deum vnum, & trinū; ergo possumus ipsi credere tanquam nobis id proponenti, & narranti. Confirmat Scotus ex Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, ac denique ex eod. Augu. contra Epistolam fundam: *Ego*, inquit, *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ authoritas compelleret*. Potest addi, quoniam hæreticus credens vni articulo, & discredēs alijs, vtiq; caret fide infusa, quia fides infusa non stat cum hæresi opposita: at articulo illi credit per fidem acquisitam, proposito sibi à teste, quem æstimat fide dignum, ita similiter fide acquisita, solo lumine naturæ credere possumus Ecclesiæ tanquam testi omni exceptione maiori, proponēti hāc, Deus est trinus, & vnus.

8 Dices, id fieri nequit, vt credamus Ecclesiæ sine fide infusa, & sine speciali motione Spiritus Sancti; inquit enim Christus, *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit*; ergo neque fide acquisita credet naturaliter propositioni huic, *Deus est trinus, & vnus*. Resp. quod Ecclesia, vel sumitur tanquam singularis, & ordinarius testis, proponens, & testificans ad eum modum, quo vnusquisque homo proponere, & testificari solet: vel accipitur tanquam specialiter edocta à *Spiritu Sancto*, & gubernata desuper ab *eo*: siue tertio quatenus est congregatio fidelium militantium sub vno Capite cum protestatione Fidei, & Sacramentorum. Sūpta Ecclesia secundo, & tertio modo, vtique requiritur speciale lumen fidei infusæ in ijs, qui militant sub ea; etenim mysteria fidei, Sacramenta, & alia spectantia ad salutem haberi nequeunt absque lumine fidei, & si aiebat Christus ad Petrū Matth. 16 *Caro, & sanguis nō reuelauit tibi, sed Spiritus Patris mei*, & Ioā 1. *Spiritus, quem ego mittam vobis à Patre, ille vos docebit omnem veritatem*. Sumpta autē Ecclesia primo modo, potest fide humana ei credi, sicut & cæteris humanis testibus, quia vt sic, præscindit à motione supernaturali, & à supernaturali ratione testificandi, & quatenus præscindit, vtique ei credi poterit lumine solo naturæ, se habet namque vt testis humanus, ideoque humana fide ei creditur sic testificando. Imò Scotus addit ibid. quod credere possumus testimonio aliorum, etiam tam firmiter, vt illud *credere* dicatur apud eum scire: vnde cōcludit, quod *magis credere debemus testi magis veraci, quam personæ singulari; nunc autem Ecclesia Catholica est communitas maximè verax, quia illa maximè veritatem commendat, & mendacium reprehendit, igitur eius testimonio certissimè credi potest*, hæc Scotus sub lit. F.

Ecclesia est certissimus & infallibilis testis.

9 Tertia assertio, seclusa reuelatione diuina, seu fide infusa, Trinitatis misteriū solo lumine naturali demonstrari non potest. est communis, & de fide D. Bonau. 1. d. 3. p. 1. q. 4. num. 1. D. Thom. 1. p. q. 32. ar. 1. Alens. 1. p. q. 2. m. 1. Sco. q. 14. quol. & locis alijs ar. 2. recen-

Seclusa fide, vel reuelatione non potest naturaliter cognosci.

cęſiris. probat verò Scot. nō poteſt id ꝓbari à priori, nec à poſteriori, ergo probatur primum. Notitia eius, quod eſt proprijſſimum ſubiecto non continetur virtualiter, & primo, niſi in proprio conceptu ſubiecti ſic concepti: ſed eſſe trinum, & vnum eſt proprijſſimum Dei, igitur non poteſt ſciri propter quid de Deo, niſi habito tali conceptu Dei: ſed conceptus proprij de Deo, cognitio nō habetur ex puris naturalib.; ergo nec cognoſci poterit à priori ipſa Trinitas Dei. minor adeo vera eſt, vt nemo gloriari poſſit attigiſſe ad conceptus proprios Dei ex proprijs, vt eſſe in Deo Trinitatem perſonarum: vnitatem naturæ abſque diuiſione: circuminceſſionem perſonarum in inuicem, & huius generis. Poterit quidem de Deo cognoſci cōceptus attributalis, & perfectiones illæ, quæ licet cum imperfectionib. ſint admixtæ in Creaturis, itaut remouendo imperfectiones, attribuamus eas Deo, & ita cognoſcemus de eo, eſſe ens, vnum, bonum, verum, ſapientem, & ſimilia: cæterum conceptum Trinitatis non poſſumus viribus naturæ attingere ſolo lumine naturæ; & ratio diuerſitatis eſt, quoniam dum recte Apoſtolo Creatorem noſcimus per creaturas, *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt* &c. vtiq; de attributis reperimusaliqua in creaturis, vnde poſſimus ea attribuere Deo, vt tom. 1. diſputar. vlt. ideo namque appellantur attributa, quaſi ab alio, tributa: & ita dum in creaturis reperimus ens, vnum, bonū, verum, ſapientem, & ſimilia, ea etiam multò perfectius arguimus reperiri in ipſo Creatore, quia quidquid perfectionis eſt in creatura, totum refundi debet in Creatorem, & cum maiori, atq; eminentiori perfectione; cæterū quia non reperimus in creaturis vnitatem eſſentiæ ſtare cum pluralitate perſonarum, quomodo poterimus ex creaturis arguere Trinitatem.

10 Probatur ſecundum, de facto Deus trinus, & vnus producit res ad extra, quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa; hinc verò non poteſt concludi ipſa Trinitas. prob. ſi per impoſſibile Deus eſſet ſolummodo vnus, & non trinus, vtique etiam eſſet potētiſſimus ad producēdum res ad extra; ergo ex effectib. non concluditur Trinitas perſonarum. Si etiam per impoſſibile in Deo eſſet tantùm vna perſona, vel duæ, & non plures, vtique eſſet æquè potens ad cauſandum ad extra; quoniam Deus ex perſonalitatib. non recipit maiorem vim, ſeu virtutem ad operandum ad extra, vt aiebat Henricus, contra quem acriter ſe inuehit Scotus in 2. d. 1. q. 1. aſſumptum prob. ex Richard. de S. Vict. l. 3. de Trin. c. 16. vbi ait, *Videtur vtique quòd plenitudo tàm potentiæ, quàm ſapientiæ poſſideri poſſit in ſingularitate perſonæ.* Quod ſi dixeris Deus Trinus cauſat ad extra, quia opera Trinitatis ſunt indiuiſa. Reſpond. Deum vtique trinum cauſare, ſed non vt trinum: ea quidem ratione, qua *opera Trinitatis sūt communia, & indiuiſa*, cauſat Deus trinus; attamē Trinitas non eſt ratio præciſa, & formalis cauſandi, quia ſi per impoſſibile non eſſet Trinitas, ſed Deus ſolus, vel Deus cum vna perſona ſola, iam ex Richardo eſſet potentiſſimus ad cauſandum; ideo non cauſat vt trinus in ſenſu reduplicatiuo, ſed cauſat Deus trinus in ſenſu ſpecificatiuo, ex Scot. ſup. Tùm etiam, quia datur indiuiduū Deitatis, & Deus hic cauſat, Deus inquam ſingularis, licet cauſet etiam trinus: nō ergo à poſteriori concluditur ipſa Trinitas. Vel dicendum, quod licet cauſaret trinus, vt trinus, non tamen cognoſceretur cauſare vt trinus.

Trinitas non eſt ratio præciſa cauſādi ad extra.

Nō cognoſcitur cauſare vt trinus.

11 Denique ſemota fide, ſeiuncta illuminatione, vel propoſitiones, & principia probātia Trinitatem eſſent ex primis, & immediatis, & per ſe notis; vel ex mediatis, & minus notis: quodcunque dabis non probabis Trinitatem. & quidem de primis, quæro vbi nam ſunt principia iſta in creaturis, ex quibus tanquam ex immediatis probare poſſis Trinitatem. nullum aſſignabis, & aſſigna ſi potes, & vales, itant vrgeat, & concludat. de poſteriorib. etiam, id minus probabitur, quia principia mediata minus concludunt. quidquid tamen ſit, ex creaturis, vt diximus non habemus, niſi media ad concludendas de Deo perfectiones attributales, vt ex veritate, bonitate, ſanctitate creaturæ, arguimus eſſe perfor-

Non poteſt probari ex primis, & immediatis naturaliter

riformiter, imò multò magis bonum, sapientem, sanctum, creatorem, & ita arguebat August.8.de Trinit.cap.3.inquiens, *Bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum si potes, & ita Deum videbis*, & inferius, *Si potes sine illis, quæ participatiuè bona sunt, perspicere ipsum bonum, cuius participatione sunt bona, perspexeris Deū*,

12 Imo si medio ex creaturis deducto innitaris, vtique potius destrues Trinitatem, & mysteria fidei, quam ipsam astrues: prob. si Aristotelem, summum Philosophorum interroges, vtrum vna, eademq; numero natura possit simul indiuisa reperiri in pluribus suppositis. Respon. minimè id fieri posse. Insuper si interrogaueris vtrū intellectio, & amor productus sint substantia, vel accidens, respondebit esse accidens non substantiam. Iterum si postulaueris vtrum vna persona sit in alia, dicet id nequaquam excogitari posse, nisi admittendo Cahos Anaxagoræ. quod si sciscitaberis vtrum personæ plures vnam habeant numero voluntatem, vnam volitionem, vnicūue intellectum, mirabitur vtique de huiusmodi interrogationibus. quid deniq; si ab ipso discere cupieris, vtrum duæ personæ amando se inuicem producere possint vnam tertiam personā: nusqnam hæc audita, fatebitur, ac de omnibus concludet, id nusquam fieri posse. en quomodo verum est, quod diximus: in Trinitate autem reperitur vnitas naturæ, circuminceffio, identitas intellectus, voluntatis, volitionis, intellectionis, spiratio tertiæ personæ per mutuum Patris, & Filij amorem: quod si Aristotelis ingenium ad hæc non attingit, quis namque pertinget, igitur fateamur altitudinem mysterij, & hebetudinem ingenij nostri, dicamusq; non posse id lumine, & via naturali demonstrari.

Ex principijs Aristotelicis minime probatur Trinitas.

13 Confirmat hoc prima Veritas Christus Dominus, loquens namqne ad Petrum, iam benè ad interrogationem de seipso factam, respondentem, ait, *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est*, Matth. 16. & ex eod. Matth. 11. *Nemo nouit Patrē, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. 1. Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quā prædestinauit Deus ante sæcula in gloriā nostram, quam nemo Principum huius mundi cognouit*, Hilarius lib. 1. de Trinit. *Non putet homo sua intelligentia generationis Sacramentum posse assequi*, Ambros. lib. 2. de fide ad Gratian. c. 5. *impossibile est generationis scire secretū, mens deficit, vox silet*, & idem lib. 4. de fid. cap. 1. *Quid mirum si mysterium Dei Patris, & Domini nostri Iesu Christi per sapientiam mundi non potuerunt homines comprehendere, quod nec Angeli cognoscere, nisi ex reuelatione potuerūt.*

Ex Scripturis.

14 Prædicta assertio vera est, non solùm de anima, verùm etiam de Angelo, vt nequeant viribus naturæ mysterium Trinitatis attingere. statuitur contra Smysingum, qui de Trin. disp. 1. q. 2. nu. 16. negat esse certum de Angelo certitudine fidei. imò negat eandem certitudinem de anima separata, itaut dicat conclusionem esse certam certitudine fidei de intellectu creato; non tamen esse ita certam certitudine fidei de anima separata, & de intellectu Angelico, quia Scripturæ, inquit, loquuntur in terminis solùm de intellectu humano pro statu isto: licet, addat probabile sit, conclusionem intelligi etiam de quocunque intellectu creato: fallitur autem apertissimè, & primo conuincitur authoritate recensita Ambrosij, dicentis, *Quid mirum si mysterium Dei Patris, & Domini Iesu Christi per sapientiam mundi non potuerunt homines comprehendere, quod nec Angeli cognoscere, nisi ex reuelatione potuerunt*. Item Scot. quol. 14. artic. 2. ex professo probat non posse, nec animā, nec Angelum deuenire viribus naturæ in cognitionem mysteriorum propriorum Dei, & confirmat ibi Lycher. Accedit communis sententia Theologorum, D.Th. D.Bonau. indifferenter id adstipulātium de qnouis creato intellectu, siuè coniuncto, siuè separato, siuè humano, siuè Angelico, semoto lumine fidei. Itē iniuria fieret tanto mysterio, si diceremus capi posse, siuè ab Anima separata, siuè ab Angelico intellectu: vel saltem dicendo non esse certum de fide vtrum Angelus, & anima separata impotens, vel potens sit ad captum altissimi mysterij Trinitatis,

Assertio vera est, tum de Anima, tum de Angelo.

Smysingus refellitur.

tis. Quæro autem, cur est, vt ipse neget esse certum Scripturas loqui de solo intellectu humano, & non Angelico, fortasse, quia Christus loquebatur specialiter ad Petrum, tanquam ad hominem, dicendo, *Caro, & sanguis non reuelauit tibi*, vnde deduci posset Scripturam excludere solos homines ab intelligentia tanti mysterij, & non Angelos: sed falsus discursus: & in primis fallax est cōsequentia, loquitur Christus ad hominem, & de homine, ergo hominem excludit ab intelligentia, & non Angelum, negatur consequ. quia *arguere ab authoritate negatiuè non tenet*. Item si Christus collocutus fuisset cū Petro de spectantibus ad Petrum, tanquam solummodo ad hominem, vtiq; non essent ea intelligenda, nec transferenda ad Angelum, vt si dixisset, Parate retia, mittite rectè in dexteram nauigij, venite post me, faciā vos fieri piscatores hominum, & similia; hæc quidem ad Petrum suosq; socios dicta censerentur, vt ad homines, quæ non pertinerent ad Angelum: at cognitio mysterij Trinitatis, & imbecillitas mētis ad id capessendum, spectat tum ad Petrum in ordine cognoscentis, tum ad Angelum sub eadem ratione intelligentis: & eo magis, quo homo, & Angelus idem habeat obiectū suæ beatitudinis: quo fit, vt cum dixerit Christus Petro, *Caro, & sanguis non reuelauit tibi*, idem censeatur dixisse, & Angelis, nempè acies vestræ mentis Angelicæ pertingere non potest ad summam Trinitatem, sed requiritur Spiritus Patris reuelantis, & docentis quis sit Christus, quæ Trinitas. Confirmatur ex eodem Matth. 11. vbi abstrahendo à speciali persona, siue Angelica, siue humana, Christus ait, *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*: ly *nemo* nullum excludit, omnem creatum intellectum includit, non plus humanum, quam Angelicum, ergo scripturæ de omnibus certo docent non posse deueniri in cognitionē mysterij Trinitatis. Quod si in primo loco Matth nominauit Christus personam Petri, id sumpta occasione fecit, proposita quæstione de filio hominis, *Quem dicunt homines esse filium hominis*, ex responsione verò Petri, sumpsit occasionem Christus vniuersaliter docendi, neminem, siuè hominem, siuè Angelum posse mysteria hæc assequi, nisi reuelauerit ei Pater, qui est in Cælis.

Nec suspicari ab Angelis naturaliter potest.

15 Addendū eosdem Angelos nec quidem suspicari potuisse mysterium Trinitatis absq; fide, vel reuelatione; ita etiam Molin. 1. p. q. 32. art. 1. Suar. l. 1. de Trin. c. 11. Diuus quoq; Bonau. q. 4. in corp. quæst. ait, pluralitatem personarum cum vnitate essentiæ esse proprium diuinæ naturæ solius, cuius simile nec reperitur in Creatura, nec potest reperiri, nec rationabiliter cogitari; loquitur autem indefinitè de Creaturis, vt nō excludat angelicam, nec animam separatam semota fide: concludit verò mysterium hoc nec posse rationabiliter cogitari: intelligitur autem Sanctus Doctor de modo naturali, quia purus Philosophus ait esse contra rationem.

Trinitas secundùm se habet media demonstrandi à priori.

16 Quarta assertio Trinitatis mysterium secundum se spectatum habet media, quibus potest à priori demonstrari, est expressè Richardi de S. Vict. l. 1. de Trin. c. 4. & l. 3. c. 5. inquientis, *Credo sine dubio, quod ad quamcumque explanationem veritatis, non modo probabilia; immo etiam necessaria argumenta non desint*, quem locum explicans Scotus in 3. d. 24. q. 1. lit. F. sic ait, *Dico quod verum est; desunt tamen nobis rationes necessariæ euidentes ex terminis*, hæc Scotus: iuxta igitur intelligentiā Scoti Richardo datam, remanet ex Richardo probata conclusio, vt spectando, mysterium secundum se, possit demonstrari probabilibus, & necessarijs rationibus. Sed quicquid sit de Richardo, conclusio adeo est vera, vt negari non possit: & prob. si quis distinctè, & à priori cognosceret Trinitatem, vtiq; demonstrare eam posset euidentibus, & necessarijs rationibus, qua enim ratione probamus hominem esse animal rationale, & Petrum esse animal rationale, quia est homo, vel aliunde, dum perfectè eum cognoscimus, ea etiam ratione probare possemus à priori Trinitatem syllogismo constāte ex primis, veris, & immediatis. Accedit, quod ipsamet Trinitas, quæ sibi soli nota est, & homini assumpto, posset

C Tri-

Trinitatis arcanum reuelare, & tanto lumine perfundere intellectum creatum, vt ad proportionem illius luminis demonstraret generationem, spirationem, ipsamq; totam Trinitatem. De Beatis etiam, dum ait Apost. *videbimus eum sicuti est*, dicendum probare eatenus posse, quatenus superno lumine illustrati, rationes afferrent demonstratiuas Trinitatis. Demum si de vnoquoque subiecto fiunt, vel fieri possunt demonstrationes à priori, & posteriori ab intellectu plenè concipiente rei naturam, idipsum fieri posset de Trinitate: quare de Trinitate secundum se loquendo, non desunt demonstrationes, & probationes iuxta sententiam Richardi. & Scoti, licet desint nobis, siuè non reuelentur communiter nobis.

Suarez obstat, sed eluditur.

17 Suarez l.2.de Trin. c.11. nu.6. ait non posse Trinitatem probari à priori, quia demonstratio à priori fit per causam, Pater autem non habet causam, vt sit Pater: nec filius habet causam vt sit filius: ita cum proportione, neque Spiritus Sanctus. Resp. inutilis, & vana est argumentatio, & nil probat: & quidem iam compertũ est, & dicetur suo loco, in diuinis ad intra non reperiri istum terminum *causa*. nihilominus sumitur ibi sub alijs terminis, vtporè sub ratione principij, vel sub nomine rationis constitutiuæ. quæ quidem necessaria sunt in diuinis, Deus namque habet rationẽ sui esse: Pater etiam habet rationem constitutiuam in esse Patris; ita Filius, & Spiritus sanctus, quibus duobus additur etiam ratio principii producentis, generantis, geniti, spirantis, spirati, etenim à Patre remouetur ratio hæc, geniti, & spirati, remanente ratione generantis, qua cõstituitur in esse Patris, & ratione spirantis, qua constituitur in esse spirantis, quod si tum Deus absolutè tentus, tum etiam diuinę personæ habent rationes essendi, & quib. constituantur in esse suo; vtique per rationes illas, tanquam constitutiuas à priori, poterit demonstrari Trinitas à priori: & sic remanet quod Trinitati secundum se spectatæ non desunt demonstrationes à priori.

18 Nihilominus licet non desint demonstrationes Trinitati quoad se, & secundum se spectatæ, deficiunt tamen quoad nos, siuè in ordine ad nos, ita apertè Scotus sup Ratio est superius repetita quoniam lumine naturę, atque solis naturæ viribus innixi non possumus absque fide, vel speciali illustratione pertingere ad Trinitatem; ideoq; non possumus adinuenire, inquit Scot. 14. quol. rationes immediatas, primas, necessarias, & euidentes, vt demonstrationem decet, ex Arist. 1. poster.

Desunt rationes quoad nos.

19 Quinta assertio, Trinitatis arcanum naturaliter cognosci non posse, nedum verum est de assensu certo, per viam necessariæ demonstrationis, verum etiam de assensu opinatiuo, & per viam propriæ adinuentionis, naturalisq; disquisitionis, ac naturalis cõiecturationis; ita Suarez, itaque assertio est, vt cognosci non possit, nec certo, nec coniecturaliter, seclusa fide, siuè reuelatione. De assensu certo ait Suarez eam esse propositionem certã: at de adinuentione, & inquisitione, inquit, rem non esse adeo claram: addit etiam de apprehensione; itaut duplicem distinguat, alteram inquisitiuam, & per modum apprehensionis, alterum per viam certi iudicij, & assẽsus; de secunda via, ait, certum esse nõ posse haberi: de prima autem, primo inquit, rem non esse adeo claram: nihilominus crediderit, inquit, seclusa reuelatione, nũquam potuisse mysterium hoc ascendere in cor hominis, non solum ad apprehendendum illud, vt possibile, verum etiam nec ad reuocandum in dubium, aut inuestigandum, vel inquirendum, an fortasse possibile, aut verum sit. hæc ille loco sup. cit. nu. 11. Addit verò Molin. vbi sup. nec etiam Angelos suspicari quidem potuisse mysterium hoc naturaliter. Probat Suar. quia nullum est naturale obiectum in homine, quod talem cognitionem, vel inquisitionem parere possit ex creaturis. Item si quis dubitare inciperet, an reperiatur mysteriũ hoc plurium personarum in vnitate naturæ, continuo crederet plures illas personas esse plures Deos. Vel si certus existeret de vnitate Dei, iam non dubitaret de pluralitate personarum, & deni-

An cognosci possit assensu saltim opinatiuo.

Responsio Suarij.

& denique cōiūctio pluralitatis personarum cum vnitate essentiæ statim appareret impossibilis intellectui destituto lumine fidei.

Trinitatis mysterium non est cōtra, sed supra rationē naturalem.

20 Sexta assertio, quamuis naturali ratione demonstrari non possit, secluso lumine fidei, nihilominus dicēdum est, mysterium hoc non esse contra rationem naturalem, licet sit supra rationem naturalem, seu supra vires intelligentiæ naturalis, & naturæ creatæ, est communis omnium. Prob. verū vero consonat, & veritas non est veritati contraria: sed ratio naturalis est consona veritati, ergo veritas Trinitatis non est contra rationem naturalem. maior patet, & prob. minor, si ratio naturalis non esset cōsona veritati, ergo ratio naturalis non esset ratio; quod namque aduersatur veritati, aduersatur etiam rationi, quia super ratione fundatur veritas. Item Deus nō mentitur, ergo quidquid agit, secundū veritatem operatur: sed quod operatur secundùm veritatem, operatur secūdùm rationem rectam, quia veritas fundatur super ratione recta, ergo dū docet, & reuelat esse trinum, & vnum, docet rem conformem rationi rectæ, non ergo contra rationem naturalem, licet sit supra eam. Dices Ratio naturalis non ostendit mysterium Trinitatis, ergo est contra rationem. Resp. negatur consequens; causa enim, propter quam non ostendat mysterium, non est irrationabilitas mysterij, est enim rationabilissimum, sed est imbecillitas naturæ, quæ quidem solo lumine naturali pertingere non valet ad tanti mysterij celsitudinem. Obstabis, ratio naturalis non ostendit mysterium hoc esse possibile, ergo est impossibile. Resp. negando consequens. quamuis enim non ostendat esse possibile, non tamen conuincere, & demonstrare potest, esse in natura diuina impossibile. Dices, ratio naturalis efficaciter demonstrat vnam naturam atomam, & singularem non posse simul esse in suppositis pluribus. Resp. id verum de natura, quatenus limitata, & finita; non de increata, veluti infinita, & illimitata: hæc quoad primam partem assertionis.

21 De secunda autem parte prob. nēmpe quod sit mysterium hoc supra naturam. Natura, siuè ratio naturalis est inferioris ordinis ad Deum, & est infra Deum, ergo mysteria supernaturalia sunt supra naturā. Item quod natura mea non possit esse simul in pluribus suppositis, id prouenit, quia est natura limitata, & finita; at natura illimitata, & infinita est supra naturam limitatam, & finitam, cùm sit superior ad eam, & superioris ordinis; igitur ea ratione, qua vt infinita, & illimitata, est, erit in trib. suppositis, quod est esse supra rationem naturalem, seu supra naturā. Denique ad multa nō attingit nostra natura, ad quæ tamen faciēdo negotio attingit Deus: Signum autē est, quod ea, quæ facere non potest creata natura, sunt inferioris ordinis, & sunt infra Deum, quatenus verò ea facit Deus, facit tanquam agens superior ad naturam, siuè tanquam agens supernaturale, supplēs debiles vires, & impotentiam creatæ naturæ: à pari vbi nostra non suppetit naturalis intelligentia, qua ratione mysteria supernaturalia sunt supra captum naturæ, ibi supplet Author, & Restaurator naturæ, eleuans ipse Deus naturam, atque intelligentiam ad ea percipienda, capessenda, intelligenda, & fruēda mysteria, vel fidei lumine, vel alia superna illustratione, ad quæ non attingit nostra intelligentia, & creata natura.

Supposita fide potest rationibus naturalib. comprobari, & explicari.

22 Septima assertio: supposita fide in intellectu, posse inueniri media, & rationes, quibus mysterium hoc facilius explicetur, atque eius conuenientia magis comprobetur: quæ quidem rationes licet non sint demonstratiuæ, & necessariæ, tanquam deductæ ex primis, veris, necessarijs, & immediatis, vt postulat Arist. nihilominus coadiuuare possunt ad maiorem claritatem tā obscuri mysterij, & ad ostendendum non esse impossibile tàm magnū mysterium. est Scoti vbi supra, qui propterea cōgessit rationes illas, vt ostēderet non esse contra naturam, licet sit sup. naturam, non contra rationem naturalem, non esse impossibile, supposita fide. probar verò Scot. inquiēs. non est periculosum huiusmodi rationes afferre, neque propter fideles; nec propter infideles: non primum, quia

supponendo fidem ex vno capite, & rationes ex alio capite, vtique in mente fidelium magis radicatur, magis explicatur, magisq; demonstratur non esse impossibile id quod credunt: nec. secundum, quia infidelium pertinacia, & petulantia confunditur, dum eis ostendimus nos non credere impossibilia, vt ipsi autumant, sed possibilia, & vera, quæ quidem magis elucescerent si fidei lumen accederet, prout contingit fidelibus, qui pro tanto mysterio parati sunt certare vsque ad sanguinem. est etiam assertio hæc communis, quam aliqui existimant fuisse Richardi de S. Victore itaut cùm dixerit, *Non deficere rationes necessarias pro tanto mysterio*, loquutus fuerit, supposita fide. Herreræ, in 1. disp.7.q.8. concl. 3. Suar. sup. c.12. Molin. ibidem Bann. 1.p.quæst.32. art.1. est etiam D.Thomæ, qui sup. in corp. quæst. ait, *Sufficit defendere non esse impossibile, quod prædicat fides*, & idem confirmat in resp. ad 2. cũ inquit, duobus modis aliquid posse per ratione probari: vno quidẽ modo ad probandum sufficienter ipsius rei radicem: altero, non vt radix sufficienter probetur, sed quod radice iam posita, probetur tali radici congruere subsequentes effectus: primo modo potest induci ratio ad probandum Deum esse vnum: secundo modo se habet ratio, quæ inducit ad manifestationem Trinitatis, quia scilicet Trinitate posita, congruũt huiusmodi rationes. ecce congruitas rationum, quã etiam admittit D.Tho.

23 Verum videtur idem D.Thom. & sibi, & nobis contradicere, quandoquidem ait, quod qui probare nititur naturali ratione Trinitatem, derogat fidei; cum enim quis inducit rationes non cogentes, cedit in irrisionem Infidelium, & insuper fides est de non apparentibus; apparentia quidem probare possumus, non autem non apparentia, quorum est fides, præcipuè Trinitas. At facili modo reconciliatur sibi, & nobis, siquidem loquitur de demonstrationibus, & rationibus conuincentibus, quæ vt diximus haberi non possunt naturaliter de Trinitate: & qui taliter prætenderet Trinitatem demonstrare, vtique irrisioni, & temeritati se exponeret: at verò non negat aliunde ostendi posse non repugnantiã mysterij, & quod non sit impossibile, vt ipsemet declarat: item loquitur, sicut & alij supposita fide.

ARTIC. IV.

Occurritur argumentis primi Artic.

23 AD primum verò in oppositum responderetur à Philosopho, nõ esse manifestũ, vtrum memoria necessario, & semper producat in omni supposito, in quo est: quandoquidem erit principium producendi solùmodo in supposito creato, & id propter indigentiam, & imperfectionem, quia non poterit intelligere sine intelligẽtia, siuè sine intellectione producta, vt patet in nobis, & in Angelis: Deus autem non indiget, vt intelligentiam habeat aliunde per productionem, quia intelligit per notitiam improductam: itaq; imperfectio suppositi creati erit ratio, immo conditio talis productionis, & sicut intellectionis, ita & amoris. Item respond. notitiam, & amorem esse accidens, essentialiter distinctum ab Intelligente, & Amante, vnde est, vt memoria finita possit esse principium, & ratio producendi: at in Deo nõ reperitur intellectio, & amor sub ratione accidentis, cùm sit vtrũq; consubstantiale producenti; ergo ex hac argumentatione non conuincitur naturaliter Trinitas, & productio per sonarum. quapropter habere rationẽ memoriæ productiuæ non est naturaliter notum, vt competat eodem modo, cùm memoriæ finitæ, tùm infinitæ, quia finita producit propter indigentiam, infinita caret tali indigentia: illa producit accidens, hæc substantiale suppositum. *Memoria faciũ da aliter est principiũ productiuũ in creatura aliter in Deo.*

24 Ad secundum respõderetur per idem, quod producere non eodem modo competit memoriæ, quatenus communis est ad finitam, & infinitam: sed finitæ competit propter imperfectio-

ctio-

ctionem indigentiæ, à quo tamen abstrahit infinita. item in diuinis omnia sunt vnum, & omnia sunt substantia, quapropter nō poterit reperiri intellectio, & amor productus, qui sunt accidentia, vt patet in Angelis, & in nobis. quia tamen Theologus per fidem ait productionem Verbi, & amoris esse consubstantialem, ideo per fidem constat, non per rationem naturalem reperiri ibi productiones per voluntatem, & memoriam.

25 Ad tertium negat Philosophus communicationem talem summi boni fieri posse in identitate naturæ, & pluralitate personali, cùm neget vnā naturam in pluribus; ideoque subdit, vel communicationem fieri in alteritate naturæ, vtpote quod non sit communicatio cōsubstantialis, cùm actus intellectus, & voluntatis sint accidentia, vel quòd communicatio non fiat pluribus suppositis in eadem natura.

26 At quartum vt sup. negabit Philosophus dari productionem, cū productio fienda solùm fit ad indigentiam producentis, vt est dictum; insuper, vel ea erit accidentalis in alteritate naturæ, & sic non erit consubstantialis, vel non erit eiusdem naturæ ad supposita plura.

27 Ad quintum, necessitas quidem est perfectio in ente transcendentaliter sumpto: at quandoque coarctata ad peculiare ens, dicit respectū ad imperfectum, quale est ens productum ex indigentia producentis, in Deo autem cessat talis imperfectio, igitur ex Philosopho cessabit talis necessitas sic producendi.

Relationes de secundo genere relatiuorum. 28 Ad sextum, relationes de secundo genere relatiuorum, quandoque sunt de his, quæ sunt accidentaliter subordinata, vt relatiò mouentis, & moti; & vtique possunt esse simul in eadem natura numero, & supposito, vt ego moueo meipsum, quandoque verò dicunt ordinem essentialis dependentiæ vnius ab altero, vt producentis, & producti; generantis, & geniti, & hæ non possunt conuenire in ead. numero natura, & supposito, cum nihil generet seipsum; sunt tamē in eadem natura specifica in sua specifica latitudine, itaut natura talis cum sui diuisione distribuatur singulis suppositis, non autem quòd vna numero natura sit in pluribus suppositis: & ita Philosophus concluderet non posse dari tales productiones suppositorum in idētitate numerica diuinæ, & indiuisę naturæ.

29 Ad septimum, concedimus ex creaturis cognōsci Deum teste Apost. at non cognosci naturaliter sub conceptibus proprijs ex proprijs, qualis est Trinitas: cognoscitur autem sub conceptibus communibus, vt dictum est, nempe vnius, boni, veri, & similia. & ratio est assignata, quoniam licet Deus ad extra producat cū tota Trinitate trinus, attamen non producit vt trinus, & non cognoscitur producere vt trinus: primum sæpe patuit, quia si per impossibile esset vna sola persona, sufficiens esset ad creandum, vt probat Scot. in 2. d. q. 1.

30 Ad octauum, totus discursus est optimus, sed non probat dari productiones personarum. Dicet autem Philosophus, æqualitas, & connexio, concordia, & vnio supponit multitudinem suppositorum æquabilium, & concordabilium, at vtrū sint ibi hęc, & suppositorum pluralitas, non est notū, inquit Philosophus. quod si vrgeas, ista dicūt perfectionem, ergo fiunt in Deo responderet dicere perfectionem, & esse ponenda ibi, vbi possibile est ea ponere, at verò non est naturaliter ostensum ibi possibile esse ea ponere.

31 Ad nouum, vtique anima est imago Trinitatis, & animam cognoscimus naturaliter, quatenus eam naturaliter cognouit Arist. de qua in lib. de anima: attamen Aristoteles cognoscendo animam non cognouit eam, vt imago est Trinitatis, sed vt forma corporis physici organici; ita & nos, cognoscimus quidem animam, sed nō sub ratione imaginis; vnde cessante cognitione imaginis, cessat per hanc viam cognitio imagati, ita D. Bonau. & Scot. Ad rationem verò vestigij, dicendum quod vestigium repræsentat valdè imperfectè, repræsentat enim sub ratione partis, & non totius, vt vestigium leonis, equi, & huiusmodi; & hinc ėst, vt in ratione vestigij cognoscatur Deus non vt trinus, sed sub ratione

Naturaliter cognoscimus animam, sed non sub ratione imaginis.

tione vnius, boni, & similium, iuxta repræsentandi modum ipsius vestigij, de quo infra suo loco.

32. De Philosophis dicendum multa didicisse de fidei mysterijs, vel Sacram Scripturam legendo, vel conuersando cum Hebræis, & Aegyptijs: Aegyptij namque didicerunt ex Hebræis, teste Eugubin. l.1. de peremn. philos. cap.1. & ex vtrisque discere poterant ad ipsos aduenientes antiquiores Philosophi: ait autem Cyrill. l.1. contra Iulian. Thaletem, Milesium, Solonem, & Samnium Philosophos descendisse in Aegyptum ex Græcia discendi gratia. Subdit August. l.2. de doctr. Christ. c.28. Platonem in Aegypto à Ieremia Theologiam didicisse: licet idemet August. id retractauerit l. 18. de Ciu. Dei cap.37. cum Plato post Ieremiam septuaginta post annos natus fuerit. Augustinus insuper 7. Confess. c.9. refert se legisse apud Platonicos, *Initium Euangelij Ioannis*. Poterant quoque ea percipere legendo oracula Sibyllarum; Ac de ipsis etiam Sybyllis dicendum ipsamet vaticinia nō naturali lumine composuisse, sed per reuelationē accepisse, de quibus August. 18. de Ciuit. Dei c.23. Lactant. lib. 1. Diuin. inst. c.6. de hoc autē ex professo infra quæst.7. Diuus autem Thomas non ad hæc recurrit, sed respondet nulli Philosophorū hoc innotuisse. Vasq. ipsum carpit asserens ex sententia multorum Patrum tale mysterium Philosophis innotuisse vel ex Scriptura, vel conuersatione Hebræorum, Aegyptiorum, & huiusmodi, teste Clem. Alex. l.5. strom. de Platone, Iustino mart. orat. ad Gent. & Cyrill. 1. & 2. contra Iulian. de Orpheo, August. alijsq; Verum non est credendum D. Thomam ignorasse hos Patres, & præcipuè Augustinum, penes quos legere poterat quod diximus: sed vltra responsionem hanc, placuit D. Thomæ aliam assignare, deductam ex dictis, vt nequiissent Philosophi naturaliter hoc mysterium perpendere; de naturali namque inuestigatione quærebatur, ideoque in terminis quæstionem resoluens, aiebat multa quidem de Deo cognoscere potuisse, nō tamē mysterium Trinitatis lumine naturæ.

Philosophi plura didicerunt ex Prophetis, Sybillis, & commercio Hebræorū.

Vasqu. impugnat D. Thomam, sed defenditur.

33 De Raymundo suum argumentum necesse est, vt supponat propositionem aliquam creditam, vt aliquid valeat; alias negata fide nihil concludit. quin etiam concessa fide, termini suæ argumentationis non conuincunt, & extranei sunt à communi ratiocinatione Theologorum. ait namque hominem esse illum, cui cōpetit hominificare: & plantā esse eam, cui competit plātificare, & his similia, per quę nititur diffinitiuè describere naturam plantæ, & hominis, non autem vt Aristot. cum communi Schola, qui ait hominem esse animal rationale: & plantam esse ens vegetabile, & huius generis: sed hæc missa faciamus: deueniendo autem ad argumentum. Cum ait summo bono competere bonificatiuum, & bonificabile; Dicendum inde nō magis elici productionem personarum per generationem, & spirationem, quam emanationem diuinarum perfectionum, attributorum, & modorum intrinsecorum, quæ à diuina emanāt essentia absque productione; plenitudini namque perfectissimæ, infinitæq; & perfectissimæ essentię cōpetit, vt ob sui infinitam perfectionem emanent ex ea attributales perfectiones: at id fit sine generatione, & spiratione; quapropter etiā hinc ostenditur diuinæ, ac summæ naturæ perfectio.

Raymundi definitio de homine.

34 Cum addit de concordia, vtiq; Deus absolutè tentus, præscindendo à diuinis personis, est in se vnitissimus, & summè concordans, amando semper seipsum, & nihilominus non distinguitur sic absolutè consideratus à seipso, cum Deus sit Deus: licet verò concordia supponat distinctionem, non tamen supponit semper distinctionem realem, sed vel formalem, vel rationis. vt attributa concordant inuicem. quia conueniunt, seu sunt idē inter se, & cum essentia, nihilominus non distinguūtur realiter. item quāuis ex concordia rigorosè tenta probare velit distinctionem realem personarū, non tamen probare poterit potius tres personas, quam duas; quoniam etiam inter duas potest reperiri concordātia, & distinctio, sicuti inter tres, vnde fit, vt si probaret esse ibi duas personas, non probaret esse tres, imò non

Concordia quam distinctionem supponit.

Ex concordantia non magis probatur Trinitas, quā dualitas, et quaternitas ex argumento Lullij.

non potius duas, quam tres, quatuor, & plures, quia inter eas omnes, etiam plures, vltra tres potest reperiri concordia, & realis distinctio, vt patet in quatuor, vel pluribus hominibus, vel Angelis simul concordantibus, & realiter distinctis. Insuper dum per concordiam probare nititur identitatem essentiale personarum, fallitur, etenim cōcordia est quid distinctu ab idētitate, & maior est identitas, quā cōcordia quia cōcordia supponit, ex vsu loquēdi, distinctionē suppositorum, & naturarum, vt Petrus, & Iacobus concordant, ob id tamen non ostenditur esse vnum, & idem essentialiter in natura, seu non ostenditur concordare in vnitate numerali naturæ, sed discordare in natura numerica, & concordare in voluntate: quæ concordia appellabitur non naturalis, sed politica, vtpote concordando in moribus, actionibus, inclinationibus, & similibus. Adde, quod & si productionem ostendere nititur Lullus, nihilominus non ostendit verum personæ tales constituantur per absoluta, an per respectiua.

Concordia, & identitas differūt

35 Obstaueris si creatura potest simile sibi generare, cur non idem poterit Deus, maximè cùm generare dicat perfectionem, saltem fundamentaliter. Confirmatur Isa. 26. *Nunquid ego, qui alios parere faciam, ipse non pariam & qui alijs generationes tribuo, sterilis ero?* igitur ex humana generatione inquiri poterit diuini Verbi generatio. Resp. licet ex humana generatione inferre velimus diuinam, nihilominus non possumus eam inferre eo modo, quo est; nam humana generatio est temporalis, diuina æternalis: humana cum mutatione, diuina absq; trāsmutatione: & relictis alijs differentijs, humana non est cum identitate numerica naturæ, diuina sic, cum vnitate numerali eiusdem in Patre, & Filio naturę. itaq; dato, quod inde inferamus Verbi generationem, tamen fide indigemus, vt credamus eam esse cum identitate naturæ: quæ identitas nō potest naturaliter colligi ex generatione humana. Item dato, quod generationem colligas, non tamen potes inde inferre spirationem, quæ nullatenus reperitur in creaturis, cùm amor illarum productus sit accidens, nō substantia, vt est Spiritus Sanctus in identitate naturæ: & hinc merito Deus vaticinio reuelauit Isaiæ ipsum sterilem nō esse, sed generare, quia humana ratio non pertingit ad generationem, quæ est in identitate, & consubstantialitate naturæ sine reuelatione.

Generationis diuinæ, & humanę differentia.

QVÆSTIO IV.

Trinitas personarum, & vnitas essentiæ ostenditur ex multiplici capite Scripturarum veteris testamenti.

Abulensis sententia.

1 Abulensis opusc: de Trinit. circa hoc plura dicit, primo, quod ex veteri testamento Trinitas personarum, licet sit persuasibilis, non tamen est necessario conuincibilis: secundò ait posse cunctis locis veteris testamenti responderi, sicut de facto respondet: tertiò Reprehēdit Nicolaū de Lyra, de quo ait, quod putauerit firmiter ostendere Trinitatem ex veteri testamento.

2 Aduersus primum dictum Abulensis insurgunt pleriq; acriter reprehendentes eum. Consimiliter aduersus Caetanum insurgit Catharinus lib. 4. annot. contra eum. verum hos nititur defensare Bannes 1. q. 32. art. 1. dubitat. vltim.

Inconstans sibi.

3 Circa secundam idem Abulensis versus finem ait, *Vnum est, quod nostram imperitiã adiuuat contra hæbreos, scilicet quod imperiti sunt, & sicut dicit dicit Apost. 2.Cor.3. velamen positum est ante oculos eorum in lectione veteris testamenti, & sic nesciunt se iuuare &c.* verùm proprio ore arguitur ipse Abulensis nam si fatetur habere Hebræos velamen ante oculos, & imperitos esse ad se defendendum, cur ipse loca veteris testamenti in alium sensum trahit; hoc enim est docere Hæbreos, vt se defendant, & velamen aufert ab oculis eorum, vt argumenta soluant, quæ probant vt cumque Trinitatem: est ergo sibi inconstans Abulensis.

Non percipit mẽtem Lyrani.

4 Circa tertium non ita loquitur Lyranus, vt ipse fatetur: sed inquit, *Efficacia potest dupliciter accipi, vno modo, quod sit ita efficax probatio, quod nullo modo possit euitari sine euidenti negatione, vel contradictione scripturæ: & sic mihi videtur, quod adhuc non sit probatum: alio modo sic quod scriptura non possit alio modo rationabiliter exponi, quin semper appareat expositio Scripturæ rationabilior fidei catholicæ, & hoc modo credo, quod probatum est satis per scripturam veteris testamenti &c.* ecce qualis fuerit mens Lyrani, non autem vt ei imponit Abulensis. Quidquid tamen sit afferemus aliqua ex testamento veteri, qualitercumque probent: & alia ex nouo, quæ secundum omnes sunt apertissima testimonia.

Probatur ex testamẽto veteri.

5 Primus locus sit ex c. 1. Genes. *In principio Deus creauit Cælum, & Terram,* qui locus in hæbreo legitur, *in principio creauit Elohim,* idem verò ex Lyrano sonat *Elohim,* ac *Dij.* hinc verò deducit tùm ipse, tùm plerique alij mysterium Trinitatis; vnius quidẽ essentiæ, & personarum pluritatis: vnitas quidem essentiæ deducitur ex verbo *creauit* in singulari: pluralitas autem personarum ex *Elohim,* siue *Dij* in plurali; itaut ly *Dij* se teneant personaliter: ita deducit Magister in 1.d.2. Burgensis, & Lyranus ad idem Caput, Galatinus lib.2. de Arcan.c.9. Catharin.lib.4. contra Caetan. In oppositum se habet Abulensis, inquiens non posse necessario inde hoc demonstrari. Ad id verò de *Dij* in plurali, inquit morem esse Hebræorum vti singulari pro plurali, & vice versa, plurali pro singulari, vt Genes.24. *Posuit manum super femur Abraham Domini sui,* in hebræo autem habetur *Dominorum suorũ,* Exo.21. *Si dederit Dominus eius vxorem illi,* hebraicè legitur, *Domini eius,* mutatur ergo singulare in plurale, ita quoque ex opposito mutatur plurale in singulare, vt 2.Reg.7. *Quæ est autem gens sicut populus Israel, propter quẽ iuit Deus,* hebreus legit, *propter quem iuerunt Dij,* Exo.20. *Non habebis Deos alienos,* in hebræo est, *Non erit tibi Dij alij,* vbi verbum singulare *erit.* copulatur cum *Dij* in plurali, Isa. 19. *Tradam Aegyptum in manus Dominorum crudelium,* in hebræo est, *Dominorum crudelis, vel duri,* Iosu.2. *Tollens mulier viros abscondit eos,* hebræus legit, *Tollens viros abscondit eum,* hinc Abulensis concludit, *Elohim,* seu *Dij,* sumi posse etiam pro *Deo* in singulari, & subdit, *Talem numerorum mutationem penes hebræos non prouenire ex mysterio aliquo, sed ex barbarie idiomatis; nã sæpè fiunt tales mutationes in hebræo sine aliqua ratione, sed solùm ex consuetudine loquendi,* hæc ille.

Hebræorũ mos vti singulari pro plurali, & ẽ conuerso.

6 Secundus sit ex eod.cap.Genes. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* quem locum de Trinitate personarũ intelligũt Chrysost. Basil. Origen, Ambros. ibid. Augustin. de genes. ad lit. & de Ciu. Dei lib. 16.c.6. Rupert.l.2. in genes.c.1. Theodor. in gen.19.q. & Galatinus sup. itaut per *faciamus* in plurali, ostendatur pluralitas personarum: per *imaginem* in singulari, ostendatur vnitas diuinæ essentiæ. Respondet inter cætera Abulensis, quod ly *faciamus* in plurali non significat pluralitatem personarum, sed dignitatem loquentis, itaut Deus dicat ad seipsum *faciamus* vtendo plurali pro sua dignitate: quemadmodum dicere solent magni Viri, *Nos Dominus Petrus faciemus vobis immensa beneficia.* Verum contra hanc responsionem obstare videtur, quod in Concilio Syrmiensi aduersus Arium, Patres definierunt in anathematismo 13. ita dicentes, *Si quis, quod scriptum est, faciamus hominem, non Patrem ad filium dicere, sed ipsum ad semetipsum asserit* di-

dixisse Deum, anathema sit; igitur vana expositio Abulésis, Vasquez 1.p.disp. 98.c.2.nu.14.ait, authoritatem huius Concilij nullam esse, cum in multis inquit, deprehendatur Arianum, & legitimè congregatum non fuerit, hæc ille. Potest nihilominus amplius argui contra Abulensē ex Basylio, & Theodoreto, qui præsentientes hanc fugam inquiūt, *Quis sapiens artifex instrumētis solùm artis sibi præsentibus nullo socio comitante, dicat faciamus cultellum &c.* & profectò ratio vrget, si namque verbo consimili *faciemus* vtuntur magni Viri, id agunt, quatenus cum alijs negociantur, & tractant: at dum quis secum est, & intra se solum degit, neutiquam sic loquitur *faciemus &c.*

7 Tertius desumitur ex eodem capite, *In principio Deus creauit &c.* vsque ibi, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, vbi per *Deus* intelligendus venit Pater, per *Principium*, Filius, per *Spiritum Domini*, ipse Spiritus Sāctus ita August. cap. 1. de gen. ad lit. imperf. Origenes, Rupertus ad idem caput: licet verò per *principium* intelligatur initium durationis, quia in tempore creatum est Cælum, & Terra, ex Hieron. Tert. Ambros. l. 1. exam. c. 3. Basil. Nissen. ibidem, & per Spiritum intelligat aerem, Chrysost. homil. 2. in Gen. cum Theodor. q. 8. in gen. & Tertull. contra Hermog. c. 31. 32. nihilominus prædicti Aug. Rupert. Origen. per *principium* Filium, & per *Spiritum* intelligunt Spiritum sanctum, Hieron. etiam in quæst. super Genes. in princ. ait, in hebræo haberi *in Filio fecit Deus Cælum, & Terram*, & ita legit idem August. *in principio*, hoc est in *Filio*, Hylarius quoque in psalm. 2. *in principio*, tria, ait, significari, *in principio, in capite, in Filio.*

8 Quartus Gen. 19. *Pluit Dominus super Gomorrham, & Sodomā sulphur, & ignem à Domino de Cælo*: dum autē textus ait, *Dominus à Domino*, pluralitatem ostendit personarum. Vatablus quidem sēsum esse docet, *Pluit Dominus à Domino*, idest pluit à seipso, & Carthusianus per Dominum pluentē à Domino, intelligit Angelum, qui Domini imperium exequebatur, & personam Domini sustinebat. At contra Vatablum obstat Concilium recensitum Syrmiense, vbi anathematismate 15. dicitur, *Si quis illud, quod scriptum est, pluit Dominus à Domino, nō de Patre, & Filio perceperit, sed ipsum à semetipso pluere dixerit, anathema sit.* Itē Ignat. epist. ad Antiochen. Athanas. epist. contra Gregales Sabellij, Iustin. dial. cum Triphon. Rupert. lib. 6. in Gen. c. 11. pluresq; alij de Patre, & Filio intelligunt, vt pluralitatem astruāt personarum.

9 Quintus Gen. 18. narratur apparuisse Abrahæ tres viros: ait autem textus, quòd *Abraham tres vidit, et vnum adorauit*, de quibus etiam ibi fit mentio, modo in singulari, modo in plurali vt dicendo *tres* indicauerit tres personas, & dicendo *vnum* indicauerit vnitatem essentiæ.

10 Sextus Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est*, per *Dominus* habetur *Pater*, per *Deus noster*, *Filius*, noster quidem per assumptam humanitatē, cùm verò ait, *Deus vnus est*, vnitatem indicat Diuinitatis.

11 His accedunt, & loci alij, psalm. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*: cùm namque ter nominatus sit Deus, Trinitas habetur personarum: cùm autem apponitur verbum *benedicat* in singulari, declaratur vnitas essentiæ.

12 Isa. 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, per trinam nominationem *Sanctus* habetur Trinitas: cùm vero dicitur *Dominus Deus*, habetur vnitatis Deitatis.

13 Psal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, hinc habetur Deus Pater generans Deum Filium: nō enim idem gignit seipsum: ergo habetur saltim dualitas personarum.

14 Isa. 53. *Generationem eius quis enarrabit*; agitur verò de Messia: aliàs generatio nō esset inenarrabilis: quod si generatus dicitur, vtiq; dabitur generans propter eādem rationem, quia generans distinguitur realiter à genito, & nihil gignit seipsū: habetur hinc quoque dualitas personarum.

15 Prouer. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*: agitur de Sapien-

pientia genita ab ęterno; qnia dicitur, *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram*, & ſic habetur generans, & genitus. Conſimiliter Eccleſ. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.*

16 Pſal. 44. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus &c.* non eſt autem idem Vngens, & Vnctus, ergo Pater eſt vngens, Filius vnctus, Spiritus autem Sanctus eſt ille, per quẽ fit vnctio ad extra

17 Iſa. 47. *Non à principio inabſcondito loquutus ſum, ex tempore antequam fieret ibi eram; & nunc. Dominus miſit me, & Spiritus eius*, loquitur autem de Meſſia, quia ex ſequentibus habetur, *hæc dicit Redemptor tuus Sãctus Iſrael*, hic habetur mentio de Patre, Filio, & Spiritu ſancto.

18 Pſalm. 138. *quo ibo à Spiritu tuo.* hic mentio fit de Spiritu, qui eſt tertia perſona: Confirmatur ſap. 1. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* hoc in loco Spiritum appellat Sanctum: qui quidem eſt tertia perſona; quod autẽ ſit Deus, inde colligitur, quia Propheta ait, quo ibo à Spiritu tuo; ſenſus erit cùm Spiritus ſanctus ſit Deus, & per immenſitatem ſit vbique, quonam modo effugiam, & quo ibo?

19 Eccleſ. 4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur*, vbi Gloſæ hebraicæ penes Abulenſem aiunt, *Antiquum myſteriũ trini, & vnius difficilè diſcutitur*; licet moderni Hebræi retorqueant hoc ad diuina attributa poteſtatis, Sapientiæ, & bonitatis Dei.

20 Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, hunc locum de æterna etiam Chriſti generatione intelligunt Auguſt. Enchirid. c. 49. & de quinque hęreſib. c. 4. Chryſoſt. Theophil. Oecumen. ad c. 1. ep. ad Hebr. ac Tertul. aduerſ. Prax. c. 7. ad quem sẽſum adduxit eum Paulus ibid. *Cui enim Angelorum dixit Deus, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ſicut de temporali quoq; eiuſdẽ Chriſti generatione ſecundum carnem intelligit Nyſſen. homil. 2. in Eccleſiaſt. Theodor. d. 1. ad Hebr. & probatur per primã expoſitionem Chriſtum ſecundùm diuinitatem ab ęterno genitũm habuiſſe Patrem genitorem. hæc ex veteri teſtamento.

QVÆSTIO V.

Oſtenditur ex multiplici capite Teſtamenti noui.

Ex teſtamẽto nouo.

1 EX nouo autem teſtamento adeſt põderatio Pſalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dextris meis.* Cùm enim Chriſtus interrogaret Iudeos, *quem dicunt homines eſſe filium hominis*, dum Alij reſponderunt eſſe filium Dauid, &c. ipſemet Chriſtus redarguens eos dixit: *quomodo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo ſede ad dextris meis?* quaſi diceret, nõ poteſt eſſe filius Dauid, quia Dauid vocat eum *Dominum* non filium; igitur eſt filius æterni Patris: eo magis, quo ſedere ad dextris denotat æqualitatem, conſubſtantialitatem Filij cum Patre ſecundùm Diuinitatẽ: ac propterea alijs alia opinãtibus, reſpondenti Petro, *tu es Chriſtus filius Dei viui*, addidit ipſe Chriſtus, *beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis.* Matt. 22. hinc autem habetur pluralitas perſonarum.

2 Apertè verò habetur earũdem perſonarum Trinitas proprijs nominibus, Matt. vlt. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Idem ex 1. Ioan:5. *Tres sunt qui testimonium daut in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* vnâ cum identitate diuinæ essentiæ, *& hi tres vnum sunt.* atque cap.15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritū veritatis, qui à Patre procedit*, quo ex loco habetur Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, personam namque mitti est declarare procedere à Mittente, vt in mater: de Missione. hinc igitur expresse quoque nominatur Trinitas, nempè, *Ego*, idest *Filius*: à *Patre*, en prima, & secunda persona: *Spiritum veritatis*, en tertia.

3 Ex eod. Ioan.5. *Alius est*, inquit Christus Dominus, *qui testimoniū perhibet de me.* & inf. 2, *opera, quę ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* & cap.8. *solus non sum, sed Ego, et qui misit me Pater, & in lege vestra scriptum est, quia duorum hominū testimonium verum est: Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Dum ait, *solus non sum*, vtique distinctum personaliter se fatetur à Patre: aliunde tamen docet esse consubstantialem eidem Patri, dū Ioannis 10. inquit, *Ego, & Pater vnum sumus.*

4 Item Matt. vltim. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* hinc verò apertè Trinitatem deducunt communiter Patres, Clem. Rom. lib.3. c.17. Constit. Apost. Iustin. in exposit. fid. de Trinit. Athanas. in disputat. habita in Concil. Nicen. Contra Arian. Nazianz. Orat.32. ad Episc. Cyrill. Alex. lib. 1. in Ioann. cap.2. &c. Adeoque hinc Trinitas constat, vt infestissimus Trinitatis hostis Arius nō ausus fuerit hanc baptismi formam mutare, quamuis mutationem fecerit circa cæteras Dei laudes, & encomia: vt refert Theodoret. lib.4. hæretic. fabulat. & si eiusdem Arij sequaces ausi id fuerint, mutando formam baptismi, non enim dicunt, *in nomine*, sed *baptizo te in Patre, & Filio, & Spiritu sancto.* & hoc *vt significarent tres naturas.* Athanasius refert lib.7. ad Theophil. de profess. Reg. Cathol.

5 Insuper circa Christi baptismi ait Luc.3. *Aperti sunt cęli, & vidi Spiritum Dei descendentem, sicut columba, & ecce vox de cælo dicēs, Hic est Filius meus dilectus.* testimonium hoc efferunt contra Arianos August. serm.63. de Verb. Dom. Epiphan. in Ancor. & hæresi 26. Athanas. epist. vlt. ad Serap. Episc. &c.

6 Ioann.5. *Alius est, qui testimoniū perhibet de me?* hic autem est Pater, ex ore eiusdem Christi, vt Ioann. c.8. Et penes eundem c.14. *Ego rogabo Patrē, & alium Paraclitum habit vobis.* & infra, *Paraclitus autem spiritus, quem Pater mittet in nomine meo, &c.* Et rursus, *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* quæ loca apertè indicant Trinitatem.

7 Luc.1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* deducit verò hinc personas omnes Trinitatis D. Leo ser.10. de Natiu. c.4. specialiter autem loquitur hic de Spiritu sancto Basil. lib.5. contra Eunom.

8 Prima Corinth. 8. *Nobis vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illū: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et Ephes. 4. *Vnum corpus, & vnus spiritus, vnus Dominus, vnus Deus, & Pater omnium.*

9 Demum, vt multa reticeam, 1. Ioan.4. *De spiritu suo dedit nobis, & nos vidimus, & testamur, quoniam Pater misit Filium suum Saluatorem mundi.* quem locū affert contra Arian. Athanas. ad Seraph.

10 Idemq; Paulus 3. ad Tit. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrū regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum.* Quo in loco expressa mentio fit Filij, & Spiritus sancti: videretur autem posse desiderari persona Patris, quæ reticetur, at Hieronymus ad eum locum inquit, etiam personam Patris haberi, & contineri in verbis illis. *Benignitas Dei &c.*

QVÆSTIO VI.

Comprobatur myſterium Trinitatis ex aliquibus ſimilitudinibus Creaturarum.

1 QVamuis Creaturæ ad Deum non habetur æqualitas, etenim *finiti ad infinitum nulla eſt proportio*; nihilominus teſte Ambroſio nõ deeſt ſimilitudo; ait enim, *Creaturæ ad Deum non æqualitatis, ſed ſimilitudinis relatio eſt.* hinc autem fit, vt primo dicamus non eſſe ſpernendas ſimilitudines, quæ in Creaturis quoquo modo reperiri poterunt, quibus aliquatenus explicari queat myſterium Trinitatis.

Similitudines non aſpernẽdæ in explicando myſterio Trinitatis.

2 Ita quidem docet Concilium Nicænum lib.2. vbi inter cætera ſic ait, *Per ſimilitudines, quamuis infirmiores, accipe bona documenta.* & rurſus, *Diſce ex ſenſibilibus intellectilia; & ex his, quæ intellectui ſubyciuntur, ea, quæ intellectum ſuperant: & ex his, quæ dicuntur, ea, quæ ſunt ſuper omnem ſermonem: quamuis autem omnia, quæ videntur, & quæ intelliguntur ex cæleſtibus creaturis, & ex his, quæ in terra, & ſub terra ſunt, conferri nequeant cum illa increata, incomprehenſibili, & immortali Dei ſubſtantia; nihilominus tamen occurrentem ſimilitudinem proferemus, & ſi non æquabilem, ad vtilitatem tamen fideliter ſuſcipientium, & quæ ſufficientem pietatis imaginem præbeat pie conſiderare volentibus.* Hoc idem docet Auguſt. lib.12. de Trinit.c.5. inquiens, *In ſpiritualibus illis ſummis ſi quæ dicuntur talia, ad quorum ſimilitudinẽ etiam iſta inferioris creaturæ genera, quamuis longe remotiſſima facta ſunt, non debent cuiuſque ſobriam perturbare prudentiam, ne cùm vanum deuitat horrorem, in perniciosum incurrat errorem: Aſſueſcat in corporibus ita ſpiritualium reperire veſtigia, vt cum inde ſurſum verſus Duce rationem aſcendere cæperit, vt ad ipſam incommutabilem veritatem, per quam ſunt facta iſta, perueniat, non ſecum ad ſumma pertrahat, quod cõtemnit in infimis &c.* non ergo ſunt aſpernandæ deductæ ex Creaturis ſimilitudines. Accedit Apoſt. Rom.1. *Inuiſibilia Dei à Creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta cõſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius &c.*

3 Secundò dicimus ſimilitudinem eatenus eſſe adaptandam, quatenus ne myſterio alioqui altiſſimo deroget, nec in errorem pertrahat Audientem: vnde fit, vt non ſit neceſſe rem totam ad myſterium adaptare, quam adducimus in ſimilitudinem, ſed ex parte; & ea ſolùm ex parte, quæ apprime congruat myſterio, in cuius adducitur ſimilitudinem, cætera vt minus apta relinquat: ita Nazianzenus orat. 37. *neceſſum eſt*, inquit, *vt ea quiſpiam animi æquitate ſit, vt cum vnum aliquid ex propoſita imagine acceperit, reliqua proyciat.* quod vulgare Scholaſticorum axioma confirmat, dicentium, *Similitudo non currit quatuor pedibus:* cui & Scotus addit, inquiens, *ſi ſimilitudo teneret in omnibus, iam non eſſet ſimilitudo, ſed identitas.* Hinc etiam Baſilius lib. 2. contra Eunom. aiebat, *Nullus orationẽ hanc mihi carpat, ſiquid exemplorum non penitus propoſito conuenit; nec enim poſſibile eſt parua, & vilia diuinis, atque æternis ad vnguem accommodari, niſi inquantum diſſimulationem eorum redarguunt, quæ impoſſibilem generationem non poſſunt mente concipere.* & in epiſt. 43. ad Nyſſen. *Verbum quidem hoc meum accipite, quaſi rudem delineationem, ac vmbram veritatis, non*

Similitudines autem, quatenus tamen non deroget tãto myſterio

item,

item, vt veritatem ipsam; nequit enim fieri, vt per omnia, quod in exemplaribus consideratur, eis rebus adaptetur, ad quarum descriptionem exemplariū vsus assumitur. Hilarius item 1. de Trinit. *si qua verò nos de Natura Dei, & natiuitate tractantes, comparationum exempla afferemus, nemo ea existimet absolutè in se rationes perfectionem continere; comparationem terrenorum ad Deum nulla est, sed infirmitas nostræ intelligētia cogit species quasdā ex inferioribus; tanquam superiorum indices quærere*, inde autem concludit, inquiens, *Omnis igitur comparatio, homini vtilis potius habeatur, quam Deo apta.* Ac demū Nazianzenus idem vbi sup. ita scribit, *Cum mentis curiositate multum, diùque mecum considerassem, atq; orationem vndecunque explorassem, rei tantæ imaginem quandam exquirens, cui tandem rerum inferarum diuina illa natura comparanda sit, reperire non potui; quamuis enim exiguam aliquam similitudinem inuenerim, maior tamen me pars fugit, humique me cum meo exemplo reliquit.*

4 Et hinc tertiò dicimus cautè, ac sobriè vtendū esse metaphoris, phrasibus, siuè similitudinibus, ne incautus vel Scriptor, vel Doctor in errores incurrat. qua etiam cautela vtendum in ipsis Scripturarum sacrarum phrasibus, metaphoris, comparationibus, ironijs, ac similitudinibus interpretādis, de qua re egimus tom. 1. disput. 2. per totam.

Ex similitudine Solis, ac luminis.

5 Inter cætera verò, ex quib. deduci solent similitudines adest similitudo deducta à Sole, & à lumine &c. Et quidem Athanas. lib. de decret. Synodi Nicæn. refert Nicænos Patres vsos fuisse versiculo Psalmi 35. *in lumine tuo videbimus lumen*: Idemque tom. 2. q. 4. sic scribit, *quemadmodum Sol constat tribus subsistentijs, ita & vnus Deus tribus personis, typus enim Patris est Orbis solaris: typus Filij est radius: typus Spiritus sancti est lumen Solis: Proinde dic ita; in Sole Orbis, radius, & lumen: nō dicimus autem tres soles, sed vnum, & solum: similiter & in Deo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus, & non tres. In Sole inseparabilis Orbis, radius, & lumen; non enim segregantur à se inuicem, quapropter dicitur vnus Sol, & non tres: & eandem ob causam dicitur vnus Deus, & non tres, quoniam non segregantur tres personæ.* Basil. lib. 2. contra Eunom. *Dignam de Deo generationem intelligere impassibilem, impartibilem, indiuisibilem, sine tempore, instar resplendentis à luce radij.* Cyrillus in exposit. fid. *Sol est Pater, radius Filius, splendor ignitus est Spiritus sanctus.* Atque Clemens Pap. ep. 1. ad Iacob. *sufficit nosse quod lux genuit splendorem, sicut ait Propheta, In splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.* de quo etiam Paulus Hebr. 1. *qui cùm sit splendor gloriæ &c.* Et denique Cyrillus idem lib. 3. thesaur. c. 1. *Splendorem Solis non aliud dicet quispiam esse lumen natura præter ipsum Solem, nec participatione, aut habitudine quadam lumen appellari credet, sed quia natura ex ipso emanat, & ita duo hæc lumina esse ratione percipiet, vnum verò esse natura non negabit: sic quamquam Pater, & Filius in dualitate personarum inueniantur, nemo tamen aliud dicit esse Patrem, quàm Filium, quantum ad Deitatem, & identitatem essentiæ pertinet: & sicut Sol in splendore suo est, & splēdor Solis in Sole, sic Pater in Filio, & Filius in Patre, personarū numero duo, identitate naturæ vnum.* Hinc quoque Prudentius contra Marcion.

Vna per immensam cæli caueam resolutos
Præbet flamma dies; texit Sol vnicus annum:
Triplex ille tamen nullo discrimine trina
Subnixus ratione viget, splendet, volat, ardet;
Motu agitur, feruore cremat, tum lumine fulget.
Sunt tria nempe simul lux, & calor, & vegetamen;
Vna, eademque tamen rota syderis indiscretis
Fungitur his; vno seruat tot munera ductu,
Et tribus vna subest mixtim substantia rebus.

6 Affertur & similitudo ab igne: ità quidem Hilarius, is namq; 7. l. de Trinit. *affert*, inquit, *pro parte fidei huius significationem ignis, in se ignem habens, & in igne ignis manens; nam cum fieri* *Similitudo deducta ab igne.*

eo splendor luminis,natura calor,virtus vrendi,mobilitas æstuandi,totum tamen ignis est: & hac vniuersa, vna natura est. Athanas.in q.4. *tres sunt subsistentia vnius ignis, scilicet subiectum ignis, & vrens, & lucens: & tamen vna est natura ignis: Pater est ignis, Filius est vrens, Spiritus sanctus est vis illuminans.* Cōcilii Nicęn. loc.cit. *sensibilis iste ignis, natura vna.siuè substantia cùm sit, Trinitas est in eodem, ignis, splendor, lumen: & nihil inuenitur altero prius esse: sed à se inuicem separari non possunt.* Confirmat Cyrill.l.12.thes. cap.5. *Caloris principium ignis est,& tamen in ipso,& ex ipso inseparabiliter calor est.*

Ex similitudine fontis, fluuij, & aqua.

7 Adest & similitudo deducta à fonte,è quo aquæ scaturiunt.hinc Lactant.lib.4.diuin.institut.cap.29. *Pater tanquam exuberans fons est, Filius tanquam defluens ex ore eius.* Concil. Nicęn.loc.cit. *Fontem,inquit, cogitemus, qui fluuium aqua generat; omnis enim fluuius fontem habet genitorem: inde procedit aqua fluuius: sed nemo appellat fluuium fontem,neque fontem fluuiū: sed fons fons appellatur, & fluuius fluuius, & vtrumque aqua vna,* & paulò infra applicando ait. *Vna quidem natura,tres autem personæ dictæ sunt, fons, fluuius, & aqua.* Ac demū Augustinus lib.de fide,& symb.c.9. *De fonte interrogati, non possumus dicere quod sit fluuius; nec de fluuio interrogati possumus dicere quod sit fons et rursum potionem, qua de fonte,vel fluuio est, nec fluuium, nec fontem possumus appellare; tamen in hac Trinitate aquam nominamus: & cū de singulis quæritur singillatim, aquā respōdemus,nam si quæro vtrum in fonte aqua sit, respondetur,aqua: & si quæramus vtrum aqua sit in fluuio,nil aliud respondetur; & in illa potione non potest esse alia responsio: nec tamen eas tres aquas, sed vnam dicimus.* Ruefus infra. *Illud certè omnes concedunt si in fonte tria pocula impleantur,posse dici tria pocula: tres autem aquas non posse dici,sed omnino vnam aquam,quamquam de singulis poculis interrogatus,in quolibet horum aquam esse respondeat.* Similitudines autem istæ fundamentum habent in scripturis, siquidem Deus Ieremiæ 2.conqueritur dicens, *me dereliquerūt fontem aquæ viuæ.* Isa.66. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis.* & Ioann.7. *flumina de ventre eius fluēt aquæ viuæ: hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

8 Beda ex candela desumit similitudinem,vna namque in substantia,ex tribus tamen constat, *stupa, cera, igne.* lib.de substant.tom.2. Epiphanius in Ancorat. *Ignis natura multas lucernas ab vna accendit, & quæ prima est, non minuitur. sic Deus &c.* *Ex similitudine candelę.*

9 Ex arbore deducit metaphoram Augusti.lib.de symb.& fid.c.9. *Sicut in arbore radix nō est,nisi radix: nec robur, nisi robur: nec ramos, nisi ramos possumus dicere;non enim quod dicitur radix, potest dici robur, & rami: nec lignum, quod pertinet ad radicem,potest alio etiā transitu nunc in radice esse, nunc in robore,nunc in ramis, sed tantum in radice; cum illa regula nominis maneat, vt radix lignum sit,& robur lignum,et rami lignum: nec tamen tria ligna dicantur,sed vnum.* *Ex arbore.*

10 Demum vt plura linquamus, similitudine vtuntur Alij Animæ nostræ, contemplando in ipsa, *mentem, verbum,sermonem,spiritum &c.* vltra enim, quod de ipsa dicitur, *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram,* adsunt specialiter consideranda ecce, & quidem prædictum Concil. Nicæn. *Verbum tuum,* inquit, *gignitur inseeabile,& ex mente: quemadmodum spiritus tuus procedit ex te: nec autem Verbum tuum, nec spiritum tuum alienum esse dixeris: & hac quidē non dedignaris in hominibus considerare; in illa verò Dei substantia ineffabili Verbum non prolatiuum, sed semper viuens,& efficax.* Nyssen.Orat.Catechet. c.1. *quomodo in nobis Verbum,seu rationem ex mente dicimus:neq; omnino ipsū idem esse, quod mentem, neque omnino alterum; nam ex illo quidem esse est aliquid aliud,& non illud: quod autem ipsam mentem in apertum proferat, non vtique existimari possit esse aliud ab illo, sed cum sit vnum natura, subiecto est aliud: ita etiam Dei Verbum,eo quidem, quod per se consistit, distinctum est ab illo,ex quo habet,quod consistit: eo autem, quod in se ipso illa ostendit, quæ veruntur in Deo, idem est secundum naturam.* Idemque epist. contra Apollinar. de Ima- *Ex similitudine ducta ab anima rationali.*

Imagine, & similitudine ita scribit, *Anima est ingenita, & causa carens, in figuram ingeniti, & causa carentis Dei Patris: at intellectuale verbum eius non est ingenitum, sed ex ipsa ineffabili, inuisibili, inexplicabili ratione, ac sine passione genitum; mens autem neque causa caret, neque est genita, sed ex processione orta, vndequaque discurrens, & cuncta despiciens, & inuisibiliter pertractans ad imaginē, & similitudinem Sanctissimi, & per processionem orti Spiritus, de quo dictum est, Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. Et demum de humanato Verbo Athanas. quæst. 4. tom. 2. ita testatur, *Quemadmodum sermo hominis duas habet generationes, vnam ex Anima, & alteram ex labijs; ita etiam Dei sermo duas generationes habet, vnā quidem ex Deo, & Patre, quæ & prima generatio dicitur: alteram ex carne, quæ & secunda generatio dicitur: & quemadmodum sermo noster quando natus est secundum primam generationem ex Anima, obscurus est, & non aperitur, ita Dei sermo, quamuis ante sęcula à Deo, & Patre natus est, non tamen manifestabatur hominibus: & quemadmodum sermo noster, quando volumus, nascitur ex labijs nostris, ita & Dei sermo, quando ei visum fuit, natus est ex labijs Prophetarum, & ex castissima Maria, & tunc factus est manifestus. & quemadmodum sermo noster quando à labijs generatur non relinquit Animam, nec labia propria, nec aures audientium, sed est etiam in Anima, & in labiis nostris, & in auribus audientium, & non minuitur vnquam, etiam si multa millia audiant sermonem, nec deficit, ita Dei sermo &c.*

Ex his vero omnibus non intendimus ipsam Dei, Trinitatisq; atque arcanorum eius adamusim explicare naturam, id namque impossibile, ait namque Psalmus 108. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, sed exēplificare vtcunque, licet minus aptè, ad hoc, vt qualicunque modo, eo quo possit, humana mens diuina valeat contemplari sicut, & idem Prudentibus subdit,

Non conferre Deo velut æquiparabile quicquam
Ausis, nec Domino famulum componere; signum
Ex minimis, sed grande suum voluit Pater ipse
Coniectare homines, quibus ardua visere non est.
Paruorum speculo non intellecta notamus:
Et datur occultum per proxima quærere verum.

QVÆSTIO VII.

Vnde Philosophi cognitionem qualemcunque adepti fuerint diuinorum mysteriorum, & præcipuè Trinitatis?

Sententia D. Thomæ negatiua. 1

Negat in primis D. Tho. quempiam Philosophorum, notitiam habuisse Trinitatis, ita in 1. p. q. 320. art. 1. idque ideo docet vt ostendat omnino naturali ratione indemonstrabile esse mysterium Trinitatis; nititurque soluere obiecta in contrarium, ita in solut. ad prim. Aliqua quidem diximus in eius defensionem sup. in hac ead. disputat. q. 1. tamen quia Scholasticorum sensus est, Philosophis ipsis plura de Trinitate innotuisse ex locis pluribus, ideo aliqua ex ijs afferemus. Et

Sententia communis affirmatiua.

Philosophis notū mysterium Trinitatis.

2 Et in primis D. August. lib. 7. cōfess. c. 9. ita scribit, *legi non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis, & multiplicibus suadori rationibus, quod in Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* & lib. 19. de Ciuit. Dei c. 9. *Initium Sancti Euangelii quidam Platonicus, sicut à Sācto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit Episcopus, solebamus audire, aureis literis conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum dicebat.*

Ex Platone.

3 Penès Cyrillum Alexandrinum l. 1. contra Iulian. Porphyrius exponēs opinionem Platonis sic scribit, *Vsque ad tres subsistētias diuinam substantiam progredi: esse autem summè quidem Deū bonum, post illum autem, & alteram cōditorem; tertium & Mundi Animam; progredi enim vsque ad animam Deitatem.*

Ex eodem

4 Idemque Cyrillus alteram eiusdem subdit Platonis sententiam, inquientis, *Circa Regem omnia sunt, & illius gratia omnia, & illud causa omniū pulchrorum: secundum autem circa secunda: & tertium circa tertia, nam cum omnia quasi existant circa tres Deos, attamen primo quidem circa omnium Regem, secundo autem circa* Deum *ab illo, & tertio circa eum ab isto.*

Ex Trimegisto.

5 De Mercurio Trismegisto multa feruntur circa hoc mysterium: Appellatur autem *Trismegistus*, hoc est, *ter maximus*, quia de maximo Trinitatis mysterio verba fecerit. Suidas autē de eo refert, quod ita scripserit, *Erat lumen intellectuale ante lumen intellectuale & erat semper mens mentis luminosa, & nihil aliud erat; quam horum vnitas, & Spiritus omnia continens; extra hunc non* Deus *non Angelus, non substantia, vlla alia: omnium* Dominus; *& Pater* Deus, *omnia sub ipso, & in ipso sunt; nam Verbum eius perfectum existens, & fœcundum, & opifex, lapsum in fœcunda natura, & aqua fœcunda, prolificam fecit aquam.* Indeque pergit subdens, *Adiuro te Cælum* Dei *magnum, sapiens opus: adiuro te vocem Patris, quam protulit ipse primam, cum omnem mundum stabiliuit; obtestor te per vnigenitū Verbum, & Patrem, qui continet omnia, esto mihi propitius,*

Ex Oraculo Delphico.

6 Penès Eugubinum lib. 1. de perenn. philos c. 19. adest testimonium, quod Apollo protulit Delphicus requisitus à Sacerdote quodam de vera Religione, cui respondens aiebat, *Ne me vtinam supremum infelix ipse Sacerdos sciteris de sancto, ac diuino Genitore, & Sobole chara; & flatu, qui mundum adstrictum continet omnem: montes, tellurem, fluuios, mare, tartara, ignem, aeraque: heù templis his me discedere ab istis coget.*

Ex Aliis.

7 Ludouicus Vin. in lib. 10. de Ciu. Dei cap. 23. de Rege Aegyptiorū Thule refert, quod consulenti Serapidem quisnam esset inter cæteros beatissimus, respondit Serapis,

Principio Deus est, tum sermo, & spiritus illi
Additur æquæua hæc sunt, & tendentia in vnum.

Ex Plotico.

8 Et penes eundem Eundem Eugubinum c. 17. siue Orpheo, siue Trismegisto adscribitur illud alterum,

Vocem adiuro te Patris, quam locutus est primum.
Quando Mundum vniuersum suis firmauit consiliis.

9 Pluraque alia congerit tum Eugubinus, tum Suidas, tum Cyrillus, ve qua Plotinus Platonicus librum inscripserit *De tribus Hypostasibus*, affirmans duas procedere ab vna, quę prima sit, referente Euseb. l. 11. præparat. Euang.

10 At verò vndenam mysterium Trinitatis cognouerint Philosophi, inuestigandum. Et quidem iam constitit ex secūda quæst. cognitionem hanc adipisci non potuisse naturaliter: hinc ergo alia via incedendum, quapropter dicendum primo notitiam diuinorum mysteriorum ab Adam traductam fuisse ad posteros, vsque ad Noè: & à Noè vsque ad Abrahamum: Adæ verò Deus ipse immediatè cognitionem talem indiderit per infusionem. Ab Habramo postmodū, & Moysè deriuatā ad Aegyptios, ad Gręcos, ad Latinos, cęterasq; Gētiū Nationes; etenim Sapientia, literæq; Moysis antiquiores fuere literis, sapientiaq; Græcorum, & Philosophorum, vt Iustinus refert Orat. ad Gentes. Idemque subdit Orpheum, Solonem, Pythagoram, Homerum,

Diuinorū notitia, à Deo ad Adam, ab Adam ad Posteros &c.

merum, Platonem, pluresque ex Philosophis in Aegyptum descendisse, ibique scripta Moysis peruolutantes, apprime de diuinis imbutos euasisse, quo stante mirum nō est si ea, vel consimilia ipsi quoque scriptis commendata reliquissent. Aliqua alia huius materiæ attigimus t. 1. disput. 1. q. 1. testantur hæc eadem Augustin. lib. 18. de Ciuit. Dei c. 24. & 37. ac l. 2. de doctr. christ. cap. 28. & Clemens Alexandr. l. 1. Aromat. necnon lib. 5. Eugubin. l. 1. cap. 1. siuè etiam, quia conuersati fuerint cū Hebræis, à quibus plura didicerint.

11 Potuerunt insuper in eorum cognitionem deuenire ex Oraculis Sibyllarum; ita Lactant. lib. 1. diuin. instit. c. 6. & lib. 4. cap. 6. 7. atque August. 18. de Ciuit. cap. 23. de quibus penes Sirenum opusc. de prouid. Sibyllas verò diuina reuelatione accepisse nostræ fidei mysteria docent Scholastici, & Patres, vt Clemens Alexandr. l. 1. Stromat. Lactant. l. 1. c. 6. & l. 4. cap. 6. Eugubin. l. 1. c. 21. 22. atque Viues in lib. 18. de Ciuit. Dei c. 24.

12 Item & ex Responsis Idolorū, quæ Antiquiores colebant, ea accipere potuerunt; etenim habuerunt Angeli omnes cognitionem abstractiuam Trinitatis in via, indeque cognitio talis per reuelationem tunc habita in eis remansit, itaut & per eam reuelare potuerint ipsorum colētibus idololatris mysteria diuina. Et idem perconranti Sacerdoti Apollinem Delphicū de vera Religione, protulit iam testimonium recensitum, inquiens, *Ne me vtinam supremū infelix Sacerdos scelteris de sancto, ac diuino Genitore, & Sobole chara, & flatu, qui mundum adstrictum continet omnem: montes, tellurem, fluuios, mare, tartara, ignem, aeraq; heu templis bis meis discedere ab istis coget.* Iustinus insuper refert orat. ad Gent. quod exquirenti cuidam ab Oraculo quinam commendabilis, ac probæ vitæ essent inter homines, responderit, *Soli Chaldæi sapientiam adepti sunt, & Hebræi, Genitum per se Regem venerantes Deum ipsum.*

13 Dixeris, quomodo poterunt hæc Dæmones reuelare, cū sint rebelles lucis, cupientes potius mysteria hæc penitus ignorari, ne in notitiam, & amorem homines deueniant veritatis. Respond. consimiliter egisse erga Christū Dominum, Luc. 4. *Dæmonia clamabāt, quia tu es Filius Dei viui &c.* Respondendum item vel compulsos fuisse à Deo, ab Angelis, ab Apostolis, ac Sanctis Dei Ministris, vt veritas quoq; patesceret per ora inimicorum, vt dicere iure possimus, *Et inimici nostri sunt Iudices*, Deut. 32.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum possit euidenter responderi argumentis obstantibus contra Trinitatem.

Sententia affirmatiua Caetan. & Valent.

1 Vtrum verò euidenter occurri possit argumentis pugnātibus contra hoc mysterium, fuit sētentia Caetani 1. p. quæst. 1. ar. 8. affirmatiua, quem sequuntur Ban. 1. par. quæst. 1. art. 8. Valent. t. 1. d. 1. q. 1. p. 5. §. 4. Vasq. d. 11. ad loc. D. Tho. 1. p. probari autem id potest, Primo, si in disputando contingat formari argumētum falsum, quod peccet, vel in forma, & figura non adhibitis arguendi regulis, vel stante falsitate materiæ eiusdem argumenti, vtique naturaliter, & euidenter ostendi poterit id esse falsū; ergo consimiliter manifestari poterit

falsitas argumenti facti contra Trinitatem. Secundò, nullum argumentum formatum cōtra veritatem est verum, ergo argumenta formata contra veritatem Trinitatis erunt falsa, & consequenter euidenter solubilia.

Opposita sententia Durandi. 2 Oppositum sentit Durand. in prol. 1. sent. q. 1. docens naturali lumine nec defendi posse mysterium, nec posse occurri argumentis pugnātibus contra illud, nisi supposita fide: prob. omnis discursus per se Theologicus supponit aliquam propositionem reuelatam, etiam si aliqua ex parte discursus talis amplectatur propositiones, & veritates cognitas lumine naturali; ergo argumenta pugnantia cōtra Trinitatem non possunt solui, nisi mediante discursu Theologico fundato super propositionem aliquam reuelatam. Maior huius argumenti probatur, Theologi docent Patrem æternū distingui realiter à filio, id verò inferunt illatione naturali, quia Philosophus docet, quod generans distinguitur realiter à genito, nihil enim gignit seipsum; igitur naturaliter inferri potest Patrem in diuinis distingui realiter à filio: nihilominus hinc non potest inferri dari generationem in diuinis, non enim euidenter infertur, Pater distinguitur realiter à Filio, ergo in diuinis datur Pater, qui generet Filiū: antecedens est naturaliter notum, at consequens est sola fide creditum. Itē si quis probaret non dari Trinitatem, sic arguendo, implicat vnam numero naturā reperiri simul in pluribus suppositis, ergo vna diuina essentia non erit in pluribus personis: responderi posset, verum de natura finita, & limitata, quę vnico limitatur supposito, nō autem de natura infinita, quæ plurib. communicari potest simul suppositis: responsio quidem optima est, at supponit vnum creditum, dari nēpè naturam infinitam in tribus; at id non cognouit Arist. Dices potest quidē cognosci non repugnare naturæ infinitæ, dum tamen cognoscitur repugnare finitæ: sed contra licet cognosceretur non repugnare, posse esse in pluribus, nequaquam posset cognosci reperiri potius in tribus, quam in duobus, quatuor, aut pluribus, aliàs vltra generationem cognosceretur etiam productio Spiritus S. ergo cognoscendo posse esse in pluribus, non inde habetur præcisè Trinitas. Insuper si quis argueret contra mysterium Incarnationis sic, nulla natura potest dependere ab alieno supposito, ergo humana natura non suppositatur supposito Verbi responderetur id verum de supposito creato, non autem diuino: vtiq; bona responsio, at supponit vnum de fide, quia Aristoteles nec cognouit suppositum Verbi, nec dependentiam naturæ ad suppositum increatum. Si quis etiam argueret contra mysteriū Eucharistiæ sic, nullum accidēs potest esse sine subiecto, ergo non datur hostia Eucharistiæ sine substantia panis: responderetur id per potentiam naturalem esse verum, at per Dei potentiā potest dari accidens sine subiecto; vtique optima solutio, nihilominus supponitur vnum de fide, & id non cognouit Arist. negauit enim per quamcunque potentiam posse dari accidēs sine subiecto. Cum ergo argumenta hæc, & similia pugnantia contra mysteria fidei solui non possint naturali lumine sine aliqua propositione ex fide, consimiliter nec solui poterunt naturali indagine argumenta, pugnantia contra mysterium Trinitatis, quod longè superat omnia alia mysteria.

3 Occurrit Caetanus distinguendo de argumentorum oppositorum, & pugnantium euidentia: alia namque est euidentia positiua, alia negatiua; loquendo de prima, vtique negat ita euidenter solui posse; loquendo de negatiua concedit. Sed contra arguitur, improbabile esse vtrumque, & de positiua iam concedit; probatur de negatiua, non potest cognosci negatio nisi per affirmationem, vt constat, ergo non potest haberi euidentia falsitatis negatiua, nisi per positiuum; at Trinitatem non cognoscimus naturaliter positiuè, nec euidenter positiuè possumus per Caetan. soluere argumenta opposita, ergo nec euidenter negatiuè. Insuper non cognoscimus tenebras, nisi per lucem, ergo nec tenebras errorum pugnantium contra Trinitatem, nisi per reuelationem, & fidei lucem. *Occurrit Caiet.* *Retūditur.*

Oc-

4 Occurrunt, posse nos dubitare euidenter vtrum argumenta pugnantia sint vera, vel falsa, & ita dubitando possemus, vel saltem negare, contra, cur negatur aliqua pars argumenti; vtique omnis negatio habetur per affirmationem, ergo supponit negatio argumenti aliquod positiuum fundamentum, propter quod fiat negatio; id autem erit cognitio positiua per fidē, habita de Trinitate. Insuper si argumentum fiat probando hominem esse rudibilem; id euidenter, & efficaciter soluetur per oppositum fundamētum positiuum, vt puta per rationalitatem, ergo ratio soluendi argumenta negatiuè fundabitur super principio positiuo credito ipsius Trinitatis.

Modificatio sententia Durandi. 5 Hæc quæ dicta sunt, procedunt tum de mysterio Trinitatis, tum etiā de cæteris mysterijs, per se reuelatis; non autem de reuelatis per accidens: primi generis sunt, quæ vt à creatura cognoscantur, requirunt necessario reuelationem, quia aliter ad ea attingere non posset: secundi generis sunt, quæ naturali quidem lumine cognosci possunt, attamen etiam interuenit de eis fides, & reuelatio, prima sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & cætera: secunda sunt cognitio de primo Motore, primo Efficienti, vltimo fine, & huiusmodi, quæ ab Aristotele naturaliter fuerunt cognita, licet de eis etiam habeatur reuelatio, & fides; quod igitur non possint argumenta pugnantia in contrarium naturaliter solui, id procedit de mysterijs primi generis, sicque modificanda sententia Durandi.

6 Ad argumenta pugnantia contra sententiam Durandi respondetur, argumentum peccare solere quandoque, vel in forma, & figura: vel in materia: primo modo loquendo concedimus argumenta pugnantia contra Trinitatem posse naturaliter solui, & demonstrari esse falsa: hoc enim præstare poterit etiam purus Logicus, peccare in forma, & figura absq; lumine fidei, & absq; theologia, quia Arist. carens fide per optimè nouit, sicut & docuit, artem formandi syllogismos, & argumenta: vt sic ergo non requiritur lumen fidei: at secundo modo requiritur, quia materia Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & cæterorum, est materia per se reuelata, ad quam nullatenus attingere potest indago humana; ideoque destructiua argumenta solui non possunt sine talis materiæ reuelatione.

7 Ad secundum resp. vtique argumenta contra Trinitatem sunt falsa: attamen de eorum falsitate non constat naturali euidentia, quia est mysterium reuelatum: sicut multa etiam concedimus, vel negamus, de secretis naturæ, attamen eorum principia, & rationes, & causas ignoramus: ita negamus, vel affirmamus, vt possumus respondendo ad argumenta pugnantia contra Trinitatem: at id præstare non possumus sine fide, ex ipsa namque ratio respondendi, distinguendi, affirmandi, vel negandi dependet.

8 His nihilominus sic disputatis, eam sententiam amplectimur, quę verior apparebit communi, & saniori iudicio.

DISPVTATIO II.

De diuinis emanationibus.

QVÆSTIO I.

Vtrum detur productio in Diuinis.

Productiones in diuinis de fide est dari.

1 DE fide est dari productiones in Diuinis; ait namque Isaias cap. 53. *Generationem eius, quis enarrabit, & Spiritus, qui à Patre procedit*, atque *Spiritus, quem ego mittam à Patre*, ex quibus locis productiones indicantur Filij, & Spiritus sancti; ac denique ait August. 4. Trin. 21. *Pater est principium totius Trinitatis*, de qua re passim in tota serie de Trinitate. Rationes verò sunt, quæ desiderantur ad id confirmandum.

Probationes Henrici.

2 Henric. quol. 6. q. 1. sic probat. 1. Prima persona constituitur per relationem originis ad secundam: ergo dantur plures productiones in diuinis: antecedens patet, quia persona est relatiua: & prob. conseq. nam relatiuum postulat correlatiuum, ergo sunt plures personæ. Item relatio illa non est accidentalis tali personæ, alias daretur accidens in diuinis; ergo est constitutiua, ergo constituit in ordine ad aliã personam, quia relatiuũ coexigit correlatiuum. Secũdo virtus summè actiua summè se diffundit: sed non diffunderet se summè, nisi communicaret se alicui per productionem, D. Bonau. 1. d. 2. q. 2. hoc argumentum conficit sub alijs terminis, bonum est sui ipsius diffusiuum, ergo summum bonũ est summè diffusiuum: non autem ad extra, ergo ad intra. Insuper tertio, perfectũ est illud, quod potest producere sibi similè, & vniuocè, ergo perfectissimus Deus sic producit ad intra.

Confutatio Henrici à Scoto.

3 Scotus 1. d. 2. q. 6. refellit has probationes; & ad primam ait, illam ostẽdere ignotum per minus notum, quia quod in diuinis sint plura supposita, id est naturaliter ignotum: quod etiã supposita illa constituantur per respectiua, hoc est minus notum, nã videtur potius dicendũ, inquit, quod suppositũ subsistens cõstituatur per absolutum, quam per respectiuum: vtrumque autem istorum nõ potest persuadere infideli: quod si loquamur de fideli, nec habet intentum; nam quod in diuinis sint plura supposita, est quidem à fideli concessum per fidem, quia est articulus fidei; quod verò personæ constituantur per relatiua, id non est ita notum fideli, nam non est articulus fidei; ergo ratio Henrici, nec concludit fideli, nec infideli: Id etiam, quod addit relationem esse necessario constitutiuam, alias esset accidens, id non est necessarium de omni relatione; nam spiratio actiua non constituit Patrem, nec Filium, sed aduenit vtrique, & nihilominus nec est accidens separabile, sed pro extraneo. De rationibus ceteris, nec concludunt, etenim propositio illa, bonum est sui diffusiuum intelligitur modo possibili; at naturaliter non constat diffusiuitatem istam fieri pluribus suppositis in identitate naturæ, cum in naturalibus contingat oppositum, multiplicantur enim supposita, & diuiditur in eis natura.

Probationes Scoti adducũtur.

4 Probat verò inde Scotus intentum rationibus alijs; non quidem cæ-

tero-

terorum probationes refellens, quasi ipse nitatur rationes pro hoc mysterio afferre demonstratiuas, non enim id vnquam fuit imaginatus, cum sit mysterium fidei, vt ex ipsomet supra in 3. quæst. constitit, sed quia inter cæteras sunt apparentiores; licet non sint necessariæ, & demonstratiuæ, vt falso aliqui ibi ei imponunt: probat verò primò sic, quandocunque aliquid de sui ratione formali est principium productiuum, illud in quocunque est à se, & sine imperfectione, in eo erit principium productiuum: sed intellectus diuinus habens obiectum sibi præsens sub ratione actu intelligibilis, de ratione sua formali est principium notitiæ genitæ, & in Patre est à se, & sine imperfectione, ergo potest producere notitiam genitam. Declaratur, quia in Patre talis intellectus est à se, non cõmunicatus ab alio, cum sit prima persona: est etiam sine imperfectione, cũ nihil in Deo sit admixtum imperfectioni; ergo. consimiliter arguitur de voluntate, quandocunque aliquod de se est principium productiuum, illud in quocunque est, erit principiũ producendi: at in Deo est voluntas, vt principium productiuum, quatenus habens essentiam sibi præsentem sub ratione obiecti actu amabilis; ergo in eo erit principium spiratiuum: pro vtraque verò ratione subsumatur minor; sed talis notitia, & amor non potest esse accidens, ergo erit quid subsistens, & suppositum, ergo datur productio in diuinis.

Obstatur. 5 Contra minorem huius rationis obstatur, primo tunc intellectus, & voluntas habebit rationem principij productiui, quandocunque poterunt perfici, & informari à notitia, & amore producto: at intellectus Patris, sicut etiam voluntas non possunt informari, & perfici, ergo. item talis notitia esset frustra, quia per illam non perficitur Dei intellectus, sed per notitiam ingenitam: Insuper quandocunque potentia habet iam terminum sibi adæquatum non potest vltro producere: intellectus Patris, sicut & voluntas habet notitiam ingenitam, & amorem essentialem, tanquam terminum adæquatum, ergo non vltra producit.

6 Ad primum resp. quod intellectus, & voluntas sint productiua, id perfectionis est in eis: quod verò sint receptiua notitiæ, & amoris producti, id est imperfectionis, quia passiuitas talis, & informabilitas, siuè actuabilitas dicunt imperfectionem per informationem: hoc quidem potentiæ cõpetit creatæ, vtpotè limitatæ, & imperfectæ: illud verò intellectui, & voluntati competit ipsius Patris, vtpotè illimitatæ, & infinitè perfectæ. *Productiuitas dicit perfectionẽ non sic receptiuitas cum informatione.*

7 Ad secundùm, notitia genita, & amor productus non producuntur, vt exinde perfici expectet intellectus, & voluntas Patris; sed producuntur ex plenitudine perfectionis vtriusque potentiæ, quæ cum fœcundissima sit, postulat, vt producat; ideoque in omni ordine agentium debet dari vnum omnino perfectũ, quod producat ex liberalitate, vt loquitur Auic. 6. metaph. nempè *Non expectans retributionem, siuè perfectionem inde*, sed agens ex plenitudine suæ fœcunditatis: talis est Dei voluntas, & intellectus, qui quidẽ producunt, non vt inde perficiant intellectum, & voluntatem diuinam, sed vt plenitudinem ostendant suæ perfectissimæ fœcunditatis, ideoque notitia, & amor non est frustra. *Pater non producit ex indigentia, sed ex plenitudine fœcunditatis.*

8 Ad tertium, in Patre reperitur duplex potentia formaliter distincta, operatiua, & productiua: amor, & notitia essentialis est quidem terminus adæquatus, licet improductus, potentiæ operatiuæ: notitia vrò, & amor productus sunt termini adæquati potentiæ productiuæ, generatiuæ, atque spiratiuæ. *Duplici potentiæ in Patre correspondet duplex terminus.*

9 Contra, omnis potentia, vel est actiua, vel factiua: si actiua, vtiq; terminus productus recipitur in ea: si factiua recipitur in subiecto extra; ergo notitia genita, vel recipietur in intellectu Patris informando illum, vel recipitur in subiecto extra: ita de amore producto: Resp. quod esse actiuum, vel factiuum sunt differentiæ accidentales principij productiui: quapropter dabitur principium productiuum alicuius, quod nec recipitur, nec intra potentiam informando, nec extra: & tale erit subsistens, & persona diuina producta, quæ nec informabit intelle- *Actiuũ, & factiuũ sũt differentiæ accidentales principij productiui.*

ctum

ctum paternum, nec recipietur extra, quia per se stabit:& huiusmodi est notitia genita,& amor productus.

10 Probatur secundò, principale intentum, obiectum habens esse in memoria producit seipsũ in intelligẽtia: quod verò in nobis obiectum habeat esse secundùm quid in materia, & in intelligentia, est imperfectionis; ergo dempta imperfectione ab intellectu Patris, ibi aderit notitia genita simpliciter perfecta, quæ erit idem essentialiter cum ipso obiecto.declaratur minor,nam in memoria,& intelligentia mea non est formaliter, & realiter lapis,sed species lapidis: itaque habet ibi esse non simpliciter, sed secundùm quid: & est quid distinctum essentialiter: notitia autem genita in diuinis non habet esse secũdùm quid, cum sit verè Verbum diuinum in propria existentia,& persona, atque idem essentialiter cum ipso Patre. Tertiò probatur, necessitas est conditio entis dicens perfectionem, vbicunque non aderit opposita imperfectio; ergo in Patre necessitas principij productiui dicet perfectionem; at non producet per talem necessitatem aliquod extra, ergo ad intra in diuinis.Confirmatur, productio naturalis est prima omnino productio:ergo potest competere primo producenti,qui est Deus: at non ad extra, cum non agat necessario ad extra;ergo primo ad intra. Probatur quarto,relationes oppositæ de secundo modo relatiuorum possunt competere eidem naturæ limitatæ, vt ratio, siue relatio mouentis,& mobilis,idem namque mouet se, & mouetur à se: at in eodem secundo ordine relatiuorum comprehenduntur relationes producentis, & producti, ex 5.mer. c.ad aliquid; licet hæc magis repugnent, quã illa:& ista possunt competere eidem naturæ creatæ,& limitatæ,ergo multò magis productio actiua, & passiua semotis imperfectionibus poterit competere eidem naturæ diuinæ illimitatæ. Confirmatur, non est maior ratio de istis, quã de illis: ergo si relationes illę possunt competere naturæ limitatę,multò amplius hæ ipsi naturę illimitatæ. Insuper voluntas vt mouẽs seipsam, habet quodammodo rationem illimitati ad mouentem, & motum, ideoq; fundare potest in se oppositas relationes: at diuina natura est absolutè,& simpliciter illimitata,ergo multò magis poterit fundare illa tales oppositas relationes producẽtis, & producti.

11 Obstatur contra principale intentum,probando nõ dari productiones in diuinis, nullum productum est ex se necessarium: sed quidquid subsistit in essentia diuina est necessarium: ergo nullum ibi subsistens, est productum: maior probatur primò, nihil est nessarium ex se, & ab alio: prob.quia quod est necessarium ab alio, non est necessarium circũscripto illo:& quod est necessarium ex se, est necessarium circumscripto quocunque alio. Secùdò omne productum fuit prius possibile produci:sed quod est possibile nõ est necessarium.Tertiò terminus productus est posterior producente,ergo in illo priori non habebat esse,quãdo aderat producens.Quartò essentia diuina verè habet per productionem terminum productum:ergo de nõ habente fit habens:ergo mutatur.Quintò generatio est species mutationis; ergo in generatione Verbi adest mutatio. Vltimò,aliæ species mutationis, vt alteratio,augmentatio,motus localis non sunt in diuinis; ergo nec generatio,prob.conseq.illę sunt perfectiores generatione,nam multa entia perfecta mouentur localiter,quæ tamen non generant, vt Cælum.

12 Respondetur ad primum,quod si per necessarium ex se, & ab alio intelligat idem genus causæ, conceditur maior; nam nihil producit seipsum: si intelligat aliud,& distinctum,negatur, quia Verbũ necesse est ex se formaliter,& à Patre productiuè: illud denotat principium, seu rationem causæ formalis, licet causa abstrahat à diuinis:hoc connotat principium,seu causam productiuam extrinsecam:ad probat.cùm dicitur, quod est necesse esse ex se, est necesse esse circumscripto quocunque alio, verum est,si talis circumscriptio non includat incompossibilitatem: at impossibile est in diuinis esse Verbum, quod est necesse ex se,absq; Patre, à quo insuper idem Ver-

Possibile logicum in diuinis nõ physicum,

Verbum habet necesse esse: sunt namque idem Deus, Pater, & Filius, habentq; eandem numero diuinitatem, quapropter vnus non potest esse absque alio. Ad secundum, verum de possibili logico, non autem physico: illud est in diuinis, hoc negatur à diuinis. Ad tertium producens est prius origine producto: & causa prior causato, etiã prius natura: at Pater in diuinis, vt origine prior Verbo producto non facit vt tunc excludat Verbum productum, etenim est ibi prioritas originis, non temporis: item intelligitur ibi prius. & posterius abstractione præcisiua, non diuisiua. Ad quartum, ad mutationem requiritur, vt aliquando in subiecto fuerit oppositum eius, quod inest; oppositum autem Verbi, nempe non esse, nunquam fuit in essentia diuina, cùm generatio fuerit æterna: quod si eo priori intelligatur essentia non habere productum, eatenus quidem, quatenus peoductum non est de intrinseca eius ratione formali, vt cõstat. currit argumentum, sed nihil ad 6.

Mutatio nulla in diuinis.

Generatio productio, et nõ generatio mutatio.

Generatio mutatio est species mutationis, nõ generatio productio.

13 Ad quintum, generatio mutatio est species mutationis, non generatio productio: illa est in creaturis hæc in diuinis; vnde in creaturis reperitur generatio mutatio, in diuinis verò generatio productio.

Generatio quomodo perfectior cæteris mutationibus.

14 Ad vltimum, generatio ratione termini producti est perfectior cæteris mutationibus, quia illius terminus est substãtia, cæterarum verò est accidens: licet ratione subiecti sint perfectiores cęteræ mutationes, quia generationis subiectum est ens in potentia, & in completum vt materia: cæterarum verò ens perfectum, vt subiectum; in diuinis verò adest generatio, vtpote perfectior: quod si generationis subiectum est ens imperfectum, id contingit in creaturis, vbi subiectum, seu materia transmutatur de forma in formam per generationem, & per motum, talis verò mutatio, & trãsmutatio, sicut & materia non reperitur in diuinis.

Dependẽtia vbinam locum habet.

15 Obstabis, productum dependet à producente, ergo Verbum, & Spiritus Sanctus dependet à producente, si datur productio. Respond. dependentia repetitur ibi, vbi adest diuersitas, & alteritas naturæ inter productum, & producens, vt inter causam, & causatum in creaturis: vbi verò adest productio, & communicatio in identitate naturę, ibi non adest dependentia, sed sola præexigentia: productum namque præsupponit originem producens: & producens præexigitur ad productum, ita aduenit in diuinis, stante identitate naturę.

QVÆSTIO II.

Vtrum sint tantum duæ productiones in diuinis alterius rationis

Productiones duas dari in diuinis de fide est.

1 DE fide est duas tantum reperiri in diuinis pductiones, vtpote Filij, & Spiritus Sancti; de modo tamen comprobandi eas exquirimus. Et quidem Henric. quol. 6. q. 1. & quol. 2. q. 6. ita probat, actus notionales fundantur super actus essentiales: sed actus essentiales sunt duo, ergo & duo actus notionales, & ita duæ productiones. Declarat autem inde amplius sententiam suam dicens, quod intellectus paternus consideratur, & vt nudus, & vt notitia genita informatus: primo mdo intelligendo essentiam producit notitiam simplicem, qua informatur: inde

Probationes Henrici.

con-

conuertit se supra notitiam simplicē, & super obiectum, & supra se intelligentem, & ex tali conuersione producit notitiam genitam, & hæc recipitur in ipso tanquam forma in passo proportionato. Ita de voluntate, quæ iam informata, & conuersa præsentato sibi obiecto producit amorem: iam enim prius erit informata amore simplici; differt autem voluntas ab intellectu, quia intellectus per notitiam simplicem producit notitiam genitam, à qua informatur: amor autem simplex non producit amorem alium, nec voluntas est passiua, sed actiua, sed ipsa voluntas est, quæ producit amorem. In substantia autem sententia Henrici in eo cōsistit, vt intellectus informatus notitia simplici conuertat se, & mediante tali notitia, iam producta, producat notitiam aliam, id verò declarat etiam in nobis; nam obiectum producit primo in nobis notitiam simplicem; inde verò tali notitia informatus, factus est iam fœcundus, vt producat notitiam declaratiuam, quæ est verbum, idque recipitur in in ipso intellectu.

Henrici confutatio à Scoto.

2 Confutat Scotus in 1. d. 2. q. 6. hæc dicta Henrici, & primo infertur ex dictis intellectum Patris informari notitia genita: prob. conuersio ista est alicuius suppositi, quia actiones sunt suppositorum. at non est suppositi filij; non enim tunc intelligitur productus, aliàs ante filium esset alius filius; ergo est suppositi Patris: sed per Hēric. ista notitia informat, ergo informat intellectum Patris. Confirmatur, quia intellectus nudus ex ipso est passium pro portionatum receptiuum talis notitiæ; id verò est imperfectionis in Patre, etenim talis notitia esset perfectio Patris, & ita Pater expectaret perfici in intellectu suo per notitiam Flij. Sequitur etiam Filium nō distingui realiter à Patre, nam recipitur in Patre, velut forma, & perfectio intellectus ipsius; at notitia formaliter existens in Patre, & Spiritu Sancto non distinguitur personaliter ab eis, prout est notitia, qua ipsi intelligunt. Item ex August. 15. de Trinit. cap. 7. *Filius, & Verbum producitur à memoria, non ab intelligentia*; ergo falsum quod notitia simplex sit productiua notitiæ genitæ. Insuper producere cōpetit magis actui primo, quā secundo; quia actus secundus habet rationem finis, & est gratia sui, non gratia alterius producēdi; igitur notitia simplex non est productiua notitiæ genitæ. Præterea, concesso quod notitia simplex sit ratio producendi notitiam genitam, nihilominus non tollitur per hoc, vt etiam memoria sit principium *quo* productiuum eiusdem notitiæ genitæ: immo prius erit principium memoria, quàm simplex intelligentia, ergo prius Pater producet per memoriam, quàm per simplicem intelligentiam. Item essentia est quasi principium, non verum productiuum principium notitiæ simplicis, & essentialis, quia ipsa non est verè producibilis, cùm sit notitia ingenita; ergo eadem memoria erit verum principium *quo* notitiæ notionalis, quæ verè est producibilis, ac propterea vocatur notitia genita, & notionalis. Rursus, omnes intellectiones sunt eiusdem rationis, ergo si memoria potest esse principium notitiæ simplicis, poterit quoq; esse principium notitiæ genitę. Hinc etiam deducitur, quod Verbum esset declaratiuum nō essentiæ immediatè, sed notitię simplicis, quia produceretur à notitia simplici; eius autem est Verbum declaratiuum, cuius est terminus productus: at id est contra August. 14. Trinit. *notitia quippe formata ab ea re, quam scimus Verbum est*: at obiectum scitum, & cognitum est essentia, obiectum inquā primum. Notitia insuper essentialis, & simplex, si esset genita, vtiq; produceretur virtute essentiæ, vt obiecti; ergo virtute eiusdē obiecti producitur notitia genita, sunt enim eiusdem rationis: si autem obstaret, quod sunt alterius rationis, quia in Patre non est cōmunicata, sequeretur quòd essentia etiam in Patre, & Filio esset diuersa, quia in Patre non est communicata, in Filio communicata. Superflua etiā videtur ista conuersio, quia intellectus Patris habens essentiam sibi præsentem in ratione obiecti intelligibilis est principium intellectionis, ergo nō est opus tali conuersione.

3 Denique circa id, quod dicit in nobis, quòd notitia simplex est princi-

pium

pium vlterioris notitiæ, confutatur, nam sequeretur notitiam confusam esse causam notitiæ distinctæ, talis esse solet notitia illa simplex prima, & ita distincta notitia esset à confusa: item isti duo actus vel essent simul, vel non: si primum, ergo simul intellectus erit distinctus, & confusus, quod non est dabile, etenim prius est confusus, inde distinctus, non autem simul: si secundum, ergo deficiente notitia confusa non produceretur notitia distincta, quod enim non est, non producit. Insuper in Patria habebimus verbum perfectissimum ex August. ac verbum illud non producitur ex conuersione intellectus supra ipsummet verbum, prob. aliàs haberemus pro obiecto beatifico nostrum verbum, non autem essentiam diuinam: non igitur est necessaria talis ista conuersio.

Probationes Scoti. 4 Confutata iam explicatione, & probatione Henrici, probatur sic dari duas productiones in diuinis. in diuinis tot sunt personæ productæ, quot sunt principia productiua: sed personæ productæ sunt duæ, ergo duo principia productiua, ergo duæ productiones: prob. rur verò esse tantum duo principia productiua; si esset tantum vnum, vel illud esset intellectus, vel voluntas, vel aliquid ab vtroque distinctum: sed neutrum istorum: prob. modus producēdi per intellectum est diuersus à modo producendi per voluntatem, cùm ille sit naturalis, hic liber, ergo non possunt eidem prorsus principio sub eadem ratione formali conuenire, cum repugnet sic, & sic simul agere. nec poterit esse aliquid tertium, in quo coeat ratio vtriusque, quia modi isti sic producendi sunt incompossibiles, ergo non possunt coalescere in aliquo eodem. Insuper in nobis modus producēdi per intellectum est esse determinatum ab intrinseco determinatione naturali: *natura namq; determinatur ad vnum modum agendi*: modus autem producendi per voluntatem in nobis est indeterminatus ab intrinseco: hi verò modi omnino implicant, ergo producta per ipsos modos sunt plura: sed sunt duo solummodo modi producendi, & duo principia productiua, ergo & duę productiones, & duo producta: sic in diuinis, dēptis imperfectionibus. Item *omnis multitudo debet reduci ad vnitatem, vel ad tantam paucitatem, ad quantam reduci potest*: sed principia productiua ad intra non possunt reduci ad vnitatem, quia modos agendi liberè, & naturaliter simul repugnant; nec possunt reduci ad minorem paucitatem, quàm ad dualitatem: ergo sunt duo. Rursus non possunt reduci ad plura quàm duo; prob. duæ sunt ibi potentiæ productiuæ, vt intellectus, & voluntas, non plura, ergo principia non erunt plura. Præterea duæ sunt productiones, quia termini producti sunt tantùm duo: prob. vnicuique principio productiuo correspōdet vnicus terminus adæquatus: sunt duo principia, ergo duo termini, ergo duæ productiones.

5 Obstabis contra dicta, primo, principia videntur esse tria, ergo non duæ productiones: prob. antec. vltra intellectum, & voluntatem datur ipsa diuina Natura, quæ videtur esse alterū principium distinctum ab his, patet, quia ipsa est prior intellectu, & voluntate, & Natura est principium ex se determinatum ad producendum. Secūdò potentię distinguūtur per actus, ergo vni potentiæ vnicus correspondet actus: ergo intellectui correspondebit solummodo actus notitiæ essentialis, & voluntati actus essentialis amoris, non igitur actus notitiæ, & amoris producti. Tertiò ratio illa, quod duo illa principia nō possint reduci ad vnum videtur falsa, prob. principium contingens reducitur ad principium necessarium; ergo principium liberum reducitur ad principium naturale: eo magis, quo natura est prior tanquam radix, & præcēdit voluntatē. Quartò propositio illa, vnumquodq; principium habet sibi terminum adæquatum, ergo non plura, videtur [illegible], quia quæritur aut est adæquatus intēsiuè, aut extensiuè: si secundum, petitur principium, & idem erit probandum: si primum, contra, quia anima Christi Domini habet visionem Verbi sibi adæquatam, & tamen potest insuper cognoscere res in genere suo: & Deus habet de seipso cognitionem sibi adæquatū, & tamē cognoscit etiam crea-

 curas.

turas. Quintò principium habet rationem principij non quatenus principiatum est iam positum in actu, sed quatenus principium est prius principiato; ergo licet principiatum sit positum in actu, nihil impedit vt principium denuo producat, ergo erūt plures productiones quam duæ.

Essentia nō est principium producendi de se sola.

6 Respondetur ad primum, essentiam non constituere principium de se sola, vt æstimauit Durand. sed essentia vna cum intellectu esse principiū vnius productionis: & eadem essentia vna cum voluntate esse principium alterius: quare essentia non constituit de se sola tertium principium, vt paulò post dicetur amplius.

Potentia operatiua, & productiua distinguūtur formaliter, & terminatiuè.

7 Ad secundum duplex est potētia ad intra penes vtrumq; principiū distincta formaliter: alia operatiua, alia productiua: prima est in ordine ad actus essentiales intelligendi, & amandi: secunda in ordine ad actus notionales generandi, & spirandi. hoc stante vnaquæque potentia distinguitur per suum actum, & ita potentia operatiua vtriusque principij distinguitur per actum operatiuum; vnaquæque etiam potentia productiua distinguitur per actum productiuum: & ita potentiæ operatiuæ vnicus quidem correspōdebit actus operatiuus: potentiæ autem productiuæ vnicus correspondebit actus productiuus, quod cōceditur, cum autem duæ sint potentiæ productiuæ, duo erunt actus producti, & duæ productiones. Quod si quæras, quomodo se habent inuicē isti duo actus, vtrum vnus producat alterum: minime, sed vnus præcedit alterum præsuppositiuè naturali præsuppositione, ambo tamen sūt ab eadem potentia ordinatè: exemplum de lucere, & illuminare: hi duo effectus dependent à Sole: demus autem, inquit Scot. quod illuminare non prouēniat à lucere, vtique Sol esset principium vtriusq; nō autem vnum alterius, sed esset præsuppositio huius ab hoc: ita actus productiuus non dependet ab actu operatiuo, non enim hic est causa illius, sed hic præsupponitur, & præcedit illum.

Actus productiuus, & operatiuus qualiter comparentur inuicem.

8 Ad quartum, vtraque productio est adæquata intensiuè, & extensiuè; & quidem loquendo de potentia operatiua siuè intellectus, siuè voluntatis, actus notitiæ essentialis, & amoris essentialis, sunt adæquati intensiuè, & extensiuè suis potentijs operatiuis: loquēdo verò de potentijs productiuis, pariformiter actus productiuus intellectus, & voluntatis generandi, & spirandi sunt adæquati suis principijs productiuis & intensiuè, & extēsiuè.

Potentia operatiua, et productiua habēt suos terminos adæquatos.

9 Ad quintum licet ita sit, tamen non potest in plures exire productiones, quia habet iam vnumquodque principium terminum sibi adæquatum.

10 Ad tertium respond. quod producere contingenter dicit imperfectionem, saltim ex parte effectus, qui est contingens, ideoque tanquam imperfectum debet reduci ad principiū necessarium, quia omne imperfectum debet reduci ad perfectum: at producere liberè nō dicit imperfectionem, sed perfectionem, ideoque non postulat reduci, siuè vniri ad aliud, tanquā imperfectum ad perfectum. Voluntas autem diuina non est principium Spiritus Sancti contingenter, sed necessario.

Producere liberè dicit perfectionem, nō sic producere cōtingenter.

11 Arguitur insuper, Naturæ vnius est vnicus modus agendi: diuina natura est vna, ergo vnico modo agit, ergo vel per solum intellectū, vel per solam voluntatem, ergo nō duo principia, nec duæ productiones. antecedens est Coment. 8. ph. com. 46. Resp. Scotus antecedens non esse vniuersaliter verum, etenim reperitur natura, quæ varijs vijs communicatur, vtputa animalia imperfecta, quæ producūtur vniuocè, & æquiuocè, per generationem, & ex putri materia: vera est autem propositio de natura perfecta, seu de animalib. perfectis, quibus natura dedit vnicum modum, & vnicam viam communicandi, vt vniuocè. Contra, quod animalia imperfecta producantur vniuocè, & æquiuocè, id non dependet à supposito eiusdem naturæ, non enim habet hanc duplicem facultatem, sed æquiuoca illa cōmunicatio pendet à causa superiori, vtpote à cęlis, ideoque & à cælis cōmunicatur æquiuocè, & à supposito propriæ naturæ vniuocè: & diuina natu-

Naturæ vnius est vnus modus agendi declaratur.

natura est perfectissima, & non habet causam superiorem, ergo solummodo communicabitur à supposito eiusdem naturæ, & consequenter vnico modo. Resp. non esse parem rationem de natura diuina, & natura creata; quia hæc non habet, nisi vnicum modum communicandi per proprium suppositum, diuina verò habet duplicem modum, per intellectũ, & voluntatem, vt patet. Dices, etiam natura creata producit per intellectum, & voluntatem, ergo ipsa quoq; agit duplici modo: Resp concedo totum: at diuersitas sita in eo est, vt terminus productus in natura creata per intellectum, & volũtatem sit accidens, vt pura intellectio, & volitio accidentalis: producta verò per intellectum, & voluntatem increatam sunt supposita, & substantia.

Principiũ actiuũ distinguitur in naturã, & intellectum ex Arist. declaratur.

12 Arguitur, Aristot. 2. physic. t. 49. distinguit principium actiuum in naturam, & intellectũ: hinc verò deducitur tria esse principia in diuinis: voluntatem, intellectum & naturam; ergo tres productiones, & tria producta. Resp Philosophum parum loqutum fuisse de voluntate, prout distinguitur ab intellectu, & propterea eã copulat quandoque simul: potest autem considerari vel in ordine ad sè, prout est potentia naturalis distincta formaliter à voluntate, quę est potentia libera: vel consideratur quatenus est potentia directiua voluntatis in operãdo practicè: primo modo idem est intellectus, ac natura, nec distinguitur vnum ab altero, nisi formaliter, quatenus est potẽtia pullulans à natura: secundo modo constituit vnicum principium practicum directiuum vna cum voluntate ad operandum practicè: & sic non sequitur vt sint tria principia, sed duo, vnum ex parte intellectus, qui est idem, ac natura, propter modum agendi naturaliter, siuè per modum naturæ: & secundum ex parte intellectus practici dirigentis voluntatem, cæteralque inferiores potentias ad operandum practicè.

Voluntas principiũ Spiritus S. liberum, et necessariũ. declaratur

13 Arguitur, voluntas est principium liberum, ergo non determinatur ad vnum, sed pro sua libertate erit indifferens ad producenda plura: & ita plures Spiritus Sanctos: ita etiam producet contingenter &c. Resp. liberam esse non libertate contrarietatis, nec libertate indifferẽtiæ ad opposita disparata: sed libertate essentialis, quæ consistit in eo, vt habeat modum producendi, non violenter, non coactè, non necessitate naturali ex Scot. sed necessitate simpliciter, & liberè essentialiter, prout amplius in propria quæst. de Spiritu Sancto: cæterum de se est determinata ad vnum simpliciter necessarium, vt est tertia persona: quæ quidem est determinatio intrinsecè ab eadem voluntate proueniens, stat ute vna cum ea, essentiali libertate. nec productum est cõtingens, quia Spiritus Sanctus est ens omnino necessariũ. cæteras verò operandi differentias experitur diuina voluntas ad extra, quia creatura est contingens, & non necessaria.

Distinctio motuũ pẽdet ex distinctione terminorũ, declaratur

14 Arguitur probando ambas productiones esse eiusdẽ rationis, distinctio motuum pendet ex distinctione terminorum; ergo distinctio, seu vnitas productionum in diuinis pendet ex distinctione, vel vnitate termini: at essentia est terminus vtriusq; processionis, & illa est vnica in eis; ergo processiones non sunt duæ, sed vna. Resp. distinctionem motuum desumendam esse penes distinctionẽ termini, vtique totalis, nõ autem partialis, & formalis: essentia autem est terminus formalis, & partialis; persona est terminus totalis, & adæquatus, igitur cùm personę sint duæ, & distinctæ, duæ quoq; erunt productiones, & alterius rationis.

QVÆSTIO III.

Vtrum in diuinis sint tantum tres personæ duæ productæ,& vna improducta.

1 TRes sunt in diuinis personę, iuxta Ioan. 5. *tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater Verbū, & Spiritus sanctus*: & Mat. vlt. *baptizantes eos in nom. Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Probatur verò primo duas earum esse productas, & vnam improductam: primas esse Filium, & Spiritum sanctum: & alteram esse æternalem Patrem.

Prob. Scot. de duabus personis productis.

2 De filio probatur, Intellectus habens obiectum sibi præsens in ratione actu intelligibilis est productiuus termini sibi adæquati, nempè infiniti, prout est intellectus infinitus, & obiectum infinitum: sed nihil producit seipsum: ergo producit aliquid à se distinctum: sed non distinctum essentialiter, cum essentia sit vna in omnibus, ergo distinctum realiter; at illud non est accidens, sed quid subsistens, ergo datur filius, qui sit persona producta subsistens. De Spiritu sancto consimiliter probatur: voluntas habens obiectum sibi præsens sub ratione infinitè amabilis, est productiua amoris infiniti sibi adæquati: sed amor ille spiratus distinguitur à spirante, non autem essentialiter, propter identitatem essentiæ, ergo realiter: at ille non est accidens, sed quid subsistens, ergo datur persona Spiritus sancti, quæ sit persona producta subsistens; ergo dantur duæ personæ productæ.

Instantia diluitur.

3 At quia fortè quis responderet personas istas non esse distinctas, nec principia illa duo, intellectum, & voluntatem posse esse principia producendi personas distinctas; ideo probatur eas esse distinctas, & principia posse producere terminos distinctos. nulla persona potest produci duab. productionib sufficientib. & totalibus distinctis: sed vnaquæque istarum productionum est sufficiens, & totalis, & distincta, ergo vnaquæque istarum est productiua sui termini ab altero distincti. prob. maior, si namq; per vnam productionem recipit filius esse suum sufficienter, & totaliter, vtique non expectabit recipere tale esse ab altera productione distincta, nam haberet sufficienter, & totaliter suum esse, etiā circumscripta illa alia productione distincta: vnde formatur ratio. nihil recipit esse actualiter per id, quo circumscripto, nihilominus sufficienter, & totaliter constituitur in suo esse, ergo productio per intellectum non pēdet à productione per voluntatem, Item sequeretur, quod idem simul haberet esse. & non haberet esse. prob. haberet per id, quo constituitur sufficienter, & totaliter, non haberet, si circumscriberetur illud aliud: quapropter, cum vnaquæque de se sit sufficiēs ratione sui termini adæquati, vt memoria penes filiûm, & voluntas penes Spiritum sanctum, & vtrumq. principium sit distinctum, quia modus vnius non est modus producendi alterius, modus enim producendi naturaliter, non est modus producendi liberè, remanet, vt nec principia, nec productiones, nec termini, siuè personę productæ sint eiusdem rationis, sed vna vocetur filius, altera Spiritus sanctus, & ita habebimus duas personas productas.

4 Altera pars probanda remanet, vnam ibi existere personam improductam. probat verò sic eam Henric.

quol.

Henrici probationes de vnica persona improducta.

quol. 6. q. 1. est vnus Deus, ergo est vnus innascibilis, & ingenitus: prob. consequ. quia idem fundamentum, quo probatur vnitas Dei, est sufficiens ad probandum esse vnum innascibilem; Confirmatur ex D. Hylar. de synod. c. 5. *Qui dicit plures innascibiles, dicit plures Deos*. Item si ibi sunt plura supposita improducta, vel erunt absoluta, vel relatiua: non absoluta, quia essentia esset diuisa in eis: nec relatiua quia distinguerentur ab inuicem mediante aliqua relatione: hæc autem vel esset relatio mutua inter personas, vel relatio producentis, & producti: non prima, quia illa supponit aliquod suppositum superius, & antecedens, at ante ingenitum non est quid tale: ergo secunda: ea autem erit relatio originis, &c.

Confutantur à Scoto

5 Non placent Scoto probationes istæ, ideoq; Scotus 1. d. 2. q. 4. respõdet, quod prima probatio deficit; non enim ratio probans Dei vnitatem, conuincit ad probandum vnicam vnius personæ innascibilitatem; nam hoc est minus notum, & illud notius: Item Philosophi cognouerũt Dei vnitatem, non tamen Patris innascibilitatem. insuper fundamentum ad probandam Dei vnitatem est infinitas; non autem possunt esse infiniti Dij, ergo vnus, qui ratione infinitatis est de se hic, & vnus, & imbibit in se omnem rationem Deitatis: Philosophus quoq; posuit plura improducta, vt materiam, Cœlum, Intelligentias igitur, nõ concederet vnicam personam innascibilem, & improductam: & notum est Philosophis non posse esse plura infinita, non autem fuit notum non posse esse plura improducta, vt concessit de cælo, materia, Intelligentijs. Itẽ innascibilitas non dicit, inquit Scot. perfectionem simpliciter, cum relationes abstrahant finito, & infinito, ergo non potest inde concludi vnitas innascibilis; prob. sequ. quia quod est perfectum simpliciter, id vnum est, & non plura, vt est vnus Deus, qui est perfectus simpliciter. Ad Hylarium verò, ait Scot. id dicere, sed non probare, vnde, qui teneret oppositum, subdit Scot. negaret in hoc authoritatem Hilarij. Ad rationem alteram, respondet, quod propositio illa, non possunt esse plura supposita absoluta in eadem natura, esset probanda, & ideo, qui poneret plures innascibiles, poneret plura absoluta: v[illegible]a quod Hypostasiuus docet personas constitui per absoluta. Denique si distinguerentur illæ plures innascibiles per relationes, non quidem distinguerentur per relationes originis producentis, & producti, cum non producerentur, sed per alias relationes disparatas.

Probationes Scoti de vnica persona improducta.

6 Reiectis ergo probationibus Henrici, probat inde Scotus ipse sic dari vnam personam improductam. Quandocunq; aliquid potest esse in plurib. de se, & non determinatur ab aliquo extrinseco ad vnum eorum, illud potest, quantum est de se, esse in infinitis: & si illud est necesse esse, vtiq; actualiter est in infinitis, quia in æternis posse non separatur ab esse: ergo si innascibile potest esse in plurib. suppositis, cum illud sit necesse esse, vtique erit in infinitis suppositis, quia non determinatur ab extrinseco ad certũ numerum eorum: sed hoc est impossibile vt sit in infinitis, ergo erit solummodo vnum. Item innascibile est de se hoc, & est necesse esse, ergo est vnũ. Insuper pluralitas non est admittenda sine necessitate: nulla necessitas cogit plures admittere innascibiles. Confirmatur, omnis pluralitas debet reduci ad vnitatem, maximè vbi illud vnum est de se hoc: vnde sicut vnus est filius, quia filius est de se hic: & Spiritus sanctus est vnicus, quia est de se hic, ita Pater est vnus ingenitus, quia est de se hic, ne demus infinitos numeros Patres, & infinitos ingenitos. Denique si plures ingeniti, ergo essentia haberet plures modos immediatè essendi in personis: quod namque essentia sit in filio, id non est ex essentia sola immediatè, sed per memoriam fæcundã: similiter non ex se immediatè in Spiritu sancto, sed per voluntatem fæcũdam, quia intellectus, & voluntas sunt principia communicandi essentiam, vtriq; at in Patre nõ est mediante productione passiua Patris, cũ non producatur, ergo est in eo sine passiua Patris productione. Item nõ sunt in diuinis nisi isti duo modi communicandi, ge-

neratione, & spiratione; igitur in Patre erit essentia mediante actiua Patris generatione, quia mediante actiua generatione constituitur Pater ex essentia, & relatione: vltra autem hos modos non reperitur modus alter cōmunicandi, nisi spiratione, & vtraque generatione: spiratione passiua, & passiua generatione habetur Spiritus sanctus, & Filius, & Pater constituitur ingenitus ex essentia, & relatione mediante actiua generatione.

7 Arguitur contra dicta, & primò: Relationes oppositæ sunt æqualis dignitatis in primo ente, ergo si relatio producentis constituit solum vnam personam, correspondebit sibi vna solummodo relatio constituens vnam solummodo personam; ergo sunt ibi duæ personæ, & non tres. Respondet Scotus, negando consequentiam, cōmittitur.n.fallacia figuræ dictionis, cōmunicando vnum prædicamentum in aliud. s. *quale in quantum*; non. n. sequitur, sunt æqualis dignitatis; ergo sunt tot, & non plures: dignitas namque pertinet ad prædicamentum qualitatis: *quot* verò, seu numerus ad Cathegoriam quantitatis: ad antecedens addimus relationes diuinas non dicere dignitatem; sed si dignitas ipsis tribuitur, in tantum ipsis tribuitur, in quantum non dicunt in dignitatem, ait Scot. non. n. dicunt perfectionem, sed abstrahunt à perfectione, & imperfectione in via Scoti: de quo suo loco: Respondetur etiam ad consequentiā, quod licet in principiatis sit pluralitas; tamen in principiante necesse est deuenire ad vnitatem; quia de ratione principij ait Scotus, est vnitas: nec est tanta distinctio in principijs, quanta in principiatis. vid. in fin.

8 Arguitur secundò, duabus relationibus productorum correspondent duæ relationes producentium, ergo si duæ relationes constituunt duas personas productas, duæ relationes constituent duas personas producentes. Respondetur, concedendo maiorem, Verbo namque genito correspondet in Patre relatio generantis: & Spiritui sancto spirato correspondet in Patre, & Filio alia relatio spiratoris: negamus tamen cōsequentiam, quia cum multiplicatione terminorum productorū stabit vnitas ex parte principij producentis: & licet in principio producente personali, & adæquato reperiatur diuersus modus producendi, tamē ipsum producens non multiplicatur ex multiplicatione, vel modorū producendi, vel principiorum partialium productiuorum, sicut productio artificialis, & naturalis distinguūtur penes principia productiua, *quibus*; attamen principia ambo reperiuntur in vna, eademq; persona singulari, sicut etiā ex multiplicatione abstractorū nō sequitur multiplicatio concretorum, nisi multiplicentur etiam & supposita, vel subiecta, vt habens plures scientias non est plures scientes.

Ex multiplicatione abstractorum nō sequetur multiplicatio concretorū

9 Arguitur tertiò, potentia finita durans in infinitum potest habere effectus infinitos, vt patet de sole secundum Arist. 2 de gener: ergo potentia infinita potest habere infinita producta simul: probatur consequens, quod Sol non possit habere simul productos infinitos effectus, id prouenit, quia est potentia finita; ergo infinitus Deus infinitæ potētiæ poterit habere simul id, quod potest successiuè habere potētia finita. Respondet primò Scotus, potentiam finitam non posse simul habere duos terminos adæquatos in produci, licet possit habere vnum in produci, & alterum in esse producto; potentia verò infinita habet terminū suum adæquatum intra se semper in produci. Responsio hæc quoad secūdam partem expostulat doctrinam alteram spectantem ad generationem Verbi æternam; vtrum penès productiones diuinas detur præteritum; vel vtrum Verbum, & Spiritus sanctus, verum sit dicere, quod semper producātur; de qua re infra suo loco, & apud Scotum in 1. d. 9. quæst. vnica. Respōdetur secundò, vim potentiæ infinitæ ad intra non consistere in eo, vt producat infinitos terminos numericè; sed vt producat terminum adæquatū productiuæ potentiæ. Verum quia vtriusque principij fœcundi productiui habentur adæquati termini, ideò non transitur vltrà, multiplicando terminos; quæ doctrina vera est de quocunque agente, siuè creato, siuè in-

Potentia vtrū habere simul possit plures terminos adæquatos.

increato, ad intrà, vel ad extra.

Non est ponenda tanta distinctio in principijs, quanta in principiatis. 10 Argues contra responsiones ad secundùm, multiplicantur producti, & productiones, ergo & producentia; multiplicantur filius genitus, & Spiritus spiratus, ergo multiplicatur Pater, ita vt alius sit Pater generans, alius spirans. *Resp.* non esse necesse ad multiplicationem, & distinctionem productorum sequi distinctionem producentis, quia non est necesse vt sit tanta distinctio, & multiplicatio in principijs, & causis, quanta in principiatis, & causatis; sol enim est vnica causa in genere suo, at producit effectus plures æquiuocè: suppositum item creatũ Patris creati est vnum, & nihilominus producit plures filios vniuocè: & Artifex est vnus, attamen per multas artes producit plura artificiata, & numero, & specie distincta: Propositio etiam maior vera est de multiplicatione principij *quo*, non est autem necesse vera sit de multiplicatione principij *quod*; nam in artifice non multiplicatur principium *quod*, cum sit vnus numero artifex, licet multiplicẽtur principia *quo*, seu *quib.* quia habet plures artes, seu plures rationes formales producendi, vt pingendi, psallendi, suẽdi, & huius generis. ita & quidem *Pater* habet multiplex principium *quo*, seu *quib.* vt potè intellectum fæcundum, & voluntatem fæcundam, quib. producit filium, & Spiritum sanctum; attamen ipse est vnus, & idẽ sub ratione principij totalis, & *quod*; quia remanet vt sit verum, quod non est ponenda tanta multiplicatio, & distinctio in principijs, quanta in principiatis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum cum vnitate essentiæ stet Trinitas, & consubstantialitas Personarum.

ARTIC. I.

Probatur assertio catholica aduersus Hereticos.

Essentiæ identitas, et personarum cõsubstantialitas ex scripturis. 1 DE fide est cum vnitate essentiæ stare distinctionẽ & Trinitatem personarũ: omnesque personas ratione vnius essentiæ esse vnum Deum constat 1. Ioan. 5. *tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres, vnum sunt*, & ibid. *Alius est, qui testimonium perhibet de me*: vnde Christus indicat distinctionem personarũ: merito autem ait, *alius*, nõ *aliud*, nam *masculinum* denotat suppositum, & *neutrum* naturam: vt ostendat solummodo stare distinctionem suppositi, non naturæ. item Ioan. 8. *Ego à Deo processi*: & ibid. *solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater*; & cap. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit, vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Spiritum veritatis*: in his verò loquutionibus ostenditur distinctio Patris Filij, & Spiritus S. quia procedere, mittere, & dare indicat productionem, & distictionẽ realem. Insuper Actor. 5. *cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto; non es mentitus hominibus, sed Deo.* Rom. 5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sãctum, qui datus est nobis.* Actor. 20. *attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos, regere Eclesiam Dei.* alia de Spiritus Sancti diuinitate in propr. tract. de

persona Spiritus Sancti.

2 Veritas catholica definita est contra hostes Trinitatis in Concil. Nic. 1. sub Syluestro Papa tempore Constantini Imperatoris. idem in Cōcil. Hierosolomit. tempore eiusdem Constant. Cōstantinopolitano 1. c. 7. Toletano 1. 6. 11. Bracar. 1. Hyspalensi 2. Florentinó, denique & nouissimè in Tridentino. Hostes sunt Cherintus negās Christi Diuinitatem teste Iren. l. 1. c. 2. Epiphan. hæres. 28. 30. contra quem, vt ait Hieron. D. Ioannes edidit Euangelium, *In principio erat Verbum* Ioan. 1. Hostes sunt hæretici Patripassiani, sic vocati, eo quod Patrem, aiebant, Incarnatum, mortuum, & passum, atque singula operatum, quæ dicitur operatus fuisse Filius, & Spiritus sanctus, itaut diuinarum personarum sit distinctio solummodo nominalis, & verbalis, non personalis: author dicitur fuisse Sabellius teste August. hæres. 41. Athan. orat. contra Greg. Sabell. idē docuit Praxeas apud Tertull. l. de præscript. cap. vlt. idem Neotiani, & quidam Montanistæ: & Paulus Samosetanus, ac Photinus apud Nicephor. l. 2. c. 27. Epiphan. hæres. 65. Priscillanus apud August. hær. 70. ac Seruetus cum Georgio Blādrāta, ac Francisco Dauidis: ad quos vltimo accessit Lutherus. qui lib. contra Lathomum, ait, animam suam odisse vocabulum *homousion*: hoc enim vocabulo exprimitur á Catholicis vnitas, & identitas essentialis, atque consubstantialitas trium personarum: & in suis biblijs ipse, & Melanchon expunxerunt verba illa de Christo, qui ab Isaia c. 9. vocatur *Deus fortis* quia eo testimonio quam maximè conuincebatur ad profitendam Christi diuinitatem. & c. 5. ep. 1. Ioann. tolli fecit Lutherus illud, *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo*: & in lytanijs Germanicis omitti fecit illud, *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis*. insuper Christum appellabat *Patris instrumentum*: & Melanchon vocabat *Patris Ministrum*, vt eo consubstantialitatem Christi cum Patre delerent, & abolerent.

Probatur ex Cōcilijs

Trinitatis hostes hæretici plures.

3 Inter cęteros Arrius Alexandrinus Trinitati infestissimus: docuit autem esse quidem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tria supposita distincta; at solum Patrem esse Deum, Filium verò esse primam Patris creaturam, & per Filium creasse Spiritum sanctum; & per Spiritum sanctum cætera creaturas. Filium verò, & Spiritū sanctum creatos fuisse vtique in tempore, ramen ante omnem creaturam: esse antem vtrumque creaturam non corporalem, sed spiritualem: Filiumq; incarnatum, & humanitati deseruisse loco Animę, itaut in Christo nō agnouerit aliam animam, præter ipsum Filium: hinc erupit illa Arianorum impia vox, *erat quando non erat*: idest, erat tempus, quando non erat Filius, quasi non fuerit ab æterno, sed creatus in tempore, & post tēpus. referūt Athan. orat. 2. 3. contra Arian. August. hæres. 49. Cyrill. Alex. lib. 5. Thes. cap. 3. de Christo Melanchon aiebat, Filium cessisse Patris iræ secundùm diuinitatem, & secūdùm eam, per omnia obediuisse: aiebat enim Filium esse aliquid diuinæ naturæ: quoquidem negabat esse simpliciter Deum. Macedonius insuper, alijque sequentes Arium, ob quod dicti Semiariani ab August. hæres. 52. & Abailardus asserebant Filiū esse vtique Patri coęternum, atq; Alij quidam, coęqualem, non tamen consubstantialem, sed esse creaturam vnà cum Spiritu sāćto ab æterno creatas, penes August. 6. Trin. c. 1, & hæres. 52. 49. Alij (ex quibus Maximinus Arianorum Episcopus) dicebant tres personas esse tres Deos: Patrem tamen esse maiorem & summum Deum; Filium verò, & Spiritum sanctum minores, & inferiores Deos, atque habere tres Deitates, & essentias: id verò ordine quodā: Patrem verò appellabant *Essentiatorem*, quasi aliarum essentiarū Authorem: Vltra hos fuere alij penes August. hæres. 74. qui *triformem* appellabant Deum, taliter, vt quædam pars eius esset Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus. Alij appellati Motangismonitæ, seu Transusantes, vt inquit August. hær. 58. quasi Filius esset in Patre veluti vas minus in maiori. Alij alia effutiere contra Trinitatis mysterium negantes vnitatem, consubstantialitatem, & identitatem essen-

Consubstātialitatis hostes Arius, & Sequaces.

Quid de Origene. essentiæ in personis. Circa Origenem nonnulli tribuunt ei errorem Arrij, vt August. hæres. 43. Epiphan. hær. 64. ac D. Thomas appellat eū fontem Arianorum 1. p. q. 34. art. 1. Alij verò ipsum liberant, vt dicant eius opera fuisse ab hæreticis corrupta, vitijsq; errorib. & hæresib. respersa, ita Ruffin. apud Socrat. lib. 6. c. 5. Picus Mirand. Apol. pro Origen. Sixt. Sen. annot. 165. Insuper Athanasius Ep. de decret. Syn. Nic. allegat Origenem tanquam aduersariū erroris Arij; tùm etiam quia Origenes ipse probat æqualitatem, eãdemque naturam Patris, Filij, Spiritus Sãcti. quidquid tamen sit, afferamus rationes ex Theologis pro vnitate essentiæ cum Trinitate personarum.

4 Inter cęteras verò hę fuȗt, prima, quæcunque natura est communicabilis pluribus, vt *quod*, prædicatione dicente, *hoc est hoc*, vt hic est homo, ille est homo: ergo diuina natura erit communicabilis pluribus suppositis, vt *quod*, itaut prædicatio sit vera, dicens, *hoc suppositum est Deus*: sed diuina natura non est communicabilis cum sui diuisione; ergo est communicabilis pluribus per identitatem numeralem, & consequenter erit vna numero in tribus: maior de se patet exemplo allato. minor prob. Natura diuina est indiuisibilis; non enim est ad instar naturæ creatæ, quæ diuiditur numeraliter in inferioribus. Item natura diuina est de sè hæc, & de sè tota: atque de sè imbibit totam rationē conceptibilem ipsius diuinæ naturæ, ergo vbicunque sit, tota erit, & non per partem, neque diuisibilis. Dices, Vniuersale diuiditur in suis inferioribus; ergo pariformiter Natura diuina. *Essentia diuina habet rationem communis, nō vniuersalis.* Resp. supponit argumentum, diuinam naturam habere rationem vniuersalis, quod quidem falsum est, quia admixtum est ipsum vniuersale suis imperfectionibus, vtpote quod sit contrahibile, in tali autem casu necesse est dare actum, & potentiam; vtpote actū, & differentiam contrahentem, & genus sub ratione potentiæ actuabilis, & perfectibilis: item est diuisibile in inferioribus, quia vnum indiuiduum creatæ naturæ vniuersalis non continet numericè totam naturam, sed diuisa remanet natura in tot numero indiuidua; igitur cùm hęc dicant imperfectionem non sunt ponenda in diuinis; quapropter inde longe abest ratio prædicabilis vniuersalis: Verum quia natura diuina est in plurib. ideo dicimus, quod in ea licet non sit ratio *vniuersalis*, inest tamen ratio alicuius *communis*; hoc autem non dicit, vt sic imperfectionem: & sub hoc conceptu communicatur, & communis est pluribus absque vlla sui diuisione, sub ratione, inquam, *Communis*, ex Scot. non autem *Vniuersalis*.

5 Secundò, perfectio simpliciter est pluribus communicabilis: sed diuina essentia est perfectio simpliciter, ergo pluribus communicabilis: maior patet, & probatur consequ. ex Ansel. monol. c. 15. *perfectio simpliciter est illa, quæ est melior ipsa, quàm non ipsa in quocunque*: sed si determinaretur ad essendum in vno tantum supposito, iā non esset melior essentia, quàm non essentia in alijs diuinis suppositis; ergo si determinaretur v. g. ad solum suppositum Patris, iam in supposito Verbi, & Spiritus sancti non esset melius habere essentiam diuinam, quàm non habere eam; ergo melius esset Filio, & Spiritui sancto non habere diuinam essentiam, & pariformiter melius esset eis non esse Deum, quàm esse Deum; ergo est in pluribus. *Perfectio simpliciter communicabilis.*

6 Tertiò, ratio suppositi, formaliter tenti in via Scoti, non dicit perfectionem simpliciter; cùm relationes abstrahant à perfectione, & imperfectione; ergo non est inconueniens, vt suppositum vnum non prædicetur de alio per idētitatem realem; igitur poterit stare distinctio, & multiplicatio suppositorum. fundatur argumentum super perfectione simpliciter, quæ id peculiare habet vt sit communicabilis pluribus: essentia est ita, relatio non est ita; ergo stabit multiplicatio, & distinctio relationum, & hypostasum, cū identitate, & vnitate diuinæ essentiæ.

7 Quartò, Anima intellectiua est vna, & eadem numero, & nihilominus reperitur eadem numero in pluribus partibus corporis realiter distinctis; reperitur etiam in ipso toto corpore; ergo si forma finita, & limitata potest *Arguitur ex perfectione rationalis Animæ.*

vna; eadéq; numero reperiri simul in pluribus, poterit amplius id præstare natura diuina, quæ est omnino illimitata, & infinita, itaut vna numero sit in pluribus distinctis suppositis. Argumentum fundatur super infinitate diuinæ essentiæ. benè verum est, quod abstrahendæ sunt à diuina natura imperfectiones illæ, quibus inuoluitur intellectiua Anima circa corpus; nam anima informat: membra corporis habent rationem partis, & huiusmodi; in diuinis cessat ratio formæ, & materiæ: nec diuinæ personæ habent rationem partis, nisi *subiectiuas*, inquit Scot. igitur demendo imperfectiones, erit vna essentia in pluribus suppositis. Confirmatur, quælibet perfectio creaturæ tribuenda est Creatori, dēptis imperfectionibus; quod anima det esse simpliciter, & absolutè, dicit perfectionē; quod verò det esse per informationē, dicit imperfectionem; igitur demendo ab essentia informationem, & tribuēdo dare esse simpliciter diuinis personis, sequitur, vt sit vna, & eadem in pluribus personis. hæc ex Scoto 1. d. 2. quæst. 4.

8 Ex Scripturis verò potissimus locus ad hoc est illud Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*. vbi Patres hinc cōtra Arianos probare intendunt *Homousion*, seu consubstantialitatem Filij cum Patre: quoniam *Vnum* neutraliter sumptum importat naturam, & substantiam: quemadmodum etiam de Spiritu Sancto canit Ecclesia, *Nūc Sancte nobis Spiritus, vnum Patri cum Filio*. specialiter autem Hieron. epist. 57. ad Damas. *Homousion* Trinitatem nominat: Chrysost. t. 3. hom. 3. de Spirit. Sanct. mentionem facit consubstātialitatis: idem habet Ephrem Syrus opusc. de sui ipsius reprehens. t. 3. Iustin. in exposit. fid. Martin. 1. in Decret. Synod. contra Theod. & Cir. Athanas. in quinq. orat. cōtra Arian. Nazianz. lib. de fide: Basil. lib. 1. de Spirit Sanct. demum August. l. 3. contra Maxent. c. 14. *Quid est*, inquit, *Homousion, nisi Ego, & Pater vnum sumus*. Eandemq; consubstantialitatem Spiritus Sancti cum Patre, & Filio probat illud quoque 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimoniū dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt*: vbi pariformiter ostenditur Spiritus Sancti consubstātialitas, vt exponunt Athan. l. 1. de Vnit. Deit. Fulgent. l. 1. contra obiectiones Arian. Tertullian. l. 4. in Marcion. Bern. serm. 1. & 2. in octau. Pasch. Hieron. Bol. in ep. Cathol. August. l. 3. contra Maximin. c. 22. Innoc. 5. in c. *damnamus* de Summ. Trinit. & Fid. Cathol. & Ioann. 2. Pap. epist. ad Valer.

9 Effugium afferunt Hæretici, illud, *Hi tres vnum sunt*, à nullo alio Doctore legi, præterquam à Hieronymo; at apertè falluntur, dum præter eum, Patres omnes inde colligunt consubstantialitatem personarum, seu vnitatem essentiæ

ARTIC. II.

Soluuntur obiectiones Theologicæ in contrarium.

1 ARguitur contra dicta. *Quæ sunt vni tertio, sunt eadem inter se*: sed personæ sunt eędem in diuina essentia, ergo sunt idem inter se, ergo non distinguuntur realiter. Respōdent Suar. & Vasq. axioma illud esse vnum in rebus creatis, non autem in Deo, qui propter suam illimitationē hoc peculiare habet, vt personæ sint quidem idem essentiæ, sed nō inter se. verum responsio hæc possit cohærere in diuinis, & possit cohærere cum doctrina Scoti; de secūdo dicam postea; de primo autem dicendum, verificari etiam posse in diuinis, ac propterea Theologi communiter eam applicāt ad diuina, vt Scotus 1. d. 2. q. 4. ad 1. D. Tho. 1. d. 33. art. 1 ad 1. & 1. p. q. 28. ad 3. & communiter eorum discipuli; quapropter nō est recedendum à cōmuni sensu Theologorum priscorum.

2 Qualis verò sit sensus proportionis, in primis is erit, quæcunq; sunt eadem, nempe quæcunque sunt *aliqua identitate idem cum vno tertio, tali illa identitate sunt eadem inter se*: applican-

Quæcunq; sūt eadem inter se sūt eadem vni tertio: declaratur primo.

do

do autem, dicimus: at personę sunt *aliqua identitate*, idem cum essentia, nempe identitate essentiali, ergo tali identitate essentiali sunt eadem inter se. & hic est primus sensus, communis Scoto, & D. Thomæ. Explicatione insuper maiori indiget responsio ista; itaut, non intelligatur propositio de omni in vniuersum identitate in vno tertio, sed de identitate sumpta inadęquatè, ac propterea dixi, quæcunque *aliqua identitate*, non autem, quæcunq; *omni identitate*; sed quæcunque *aliqua singulari identitate* sunt eadem in tertio: & meritò, quoniam personæ cum essentia plurimis identitatib. sunt eædem, vtpote identitate essentiali, reali, & secundùm alios formali: non autem sequitur vt inter se ipsas sint idem omni ista identitate, quia secũdum fidem personæ nõ sunt idem inter se realiter personaliter: & secũdùm Scotum nec sunt idem formaliter cum essentia: verum quia secundùm fidem sunt inter se idem essentialiter, ideo currit axioma, quod non secundùm omnem gradum identitatis sunt inter se idem, sed secundùm aliquam identitatem inadęquatè, nempe, secundùm identitatem naturæ essentialem: in forma ergò respondendo dicimus, quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: verum de identitate inadæquata, ac compossibili: non autem de omni idẽtitate, quia non omnis identitatis in vno tertio est compossibilis inter personas; nã idẽtitas essentialis earum in essentia est inter eas cõpossibilis: idẽtitas verò ipsarum, quæ cũ essentia est realis, & secundùm alios, formalis, nõ est compossibilis inter personas, quia distinguuntur personæ, & formaliter, & realiter suppositaliter. igitur vera est secundùm aliquem modum identitatis, non autem secundùm omne genus identitatis. Dices, personæ sunt realiter idem cum essentia, ergo realiter idem inter se. Resp. vltra dicta, distinguendum est ly *realiter*; nam distinguitur in realiter essentialiter, & in realiter personaliter: primo modo verum, secundo falsum. Similiter dices, personæ sunt formaliter idem cum essentia, ergo formaliter idem inter se: antecedens negaret Scotista: sed pro Thomista id concedente respondendum est, quod ly *formaliter* vel prouenit à forma, vel à formalitate: forma idem est, ac quidditas rei: essentia diuina non habet rationem veræ formæ, quia non informat; nihilominus abstractis imperfectionibus sumẽdo formam pro quidditate rei, siuè pro eo, quod dat esse simpliciter, sic habet sine imperfectione, rationẽ formæ, quia dat esse suppositis constantibus ex relatione, & essentia: sumendo ergo formam, vt sic, concedo quod sunt idem cum essentia, & inter se, quia sensus est, quod eadem diuina quidditas est in personis, & personæ sunt essentialiter Deus: sumendo formam à formalitate, seu cõceptibilitate, non sunt idẽ, distinguuntur enim ratione ad mentem eorum.

3 Respondetur aliter ad prędictũ axioma, glossando illud, vt verum sit quandocunq; illud tertium est *hoc aliquid, non qualequid*: at in proposito essentia est *qualequid*, licet sit etiam singulare commune; hinc soluitur sic hoc sophysma: hic Deus est Pater: sed Filius est hic Deus; ergo Filius est Pater. Respondetur enim committi fallaciam figuræ dictionis, commutando *hoc aliquid in qualequid*: & committi fallaciam accidentis, & consequentis; nam in maiori ly *Deus* est *hoc aliquid*, supponendo pro Patre: in maiori est *qualequid*, supponendo pro Essentia, vnde committitur fallacia, & non sequitur intentum. *Declaratur secũdò.*

4 Respondetur insuper aliter glossando, verum esse axioma, quandocũque illud tertium non est quid illimitatum, sed quando est limitatum: exẽplum sit, Abraham fuit in instãti æternitatis; ego sum in instanti æternitatis: igitur ego, & Abrahã sumus simul. Itẽ Abrahã fuit sub cælo vt ego, igitur sumus simul; negatur vtrumq; conseq. quia æternitas habet rationem illimitati; ita diuina essentia est simpliciter infinita, & sine limitatione illimitata; vnde non sequitur, vt quæ sunt eadem cum essentia, sint eadem inter se, prout non sequitur, Abraham, & ego sumus simul sub eodem cælo. ergo simul inter nos; cum illud tertium habeat rationẽ cõmunis penes vtrumq; hæc *Declaratur tertio.*

est doctrina Scoti, & Scoti[...]arum, quam etiam [...]epetit in mat. de [...]ngelis. sicut, ego sum cum Deo, Petrus est cum Deo, quia præsentes Deo, igitur ego Neapolis sum simul cum Paulo Romæ.

Declaratur quarto contra Fauentin. & Smysing.

5 Hinc ad sec[...]ndam partem eius, quod aiebat Suar. & Vasq axioma esse verum in creaturis, quia finitæ sūt, non autem in Deo ratione infini[...]tis, & illimitationis; doctrinam hanc, veluti excerptam è Scoto, nequaquam dissidere à Scoto, constat exemplo adducto: sicut con[...]at etiam ex vltima glosa de qualeq[...] id, & hoc aliquid, quam tradit idem Scotus: vnde veluti Scoto conformem immeritò impugnant eam Fauentin. 1. disp. 19. c. 4. & Smysing de Trin. d. 1. q. 3. nu 54. licet, vt dixi, discrepent ab eodem Scoto ijdem Suar. & Vasq. in eo, quod aiunt non posse habere locum in diuinis; nā reddendo singula singulis, etiam applicata æquè benè remanet ad diuina: prout cum D. Thom. Scot. Bonau. cæteriq; in vniuersum aplicant Theologi ad diuina.

Accidens commune, & pro extraneo.

6 Arguitur item principaliter, quidquid est in aliquo, vel est illi essentiale, vel accidentale: ergo quidquid est in Deo, vel est essentiale, vel accidentale: ergo relatio personarum, vel est accidentale, vel essentiale: sed non est accidentale, cum non sit accidens in diuinis, ergo essentiale: sed multiplicato essentiali, multiplicatur quoq; essentia rei, ergo ad multiplicationem personarū multiplicatur diuina essentia. Resp sumpto accidentali ab accidente, quod est vnum de prædicabilibus Porph yrij, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, non est accidens in diuinis: sumpto accidentali ab accidente pro extraneo, vt loquitur Scot. vtique relationes non sunt essentiale essentiæ, quia non sunt de quidditate essentię, vt sup. probatum fuit: & hoc modo sunt quid accidentale, quatenus non sunt essentiæ essentiale: licet essentialiter, realiter, & identicè sint idem cum ipsa essentia: vnde ad arg. respondetur quod nō multiplicatur essentiale. Dices, nō datur medium inter essentiale, & accidentale, ergo relatio erit alterutrum

Inter essentiale, & accidentale, an detur medium.

istorum. Resp. inter essentiale, & accidens commune Porphyrij datur medium, quod est accidens proprium, idē realiter cum subiecto, sed extranea. tū à quidditate subiecti, quia nec de essentia est subiecti, sed distinctum formaliter à subiecto, vt risibilitas, & omnis propria passio subiecti: est quoq; exemplum de differentia, quę adueniēs generi, & constituens speciē, vt rationale, non est essentiale, nec sic accidētale eidem generi. Docet quoque August. 5. de Trin. c. 6. & sequ. *relationes non prædicari de Deo secundum substantiam, neque secundum accidens, sed vt ad aliquid.*

7 Arguitur, nihil est ponendum in Deo, quo circumscripto, nulla perfectio auferretur à Deo: aut deletis personis, nulla perfectio deesset Deo, ergo non est necessaria trinitas personarum. prob min. nam si vna sola persona ibi esset, vtiq, esset perfectissima; non enim vna mendicat perfectionē ab alia: immo quidquid est in vna persona, totum illud perfectionis est in alia. Resp. maior est vera, vbi illud tale est possibile auferri, & circu[...]scribi: at impossibile est personam aliquā deficere in diuinis ratio, non quia relatio sit de quidditate essentiæ, vt est dictum, sed quia relationes, & personæ sunt idem cum essentia & sunt prorsus idem numero Deus Deus autem est ens necesse esse, ergo necesse omnino est, vt sint ibi personæ, alias rueret Trinitas, destrueretur tantum mysterium.

8 Arguitur, si sunt tres personæ, ergo sunt tria necesse esse, quod est impossibile: prob. consequ. & sequ. quæro enim quibusnam personæ illæ distinguerentur, vel namq; differentiæ, quib. distinguerentur, essent necesse esse, vel non: si primum, ergo per aliquod necesse esse conuenirent, & per aliquod necesse esse differrent: illud esset essentia, hoc relatio: at hoc videtur impossibile, quia sequeretur Deum habere esse per duas causas, vel totales, & hoc non, quia vnus effectus nō potest produci à duab. causis sufficientib. totalibus; vel partiales, & nec hoc, quoniā cum Deus sit simplex, non habet partes, ex quib. componatur, igitur relinquitur.

Necesse esse verum multiplicetur in diuinis.

quitur,

quitur, vt differentiæ, siuè relationes non sint necesse esse; ex hoc autem sequitur neque personas esse necesse esse, & consequenter non esse admittendas personas in diuinis. Resp. proprietates, seù relationes esse necesse esse: cum arguis, ergo conuenirent, & differrent per idem, negatur, immo conueniunt per vnum, vt per essentiam, & differunt per relationem: cum ais id non posse esse, negatur, potest namque vtramq; esse necesse esse, sicut de facto est: Cum subdis, esse plura necesse esse, resp. vnum est necesse esse essētiale, radicale, fundamentale, quod est essentia, & ipse Deus; cæterum quid implicat multiplicari formaliter, quatenus distinguuntur formaliter proprietates illæ à diuina essentia: sicut multiplicantur attributa, & modi intrinseci, at omnia sunt necesse esse: & nihilominus omnia sunt vnum essentialiter necesse esse, quia sunt idē realiter, & essentialiter cum essentia licet plurificentur quatenus distincta formaliter.

Necesse esse an plura

ARTIC. III.

Soluuntur obiecta Hæreticorum de *Homousion*.

1 ADuersus vocem *homousion*, quod ex dictis, consubstantialitatem Filij cum Patre significat, arguitur, si quidem vox ista veluti noua fuit à Concil. Ariminens. refutata, itemque a Concil. Syrmiensi, vt narrat Athan. epist. de synod. Arim. & Seleu. atque August. l. 3. contra Maxim. c. 14 Insuper Constantinus Imp. ep. ad Alex. & Arr. dixit inutilem esse de voce hac quæstionem, *quam neque requirere*, inquit, *dignum est, neque de talib. respondere quærentib.* Patribus quoq; Concil. Antioch. displicuit, teste Hylar. l. de syn. sicut etiam & Hosio penes eund. Hylar. hinc rursus exosa est hæreticis, tum Arrianis, tum Assellis negantib. consubstantialitatem; Semiarriani tamen abijcientes *homousion*, admiserunt *homoiusion*, idest similitudinem, ita vt negantes filium esse Patri consubstantialem, admittebant tamen esse ei similem. Item vox illa non reperitur in Scriptura, non est ergo admittenda, &c.

Homousiō exosū Hæreticis.

2 Verum differentia est inter tria hæc, *synousion*, *homousion*, *& homoiusiō*, tum ex Athan: tum Hylar. primum ita significat identitatem essentiæ, vt excludat distinctionem personarum. tertium negat identitatem essentiæ, sed admittit similitudinem personarum: at secundum apponit identitatem essentiæ, & distinctionem personarum. primum concedunt Sabelliani: tertiū Semiarriani, & secūdum amplectimur nos Catholici: quia ergo vox ista vtrumq; denotat, ideo ea voce vtitur Ecclesia, & ipsa est tenenda, & amplexanda, ita Patres, ita Theologi communiter.

Homousiō, Synousion, Homoiusion differunt.

3 Circa nouitatem vocis, quin potius antiquitatem, ait Amb. c. 7. l. 3. de fid. non à Catholicis, immo ab Arrianis fuisse inuentam: per eam enim exprobabant Arriani Catholicis, quod si filium Dei dicimus Christum, vtique *homousion* dicimus, ita refert Ambr. dixisse Euseb. Nicomed. Arrianum, aiebat namque, *si verum Dei filium, & increatum dicimus, homousion cū Patre incipimus confiteri. hæc autē cū lecta esset in Concilio Nisseno, hoc verbū Patres Concilij in tractatu fidei posuerunt; quod viderent aduersariis esse formidini, vt tanquam euaginato ab ipsis gladio, ipsum nefandæ caput hæresis amputarent.* igitur hinc deducitur non esse nouam, sed ab ijsdem hæreticis antiquitus etiam vsurpatam, licet ironicè, & distorto sensu contrario Catholicis: vel antiquiorem esse vsum talis vocis ipsismet Arrianis colligitur ex Theod. l. 1. histo. c. 12. 13. & Ambr. sup.

Homousio antiquitas.

4 Item ante Conc. Nyce. scripserunt aliqui Patres, qui consubstantialitatem docebant, etenim Clemens Rom. ep. 1. ad Iacob. fratrem Domini de filio loquens ait, *In omnibus Patri similis, eiusdem naturæ*: & Iacobus Frater Domini in liturg in init. de Spiritu sancto loquens, inquit, *consubstantialē Spiritum*. & rursus loquendo de filio, appellat eum *consubstantialem Patri, & Spiritui sancto*. Origenes Dial. de recta

in

in Deũ fide contra Marcion. appellat filium, *Deum Verbum consubstantialem*, idemq; præstat Tertullian. l. 4. contra Marcion. expendens enim illud, *vnum sumus*, ad substantiæ refert identitatẽ. Item ante Concil. Nicæn. edita fuit alia synodus, cuius acta fuerunt inde quoq; stabilita in Concil. Nic. agebatur autem ibi de consubstantialitate, vt scribit Iulius Pap. Epist 4. ad Oriẽt. Insuper ante Nicænum oncil. prædicabat Alexander filium esse Patri cõsubstantialem, quod tunc temporis viuens Arius negabat, ob quod idem Alexander Arium eiecit ab Ecclesia, vt videre est apud Athan. orat. 1. contra Arian. Demum hinc constare potest antiquitas, & talis vocis exortus ante Nicæn. Concil. quod in fragmento Nicæni Concilij, quod ponitur in lib. 2. Concilij ante subscriptiones ita habetur, *Visum est omnibus nostris cõsubstantiale in Ecclesia definire oportere; ad eum modum, quo & post Apostolos sancti Patres nostri fidem hanc tradiderant, hoc est, confiteri filium, & Spiritum sanctum eiusdem substantia cum Patre*. fatetur ergo Concilium definisse, & Patres illos confessos fuisse consubstãtialitatem, non quidem à Nicæno Conc inuentam, sed à sanctis Patribus eorum prædecessoribus post Apostolos descendentib. Dato autem quod à Concilio vox ista fuerit adinuenta, nõ per hoc existimandum erit vocem hanc fuisse nouã simpliciter, & quoad substantiam, etenim est veritas æterna, Trinitatis personas esse inuicem consubstantiales: sed noua visa fuit, quia non ita vniuersaliter, explicitè, & clarè mysterium hoc consubstantialitatis erat vsque tunc explicatum, donec explicaretur magis inde, prout factum fuit in Concilijs, &c. Quod si obstaueris ex Paul. 1 Timot. 6. *depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates*, loquitur Paulus de nouitatibus repugnantibus catholicæ fidei: hæc autem vox illustrat quam maximè, & corroborat nostram fidem: loquitur quoq; de vocibus prophanis, hæ namque longè esse debent ab explicandis mysterijs fidei, ne misceamus sacra prophanis. at vox hæc sancta est, non profana.

5 Ad Patres Concil. Antioch. dicendum, aliter sentire, etenim negabant *homousion* ad sensum Pauli Samosetani: qui eatenus filium dicebat *homousion*, quatenus vnicam habebat cum Patre naturam, non quidem numero, sed specie, quemadmodum appellatione hominis omnes homines sunt vnus homo, specie, non numero. Patres verò Concilij *homousion* admittebant alio sensu, quatenus identitate numerica Pater, & filius sunt idẽ Deus, sicut etiam vnum esse filium cũ Patre asserebat Samosetanus per gratiam, non per naturam, sitque Deus per participationem, referente Hylar. & Athan sup. *Sensus Patrum Concil. Anthio.*

6 De Concil. Arimin. & Syrmiẽs. non fuere legitima: fauebant enim hæresi arrianæ: & prout illegitima respuuntur. De Constantino, id egit vt pacem componeret litesque Catholicorum interimeret: vel ita sensit, tanquam non benè instructus, quousque catholica veritas sibi patefacta inde fuisset ex definitione Concilij, vnde Epistolas scripsit ad Orthodoxos aduersus Arrium, de quib. lib. 4. Conc. Nic. col 4. &c. *De Concil. Arian.* *De Constãtino.*

7 Dices, liberius subscripsit formulæ fidei editæ in syn. Syrmiens. teste Sozomen. l. 4. c 14. quod itidẽ egit Osius penes eund. sed resp. non spontè id egisse, sed exilio, ærumnisque cõfectos à Constantio, & ad id fieri coactos, penes Athan. ep. ad solit, quod ita fuisse inde constat, quia liberius constãter aduersus Arrianos postmodum dimicauit, & damnauit formulam fidei Synodi Ariminensis: cum etiam quia liberius se subscripsit solummodo illi formulæ, in qua filius esse similis dicebatur: quæ res, potest etiam in catholicum sensum trahi; etenim filius est Patri correlatiuus, nedum ratione æqualitatis, verum etiam, & similitudinis, vt docent Theologi; ipseque liberius anathema dixit fidei prius editæ Arimini, vt ipsemet scribit epist. 11. ad Orient. licet hæretici similitudinem in alium sensum traxerint negando consubstantialitatem. de Osio vero, cum facti pœnitens, tandem quieuit. *De Liberio, & Osio*

8 Ad id, quod non reperitur in

Scri-

Scriptura, respondet Cyrill. 1. de Trin. & Ambros. l. 3. de fid. c. facilè posse è Scriptura deduci, vt nituntur facere. Respondetur secundò, licet vox non contineretur expressè in Scriptura, sufficeret tamen factum ipsum, seu rē ipsam contineri; & quidem dum *homousion* significat consubstantialitatem, quæ duo indicat, vnitatem essentiæ, & distinctionem personarum, vtique id reperitur in Scriptura, testāte eodem filio, *Ego & Pater vnum sumus*, personæ distinctionem indicat, *vt ego, & Pater*: articulus autem *neutrum* substantiam demonstrat, *vnum sumus*, vt Augustinus respondet tract. 97. in Ioann. de quo plura suo loco.

9 Arguunt insuper aduersus consubstantialitatem Spiritus sancti, eatenus Scriptura ait Patrem, Verbum, & Spiritum sanctum esse vnum, quatenus vnū etiam sunt Spiritus, aqua, & sanguis; ait namq; Ioannes *tres sūt qui testimonium dāt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnū sunt*: inde verò subdit, *tres sunt qui testimoniū dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua, hi tres vnum sunt*; hinc tamen arguitur, tali vnitate sunt vnum Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, quali vnum sunt spiritus, sanguis, & aqua: sed hæc tria non sunt vnum in substantia, cùm spiritus, aqua, & sanguis valde diuersa sint, ergo nec erūt vnum in substantia, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.

Vnitas personarū diuersa ab vnitate spiritus, sanguinis, & aqua.

10 Respōdent Aliqui, quod quādo est sermo de spiritu, aqua, & sanguine, non semper in omnibus latinis codicibus reperitur, *Hi tres vnum sunt*, aiunt namque in aliquib. latinis editionibus deesse verba hæc. ita penes Ruiz. de Trinit. disp. 20. sect. 7. Verum quia tum Vulgata, tum Græci Codices vtrobique habent, *hi tres vnum sunt*, tum de Personis, tum de Spiritu, sanguine, & aqua, ideo aliter est respondendum. Respōsio verò elicitur ex August. cuius sensus est, quod Vnitas nempe essentialis, in Personis reperitur formaliter, in sanguine verò, spiritu, & aqua reperitur significatiuè, seu similitudinariè. verba eius sūt, *Hæc Sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia: si ergo illa, quæ his significantur, intelliguntur, ipsa inueniuntur vnius esse substantia.*

11 Sed stante, quod Vnitas non se teneat ex parte sanguinis, spiritus, & aquæ, quare ergo dicitur de eis, *quod vnum sunt*, Respondetur esse unum unitate testificationis, quatenus tria hæc conspirant in unum testimonium: dicitur namque de eis, quod *testimonium dant in terra* uerum quia non dissona sunt, sed conformia in testificando, ideo unum sunt, utpote conspirantia in testimonium unū.

Spiritus, sanguis, & aqua quomodo vnū.

12 Pariformiter obstant de consubstantialitate Filij, etenim Ioan. 10. dicebatur, *Ego, & Pater vnum sumus*: at unitas ista non esse consubstantialis, probāt, quia Ioan: 17. Christus Patrem rogans inquit, *Pater serua eos, vt sint vnum, sicut & nos*. sed fideles nō sunt vnum in substantia, nec inter se, nec cum Christo, & Patre, ergo nec Christus, & Pater vnum in substantia sunt. vnde concludunt Hæretici Filium, & Patrem esse vnum solummodo in animorum consensu, & concordia voluntatum.

13 Sed respondetur in primis eos esse stolidiores, & duriores perfidis Iudæis; nam Iudæi dixerunt Domino, *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu cùm homo sis, facis teipsum Deum*. vnde Iudæi iam percipiebant sensum verborum Christi dicentis se esse Filium Dei, Ariani autem nolunt talem sensum elicere ex Christo dicēte, *Ego, & Pater vnum sumus*: & Iudæi verba Christi de propria diuinitate intelligebant, vt sonabant, nec de tali intelligentia correxit eos tunc ipse Christus: at Hæretici verba Christi de diuinitatis consubstantialitate cum Patre in alienum sensum retorquent, vtpotè in animorum concordiam, & voluntatum.

14 Ad instantiam verò de vnitate fidelium, quæ non est consubstantialis, non vtiq; vnitatem consubstātialitatis intendebat impetrare à patre Christus ipsis fidelibus: sed vnitatem amoris, & charitatis, ita Lyran. & Glos. odinaria ad eum locum Ioannis. Cū verò infers, tali vnitate sunt vnū

Fideles quanā vnitate sunt vnum.

Pater

in Deū fide contra Marcion. appellat filium, *Deum Verbum consubstantialem*, idemq; præstat Tertullian. l. 4. contra Marcion. expendens enim illud, *vnum sumus*, ad substantiæ refert identitatē. Item ante Concil. Nicæn. edita fuit alia synodus, cuius acta fuerunt inde quoq; stabilita in Concil. Nic. agebatur autem ibi de consubstantialitate, vt scribit Iulius Pap. Epist. 4. ad Oriēt. Insuper ante Nicænum Concil. prædicabat Alexander filium esse Patri cō substantialem, quod tunc temporis viuens Arius negabat, ob quod idem Alexander Arium eiecit ab Ecclesia, vt videre est apud Athan. orat. 1. contra Arian. Demum hinc constare potest antiquitas, & talis vocis exortus ante Nicæn. Concil. quod in fragmento Nicæni Concilij, quod ponitur in lib. 2. Concilij ante subscriptiones ita habetur, *Visum est omnibus nostris cōsubstantiale in Ecclesia definire oportere; ad eum modum, quo & post Apostolos sancti Patres nostri fidem hanc tradiderant, hoc est, confiteri filium, & Spiritum sanctum eiusdem substantia cum Patre*. fatetur ergo Concilium definisse, & Patres illos confessos fuisse consubstantialitatem, non quidem à Nicæno Conc. inuentam, sed à sanctis Patribus eorum prædecessoribus post Apostolos descendentib. Dato autem quod à Concilio vox ista fuerit adinuenta, nō per hoc existimandum erit vocem hanc fuisse nouā simpliciter, & quoad substantiam, etenim est veritas æterna, Trinitatis personas esse inuicem consubstantiales: sed noua visa fuit, quia non ita vniuersaliter, explicitè, & clarè mysterium hoc consubstantialitatis erat vsque tunc explicatum, donec explicaretur magis inde, prout factum fuit in Concilijs, &c. Quod si obstaueris ex Paul. 1 Timot. 6. *depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates*, loquitur Paulus de nouitatibus repugnantibus catholicæ fidei: hæc autem vox illustrat quam maximè, & corroborat nostram fidem: loquitur quoq; de vocibus prophanis, hæ namque longè esse debent ab explicandis mysterijs fidei, ne misceamus sacra prophanis. at vox hæc sancta est, non profana.

Sensus Patrum Concil. Anthio.

5 Ad Patres Concil. Antioch. dicendum, aliter sentire, etenim negabant *homo. sion* ad sensum Pauli Samosetani: qui eatenus filium dicebat *homousion*, quatenus vnicam habebat cum Patre naturam, non quidem numero, sed specie, quemadmodum appellatione hominis omnes homines sunt vnus homo, specie, non numero. Patres verò Concilij *homousion* admittebant alio sensu, quatenus identitate numerica Pater, & filius sunt idē Deus, sicut etiam vnum esse filium cū Patre asserebat Samosetanus per gratiam, non per naturam, sicque Deus per participationem, referente Hylar. & Athan sup.

De Concil. Arian.

De Constātino.

6 De Concil. Arimin. & Syrmiēs. non fuere legitima: fauebant enim hæresi arrianæ: & prout illegitima respuuntur. De Constantino, id egit vt pacem componeret litesque Catholicorum interimeret: vel ita sensit tanquam non benè instructus, quousque catholica veritas sibi patefacta inde fuisset ex definitione Concilij, vnde Epistolas scripsit ad Orthodoxos aduersus Arrium, de quib. lib. 4. Conc. Nic. col 4. &c.

De Liberio, & Osio

7 Dices, liberius subscripsit formulæ fidei editæ in syn. Syrmiens. teste Sozomen. l. 4. c. 14. quod itidē egit Osius penes eund. sed i esp. non spontè id egisse, sed exilio, ærumnisque cōfectos à Constantio, & ad id fieri coactos, penes Athan. ep. ad solit; quod ita fuisse inde constat, quia liberius constāter aduer.us Arrianos postmodum dimicauit, & damnauit formulam fidei Synodi Ariminensis: tum etiam quia liberius se subscripsit solummodo illi formulæ, in qua filius esse similis dicebatur: quæ res, potest etiam in catholicum sensum trahi; etenim filius est Patri correlatiuus, nedum ratione æqualitatis, verum etiam, & similitudinis, vt docent Theologi; ipseque liberius anathema dixit fidei prius editæ Arimini, vt ipsemet scribit epist. 1 r. ad Orient. licet hæretici similitudinem in alium sensum traxerint negando consubstantialitatem. de Osio verò, iam facti pænitens, tandem quieuit.

8 Ad id, quod non reperitur in Scri-

Scriptura, respondet Cyrill. 1. de Trin. & Ambros. l. 3. de fid. c. facilè posse è Scriptura deduci, vt nituntur facere. Respondetur secundo, licet vox non contineretur expressè in Scriptura, sufficeret tamen factum ipsum, seu rē ipsam contineri; & quidem dum *homousion* significat consubstantialitatem, quæ duo indicat, vnitatem essentiæ, & distinctionem personarum, vtrique id reperitur in Scriptura, testāte eodem filio, *Ego & Pater vnum sumus*, personæ distinctionem indicat, *vt ego, & Pater*: articulus autem *neutrum* substantiam demonstrat, *vnum sumus*, vt Augustinus respondet tract. 97. in Ioann. de quo plura suo loco.

9 Arguunt insuper aduersus consubstantialitatem Spiritus sancti, eatenus Scriptura ait Patrem, Verbum, & Spiritum sanctum esse vnum, quatenus vnū etiam sunt Spiritus, aqua, & sanguis; ait namq; Ioannes *tres sūt qui testimonium dāt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnū sunt*. inde verò subdit, *tres sunt qui testimoniū daut in terra, spiritus, sanguis, & aqua, hi tres vnum sunt*; hinc tamen arguitur, tali vnitate sunt vnum Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, quali vnum sunt spiritus, sanguis, & aqua: sed hæc tria non sunt vnum in substantia, cùm spiritus, aqua, & sanguis valde diuersa sint, ergo nec erūt vnum in substantia, Pater, Verbum, & Spiritus santus.

Vnitas personarū diuersa ab vnitate spiritus, sanguinis, & aqua.

10 Respōdent Aliqui, quod quādo est sermo de spiritu, aqua, & sanguine, non semper in omnibus latinis codicibus reperitur, *Hi tres vnum sunt*, aiunt namque in aliquib. latinis editionibus deesse verba hæc. ita penes Ruiz. de Trinit. disp. 20. sect. 7. Verum quia tum Vulgata, tum Græci Codices vtrobique habent, *hi tres vnum sunt*, tum de Personis, tum de Spiritu, sanguine, & aqua, ideo aliter est respondendum. Respōsio verò elicitur ex August. cuius sensus est, quod Vnitas nempe essentialis, in Personis reperitur formaliter, in sanguine verò, spiritu, & aqua reperitur significatiuè, seu similitudinariè. uerba eius sūt, *Hæc Sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia: si ergo illa, quæ his significantur, intelliguntur, ipsa inueniuntur vnius esse substantiæ.*

11 Sed stante, quod Vnitas non se teneat ex parte sanguinis, spiritus, & aquæ, quare ergo dicitur de eis, *quod vnum sunt*, Respondetur esse unum unitate testificationis, quatenus tria hæc conspirant in unum testimonium: dicitur namque de eis, quod *testimonium daut in terra* uerum quia non dissona sunt, sed conformia in testificando, ideo unum sunt, utpote conspirantia in testimonium unū.

Spiritus, sanguis, & aqua quomodo vnū.

12 Pariformiter obstant de consubstantialitate Filij, etenim Ioan. 10. dicebatur, *Ego, & Pater vnum sumus*; at unitas ista non est consubstantialis, probāt, quia Ioan: 17. Christus Patrem rogans inquit, *Pater serua eos, vt sint vnum, sicut & nos* sed fideles nō sunt vnum in substantia, nec inter se, nec cum Christo, & Patre, ergo nec Christus, & Pater vnum in substantia sunt. vnde concludunt Hæretici Filium, & Patrem esse vnum solummodo in animorum consensu, & concordia voluntatum.

13 Sed respondetur in primis eos esse stolidiores, & duriores perfidis Iudæis; nam Iudæi dixerunt Domino, *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu cùm homo sis, facis teipsum Deum*. vnde Iudæi iam percipiebant sensum verborum Christi dicentis se esse Filium Dei, Ariani autem nolunt talem sensum elicere ex Christo dicēte, *Ego, & Pater vnum sumus*: & Iudæi verba Christi de propria diuinitate intelligebant, vt sonabant, nec de tali intelligentia correxit eos tunc ipse Christus: at Hæretici verba Christi de diuinitatis consubstantialitate cum Patre in alienum sensum retorquent, vtpotè in animorum concordiam, & voluntatum.

14 Ad instantiam verò de vnitate fidelium, quæ non est consubstantialis, non vtiq; vnitatem consubstātialitatis intendebat impetrare à patre Christus ipsis fidelibus: sed vnitatem amoris, & charitatis, ita Lyran. & Glos. odinaria ad eum locum Ioannis. Cū verò infers, tali vnitate sunt vnū Pater

Fideles quanā vnitate sunt vnum.

est doctrina Scoti, & Scoti[...]arum, quam etiam epetit in mat. de · nge-lis. sicut, ego sum cum Deo, Petrus est cum Deo, quia præsentes Deo, igitur ego Neapolis sum simul cum Paulo Romæ.

Declaratur quarto contra Fauentin. & Smysing.

5 Hinc ad sec[...]ndam partem eius, quod aiebat Suar. & Vasq. axioma esse verum in creaturis, quia finitæ sũt, non autem in Deo ratione infini[...]tis, & illimitationis; doctrinam hanc, veluti excerptam è Scoto, nequaquam dissidere à Scoto, constat exemplo adducto: sicut const[...]at etiam ex vltima glosa de qualeq[...]id, & hoc aliquid, quam tradit idem Scotus: vnde veluti Scoto conformem immeritò impugnant eam Fauentin. 1. disp. 19. c. 4. & Smysing de Trin. d. 1. q. 3. nu 54. licet, vt dixi, discrepent ab eodem Scoto ijdem Suar. & Vasq. in eo, quod aiunt non posse habere locum in diuinis; nã reddendo singula singulis, etiam applicata æquè benè remanet ad diuina: prout cum D. Thom. Scot. Bonau. cæteriq; in vniuersum aplicant Theologi ad diuina.

Accidens commune, & pro extraneo.

6 Arguitur item principaliter, quidquid est in aliquo, vel est illi essentiale, vel accidentale: ergo quidquid est in Deo, vel est essentiale, vel accidentale: ergo relatio personarum, vel est accidentale, vel essentiale: sed non est accidentale, cum non sit accide[...]s in diuinis, ergo essentiale: sed multiplicato essentiali, multiplicatur quoq; essentia rei, ergo ad multiplicationem personarũ multiplicatur diuina essentia. Resp. sumpto accidentali ab accidente, quod est vnum de prædicabilibus Porphyrij, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, non est accidens in diuinis: sumpto accidentali ab accidente pro extraneo, vt loquitur Scot. vtique relationes non sunt essentiale essentiæ, quia non fu[...]t de quidditate essentiæ, vt sup. probatum fuit: & hoc modo sunt quid accidentale, quatenus non sunt essentiæ essentiale: licet essentialiter, realiter, & identicè sint idem cum ipsa essentia: vnde ad arg. respondetur quod nõ multiplicatur essentiale. Dices, nõ datur medium inter essentiale, & accidentale; ergo relatio erit alterutrum, istorum.

Inter essentiale, & accidentale, an detur medium.

Resp. inter essentiale, & accidens commune Porphyrij datur medium, quod est accidens proprium, idẽ realiter cum subiecto, sed extranea. tũ à quidditate subiecti, quia nec de essentia est subiecti, sed distinctum formaliter à subiecto, vt risibilitas, & omnis propria passio subiecti: est quoq; exemplum de differentia, quę adueniẽs generi, & constituens speciẽ, vt rationale, non est essentiale, nec sic accidẽtale eidem generi. Docet quoque August. 5. de Trin. c. 6. & sequ. *relationes non prædicari de Deo secundum substantiam, neque secundum accidens, sed vt ad aliquid*.

7 Arguitur, nihil est ponendum in Deo, quo circumscripto, nulla perfectio auferretur à Deo: aut deletis personis, nulla perfectio deesset Deo, ergo non est necessaria trinitas personarum. prob min. nam si vna sola persona ibi esset, vtiq; esset perfectissima; non enim vna mendicat perfectionẽ ab alia: immo quidquid est in vna persona, totum illud perfectionis est in alia. Resp. maior est vera, vbi illud tale est possibile auferri, & circ[...]scribi: at impossibile est personam aliquã deficere in diuinis ratio, non quia relatio sit de quidditate essentiæ, vt est dictum, sed quia relationes, & personæ sunt idem cum essentia & sunt prorsus idem numero Deus Deus autem est ens necesse esse, ergo necesse omnino est, vt sint ibi personæ, alias rueret Trinitas, destrueretur tantum mysterium.

Necesse esse vtrum multiplicetur in diuinis.

8 Arguitur, si sunt tres personæ, ergo sunt tria necesse esse, quod est impossibile: prob. consequ. & sequ. quæro enim quibusnam personæ illæ distinguerentur, vel namq; differentiæ, quib. distinguerentur, essent necesse esse, vel non: si primum, ergo per aliquod necesse esse conuenirent, & per aliquod necesse esse differrent: illud esset essentia, hoc relatio: at hoc videtur impossibile, quia sequeretur Deum habere esse per duas causas, vel totales, & hoc non, quia vnus effectus nõ potest produci à duab. causis sufficientib. totalibus; vel partiales, & nec hoc, quoniã cum Deus sit simplex, non habet partes, ex quib. componatur, igitur relinquitur,

quitur, vt differentiæ, siuè relationes non sint necesse esse; ex hoc autem sequitur neque personas esse necesse esse, & consequenter non esse admittendas personas in diuinis. Resp. proprietates, seu relationes esse necesse esse: cum arguis, ergo conuenirent, & differrent per idem, negatur, immo conueniunt per vnum, vt per essentiam, & differunt per relationem; cum ais id non posse esse, negatur, potest namque vtramq; esse necesse esse, sicut de facto est: Cum subdis, esse plura necesse esse, resp. vnum est necesse esse essentiale, rad cale, fundamentale, quod est essentia, & ipse Deus; cæterum quid implicat multiplicari formaliter, quatenus distinguuntur formaliter proprietates illæ à diuina essentia: sicut multiplicantur attributa, & modi intrinseci, at omnia sunt necesse esse: & nihilominus omnia sunt vnum essentialiter necesse esse, quia sunt idē realiter, & essentialiter cum essentia licet plurificentur quatenus distincta formaliter.

Necesse esse an plura

ARTIC. III.

Soluuntur obiecta Hæreticorum de *Homousion.*

Homousiō exosū Hæreticis.

1 ADuersus vocem *homousion*, quod ex dictis, consubstantialitatem Filij cum Patre significat, arguitur, si quidem vox ista veluti noua fuit à Concil. Ari . mens. refutata, atque a Concil. Syrmiensi, vt narrat Athan. epist. de synod. Arim. & Seleu. atque Augustl.l.3. contra Maxim. c.14 Insuper Constantinus Imp. ep. ad Alex. & Arr. dixit inutilem esse de voce hac quæstionem, *quam neque requirere*, inquit, *dignum est, neque de talib. respondere quærentib.* Patribus quoq; Concil. Antioch. displicuit, teste Hylar. l. de syn. sicut etiam & Hosio penes eund. Hylar. hinc rursus exosa est hæreticis, tum Arrianis, tum Assellis negantib. consubstantialitatem; Semiarriani tamen abijcientes, *homoosion*, admiserunt *homoiusion*, idest similitudinem, ita vt negantes filium esse Patri consubstantialem, admittebant tamen esse ei similem. Item vox illa non reperitur in Scriptura, non est ergo admittenda, &c.

Homousiō, Synousion, Homoiusion diffe- runt.

2 Verum differentia est inter tria hæc, *synousion, homousion, & homoiusiō*, tum ex Athan. tum Hylar. primum ita significat identitatem essentiæ, vt excludat distinctionem personarum. tertium negat identitatem essentiæ, sed admittit similitudinem personarum: at secundum apponit identitatem essentiæ, & distinctionem personarum. primum concedunt Sabelliani: tertiū Semiarriani, & secūdum amplectimur nos Catholici: quia ergo vox ista vtrumq; denotat, ideo ea voce vtitur Ecclesia, & ipsa est tenenda, & amplexanda, ità Patres, ita Theologi communiter.

Homousiō antiquitas.

3 Circa nouitatem vocis, quin potius antiquitatem, ait Amb. c.7. l.3. de fid. non à Catholicis, immo ab Arrianis fuisse inuentam: per eam enim exprobabant Arriani Cattholicis, quod si filium Dei dicimus Christum, vtique *homo vsion* dicimus, ita refert Ambr. dixisse Euseb. Nicomed. Arrianum, aiebat namque, *si verum Dei filium, & increatum dicimus, homousion cū Patre incipimus confiteri. hæc autē cū lecta esset in Concilio Nisseno, hoc verbū Patres Concilij in tractatu fidei posuerunt; quod viderent aduersarijs esse formidini, vt tanquam euaginato ab ipsis gladio, ipsum nefandæ caput hæresis amputarent.* igitur hinc deducitur non esse nouam, sed ab ijsdem hæreticis antiquitus etiam vsurpatam, licet ironicè, & distorto sensu contrario Catholicis: vel antiquiorem esse vsum talis vocis ipsismet Arrianis colligitur ex Theod. l.1. histo. c.12.13. & Ambr. sup.

4 Item ante Conc. Nyce. scripserunt aliqui Patres, qui consubstantialitatem docebant, etenim Clemens Rom. ep.1. ad Iacob. fratrem Domini de filio loquens ait, *In omnibus Patri similis, eiusdem natura:* & Iacobus Frater Domini in liturg. in init. de Spiritu sancto loquens, inquit, *consubstantialē spiritum.* & rursus loquendo de filio, appellat eum *consubstantialem Patri, & Spiritui sancto.* Origenes Dial. de recta

quitur, vt differentiæ, siuè relationes non sint necesse esse; ex hoc autem sequitur neque personas esse necesse esse, & consequenter non esse admittendas personas in diuinis. Resp. proprietates, seù relationes esse necesse esse: cum arguis, ergo conuenirent, & differrent per idem, negatur, immo conueniunt per vnum, vt per essentiam, & differunt per relationem: cum ais id non posse esse, negatur, potest namque vtramq; esse necesse esse, sicut de facto est: Cum subdis, esse plura necesse esse, resp. vnum est necesse esse essẽtiale, radicale, fundamentale, quod est essentia, & ipse Deus; cæterum quid implicat multiplicari formaliter, quatenus distinguuntur formaliter proprietates illæ à diuina essentia: sicut multiplicantur attributa, & modi intrinseci, at omnia sunt necesse esse: & nihilominus omnia sunt vnum essentialiter necesse esse, quia sunt idẽ realiter, & essentialiter cum essentia licet plurificentur quatenus distincta formaliter.

Necesse esse plura

ARTIC. III.

Soluuntur obiecta Hæreticorum de *Homousion*.

1 ADuersus vocem *homousion*, quod ex dictis, consubstantialitatem Filij cum Patre significat, arguitur, si quidem vox ista veluti noua fuit à Concil. Ariminens. refutata, itemque a Concil. Syrmiensi, vt narrat Athan. epist. de synod. Arim. & Seleu. atque Augus. l. 3. contra Maxim. c. 14 Insuper Constantinus Imp. ep. ad Alex. & Arr. dixit inutilem esse de voce hac quæstionem, *quam neque requirere*, inquit, *dignum est, neque de talib. respondere quærentib.* Patribus quoq; Concil. Antioch. displicuit, teste Hylar. l. de syn. sicut etiam & Hosio penes eund. Hylar. hinc rursus exosa est hæreticis, tum Arrianis, cum Asseclis negantib. consubstantialitatem; Semiarriani tamen abijcientes, *homousion*, admiserunt *homoiusion*, idest similitudinem, ita vt negantes filium esse Patri consubstantialem, admittebant tamen esse ei similem. Item vox illa non reperitur in Scriptura, non est ergo admittenda, &c.

Homousiõ exosũ Hæreticis.

2 Verum differentia est inter tria hæc, *synousion, homousion, & homoiusiõ*, tum ex Athan: tum Hylar. primum ita significat identitatem essentiæ, vt excludat distinctionem personarum. tertium negat identitatem essentiæ, sed admittit similitudinem personarum: at secundum apponit identitatem essentiæ, & distinctionem personarum. primum concedunt Sabelliani: tertiũ Semiarriani, & secũdum amplectimur nos Catholici: quia ergo vox ista vtrumq; denotat, ideo ea voce vtitur Ecclesia, & ipsa est tenenda, & amplexanda, ita Patres, ita Theologi communiter.

Homousiõ, Synousion, Homoiusion differunt.

3 Circa nouitatem vocis, quin potius antiquitatem, ait Amb. c. 7. l. 3. de fid. non à Catholicis, immo ab Arrianis fuisse inuentam: per eam enim exprobabant Arriani Catholicis, quod si filium Dei dicimus Christum, vtique *homo vsion* dicimus, ita refert Ambr. dixisse Euseb. Nicomed. Arrianum, aiebat namque, *si verum Dei filium, & increatum dicimus, homousion cũ Patre incipimus confiteri. hæc autẽ cũ lecta esset in Concilio Nisseno, hoc verbũ Patres Concilij in tractatu fidei posuerunt; quod viderent aduersarijs esse formidini, vt tanquam euaginato ab ipsis gladio, ipsum nefandæ caput hæresis amputarent.* igitur hinc deducitur non esse nouam, sed ab ijsdem hæreticis antiquitus etiam vsurpatam, licet ironicè, & distorto sensu contrario Catholicis: vel antiquiorem esse vsum talis vocis ipsismet Arrianis colligitur ex Theod. l. 1. histo. c. 12. 13. & Ambr. sup.

Homousiõ antiquitas.

4 Item ante Conc. Nyce. scripserunt aliqui Patres, qui consubstantialitatem docebant, etenim Clemens Rom. ep. 1. ad Iacob. fratrem Domini de filio loquens ait, *In omnibus Patri similis, eiusdem natura*: & Iacobus Frater Domini in liturg. in init. de Spiritu sancto loquens, inquit, *consubstantialẽ Spiritum*. & rursus loquendo de filio, appellat eum *consubstantialem Patri, & Spiritui sancto*. Origenes Dial. de recta

in

in Deū fide contra Marcion. appellat filium, *Deum Verbum consubstantialem.* idemq; præstat Tertullian. l. 4. contra Marcion. expendens enim illud, *vnum sumus*, ad substantiæ refert identitatē. Item ante Concil. Nicæn. edita fuit alia synodus, cuius acta fuerunt inde quoq; stabilita in Concil. Nic. agebatur autem ibi de consubstantialitate, vt scribit Iulius Pap. Epist 4. ad Oriēt. Insuper ante Nicænum oncil. prædicabat Alexander filium esse Patri cō substantialem, quod tunc temporis viuens Arius negabat, ob quod idem Alexander Arium eiecit ab Ecclesia, vt videre est apud Athan. orat. 1. contra Arian. Demum hinc constare potest antiquitas, & talis vocis exortus ante Nicæn. Concil. quod in fragmento Nicæni Concilij, quod ponitur in lib. 2. Concilij ante subscriptiones ita habetur, *Visum est omnibus nostris cōsubstantiale in Ecclesia definire oportere; ad eum modum, quo & post Apostolos sancti Patres nostri fidem hanc tradiderant, hoc est, confiteri filium, & Spiritum sanctum eiusdem substantia cum Patre.* fatetur ergo Concilium definisse, & Patres illos confessos fuisse consubstātialitatem, non quidem à Nicæno Conc. inuentam, sed à sanctis Patribus eorum prædecessoribus post Apostolos descendentib. Dato autem quod à Concilio vox ista fuerit adinuenta, nō per hoc existimandum erit vocem hanc fuisse nouā simpliciter, & quoad substantiam, etenim est veritas æterna, Trinitatis personas esse inuicem consubstantiales: sed noua visa fuit, quia non ita vniuersaliter, explicitè, & clarè mysterium hoc consubstantialitatis erat vsque tunc explicatum, donec explicaretur magis inde, prout factum fuit in Concilijs, &c. Quod si obstaueris ex Paul. 1 Timot. 6. *depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates*, loquitur Paulus de nouitatibus repugnantibus catholicæ fidei: hæc autem vox illustrat quam maximè, & corroborat nostram fidem: loquitur quoq; de vocibus prophanis, hæ namque longè esse debent ab explicandis mysterijs fidei, ne misceamus sacra prophanis. at vox hæc sancta est, non profana.

Sensus Patrum Concil. Anthio.

5 Ad Patres Concil. Antioch. dicendum, aliter sensisse, etenim negabant *homousion* ad sensum Pauli Samosetani: qui eatenus filium dicebat *homousion*, quatenus vnicam habebat cum Patre naturam, non quidem numero, sed specie, quemadmodum appellatione hominis omnes homines sunt vnus homo, specie, non numero. Patres verò Concilij *homousion* admittebant alio sensu, quatenus identitate numerica Pater, & filius sunt idē Deus, sicut etiam vnum esse filium cū Patre asserebat Samosetanus per gratiam, non per naturam, sitque Deus per participationem, referente Hylar. & Athan sup.

De Concil. Arian.

6 De Concil. Arimin. & Syrmiēs. non fuere legitima: fauebant enim hæresi arrianæ: & prout illegitima respuuntur. De Constantino, id egit vt pacem componeret litesque Catholicorum interimeret: vel ita sensit, tanquam non benè instructus, quousque catholica veritas sibi patefacta inde fuisset ex definitione Concilij, vnde Epistolas scripsit ad Orthodoxos aduersus Arrium, de quib. lib. 4. Conc. Nic. col 4. &c.

De Constātino.

De Liberio, & Osio.

7 Dices, liberius subscripsit formulæ fidei editæ in syn. Syrmiens. teste Sozomen. l. 4. c 14. quod itidē egit Osius penes eund. sed resp. non sponte id egisse, sed exilio, ærumnisque cōfectos à Constantio, & ad id fieri coactos, penes Athan. ep. ad solit, quod ita fuisse inde constat, quia liberius constāter aduersus Arrianos postmodum dimicauit, & damnauit formulam fidei Synodi Ariminensis: tum etiam quia liberius se subscripsit solummodo illi formulæ, in qua filius esse similis dicebatur: quæ res, potest etiam in catholicum sensum trahi; etenim filius est Patri correlatiuus, nedum ratione æqualitatis, verum etiam, & similitudinis, vt docent Theologi; ipseque liberius anathema dixit fidei prius editæ Arimini, vt ipsemet scribit epist. 11. ad Orient. licet hæretici similitudinem in alium sensum traxerint negando consubstantialitatem. de Osio vero, iam facti pænitens, tandem quieuit.

8 Ad id, quod non reperitur in

Scri-

Scriptura, respondet Cyrill. t. de Trin. & Ambros. l. 3. de fid. c. facilè posse è Scriptura deduci, vt nituntur facere. Respondetur secundò, licet vox non contineretur expressè in Scriptura, sufficeret tamen factum ipsum, seu rē ipsam contineri; & quidem dum *homousion* significat consubstantialitatem, quæ duo indicat, vnitatem essentiæ, & distinctionem personarum, vtique id reperitur in Scriptura, testāte eodem filio, *Ego & Pater vnum sumus,* personæ distinctionem indicat, *vt ego, & Pater*: articulus autem *neutrum* substantiam demonstrat, *vnum sumus*, vt Augustinus respondet tract. 97. in Ioann. de quo plura suo loco.

9 Arguunt insuper aduersus consubstantialitatem Spiritus sancti, eatenus Scriptura ait Patrem, Verbum, & Spiritum sanctum esse vnum, quatenus vnū etiam sunt Spiritus, aqua, & sanguis; ait namq; Ioannes *tres sūt qui testimonium dāt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnū sunt*: inde verò subdit, *tres sunt qui testimoniū dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua, hi tres vnum sunt*; hinc tamen arguitur, tali vnitate sunt vnum Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, quali vnum sunt spiritus, sanguis, & aqua: sed hæc tria non sunt vnum in substantia, cùm spiritus, aqua, & sanguis valde diuersa sint, ergo nec erūt vnum in substantia, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.

Vnitas personarū diuersa ab vnitate spiritus, sanguinis, & aqua.

10 Respōdent Aliqui, quod quādo est sermo de spiritu, aqua, & sanguine, non semper in omnibus latinis codicibus reperitur, *Hi tres vnum sunt*, aiunt namque in aliquib. latinis editionibus deesse verba hæc. ita penes Ruiz de Trinit. disp. 20. sect. 7. Verum quia tum Vulgata, tum Græci Codices vtrobique habent, *hi tres vnum sunt*, tum de Personis, tum de Spiritu, sanguine, & aqua, ideo aliter est respondendum. Respōsio verò elicitur ex August. cuius sensus est, quod Vnitas nempe essentialis, in Personis reperitur formaliter, in sanguine verò, spiritu, & aqua reperitur significatiuè, seu similitudinariè, uerba eius sūt, *Hæc Sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur; quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia: si ergo illa, quæ his significantur. intelliguntur, ipsa inueniuntur vnius esse substantiæ.*

11 Sed stante, quod Vnitas non se teneat ex parte sanguinis, spiritus, & aquæ, quare ergo dicitur de eis, *quod vnum sunt*, Respondetur esse vnum vnitate testificationis, quatenus tria hæc conspirant in unum testimonium: dicitur namque de eis, quod *testimonium dant in terra* uerum quia non dissona sunt, sed conformia in testificando, ideo unum sunt, utpote conspirantia in testimonium unū. *Spiritus, sanguis, & aqua quomodo vnū.*

12 Pariformiter obstant de consubstantialitate Filij, etenim Ioan. 10. dicebatur, *Ego, & Pater vnum sumus*, at unitas ista non est consubstantialis, probāt, quia Ioan: 17. Christus Patrem rogans inquit, *Pater serua eos, vt sint vnum, sicut & nos*: sed fideles nō sunt vnum in substantia, nec inter se, nec cum Christo, & Patre, ergo nec Christus, & Pater vnum in substantia sunt. vnde concludunt Hæretici Filium, & Patrem esse vnum solummodo in animorum consensu, & concordia voluntatum.

13 Sed respondetur in primis eos esse stolidiores, & duriores perfidis Iudæis; nam Iudæi dixerunt Domino, *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, quia tu cùm homo sis, facis teipsum Deum*. vnde Iudæi iam percipiebant sensum verborum Christi dicentis se esse Filium Dei, Ariani autem nolunt talem sensum elicere ex Christo dicēte, *Ego, & Pater vnum sumus*: & Iudæi verba Christi de propria diuinitate intelligebant, vt sonabant, nec de tali intelligentia correxit eos tunc ipse Christus: at Hæretici verba Christi de diuinitatis consubstantialitate cum Patre in alienum sensum retorquent, vtpotè in animorum concordiam, & voluntatum.

Fideles quanā vnitate sunt vnum.

14 Ad instantiam verò de vnitate fidelium, quæ non est consubstantialis, non vtiq; vnitatem consubstātialitatis intendebat impetrare à patre Christus ipsis fidelibus: sed vnitatem amoris, & charitatis, ita Lyran. & Glos. ordinaria ad eum locum Ioannis. Cū verò infers, tali vnitate sunt vnū Pater

Pater, & Filius quali fideles. *Resp.* si loquamur de vnitate consubstantiali falsum, quia fideles non sunt inuicem consubstantiales, sed Pater, & Filius sunt inuicem consubstantiales: at loquendo de vnitate alia, quæ consistit in imitatione ipsius Dei, & mutua fidelium, tunc adest aliqualis similitudo: vnde ly *sicut*, dicit relationem similitudinibus, non autem æqualitatis: vnde ait Lyranus, *Vt sint vniti per charitatem, sicut nos sumus vnum per naturam: ita quod ly sicut, nō importet æqualitatem, sed quandam imitationem longinquam*. idemque habet ibi Glosa ordin.

QVÆSTIO V.

Vtrum ad multiplicationem Personarum multiplicentur quoque existentiæ respectiuæ earum.

1 Vtrum verò sicut multiplicātur personales subsistentiæ, ita & multiplicandæ veniant earundem personarū relatiuæ existentiæ. asserimus quod sic. ita *Scotistę* cōmuniter, excepto Vulpes, de quo infra. ita Scōtus tum in 1.d.18.q.3. tū d.11.q.2.ad argum. secundæ opin. Lychetus in 1.d.28. & quæst.6. quodlib. art.1. Herrer. in 1.d.8. q.12. Fauentin. in 1.d.26.c.1. ac Smysing: t.2. disput.1. quæst.4. num.82. tum quoque Suar. 3. p. disp. 11. sect.2. Medin. 3.p.q.17. art. 2. Zumel 1.par.q.28. Fonsec. lib.5. metaph.c.8. idemque Suar. de Trin.l.3.c. 5. indicatque Alensis 1.p.q.44. & Richar. in 3.d.1.ar.1.q.2. licet in contrarium pugnare videatur D.Tho. 2.p.q. 30.art.2.& p.3.q.3.a t.2. atq; 1.par.q. 29.art.2. cum ait, *Essentiam, & Relationem habere idem esse*. Alijque pauci.

Ad multiplicationē personarū multiplicātur existētiæ respectiuæ earū.

2 Nihilominus probatur intentū, primò rationibus, inde auctoritate. Rationes sunt, in creaturis etiam relationes habent propriam, ac formalem existentiam distinctam ab existentia absoluti, seu fundamenti: ergo & in diuinis vltra existentiam absolutam diuinæ essentiæ dabitur existentia relatiua cuiusque personæ. Item Aristoteles coordinauit prędicaméta, veluti distincta inuicem, itaut substātiæ prædicamentum non sit prædicamentum accidentis: & accidentis predicamentum absolutum non sit prædicamentum respectiuum: id verò nō esset, nisi existentia vnius esset de se distincta à ratione formali existentiæ alterius: quamuis autem non sit inter Essentiā, & Relationes distinctio realis, vt adest inter prædicaméta, nihilominus adest distinctio, vel modalis, vel rationis ratiocinabilis, vel formalis: hæc verò distinctio de se sufficiens est ad multiplicandas existentias respectiuas. Insuper existentia diuinæ essentiæ non includitur in conceptu, seu ratione formali cōstitutiua relationis, patet hoc, quia relatio iam non esset respectus, sed quid absolutum, si essentia absoluta esset de intrinseca ratione formali relationis; ergo habet relatio, vt relatio, propriam existentiam. Rursus Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiua dant personis non solùm esse diuinū, sed etiam dant esse tale, nempe Patris, Filij, & Spiritus sancti: igitur ex hinc facilè constabit personas habere vltra existentiam absolutam diuinæ essentiæ, etiam existētiam propriam respectiuam. Præterea distinguuntur personæ ab inuicem: at non distinguuntur penes absolutam diuinæ essentiæ existentiam, ergo distinguuntur penes proprias, & peculiares personales existentias, at hæ sunt respectiuæ, ergo. & hoc argumentū admodum vrget. Con-

fir-

firmatur, non aliundè experitur distinctio inter personas, quam penes proprietates personales, non quidem penes essentiam: ergo habent proprias existentias. Accedit, proprietas Patris aut constituit Patrem in esse Dei, aut in esse Patris: ita de proprietate Filij, & Spiritus sancti: vtique paternitas, Filiatio, & spiratio constituunt non in esse solius Dei, sed etiam in esse Patris, Filij, & Spiritus sancti: quod si ita est, ergo inde Pater recipit suam existentiam, vt Pater est: filius suam, vt filius est; & Spiritus sanctus suam, vt tertia persona est. Confirmatur, filiatio aut dat Filio aliquid, aut nihil: non secundam, ergo primum: at de eo quæro quidnam est, non sola essentia, ergo etiam & relatio: igitur per essentiam recipit existentiam essentiæ, per quam est Deus, & per relationē recipit existētiam filiationis, per quam est filius. Denique ratio formalis distinguendi est quoq; ratio constituendi: at relatio est ratio formalis personas distinguendi, ergo & erit ratio eas constituendi, ergo vt sic dabit quoque relatio existentiam. Adde, quod asserentes oppositum, inde cogerentur negare personas constitui per relationes.

3 Autoritas ex alio capite est Augustini qui lib. 5. de Trin. c. 8. & lib. 7. c. 4. ait, *Aliud est esse Deum, aliud esse Patrem*. hinc Augustinus apertè indicat sententiam nostram. Item Richar. Victor. l. 4. de Trin. c. 12. 17. 16. inquit, *sciendum est existentiam designare substantiale esse: sed aliquando quod sit ex communi, aliquando quod sit ex incommunicabili proprietate*. en quomodo duplex esse distinguit, aliud proueniēs ex essentia communi, aliud ex personali proprietate. idem indicat Ansel. l. de process. Spiritus sancti, & Magist. in 1. d. 28.

Vulpis responsio. 4 Nouissimè Vulpes de Trinit. disput. 63. artic. vlt. negat, etiam in via Scoti multiplicari existentias respectiuas personarum: Verum aduersus eum arguitur ex doctrina Scoti, & quidem Scot in 1. d. 11 q. 1. ad 1. docet relationem originis taliter transire in identitatem diuinæ essentiæ, vt tamen maneat tam secundum quiditatem, quam secūdum esse: at relationes personales plures sunt, & remanēt distinctę formaliter ab essentia: ergo habent peculiarem existentiam vltra existentiam essentiæ: Item quodlib. 4. ad argument. ait, esse in diuinis bifariam sumi, vel quidem pro esse simpliciter, vel pro esse incommunicabili: illud est essentiæ, hoc personarum: ergo multiplicatis personis multiplicantur earū existentiæ relatiuæ. *Redarguitur.*

5 Respondet num. 11. inquiens, nego consequentiam, si in ea existentia accipiatur pro actu entis contradistincto à potentia, ad existendum, non enim Scotus hoc modo esse accipit, sed vel pro esse essentiæ, seu rationis formalis cuiuscunque, quod est extra nihil; vel pro esse incommunicabili, quod est subsistere, quod est alterius rationis ab actuali existentia, quæ est actus existendi simpliciter in genere entis: vnde concludit aduersarios non satis distinguere vocem essentiæ, &c. *Eiusdem effugium nō accipitur.*

6 Responsio est apertè contra ipsum, & incidit (velit, nolit) in nostram sententiam; dum namque ait, *esse* accipi à Scoto, vel pro esse essentiæ, seu rationis formalis cuiuscunquè, quod est extra nihil, vel pro esse incommunicabili, hoc quidem supposito necessario infertur multiplicatio existentiæ; nam personalitates, siuè relationes originis sunt rationes formales, quibus personæ sunt extra nihil: at rationes istæ formales verè sunt, & verè existunt à parte rei: & ratio quæque formalis est ratio, qua verè personæ existunt, ergo per esse essentiæ relationū existentium à parte rei multiplicātur ipsæmet existentiæ personarum existentium per tales rationes formales. Item vnicuique *quo* correspondet suū proprium, & adæquatum *quod*; multiplicantur esse essentiæ, seu rationes formales ex ipso, personarū, ergo multiplicantur existentiæ, quæ sunt *quod* respectu esse relatiui essentiæ earundem. Idem multo amplius conuincit id, quod ait de esse incommunicabili: iam patet hoc multiplicari, ergo & multiplicantur istæ existentiæ relatiuę incommunicabiles. sua ergo responsio intentum confirmat.

7 Item probatur principale intē-

H tum,

tum, Scot. in 1. d. 8. q penult. ait multiplicari in diuinis infinita formaliter distincta: sed infinitas non potest conuenire à parte rei nisi alicui realiter existenti: dum igitur personæ distinguuntur formaliter ab essentia, & illæ multiplicantur, multiplicabuntur quoque eàrum existentiæ relatiuæ. Respōdet Vulpes personalitates nō esse formaliter infinitas, sed identicè, vnde non currit multiplicatio existentiæ infinitàrum formalium in personis, respondet quoque loqui Scotum de attributis, quæ sunt formaliter infinita; at ex multiplicatione eorum non sequitur multiplicatio existentiarum attributalium, quoniam non habent existentiam distinctam ab existentia diuinæ essentiæ.

Attributorū existentia radicalis vnica est, formalis plures.

8 Responsio prima licet currat in via Scoti, vt inde multiplicari nō possint existentiæ, nihilominus & si desit caput hoc infinitatis formalis, vt hinc multiplicari non possit, non tamen desunt capita alia multiplicationis iam recensita.

9 Responsio item secunda nec admittenda venit, quandoquidem licet omnia attributa existant vnica radicali fundamentali, atque reali existentia ratione diuinæ essentiæ, tamen cū distinguantur formaliter, habent distinctas formalitates ex Scoto: formalitates autem istæ, sunt istæ multiplices rationes attributales formales sūt reales, & non fictæ per intellectum, ex Scoto, ergo habebunt quoque non fictè, sed verè à parte rei existentias formales: qua propter stante vnica omnium attributorum, & modorum existentia radicali fundamentali, & reali, ac identica cum essentia, multiplicabuntur eorundem existentiæ, non fundamentales, sed formales: ita & de modis intrinsecis. illi quidem, qui demūt à diuinis distinctiones formales, demere debent & existeutias formales, qua propter nec Suarez, nec impugnatores distinctionis formalis loquuntur consequenter admittendo multiplicationem existentiarum personarū: negando namque distinctionem personarum formalem ab essentia nō videtur dari locus multiplicandi existētias relatiuas personales: Scotistæ verò loquuntur omnino cōsequenter, omnis enim distinctio præsupponit esse; quia principia distinguēdi sunt, à posteriori, principia arguitiua essendi; ergo distinguendo formaliter ab essentia personas, multiplicant consequenter existentias personales.

Vulpis argumenta soluuntur.

10 Arguit Vulpes, sequeretur relationes diuinas per se referri in recto; quia quod habet propriam existentiā per se refertur in recto. item ipsæ existereut in seipsis relatiuè. Insuper relationes existunt ratione extremorū: sed si haberent de se existentiam, iam possent existere sine extremis. Rursus relationes nō sunt formaliter, & quidditatiuè ens, sed aliquitates entis, ergo carent propria existentia.

Relatio quomodo referatur.

11 Ad primum negatur sequela, sufficit referri in obliquo: ad rationē vera est de eo, quod habet propriam existentiam adæquatam, & completā de se, & per se: vt sunt entia completa, vtpote totum &c quæ vero ordinantur ad aliud essentialiter, vt est relatio necessario postulans extrema referibilia, habet quidem existentiam, sed suo modo inadæquatam: hæc autem, licet in genere existentiæ parua sit, est tamen sufficiens ratio ad referendum vtcunque in obliquo.

Relatio an possit existere ex seipsa.

12 Ad aliud de existere in seipsis, verum id esset si essent entia absoluta: absolutum enim existere potest in seipso vt de facto existit substātia: quod si accidens sit, existere tamen potest per Dei potentiam in seipso, quia sine subiecto, vt in Sacramento Altaris: at relatio, cum sit essētialiter respectiua, seu essentialiter respectus, non potest stare sine extremis. & ex hoc responsum remanet ad subsequens de extremis, dicendo consimiliter, non posse relationem existere sine eis, cum sit essentialis habitudo, habitudo autem non potest existere sine extremis, quorum alterum referatur ad alterum.

Vnicuique rei, et si imperfectissimæ, sua debetur existentia proportionaliter.

13 Et ad illud de ente, eo modo, quo sunt ens, eo modo habent suam existentiam: vnde enti perfecto, & cōpleto, atque totali correspondet existentia adæquata, & totalis: enti autē incompleto, & partiali correspondet existentia partialis: relatio de se sola est altera pars constituti, igitur dum toti

toti

toti constituto correspondet existentia totalis, vtique relationi vt sic, correspondebit existentia partialis: sufficit namque quidquam habere esse à parte rei, vt propriam habere valeat existentiam, etiam si sit minimæ entitatis: vnde cum materia sit ex Augu. prope nihil, suam tamen habet entitatem: ita de accidẽtibus, quæ ab Aristot. non dicũtur entia, sed quia entis. à primo autem ad vltimum, vnicuiq; enti tribuenda est sua existẽtia, & eatenus, quatenus tale est ens: si completum, completa: si incompletum ens, coexistentia incompleta: quæ tamen in genere suo erit completa. dixi in genere suo, siquidem comparatiuè ad totum, siue ad subiectum, vel ad extrema, erit incompleta: exemplum primi, vt formæ substantialis: secundi, vt accidens absolutum: tertij, vt relationis: existentia namq; totius compositi substantialis complectitur materiam, & formam, quarum simul iunctarũ vnica est existentia totalis, quia conficiunt vnum totum: attamẽ forma de se sola habet suam existentiam incompletam, & partialem in ordine ad totum, quia nõ est totum, sed pars: eo magis, quo per Dei potentiam potest conseruari sine materia, igitur existeret, at nõ existeret per existentiã materię, seu totius, dum esset abstracta à materia: ergo existeret ex sua propria existentia. Accidens quoque absolutum, in ordine quidem, & comparatiuè ad subiectum vtique est ens imperfectum, propterea q. ex accidẽti, & subiecto fit vnum totale existẽs, & non ex se solo: at de se solo non caret propria, licet diminuta existentia, quia & ipsum est ens imperfectum, & diminutum: eo amplius, quo per Dei potentiã existere posset sine subiecto, ergo & existentiam haberet independentem à subiecto, igitur, & nũc existentiam suam partialem possidet, licet in subiecto. ac demum accidens respectiuum, seu relatio, cùm sit verè ens non veniet expolianda propria existentia: non quod existere queat sine extremis, (in quo differt à forma substantiali, & ab accidenti absoluto) sed quia est ens, enti autem correspõdet suo modo sua existentia: & si per impossibile esse posset sine extremis, quod neque per Dei potentiam fieri potest, vtique magis id elucesceret, quia existeret, imo existeret sine eis, at non nisi per propriam, non autem per extremorum ex hypothesi, existentiam. igitur reddendo singula singulis, vnicuique suo modo, siue perfecto, siue imperfecto adæquatè, vel inadæquatè: complerè, vel partialiter, & incompletè, correspondere debet sua existentia.

QVÆSTIO VI.

Vtrum sicut concedimus tres personas, ita concedere, & nominare possumus tres substantias.

1 VTrum verò ad enumerationem personarũ enumerandæ quoq; sint tres substãtiæ, videtur pro parte affirmatiua sic posse argui: tres personæ sunt tres res: sed nõ sunt accidentia, ergo erunt substantiæ: igitur tres substantiæ: Item tres personæ sunt realiter inuicem distinctæ, ergo erunt tres substantiæ itidem realiter distinctæ. Insuper ex Boet. persona *est indiuidua substantia rationalis naturæ*: ergo sunt tres indiuiduæ substãtiæ. Rursus conceduntur ibi tres hypostases, ergo tres substantiæ: antecedens

Pro parte affirmatiua.

dens probatur, siquidem hypostasis græcè idem latinè sonat, ac substantia. Præterea hoc indicare apertè videtur August. siquidem 7. de Trin. cap. 9. ait, *aut si iam placet disputandi gratia cum quærit quid tria, dicere tres substantias, siue tres personas.* & 5. de Trin. c. 8. docet quod latini hæc græco tractantes eloquio dicere cõsueuerunt vnam essentiam, & tres substantias. Hilarius quoque lib. de synod. fatetur se interfuisse cuidam Synodo, in qua admissũ fuit tres in diuinis reperiri substãtias. Demum Ansel. monolog. cap. penult. *posse*, inquit, *dici vnam essẽtiam, & tres personas, siuè substantias.* atque lib. de Incarnat. cap. 8. *sicut nos dicimus vnam substantiam, & tres personas, ita Græci dicunt vnam essentiam, & tres substantias*, apparet ergo ex his posse in diuinis ex concessione trium personarum tres quoque substantias concedi.

Substantiæ acceptatio duplex. 2 Controuersia stare videtur in æquiuocatione vocis *substantiæ*: intellecta namque significatione nominis substantiæ, facilè componitur omnis lis; non enim existimandum inter Catholicos, siuè Latinos, siuè Græcos oriri quæstionem, & litem circa essentiale significatum ipsius substantię; idẽ namque sentiendum est ab vniuersis Catholicis viris. Vnde recolimus ex supradictis, substãtiã sumi vel pro cõmunicabili essentia: vel pro incommunicabili subsistentia; & de vtraque sumus loquuturi tota subsequenti q. loquẽdo de primo nusqu concedendum est tres ibi reperiri substantias; loquẽdo de secundo, id potest catholicè immo debet fateri, quia idem est dicere tres substantias, ac tres subsistentias, seu personas. & in hũc sensum loquũtur Patres citati.

Catholica loquutio. 3 Vnde dicimus non esse absolutè, & simpliciter dicẽdum tres esse ibi substantias, sed cum adiuncto, & modificatione, nempè sumendo substantiam pro *substantia*, quæ est persona, vt sunt ibi tres tres substantiæ, nempe tres substantiæ personales, & ita loquuntur citati Patres Augustinus, Hilarius, Anselmus, & Concilium Tolet. citandum. probatur, quia tum Theologi Scholastici, tum Patres, tum Cõcilia non multiplicant substantiæ, seu essentię communicabilis vnitatem, sed tantum personarum subsistentias, & personas. & quidem Hieron. Epist. ad Damas. ait, *sufficiat nobis dicere vnam substantiam, & tres perfectas, & æquales personas.* August. 5. de Trin. c. 9. *nostra consuetudo iam obtinuit vt idem intelligamus cùm dicimus substantiam, & cùm dicimus essentiam; non enim audemus dicere vnam essentiam, & tres substantias sed vnam substantiam, vel essentiam & tres personas.* idem ait 7. de Trin. c. 4. atque Richar. de Trin. lib. 5. c. 6. & vltra. Item Concilium Nicænũ definiuit Filium esse *homousion* Patri, idest consubstantialem Patri; quapropter non multiplicatur essentiæ communicabilis substantia: & Concilium Tolet. 6. cap. 1. *substantialiter vnũ sunt & in hac Trinitate tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat*, loquitur autem de substantia, quæ est communicabilis essentia: idemque in confessi. fid. subdit, *sicut tres personas, ita tres substantias prædicamus*: at illico se declarat quonam pacto tres personę sint tres substantiæ, inquens, *sed vnam substantiam, tres autem personas.* denique Concil. Lateran. in cap. firmiter de Summ. Trin. & fi. d. cath. & c. damnamus, *tres personæ, sed vna essentia, substantia, seu Natura.*

4 Quod verò talis debeat esse sensus, & explicatio nominis *substantiæ*, probatur apertè ex confessione Iustiniani, habita ad finem 1. t. Concil. post Toletanum secundum, vbi sic dicitur, *Non idem est natura, & subsistentia, omnes enim sancti Patres constanter nos docent aliud esse naturam, siue substantiam, & aliud subsistentiam, siue personam: et naturam quidem, vel substantiã, & formam, hoc, quod est commune significare: subsistentiam autem, siue personam hoc, quod est speciale.* Idemque docuit Theodor. addit. ad breuiar. lib. 2. *Natura*, inquiens, *& substantia in nullo differunt, nisi in nomine, natura enim substantia est: subsistentia, & persona in nullo differunt, nisi in nomine; subsistentia enim persona est, sed natura quidem, & substantia generale quoddam, subsistentia verò, atque persona quoddã proprium significant: velut vna communis omnium hominum natura est, atque sub-

substantia, subsistentia verò, & persona cuiusque hominis proprium. & non quoniam innumerabiles personæ, & subsistētia sunt hominum, propterea innumerabiles naturæ, siue substantiæ; vna namq; & eadem substantia, atque apud homines, & non altera est. & rursus non quoniam vna, & eadem natura, atque substantia omnium hominum est, propterea vna est seu persona, seu subsistentia omnium hominum; scimus enim diuersas personas hominum, & non vnam; Petrus enim, & Iacobus, & Ioannes vnum quidē natura, & substantia secundùm quod homines sunt. nihil apertius pro confirmatione assertionis; nisi quod id, quod ait de vnitate naturæ hominum, intelligendum est de vnitate specifica, non numericā, diuiditur enim creata natura in suis suppositis: natura autē diuina vnica omnino, eademq; in suppositis, vna, inquam, numero est.

Græci in hoc nō dissident à Latinis. 5 Nec Græci ab hac declaratione discrepant, idem namq; intelligunt, ac Latini sic spectato nomine substātiæ, & subsistentiæ: ita Anselmus vbi sup. *sicut nos*, inquit, *dicimus vnam substantiam, & tres personas, ita illi*, nempè Græci, *dicunt vnam essentiam, & tres substantias: id ipsum per substantias, quod nos per personas significantes: neq; aliquatenus in fide discrepant.*

Ad opposita. 6 Quæ in oppositum adducta fuerunt non obstant, etenim Patres multiplicantes substantias intelligunt pro substantia subsistentiam, & personas vt ex dictis, & dicēdis patebit. Ad Boetium autem, licet corrigatur à Scoto diffinitio illa personæ, vt patebit suo loco, nihilominus Boetius etiā vt alij Patres pro substantia intelligunt subsistentiam.

7 Remaneret soluenda ratio illa naturalis de accidenti, & substantia, si namque personæ non sunt accidēs, ergo erunt substantia, ergo tres substantiæ. *Vulpis responsio.* Vulpes de Trin. disp. 63. art. 8. adducit doctrinam Augustini relatam à Scoto quodlib. 3. lit. Q. inquit autē August. *non omne, quod est in Deo, dici secundùm substantiam, vel secūdùm accidens, quoniam est aliquid ibi, quod nec secundùm substantiam dicitur, nec secundum accidens, vtpote illud, quod ad alterum dicitur.* hinc autem tacito Vulpes infert negando personas dici tres substātias, cùm ibi ex Augu. 5. de Trin. c. 6. non omne in diuinis secundùm substantiam dicitur.

Accidens, & substantia quomodo in diuinis. 8 Verum longe alia est intentio Augustini, etenim Augustinus docet in diuinis nō reperiri propriè substātiam, vel propriè accidens, vnde dixit, *non omne, quod est in diuinis secundùm substantiam dicitur*: & vtiq; dū Deus non est in genere, hinc fit vt sua substantia non sit prędicamentalis substantia, quapropter Augustinus 7. de Trin. c. 5. dixit *abusiuè* tantum appellari substantiam, non enim substat accidentibus, quod etiam aduertit Scot. in quodl. 6. art. 1. lit. G. & in 1. d. 8. p. 3. lit. F. & nos idipsū tradidimus to. 1. dū quærebamus vtrū Deus sit in genere, seu vtrum sit simplex, vel constet aliqua compositione. vnde sumendo substantiam rigorosè, quatenus est illa, quæ substet accidentibus, vtique in Deo nec est huiusmodi substantia, quę substet, aut informetur; nec accidens quod Deo inhęreat, aut ipsum informet, quod est loqui, in via Scoti de accidenti per accidens, de accidenti, quod est vnum ex quinque prædicabilibus, cæterum sumendo accidens pro extraneō, iam Scotus, vt notum est, apponit ibi tale accidens: & loquēdo de substantia semotis imperfectionibus, quæ vel communicabiliter existat, vt essentia; vel incommunicabiliter subsistat, vt persona, vtique id totū erit perfectissima substantia demptis imperfectionibus, immo appellatur Deus, & Deitas nedum substantia, verum & *supersubstantia*, vt alibi ostēdimus. hæc omnia currūt etiam in via Scoti, vt notum Scotistis est. non ergo sensus Augustini fuit negare ibi substantiam modo iam explicato: quod si substātiam ibi negat, loquitur de substantia prædicamentali, prout substat accidentibus, & informatur ab eis, vt sic namque ait esse *abusiuè*, & nō propriè substantiam: cæterum demendo imperfectiones non negat ibi Augustinus substantiam: immo concedit esse substantiam, immo *supersubstātiam*.

9 Ita Scholastici plures Recentiores respondent ad quæstionem: ex quibus Ruiz in 1. p. de Trinit. disput. 33.

13. sect. 3. & 4. atque Smysingus tom. 2. asserētes posse tres personas appellari tres substantias, modo tamen explicato, & Molin. 1. p. quæst. 29. disp. 1. artic. 2.

10 Nihilominus absolutè loquēdo, tres personæ non sunt simpliciter tres substantiæ, nisi facta declaratione, ac modificatione; probatur, Concilia, & Patres aduersus hæreticos scribentes, & definientes aiunt Personas esse consubstantiales: consubstantialitas autem habetur ratione vnius substantiæ, quæ est diuina Essentia: da oppositum, quod sint tres substantiæ, iam non erunt consubstantiales: iam essentia erit diuisa in eis: iamque personæ non essent vnus, idemque substantialiter Deus.

11 Item Concil. Tolet. 6. cap. 1. *in Trinitate*, inquit; *tanta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat*. Concil. Sardiens. epist. Synod. 3. *Cohors hæreticorum diuersas esse substantias Patris, & Filij, & Spiritus sancti pronunciat, & eas esse diuisas: Nos autem hanc habemus Catholicam, Apostolicamq; traditionem, & confessionem, & fidem, vnam esse substantiam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

12 Augustin. serm. 38. de Imp. *substantia nō est alia Patris, & Filij, & Spiritus sancti: nec sunt tres substantiæ similes, sed vna trium.* Theodoret. in fragment. contra Sabell. *Non alterius naturæ Pater, & alterius Filius, & alterius Spiritus sanctus, sed vna natura, atque substantia.* Athanas. disputat. contra Arium, *Quod sit impium, atque sacrilegū diuersas Patris, & Filij, & Spiritus sancti profiteri substantias: & quod pium sit, atque religiosum vnius eos, religiosum, ac pia substantiæ confiteri non conjecturis, & argumentis inuentum; sed cælestis doctrina magisterio traditum demonstrabo.* Hieronym. epist. 57. ad Damas. *Quis rogo ore sacrilego tres substantias prædicabit?* atque Boet. lib. de Trinit. *substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* & Ansel. *summa Natura nec in plures substātias se diuidit.* & hæc denique est communis Conciliorum, & Patrum sententia; confutando namq; hæreticos, vnā statuunt in Personis naturam, essentiam, & substantiam.

13 Idem quoque est communis vsus, atque modus Scholasticorum, vt vnam substantiam Dei, ac Personarū dicant, non tres substantias: sic D. Th. D. Bonau. Scot. in vniuerso tractatu de Trinit. eorum Discipuli Commentatores, & Alensis 1. p. q. 44. ac Bellarm. t. 1. lib. 2. c. 4. Rationes verò pertinent ad quæstionem alteram de consubstātialitate Personarum, & ad illam, vtrū cum vnitate essentiæ stet pluralitas Personarum, de quibus infra. ideoque cautius loquimur, cum dicimus vnam substantiam, non plures substantias, ne videamur essentiam multiplicare cum hæreticis, à quibus abstinendum est etiam in voce.

14 Sed si res ita se habet, cur Patres superius citati, modo multiplicant, modo vnicam dicunt esse substātiam: Responsio est facilis, quoniam nomen *substantia*, Alij accipiebant pro *Hypostasi*, & *Persona*: Alij pro *Natura diuina*, atque *essentia*: illi quidem substantiæ nomen confundentes cum nomine Personæ, multiplicabant substantias: qui verò distinguebant à Persona, vnicam, non plures, admittebant substantiam. Patet hoc tùm ex dictis, tùm ex Andrea Colossensi in obseruātijs Concilij Florent, sess. 19. *Doctores diuinam substantiam simpliciter proferentes, commune quoddam Patris, et Filij, & Spiritus sancti intelligunt: substātiam verò Patris dicentes, Patris personam mente concipiunt*: Cui Marcus respondens, dixit, *Id quandoque, non autem semper, ac necessario cōtingere creditur.* Quod si substantia vsurpata reperitur pro persona, id raro contingit, communiter autem Scholastici substantiam vsurpant pro essentia, & ideo dicimus esse ibi vnicam naturam, seu vnicam diuinam substantiam.

15 Molina concedit tres personas dici tres substantias: ratio autem eius potissima fundatur in acceptione substantiæ; quandoquidem sumendo substantiam pro eo, quod existit per se, & non in alio, tanquam in subiecto, inquit, vt sic, posse dici tres substantias, quia personæ non inhærent alicui subiecto. Verum ex hoc discursu sequitur dari quatuor substantias in diuinis, *Molina ratio eluditur.*

tiam

uinis, tres quidem personas, & pro quarta diuinam essentiam, quonia n nec ipsa innixe et subiecto, sed per se independenter à subiecto existit: ex ratione sua, ergo dabitur quaternitas substantiarum in diunis.

16 Quamobrem dicendum in personis ipsis vltra independentiam à subiecto, reperiri incommunicabilitatem, quæ quidem incommunicabilitas non reperitur in essentia diuina communicabili: appellantur verò à Patribus recensitis, personæ tres substantiæ, in ratione incommunicabilis subsistentiæ, vnde sunt tres substantiæ, idest, tres personales subsistentiæ: hinc verò non dabitur quaternitas, quia essentia est vna, & sola communicabilis substantia, & ideo in genere communicabilis substantiæ, est ibi vna substantia: in genere autem incommunicabilis subsistentiæ sunt tres subsistentiæ.

QVÆSTIO VII.

Vtrum vltra tres subsistentias relatiuas detur in Deo aliqua subsistentia absoluta communis tribus Personis.

Negatiua sententia.

1 Vltra verò tres subsistentias relatiuas vtrum danda sit subsistentia absoluta, per quã indiuiduum Deitatis subsistat per se, est in primis sententia negatiua, asserens diuinam essentiam non prius secundum nostrũ modum intelligendi, nec prius secundum ordinem naturæ, habere esse in se, & per se, quam in personis: Vnde Authores huius sententiæ aiunt, immediatum, & primum in diuinis non esse indiuiduum Deitatis, nec diuinã essentiam, sed ipsas tres personas. ita sentiunt Alens. 3.p. q.2. m.2. & q.7. m. 2.3. D.Bonau in 3.d.1.art.1.q.5.& d.5. art.1.q.4. Marsil.in 3.q.2.art.3. Henric. quol.5.q.8. Vasq. 1.p disp. 125. c.3.4. &c.

Arguitur.

2 Argumenta, quibus probari potest hæc sententia, esse possunt. primò, in sexta Synod. art. 11. sic habetur, *Sabellianorum ista est prauitas in vnam subsistentiam tres confundere subsistentias, & in vnam personam easdem tres conspergens personas*. Secũdò Damasc. epist. de Trisagio inquit, *Trinitatem impossibile est dicere vnam hypostasim*. & infra, *non est autem ipsorum communis vna hypostasis, Deitas autem communis est trium hypostasum vna existẽs:* Tertiò Hilar. lib. de synodis post can. 27. Synodi Syrmicæ, ait, *Non vnum subsistentem, sed vnam subsistentiam nõ differentem*. Quartò Theodoret. in addit. ad Breuiar. liberati, fragm. penult. §. *Arguitur itaq;* inquit, *Credantur tres subsistentiæ, siue personæ, non autem vna Trinitatis subsistentia secundum Sabellium*. Quintò Ambros. expressius de Sabellio loquens ait, *Sabellius docuit vnam subsistentiam esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnamque trinonimem personam: sed dum omnes vnam esse personam reputat, nihil esse vnamquamq; designat*.

Item arguitur rationibus, & primò infertur per sententiam oppositã dari vnam solummodo personam, quę sit etiam communis cæteris personis: deducitur hoc, quandoquidem subsistentia est idem, ac persona: at datur vna subsistẽtia absoluta communis, ergo

ergo datur vnica in diuinis persona.

3 Secundò si daretur subsistentia hæc absoluta abstractis diuinis personis, sequeretur Deum hunc, generare, spirare, creare, gubernare, operari &c. at operationes istæ sunt totius Trinitatis, loquendo ad extra: sunt autem vel solius Patris, vt generare: vel Patris, & Filij, vt spirare: hæc verò præstare nequit de se sola diuina essentia, ergo nec dabitur indiuiduum Deitatis, nec subsistentia hæc absoluta.

4 Tertiò sequeretur essentiam, vt præintellectam diuinis personis, esse suppositum, & personam, probatur, etenim subsistere, seu per se existere, competit soli personæ. sicque daretur in diuinis quarta persona. Quartò redderetur essentia incommunicabilis, nam subsistens est incommunicabile. Quintò, subsistentia est vltimus terminus constitutiuus personæ: ergo essentia per suam subsistētiam esset verè persona. Sextò persona in diuinis iam non esset relatiua, sed absoluta, sequitur hoc, etenim essentia est subsistentia absoluta: sed subsistentia est persona, ergo personæ in diuinis constituuntur per absoluta, non per relatiua, & septimo essentia de se sola non est in vltima actualitate, sed actualitatem, & complementum recipit à personis: sicut natura humana à supposito, ergo non est subsistens.

Caetani sententia de semisupposito. 5 Fuit secundo loco sententia Caetani dari quidem in Deo subsistētiam absolutam, at subsistens istud absolutum inquit esse semisuppositū, & semipersonam. ita in 3. p. q. 2 art 2. ad 3. vocat autem sic, quia eum deficiat illi incommunicabilitas non erit perfectè suppositum, & persona, sed imperfectè, & semi.

Sententia affirmatiua 6 Tertia sententia est dari subsistentiam absolutam, communem, atque communicabilem cæteris personis, quæ per se existat: ea autem erit essentia diuina, prout etiam aliquo modo, siuè formaliter, siuè ratione, distincta à diuinis personis. est Scoti in 3. d. 1. q. 1 §. *Ad quæstionem*, & ibid. d. 5. q. 1. in 1. & d. 7. q. vn. lit. A. & d. 5. q. 2. lit. O. & sæpius in sua doctrina, vbi essentiam, prout à supposito distinctam, appellat subsistentem. Sequitur Gabr. in 3. d. 1. q. 1. art. 3. Capreol. ibid. Dur. q. 2. Richar. q. 2. Caetan. 3. p q 9. art. 2. & q. 2. art. 5. & q. 1. q. . art. 3. Suar. 3. p. disp. 11. sect. 5. estque communis Recentiorum, Moli . q. 29. disp. 3. m. 2. Mirand in summ. . oncil. Annotat. ad sexta Synod. Gen.

7 Tota quæstionis decisio pēdet ex inuestigatione huius nominis *subsistentia*. Et quidem subsistentia, siuè subsistēs dupliciter vsurpari solet: vel namque subsistere importat idem, ac existere per se, non autem dependenter à subiecto in ratione inhærentis, & sustentificantis: vel secundò prout idem est, ac incommunicabiliter existere. vel tertio prout idem est, ac esse in vltima actualitate saltem in genere suo. Item aduertimus nomen subsistentiæ esse commune ad communicabiliter, & incommunicabiliter existere: est verò æquiuocum ad vtrumque; dixi æquiuocum, quia alia ratione prædicatur de essentia, alia de persona: de essentia enim prædicatur communicabiliter, de personis incōmunicabiliter. Item Alij subsistentiā ipsam concipiunt vel inconcreto, vel inabstracto: aiunt verò differre vtrūque ab inuicem, siquidem inconcreto importat personam, & subsistentiā incommunicabilem: in abstracto verò dicat quid indifferens ad subsistere vtroque modo, communicabiliter, & incommunicabiliter, denotandum & essentiam, & personas. *Subsistentia multiplex acceptio.*

8 Hinc dicendum primo, Non datur subsistentia absoluta communicabilis, quæ sit vel semisuppositum, vel semipersona. est contra Caetanū. Facilè autem probatur, repugnat essentiæ prout communicabilis est, esse semisuppositum, vel semipersona, ergo non datur. probatur assumptum, supposito, seu semisupposito competit incommunicabilitas: at subsistentia absoluta, quæ est diuina Essentia, est communicabilis, ergo. Item esse suppositū, seu personam imperfectè, & semiplenè non abstrahit totaliter à ratione suppositi, sed retinet ex parte rationem suppositi: at ratio suppositi vt suppositi, siue cōpleti, siue incompleti consistit in incōmunicabilitate, ergo essentia diuina esset incōmu- *Non datur semisuppositum, seu semipersona. contra Caet.*

municabilis. Dices nō habet plenam rationem suppositi, & ob hoc nō reddet eam incommunicabilem: Contra eatenus reddet eam incommunicabilem, quatenus est suppositum: at est suppositum ex parte, quia est semisuppositum, ergo erit ex parte incōmunicabilis: igitur essentia erit partim communicabilis, partim incommunicabilis: ergo rursus infertur iam nō fuisse essentiam totam communicatā diuinis personis, sed partem essentiæ, ergo denique maius inde infertur absurdum, quod Pater, Verbum, & Spiritus Sāctus nō essent de toto Deus, sed ex parte: sequitur hoc, nam Deitate sunt Deus, at Deitas communicabitur ex parte, cum sit semisuppositum, ergo vnaquæq; Persona nō erit completè Deus, sed incompletè, ex parte, & Semideus.

9 Rursus, quamuis Leoni competant prædicata aliqua, quæ competūt Homini, vt Ens, Animal, sensibile, generositas, & huius generis, tamen hic nec appellari poterit homo, nec semihomo, sed erit de toto leo: ratio, quoniam deest leoni vltima realitas constitutiua hominis in hominis, quo fit, vt nullatenus, nec completè, nec incompletè valeat appellari homo: ita, cum diuinæ essentiæ, seu subsistentiæ absolutæ communicabili non competat realitas formaliter constitutiua suppositi, & personæ, nullatenus appellari valebit semisuppositum, seu semipersona.

Datur subsistētia absoluta communicabilis pluribus.

10 Dicendum secundò, sumpta subsistentia non prout importat realitatem incommunnicabilis, quæ quidem supposito competit, & personæ, sed prout dicit existentiam independentem, tum in ratione inhærendi, tū in ratione terminandi passiuè in genere suo, datur subsistentia absoluta communicabilis in diuinis, quæ sit communis diuinis personis, & hæc est diuina essentia. Declaremus autem aliqualiter assertionem. Essentia diuina est substantia: item est substantia de se perfecta, & completa in genere essentiæ absolutæ. Quatenus quidem est substantia, vtique sibi competit per se existere, id est non alteri inhærere, iuxta proprium prædicamenti substantiæ, vt in cap. de substantia in logicis: ergo hinc dicendum primò essentiam, vt sic independenter à subiecto se abentem, existere, per se stare, seu, vt sic, subsistere. Quatenus etiam Relationes diuinæ nō sunt de intrinseca ratione diuinæ essentiæ, vt nunc supponimus, & infra suo loco probabimus, sequitur, vt essentia non depēdeat à diuinis relationibus: quo fit vt de se existat, per se stet, seu, vt sic, subsistat, prout naturæ ordine præconcipitur ad ipsas relationes: vt probabimus quæst. sequenti. Hinc verò deducitur non repugnare ei vt sic, subsistētiam. dixi, vt sic, quoniam hoc modo explicatior habetur resolutio quæstionis; etenim non dicimus absolutè, & in omni rigore essentiam subsistere; namque subsistentia summo rigore sumpta non essentiæ competit, sed personis: dixi autem vt sic nempe competere essentiæ ipsi subsistētiam, sed in genere suo; suo modo, & vt sic, nempe modo explicato. Probatur ex definitione substantiæ traditæ ab Isidor. qui lib. de different. c. 4. ait, *Substātia est id, quod non ab alio, sed semper ex se est, idest, quod propria in se virtute subsistit*: sic autem se habet diuina essentia, ergo. Item apud Bed. to. 8. versus fin. Commentator in lib. Boet. de Trin. col. penult. *Vsia à Deo subsistendo dicitur; sic vocatur à Græcis Vsiosis, à nobis verò propriè subsistentia.*

Assertio est Scot. & D. Thomæ.

11 Sed in primis assertio est Scoti locis citatis, qui essentiam quandoque appellat *subsistentiam*. Qui etiam docet dari indiuiduum Deitatis, quod est *Deus hic*. qui rursus ait essentiam non expectare vltimam actualitatem à relationibus, de quo quæst. seq. Modus etiam iste loquendi est d. Tho. qui in 1. d. 26. q. 1. art. 1. ad 4. ait, *Quæ dicuntur per respectum ad esse, prædicantur singulariter, vt subsistentia, et essentia.* & 1. p. q. 3. & 1. contra Gent. cap. 2. 22. docuit ipsum esse per essentiam subsistens esse Dei essentiam. & de potent q. 9. art. 5. ad 13 ait, quod relationes diuinæ hoc solum habēt, quod supposita diuina distinguant, non verò sunt principia subsistendi diuinæ essentiæ, ipsa enim Dei essentia est secundum se subsistens &c. est & alitarum,

rum, quos retulimus.

Probatur. 12 Probatur verò assertio authoritate, inde ratione. Authoritatem plures afferunt ex sexta Synod. Gener. ar. 4. in epistola Agatonis, vbi sic habetur, *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, non tres Deos, sed vnum Deum; non trium nominum subsistentiam, sed trium personarum vnam subsistentiam.* Ergo hinc deducitur vltra tres personas subsistentes dari alteram subsistentiam, hæc verò esse non poterit, nisi essentia diuina.

Vasq. respõdet. 13 Respondet Vasq. textum esse mendosum, ideoque legi debere, *trium personarum vnicam substantiam*, ita quoq; notat Iouenius in summ. Concil. atque ita legunt exemplaria plura emendata, præsertim editio facta sub Sixto V. tom. 3. Concil. fol. 259. & Codices impressi Coloniæ Agrippinæ Ann. 1606. t. 3. fol. 21. penes Ruiz de Trin. disput 33. sect. 8. Respondet secundo, ita legendum fore, quoniam conferendo sententiam hanc cum epistola altera eiusdē Agatonis ibid. art. 4. videbitur eundem sensum reddere, qui continetur in hac altera epistola: at in hac non conceditur talis subsistentia, ergo nec ibi: confirmat, quia impossibile est tam breui verborum curriculo sententiam mutasse, vt ibi negando subsistentiam, admittat inde continuo eam.

Impugnatur responsio. 14 Impugnant Aliqui responsionem primam, dicendo, ita habere veteres, & antiquiores Codices, vt habetur in sententia allata in probatione. Impugnant responsionem secundam, quandoquidem nomen subsistētiæ vsurpatur à Patribus indifferenter, tùm pro subsistentia incommunicabili, & personali, tùm pro subsistentia communicabili, in essentiali, quapropter poterat in loco vno respui, & in altero admitti iuxta exigentiam materiæ reddendo singula singulis.

Probatur aliunde ex Patris subsistentia nomen traditum diuinę essentia. 15 Quidquid tamen sit de sensu sententiæ allatæ, probari tamē potest aliunde idem intentum ex Patribus alijs. Et quidem August. 7. de Trin. c. 4. ait, *Omnis res ad res subsistit, quanto magis Deus?* & c. 5. *Hoc est Deo esse, quod subsistere: & ideo si vna essentia Trinitas, vna etiam substantia.* ergo dicitur indiuiduum Deitatis, seu indiuidua diuina essentia, quę ex Augustino *subsistem.* Hieron. epist. 57. ad Damas. *taceantur, inquit, tres hypostases, & vna teneatur.* pro vna autem intelligit essentiam, cui tamen tribuit nomen *hypostasis*, idest *substantiæ*: etenim intentum erat docere dari vnicam essentiam, at huic tribuit nomen hypostasis, non quidem sumpta hypostasi pro persona, seu pro se *subsistente*, Idemq; ibid post med. ait, *Vna est Dei, & sola natura, quæ verè est, id enim, quod subsistit, non aliunde habet, sed suum est*, vbi subsistere tribuit eidem diuinæ naturæ. & Ephes. 3. *Deus non potest intelligi aliunde habere quod subsistit.* Cyrillus Alex. & Anastas. Patriarc. Theopol. in cōpendiaria explicat. fid. inquit, *Quid est essentia? res, quæ per se est, neque altero indiget ad hoc vt ipsa subsistat.* profectò clarissimè hinc, & explicatur quæstio, & resoluitur, atque ratio redditur quare essentiæ tribuatur nomen subsistentiæ, vtpote essentia quidem subsistit, non quia persona sit, seu incommunicabilis, sed quoniam per se est, ait namque Cyrill. *neque altero indiget, vt subsistat*, quod prorsus docuimus hucusque, & vt sic loquitur Scotus, cęteriq; Patres. Isidorus lib. 2. de differentijs c. 4. definiendo substantiā ita ait; *Substantia est id, quod nō ab alio, sed semper ex se est*, idest *quod propria in se virtute subsistit.* applicando verò definitionem hanc ad diuinam essentiam, ea erit, *vt diuina essentia semper ex se sit, & propria virtute in se subsistat* Hilar. 7. de Trin. in fin. docens esse in inuicem non competere creaturis, sed personis diuinis, inquit. *Non est corporalium naturarum ista conditio, vt insint sibi inuicem: vt subsistentis natura habeant perfectam veritatem* quo in loco tribuit subsistentiam etiā ipsi diuinæ naturæ. Boet lib. de duob. natur. *Deus est hypostasis, idest subsistentia, subsistit enim nullo indigens: vnde dicimus vnam esse Vsiam, vel Vsiosim, idest essentiam, vel subsistentiam Deitatis.* Ac vt plura linquam, Anselm. Monolog. cap. 43 ait, Pater gignendo Filium dedit, *vt non per extraneum, sed per suam essentiam, sapientiam, & vitā* *Substantia quid ex Isid.* subsi-

subsistat &c. Habemus ergo tot Patres, qui apertissimè tribuunt diuinæ essentiæ numen subsistentiæ. quib. accedit Greg. Nissen. in vita Moysis inquiens, *solam Dei essentiam verè subsistere.*

Probatur ratione. 16 Probatur idipsum ratione. essentia non pendet à relationibus in sua ratione essendi, existendi, seu subsistendi communicabiliter, ergo datur subsistentia communis absoluta in diuinis. antecedens probatur, nullum prius dependet essentialiter à suo posteriori: essentia autem concipitur vt prior relationibus. Item essentia est pelagus, & radix primaria, ex qua emanant omnia ad intra, vnà cum relationibus: ergo non expectat suum esse à relationibus. Rursus si per impossibile nulla ibi esset relatio, nulla hypostasis, nulla persona, nihilominus daretur ibi hæc essentia, & hic Deus, seu indiuiduum Deitatis, quod quidē per se esset, per se staret, siue per se subsisteret independenter à relationibus. Confirmatur, quia tale Deitatis indiuiduum, seu talis Deus, vt hic, potens esset ad creandum, cōseruandum &c. ex Richard. Victor. ergo datur subsistentia, seu per se existentia Deitatis independens à personis, igitur de se habet totum, quod exigitur ad per se existentiam Præterea ipsa essentia dat esse personis, non personæ essentiæ, cùm illæ emanent ab essentia, non essentia à personis. Insuper existere, sed independenter ab alio subsistere est perfectio simpliciter, ergo nō est deneganda diuinæ essentiæ. Deniq; persona, seu relatio non complet, nec perficit, nec actuat existentiam diuinæ essentiæ, ergo de se subsistit communicabiliter, independenter à relationibus. rationes aliæ afferentur quæst. sequ.

17 Difficultas esset de existentia naturæ humanæ, quæ quidem absolutè pendet à supposito, siue proprio, siuè alieno, vnde existentia naturæ non est alia ab existentia suppositi in creaturis, igitur consimiliter taliter se habere intelligitur antecedenter ad diuina supposita.

18 Sed respondetur in primis assumptum assumere quid controuersum: vnde Thomistæ id quidem concedunt, at negant Scotistæ, dicentes habere suam existentiam propriam, ac naturalem, nec recipere à supposito siue proprio, siue alieno, nisi subsistentiam, etenim adueniente personalitate accipit modum inexistendi in persona, seu modum personatum, & suppositatum, prout in mat. Incarnationis disputatur. Item differt natura creata quoad suam existentiam à natura increata; illius namque existentia est imperfecta, & incompleta: imperfecta quidem quia expectat perfici, & actuari à personalitate, vnde personalitas est naturæ rationalis, siue intellectualis creatæ vltimus actus, & perfectio vltima: at verò diuinæ relationes personales non sunt actus, nec perfectio, inquit Scot. diuinę essentiæ, immo ipsæ promanant à diuina essentia, tanquam à pelago omnium perfectionum iuxta Damasc. vnde fit vt essentia dum est perfectissima, & infinita, de se habeat quidquid ad perfectissimam rationem requiritur essentiæ in genere essentiæ. Est insuper natura creata incompleta, quia complementū expectat à suppositatione, & personalitate: at diuina est perfectissima, atque completissima de se; quoniam naturæ diuinæ, quatenus diuina est, nil deest; est namque vndequaque infinita, tum radicaliter, ac fundamentaliter, tùm realiter, tùm formaliter: immo perfectio omnis, quæ est in diuinis, ab ipsa pullulat diuina essentia, & ipsa est pelagus omnium perfectionū, & est fons, è quo emanant omnia, quæ sunt in diuinis ad intra.

Existentia naturæ creatæ, & diuinæ differentia.

19 Dicendum tertio, mos est, tum præcipuorū Theologorum, tum Patrū existentiam quandoque vsurpare pro subsistentia, & subsistentiam pro existentia. Et quidem loquēdo de Theologis, D.Tho. 1. par. q. 29. art. 2. inquit, *per dicitur subsistere, quia per se existit.* Adsunt & loca alia recensita post assertionem secundam. Scotus quoque, ex cuius doctrina colligitur quod nomen *subsistentia*, non significat ex vi impositionis rem incommunicabiliter existentem, sed rem per se existentem, siue communicabiliter, siue incommunicabiliter, reddendo singula singulis:

Subsistentia quid de se importet.

& talis est vsus tum D.Thomæ, tùm Scoti recensitorum.

20 Loquendo autem de Patribus in primis talis vocis promiscua vsurpatio probatur ex Boet. loco sup.cit. col.penult.vbi sic ait, *Vsia à subsistendo dicitur : sic vocatur à Græcis Vsiosis, à nobis verò propriè subsistětia*.ecce quomodo existentia, siue substantia vsurpatur pro subsistentia. Hieron. supra relatus, *taceantur*, inquit, *tres hypostases, & vna teneatur*. pro vna autem hypostasi, seu subsistětia, intelligit essentiam, quam tamen appellat hypostasim, nempe subsistentiam: non enim pro hypostasi vna intelligit vnã personam, etenim assereret non tres personas, sed vnam esse in diuinis personam; ergo essentiæ tribuit nomen subsistentiæ. Et idem ibid. *vna est Dei & sola natura, quæ verè est; id enim, quod subsistit, non aliunde habet, sed suum est*: ecce quomodo subsistentiam tribuit naturæ. Hilarius recensitus, *vt subsistentis naturæ habeant perfectam vnitatem*: loquitur autem de natura diuina, quam appellat subsistentem. Ansel. ibid. *Pater gignendo Filium dedit ei vt per suam essentiam subsistat*: quid clarius? adsunt ibid.& loca alia hoc indicantia apertissimè: Vnde communiter Vasquez audacter insinuans nusquam Patres vsurpasse existentiam pro subsistentia, & subsistentiam pro existentia, quod quidem de Latinis falsissimũ esse hucusque constitit.

Existentia vsurpatur à Patrib. et Theologis pro subsistentia, & vice versa.

Vasquez arguitur.

21 Hinc verò dicimus aliter sensisse Patres Græcos, aliter Latinos; Græci enim pro subsistentia intelligũt hypostasim: Latini tamen quandoque personam, quandoque ipsam essentiã.

22 Dicendum vltimo distinctionẽ superiùs allatam de subsistentia in cõcreto, & in abstracto friuolam esse, quatenus in abstracto eam concedũt in diuinis, non in concreto, vnde dicẽdum vtroque modo vsurpari posse, ac propterea dari essentiam diuinam, cui competat ratio subsistendi modo explicato, propter quod dabitur subsistens absoluta communicabilis: dari etiam concretum, quod est Deus hic, seu indiuiduum Deitatis, ex quo fit vt Deus ipse, siue Deitas sit subsistens, nedum abstractiuè, verum, & concretiuè tenta; subsistens, inquam, absolutum, atque diuinis personis communicabile.

Subsistens absolutum communicabile, tum abstractiuè tũ concretiuè contra Gonzalez.

23 Argumenta supersunt soluenda, Ad primum verò petitum ex Concil.& Patrib. respondetur intentum eorum esse, docere in diuinis non vnam, sed tres esse personas, idque cõtra Sabellium, qui vnicam aiebat esse personam. Item pro subsistentia non accipiunt essentiam, sed personam, dũ aiunt, non vnicam esse subsistentiam, nempe non vnicam personam. Demũ loquuntur de subsistentia incommunicabili, qualis est persona, & hanc dicunt non esse vnicam, sed plures, nos verò loquimur de subsistětia communicabili, & absoluta, quæ est essentia, vnica, & non plures.

Vnicã subsistentiam qualiter negant Concil. & Patres.

24 Ad rationes verò, ad primam negatur sequela; id namq; sequeretur, si subsistentia, de qua loquimur, esset incommunicabilis, tunc enim daretur vnica persona: at illa est communicabilis, & ea est Dei essentia; non enim omnis subsistětia est persona, sed subsistentia solùmodo incommunicabilis.

Subsistětia quænam sit persona.

25 Ad secundum negatur sequela, etenim generatio, & spiratio sunt actus personales notionales; nõ enim essentia generat, aut generatur, spirat, aut spiratur, sed hæc competunt personis, de qua re, eiusque intelligentia infra suo loco. Petes, quid ergo ageret essentia, seu Deus hic, seu indiuiduum Deitatis ad intra, præscindẽdo ab his actibus personalibus? Resp. operaretur intelligendo, & amando seipsum, ac fruendo seipso &c.

Deus præscindẽdo à personis quid ageret ad intra.

26 Ad tertium negatur consequẽs: & ratio est allata; etenim illa sola subsistentia est persona, quę est incommunicabilis. Et ad alterã sequelam, quod daretur quarta persona, similiter negatur, id verò sequeretur si subsistětia hæc esset incommunicabilis, quemadmodum cæteræ subsistentiæ personales sunt incommunicabiles, at verò est communicabilis, & hæc est essentia.

Quarta subsistentia an detur.

27 Quartum concluderet si essẽtia esset subsistentia incommunicabilis. non enim omne subsistens est incommunicabile, sed solummodo subsistens personale, notionale, nõ autem essentiale.

Non omne subsistens est incommunicabile.

28 Ad

28 Ad quintum concesso antecedenti negatur consequens.

29 Ad sextum, sequeretur si subsistentia hæc esset incommunicbilis: dum namque est absoluta, si esset in incommunicabilis, profectò personæ constituerentur per absoluta: at subsistentia talis absoluta est communnicabilis, ideoq; non est persona.

30 Septimum argumentum petit difficultatem, de qua tamen quæst. sequ.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Essentia diuina expectet vltimam actualitatem, vltimum completum, vltimamq. perfectionem à Relationibus hypostaticis.

1 Vtrum verò essentia diuina vltimam actualitatem, vltimum complemẽtum, vltimamq; perfectionem expectet à relationibus diuinis, adest sententia affirmatiua, de qua infra, cum suis probationibus: ex opposito verò negatiuè sentit Scotus cum supracitatis pro tertia sententia, quos etiam iterum citabimus infra.

2 Quæstio autem hæc magna ex parte terminata remanet ex antecedenti: Verum vt distinctius eam agitemus, distincto etiam titulo, licet breuiter examinabitur.

3 Sit ergo vnica assertio negatiua, quæ est Scoti, aliorumq; vt infra, & vltra anterius dicta probatur, existentia absoluta diuinæ essentiæ est prior subsistentijs relatiuis: sed nullũ prius depẽdet à posteriori ergo essentia est in vltima sui perfectione, antequam diuinæ intelligantur consurgere relationes. minor patet, quia posterius est quod includit prius in sui quidditatiua ratione, homo enim in quidditate sua includit animal, quod est prius, nõ autem animal hominem qui est posterius. signũ autem id erit, quòd essentia ante relationum aduentum habet completam existentiam, neque actuari postulabit per relationes.

4 Insuper quod est essentialiter ad se non est ad aliud, essentia autem est ad se, ergo non ad aliud: at si existentiam expectaret à relationib. iam esset ens essentialiter respectiuum, probatur, existentia est de intrinseca ratione rei existentis, & præcipuè ipsius, vt præcedenti quæst. probauimus, ergo Deitas esset essentialiter respectiuum, ac inde esset persona, incommunicabilis, producens, verè producta, & similia absurda, quæ inde insurgũt: Dices formaliter esse vtrumq; id quidem est à fide alienum, etenim soli personę competit constitui ex absoluto, & respectiuo, vt ex essentia, & relatione, ex sententia August. omne quod relatiuè dicitur est aliquid ad se, at ex eod. id quod est ad se non est ad aliud, igitur vnicam habet existentiam, & ea erit absoluta.

Essentia si à relationibus excipit actualitatem, ergo non est de se; sed ad aliud.

5 Probatur vltra, quia si per impossibile Pater, Verbum, & Spiritus non essent, adhuc vnus numero Deus existẽs, haberet esse, crearet, esset ęquè potẽs, sapiens, iustũs, bonus, Rector, & gubernator ad extra, sicut modo est vna cum Patre, Verbo, & Spiritu sancto, vt docet D. Richard. de Sanct. Victor.

ctor.l.3.de Trin c.16.hęc autem competere nequeunt nisi enti existenti in actu vltimato,& completo, ergo vltimam actualitatem nō expectat à personis.

Essentia cū sit prima radix relationum pullulantium ab ea non expectabit actualitatē ab eis.

6 Item quomodo poterunt relationes actuare essentiā, cum ipsæ pullulent ab essentia tanquam à radice; etenim fundamentum relationum est essentia, ipsa autem est radix primaria omnium quæ sunt ibi. Essentia etiam est primaria radix omnis perfectionis, & infinitudinis, non ergo actualitatis perfectionem, seu Infinitudinem existentiæ expectabit à relationibus. hinc vero formatur vlterior ratio: essentia de se est formaliter, realiter, fundamētaliter,& radicaliter infinita, ergo nullam perfectionem expectare potest aliunde. patet antecedens, & sequela clara est, cum namq; existere Dei sit summę, & infinitę perfectionis, habebit ex se quidquid sibi essentialiter conuenit. insuper infinito nihil de se deest, sed totum quod habere potest, habet ex se, talis est diuina essentia, ergo ex se habebit vltimam existentiam: Argutio ista vim habet præcipuè in infinito fundamentali, seu radicali, quod non expectat aliunde infinitatem, non autem cogit de infinito solum formali, reali, vel identicè, cuiusmodi sunt attributa, modi & relationes, hæc namq; omnia sicut pullulant ab essentia, ita habent ab essentia radicaliter, fundamentaliter, & primario infinitatem: at non est huiusmodi infinitas essentiæ, quia ipsa sicut à nullo pullulat, ita à nullo habet infinitatem suam. & propterea argumētum concludit de ea, quod infinitum sit in ea ratio, qua habeat ex semetipsa omnem actualitatem, & existentiā, non autem à personis.

Relationes non constituunt essentiam, ergo nec dant ei actualitatē.

7 Patet amplius ex quo diuinæ relationes non constituunt essentiam, nec consequenter dabunt ei actualitatem vllam, quia quod non constituit in esse, nullam præbet essentialem actualitatem: antecedens patet, cum nulla relatio sit de quidditate entis absoluti, vel etiam si id eueniret, iam nil reperiretur in diuinis purè absolutum,& ad se, cum tamen prima perfectio creaturarum, quæ est esse de prædicamento absoluto substantiæ, nullo modo sit deneganda Deo, imò non modum ibi est substantia, sed perfectiori notione substantia illa diuina vocatur à oetio supersubstantia. id vero totum cessaret si actualitas vltima foret à relatione.

Relationes adueniunt ad essentiā, non vt perficiant, aut actuent: sed pullulando indicāt infinitā perfectionem.

8 Sed dices, si ita res se habet, cur ergo adueniunt in diuinis relationes illæ, vel n. frustra ibi sunt, vel adueniunt tanquam vltimato actuantes, complentes,& terminantes essentiam Dei. Respondeo non aduenire vt vltimatū actum præstent essentiæ beatæ, de se n. sufficientem habet, & vltimatā actualitatem, seu existentiam, quæreres autē vnde eæ proueniāt,& quare, id ad materiam transfertur productionum diuinarum, vel ratione infinitæ perfectionis eiusdem essentiæ, quæ cum fæcunda sit ex plenitudine perfectionis suæ tendit in supposita diuina communicando illis perfectiones suas, instar Rosæ v.g. fæcundissimæ, vel instar intellectus & voluntatis nostræ, seu cordis iam grauidi, quod ex plenitudine eructat voces, & conceptus, sed de hoc suo loco: modo tamen non ad diuinæ essentiæ perfectionem addendam eæ admittuntur, quin potius eædem relationes à posteriori signa sunt ostensiua perfectionis infinitæ eiusdē diuinæ essentiæ, quapropter cum eis non egeat, veluti ex se sola primario, radicaliter,& fūdamentaliter, seu formaliter infinitè perfecta, nec existentiam suam à suppositis expectabit, nec mendicabit, sed ipsa est prima radix, ex qua omnia pullulant ad intra.

Essentia ad instar Rosæ fæcundissimæ. sicut plantatio Rosæ &c.

Suppositalitas creatæ non dat naturæ creatę rationem simpliciter existendi.

9 Deniq. ex existentia creaturarum liceat idipsum arguere penes existentiam Creatoris. existentia quidem creaturæ ordinatur ad vltimatam rationem personæ, seu suppositalitatis, vt patet: at suppositalitas illa non cōfert eidem creaturæ rationem absolutè, & simpliciter existendi. patet in humanitate Christi Domini, cuius existentia non habetur à supposito: confirmatur, quia recedere potest suppositum incorrupta remanente ratione indiuidua, & singulari naturæ creatæ existentis, ergo non à supposito accipit existentiam: quod si ad suppositum ordinetur talis natura, id aliunde prouenit.

uenit; vt verbi gratia aliam accipiat actualitatem, qua reddatur prorsus incommunicabilis, & non ordinabilis vlterius ad alienum suppositum: cæterum talis ordinabilitas non est ad actualitatem primæ existentiæ, eam. n. dicitur anterius possidere, saltem natura, antequam actualitatem recipiat incommunicabilitatis. ergo diuina essentia actualitatem absolutam, & cõpletam existendi rationem recepit iã antecedenter ad relationes diuinas, & hypostases.

Cõfirmatur ex Scholasticis. 10 Hanc etiam substinuere sententiam Scot. in 3. d. 1. q. 2. §. ad quæst. in fin. cuius verba sunt ista, *essentia nullũ esse habet à persona, sed est prius naturaliter quam sit in persona, & dat esse personæ: est. n. natura de se hæc*. sic Scot. est consimilis locus eiusdem Scoti in 1. d. 7. q. 1. & d. 27. ad 4. pro tertia via. & 2. d. 1. q. 2. ad secundum pro Henric. & d. 5. q. 2. §. tertio principaliter. Caet. 1. p. q. 39. art. 4. & q. 2. art. 2. & q. 3. art. 3. OKam 3. d. 1. q. 1. Richar. ibid q. 2. cum Gabr. ibid. & Durand. & Capr. ac Palud. cæterisq; communiter, & recentiorum, vno vel paucis exceptis, Rãd. 1. p. controu. 17. in secunda appendice. ac in 3. p. controu. 2. art. 1.

Ex Patrib. 11 Estq; etiam D. August. 7. de Trin. c. 4. & 5. dicentis *diuinam naturam ad se subsistere, nam omnis substantia ad se subsistit, quanto magis Deus*. & sumit ibi Deum substãtiuè pro indiuiduo Deitatis, non autem relatiuè, seu adiectiuè pro aliqua producentium, seu productarum personarum & D. Damasc. l. 1. c. 5. & lib. 2. c. 6. de fide orthod. dicentis, *relatio non est actus diuinæ naturæ*. & expressius cunctis loquitur Damascenus, & conuincit omnino aduersarios. item sexta Synodus generalis actio. 4. ait, *confitemur non trium nominum subsistentiam, sed trium substantiam, seu trium personarum vnã subsistentiam*. en quatenus subsistentiam non à personis mendicat, sed ab essentia, qua mediante inde tres personæ vnicam dicantur gerere absolutam existentiam, sed de hoc in sequ. artic.

Aduersariorum oppositiones. 12 Opposita vero sententia, quæ est Alex. p. 3. q. 2. mem. 3. Henric. quol. 5. q. 8. D. Bonau. 3. d. 1. q. 3. art. 1. & Vasq. 1. p. disp. 135. c. 3. sic potest probari. Essentia per se existit in personis, ergo existentiam, & per se existendi modũ recipit à personis. consequens patet, & antecedens probatur, essentia reperitur in personis, & non est extra personas, ergo existit in personis: Secundò: essentia vltimatè existit in personis, ergo vltimus actus essentiæ est à personis. antecedens prob. quia vltimus terminus communicationis est persona cui communicatur, ergo vltimatè existit in persona: sed vltimus terminus debet vltimatè actuare, & terminare id quod est ad terminum, ergo à personis habet essentia actualem suam existentiam.

Essentiam per se existere in personis qualiter intelligatur. 13 Sed respondetur ad primum, quod illud per se potest habere multiplicem sensum: vel per se, quod personæ dent essentiæ actum, & rationem per se essendi, hoc est, simpliciter esse: vel quod ipsa essentia det esse personis per suam communicationem, & per hanc dicatur esse in personis, quatenus communicatum est formaliter in eo cui fit communicatio: vel tertio quod per se esse, idem significet ac secum identificare id, in quo per se est, tanquam ratio formalis infinitè constitutiua personæ primo sensu falsissima est maior, quia non persona dat esse essentiæ, sed ex essentia pullulant personæ: ergo in hoc sensu negãda est maior. secũdo autem sensu verissima est, quia ipsa dando esse per se personis dicitur esse in personis, quia sicut forma quæ dat esse intrinsecè composito, dicitur esse per se in composito ita essentia abstractib. imperfectionibus formæ dicitur in personis per se esse, quia per se, & intrinsecè dat esse personis. vel tertio, erit etiam bonus sensus, ille tertius, quatenus nõ poterit sibi personas identificare, nisi sit formaliter in illis tanquam intrinseca ratio per se dandi esse personis.

Essentiam existere vltimatè in personis qu aliter intelligatur. 14 Dicimus ad secundum, distinguendo illud vltimatè: vel est sensus quod ipsa vltimum existendi actum accipiat à personis, vel quod termini vltimati, qui fluunt ex essentia, vel quib. communicetur essentia, sint personæ: primo sensu falsa est propositio vt patuit: secundo autem sensu concedenda est loquutio, quia verè his per-

personis per essentiam communicantur diuina, & non alijs, quia repugnat plures alias reperiri personas, & plures alios terminos communicationis per generationem, & per spirationem actiuam: ideo vltimatè existit in his personis. vel etiam dicendum, aliud esse existere per personas, & aliud existere in personis: primus sensus falsus est, quia personæ existunt per essentiã, cùm ab ea habeant esse, & non essentia per personam: alter sensus est verus, vt est declaratum.

Suppositũ ad naturã creatam nõ dat actum existendi, sed incommunicabiliter subsistendi.

15 Dices suppositum ad naturam creatam addit vltimatam actualitatẽ per quam vltimatò subsistat, ergo persona addit ad essentiam eandem vltimam actualitatem: Respondeo primo suppositum ad naturam creatam nõn addere actum absolutè existendi, quia prior natura est existentia creata, quã suppositalitas eius, sed addere actum incommunicabilitatis, itaq; non dat esse simpliciter, & absolutè, sed secundum quid, quod patet de natura creata Christi, quæ absq; propria suppositalitate habet verum esse, & existentiam actualẽ extra causas suas: ideoq; esse suppositale vocatur esse secundũ quid, & secundarium, tum quia existentia potest esse sine eo, tum etiãm quia dat solum esse incommunicabile. consimiliter suppositatio diuina non dat esse simpliciter essentiæ diuinæ. sicut autem naturæ creatæ suppositum addit non actum existendi, sed incommunicabiliter subsistendi; sic diuina persona non dat essentiæ actũ existendi, sed suppositalitas dat ipsi personæ actum incommunicabiliter se habendi.

Cõfirmatur totius quæstionis discursus, quandoquidem essentia diuina est de se hæc: igitur de se habet vltimam perfectionem, complemẽtum, & actualitatem: Natura creata non est de se hæc ideoque est contrahibilis, & in potentia ad perfectionẽ suppositi, quam de se non habet: demùm essentia diuina est infinita, ac proinde nullam perfectionem à relationib. tãquam posterioribus se expectat: natura creata finita ideoque expectat perfici à personalitate.

QVÆSTIO IX.

Vtrum in Diuinis vtendum terminis, *Non idem: Non vnum: Distinctio: Discretio: Secretio: Differentia: Diuersitas: Diuisio: separatio: Alius: Aliud: Alter, Alterum: Dissimilitudo, Disparitas, Alienatio, Extraneitas.*

1 Cum personæ omnes idem sint cum essentia, non proponuntur hi termini explicandi in ordine ad essentiam, sed in ordine inuicem ad easdem personas.

Non idem an in diuinis.

2 De primo autem loquẽdo, quod est *non idem*, id sumitur vel essẽtialiter, vel notionaliter: primo modo non habet locum in diuinis, cùm sint idem personæ essentialiter: ergo secundus dabitur locus, ac proinde non erunt *idem* personaliter. Penes Formalistas non identitas prædicatur de duobus, quorum alterum sit ens positiuum, alterum negatiuum: vel de duobus ambobus negatiuis: exemplum primi, Chimera, & lapis, vt Chimera non est idem

idem cum lapide: exemplum secundi, de duabus Chimeris, quarum altera non est idem cum altera, & viceuersa; *Non idem* non sic locum habet in diuinis; ratio quia non identitas ex parte sui subiecti postulat subiectum negatiuũ: at personæ omnes sunt positiuæ: Vbi subiectum est negatiuum, vel etiam prædicatum, vt in terminis allatis, ibi non valebit alia prædicatio, quàm negatiua, vt *non idem*, etenim licet de lapide dicamus quod distinguitur à Chimera, competit namque lapidi nomen distinctionis, quia lapis est verum ens reale; tamẽ Chimeræ non potest cõpetere nisi non identitas, dicendo, Chimera non est idem cum lapide, vel cum Hircoceruo, quia entia positiua non sunt: at verò in diuinis non contenti sumus *non identitate*, seu distinctione negatiua, dicendo, personæ non sunt idem, sed vlterius addenda erit vera distinctio à parte rei, quia verè habẽtur ibi à parte rei, vt infra, cum hoc tamen, licet personis, quia entia positiua sunt, competat distinctio, vt dicemus: quia tamen cum distinctione stat non identitas, hinc dicendum etiam non esse idem.

Nõ vnum. 3 De secundo, *Non vnum*: hoc insuper dupliciter teneri solet, per id namque negatur vnitas: Vnitas autẽ ista vel se tenebit masculinè, vel neutraliter: primo modo, vt *Vnus*, secundo, vt *Vnum*: loquendo de primo, minimè est admittendum in diuinis, esset namq; sensus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus: at id falsum, quoniam masculinum penes cõmunem animi acceptionem denotare solet personam: at personæ Trinitatis non sunt vna, sed plures, ergo non cadit ibi masculinè *vnus*. loquendo autem de secundo, benè currit; ratio, quia *Neutrum* indicat essentiam, & naturam, at obtinent eandem numero essentiam, ergo verè dicimus, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus sunt *vnum*: confirmatur ex ore eiusdem Verbi incarnati, *Ego, & Pater vnum sumus* Ioan. 10. & ex Ecclesia in himno, *Nunc Sancte nobis Spiritus, Vnum Patri cum Filio*: atque in Offic. Trin. *te Vnum in substantia confitemur: Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*: ac denique Nazianz. tract. de fide post initium, explicans prædictum locum Ioannis *Ego, et Pater vnum sumus*, inquit, *Vnum ad vnitatem Diuinitatis refert; sumus autem, pesonis assignat.*

4 De tertio, *Distinctio*: iuxta datã hucusq; variam nominis vsurpationẽ admitti, vel respui potest in diuinis: loquendo namque de distinctione essentiali, neganda ibi est, propter idẽtitatem essentiæ, & consubstantialitatem personarum: loquendo de notionali, personali, verè ibi apponitur: sicque cõmuniter vsurpatur distinctionis nomen in diuinis: sic Concilia, Patres, Theologi &c. latius autem patet hoc nomen, vt ambæ scholæ assignent vlterius distinctiones, ex natura rei formalem, & modalem, reddendo singula singulis iuxta varietatẽ materiæ, de qua agunt. Hinc Concil. Toletan. 1. in assert. fid. fatetur *Trinitatem personis distinctã*. & 11. in profess. fid. *Personas distinguimus non Deitatem separamus*, & in cap. damnamus de summ. Trinit. & fid. cath. *Distinctio assignatur in personis, & vnitas in natura*. Cyrill. lib. 1. Thes. c. 8. *Nec Pater Filius est, nec Filius Pater, & hac sola distinctio in eis*. ac Fulgent. c. 1. de fide ad Petr. *Pater, Filius, & Spiritus sanctus personarum sunt ab inuicem proprietate distinctio.* *Distinctio*

5 De quarto, *Discretio*: Cõcedi põt hoc nomen in personis, quapropter verè dicũtur ab inuicem discretæ: sic eas vocat Concil. Lateran. in c. firmiter de summ. Trin. & fid. cath. & Concil. Tolet. 1. & 2. in confess. fid. atque Richar. Victor. lib. 4. de Trin. c. 15. discretio autem idem est, ac distinctio personalis, non essentialis: & ita Ecclesia canit in præfat. Trinitatis. *Sine differentia discretionis sentimus*, nempe sine discretione essentiali. *Discretio.*

6 De sexto, *Secretio*: vtrum sicut personas conceditur esse ab inuicem discretas, item concedendum veniat esse ab inuicem *secretas*: affirmat Smysing. de Trin. disp. 5. q. 2. num. 35. existimans idem esse *secernere*, ac *discernere*: negat melius Vasqu. 1. par. disp. *Secretio.*

131. c.2.nu.9. asserens *secretionem* idẽ esse, ac diuisionem: negatur autem ibi diuisio, vt dicemus, ergo & secretio. Confirmatur, siquidem *secernere*, idẽ est, ac *segregare*; hoc autem ibi non est, non enim persona est à persona segregata, ergo &c. nisi tamen latè sumatur *secretio*, cõfundendo eam vna cum distinctione.

Discrimen. De voce *discriminis*, vtrum sit apponenda in diuinis, talis est Patrũ citandorum resolutio, vt si ad personas referatur, admittatur, si ad essentiam, negetur. ita Basil. ep. 43. *Vnaquæque personarum proprijs notionibus discriminatim agnoscatur.* Nyssenus lib. de different. essent. & Hypost. ait *Inter diuinas personas esse distinctionem, ac discrimen.* remouet autem hanc vocẽ ab essentia Isid. lib. 2. epist. 143. reprehendens Gentiles, *Qui personarum discrimen stulte ad essentiam traxerint.*

Differẽtia. 7 De septimo, *differentia.* admittitur cum addito, *personalis*: sic namque passim currũt loqutiones Theologorum personas ab inuicem differre: sicq; Damasc. lib. 1. de fid. Orthod. cap. 18. *solis personalibus proprietatibus differre ab inuicem sanctas hypostases*: & in Concil. Florent. sess. 18. *non vlla alia ratione, quam vi relationis: Patrem à Filio, ac vnam personam ab alia differre.* Item Nazianzenus id vsurpat Orat. 35. Richard. Victor. sup. cap. 20. diuus quidem Thomas vocem hanc suspectã habet 1. p. q. 31. art. eo quod videatur differentiam importare in natura: nihilominus cessat omne dubium, dum specificatio additur, inquiendo differentiam non esse essentialem, sed personalem: in hunc sensum Damascenus, Concil. Floren. alijque eam vsurpant: quos sequuti sunt inde Magister in 1. d. 24. Alensis 1. p. q. 40. vocans *differentes proprietates*: & ad 1. ait, *Hæc differentia facit differentiam personarum*; Bonau. in 1. d. 8. p. 1. q. 1. *Est differentia proprietatum in diuinis.* Athanas. dial. 1. de Trin. *Dicimus proprietatum differentiam, in hypostasi, non autem in essentia.* Basil. homil. 28. *Tu verò ex eo, quod dicit exiui à Patre, differentiam personarum disce.*

Diuersitas. 8 De octauo, *Diuersitas*: vtrum vox hæc vsurpari possit in diuinis, negat D. Thomas: conueniunt ad hoc Patres, vt August. 7. de Trin. cap. vlt. Fulgent. l. 3. ad Trasim. c. 6. Hilar. 4. de Trin. Lactant. l. 4. diuin. Instit. c. 29. probatur primo, quoniam diuersitas non est idem, ac distinctio: nec idem, ac differentia, sed aliquid aliud addit: non ergo si conceduntur illa, concedenda est ista. secundo, siquidem diuersum dicimus Socratem à Caio, nõ tantum in persona, sed & in natura substantiali: cum verò sit in diuinis identitas naturæ, quonam pacto admitti poterit in rigore ibi diuersitas? A contrario autẽ Concertãtes Theologi vti solent voce hac, dicendo personas distingui iuxta diuersas proprietates personales: Alij aiunt proprietates istas, seu differentias vltimas esse primo diuersas, quia sunt vltima distinctiua, quibus iuxta Formalistas, nihil sit commune &c. Nihilominus stat solutio data cum D. Tho. & Patribus, vt abstineamus à tali voce, ne videatur diuersitas importari naturę: Ad Scholasticos verò dicendum, eos iam modificatè loqui, etenim non vtuntur voce hac absolutè, & simpliciter, sed cum addito, nempe *personali* faciendo eam cadere non super essentiam, sed super personam: vel latè sumunt eam, pro distinctione &c. adest verò Scoti locus in 1. d. 24. q. 1. §. Respondendo: inquiens *concedi ibi distinctionem sine diuersitate*: quapropter ipse etiam abhorret à voce hac, ne diuersitatem indicet diuinæ naturæ: Confirmatur etenim hoc idem habet August. qui lib. 7. de Trin. cap. 4. *timuit dicere tres essentias. ne intelligeretur in illa summa æqualitate vlla diuersitas.* Fulgent. 3. ad Transimund. *Pater alterum genuit, nõ diuersum.* Leo 1 *Nihil diuersum ab excellentia Patris, & Filij cogitemus.* Lactant. lib. 4. de vera sap. *Cum dicimus Deum Patrem, & Deum Filium, non diuersum dicimus.* Epiphan. hæres. 69. *Nihil est in Patre diuersum à Filio, nec in Filio diuersum à Spiritu.* atq; Tertullianus cum dixisset, *Alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sãctum*, subdit inde, *Male accipit idiotes quisque, aut peruersus, quasi diuersitatem sonet &c.* Diximus verò Theologos scholasticos

cos vti diuersitatis nomine, prout cadente super proprietates personales: quę quidem doctrina est etiam Patrũ, etenim August. 5. de Trin. cap. 5. ait, *Quamuis diuersum sit Patrem esse, & Filium esse, non est diuersa substantia.* Isidorus lib. 1. differ. 2. *Trinitas propter personarum diuersitatem vocatur.* Hieron. in Isa. 6. *In Euangelio legimus dicentem Dominum, Ego, & Pater vnũ sumus; Vnum ad naturam referimus, sumus, ad personarum diuersitatem.* Boet. 2. de Trinit. *Trinitatem personarum diuersitas facit.* Demum apertissimè rationem reddendo, explicat Anselm. Monol. c. 43. *Sic diuersi sunt, per hoc, quod alter est Pater, & alter Filius, vt nunquam dicatur, aut Pater, Filius, aut Filius Pater &c.*

Diuisio. 9 De nono, *Diuisio, separatio*: planè constat non raperiri in diuinis: ait enim Christus sup. *Ego, et Pater vnum sumus.* item arguens cõtra Hæbreos, atque dæmones, ait, *omne regnum in seipsum diuisum destruetur: at Ego, & Pater vnum sumus*: Inseparabilitas autem, & indiuisio constat ratione identitatis essentiæ, tùm voluntatis, intellectus, perfectionum, operationis, & huiusmodi. in rigore autem Philosophico non valet consequentia, distinguuntur hæc, ergo separantur, siue possunt separari; magis enim patet saparatio, & diuisio, quàm distinctio: licet ex opposito benè infeeratur, separantur hæc v.g. ergo distinguũtur; qnia nulla maior ratio distinctionis realis aliquorum, quàm separabilitas eorundem: in diuinis autem stat distinctio, non separabilitas, nec diuisio. & huc etiam spectat illud in præfatione Trinitatis, *siue differentia discretionis sentimus.* sumendo pro discretione separationem, diuisionem, segregationem. Hinc Fulgent. lib. de fide ad Donat. *In illa Trinitatis natura sic totum vnum est, vt nihil possit sibi separari vel diuidi.* Concil. Nicæn. lib. 2. *Inseparabilis, & indiuisa Trinitas, Patris, Filij, & Spiritus sancti.* Basilius homil. 28. contra Sabellium: *ex Patre Filius, nõ separatus à Patre.* & Magist. in 1. d. 24. lit. H. *Dicitur, ibi esse distinctio, non diuersitas, diuisio, aut separatio.*

Alius Aliud. 10 De decimo, *Alius, Aliud, Alter, Alterum*: hæc siquidem si masculinè se teneant admittuntur; si neutraliter, nequaquam: Et primo, loquendo de *Alius* valet dicere, Pater est alius à Filio Athanas. in synod. *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.* ita etiam docuit idem Filius de Spiritu sancto Ioannis 14. inquiens, *& alium Paraclitum dabit vobis*: & c. 5. *Alius est qui testimonium perhibet de me.* ergo masculinè tentum *Alius* admittitur in diuinis, denotans distinctionem Personarum. Hinc Tertullian. lib. contra Praxeam c. 12. *Alium autem quomodo accipere debeas, iam professus sum: persona, non substantiæ nomine: ad distinctionem, non ad diuisionem.* Neutraliter tamen non conceditur, quoniam denotaret distinctionẽ naturæ dicendo Pater est aliud à Fillo, & Spiritu sancto: ita namque vsu etiam loquẽdi acceptum est; quãdoquidem interrogationem faciendo per *Quis*, intelligitur suppositum; vt quisnam est ille? cui respondebitur v.g. Sortes: interrogando vero per *Quid*, intelligitur natura, vt quid hoc? respondebitur, hoc est aurum, illud argentum: ita de neutro negant Aug. lib. de Ciu. De. c. 11. Concil. Ephesin. tom. 2. c. 7. Fulgent. de fide ad Petr. c. 1. Leo Pap. serm. 2. Pent. & sexta synod. act. 11. *Pater, Filius, & Spiritus sanctus, aliud, & aliud, & aliud non dicatur.*

11 Consimiliter de *Alter* masculinè tento, conceditur, Pater est alter à Filio, alteritas enim masculina, est personalis, sic Fulgent. citatus in resp. 7. obiect. Athanas. ser. de æterna subst. fil. at *Alterum* neutraliter sumptum negatur à Bernardo epist. 190. propter alteritatem essentiæ, quæ tamen vna, & eadem est in personis: verba autem hæc sunt totam assertionem declarantia, *Quod alter ex altero veracissimè dicitur, personarum designatio est, non vnitatis diuisio: non tamen ibi est alterum, & alterum, sed simplex vnum.* & Athanasius lib. 2. de vnitat. De. *Vides quia altera ab altero, siue alius ab alio, in persona tantum differt.* Alter Alterum.

12 Denique *Dissimilitudo* locum non habet ibi: ita August. 7. de Trin. cap. vlt. & D. Thom. sup. cit. ratio, quia Dissimilitudo.

dissimilitudinem importet naturæ, cùm tamen personæ sint inuicem similes. Ita quoque remouenda sunt, *Disparitas, Discrepantia, alienatio, extraneitas* propter eandem rationem, ne diuersitatem indicet naturæ; cùm tamen personæ sint alioqui æquales, concordes, atque vna sit in altera per circumincessionem, sintque personæ omnes ratione diuinæ essentiæ essentialiter vnum, & idem, distinctæ suppositaliter.

QVÆSTIO X.

Vtrum in diuinis possint esse plures productiones eiusdem rationis.

1 NAm de fide est duas tantum esse in diuinis productiones: easque esse alterius rationis, vt visum est, & amplius videbitur; nunc vero rationes eximantur, quib. probatur non posse esse plures eiusdē rationis, vt plures generationes, plures genitos, plures spirationes, pluresq; spiratos: primo autem loco sese offerunt rationes D.Tho. inde Henrici.

2 Quoad D.Thom. ipse 1.p.q.41. art.6. sic probat non dari plures productiones eiusdem rationis. primo, formæ eiusdem speciei non possunt multiplicari, nisi multiplicata materia: sed in diuinis non adest materia; ergo nec multiplicantur processiones eiusdem rationis. Secundò, Deus vnica intellectione omnia intelligit, ergo in eo reperitur vnicum Verbum: ita de voluntate, vnico volendi, & amandi actu omnia amat, & vult, ergo vnica spiratio, & vnicus Spiritus sanctus spiratus. tertio, natura determinatur ad vnum; ergo in omni genere productionis vnicū erit productum. Quartò, tota filiatio est in filio: totaq; spiratio passiua est in Spiritu sancto, ergo non plures filij, nec plures Spiritus sācti: ex quo sequitur vt vterque sit adeo perfectus, vt non possit plurificari nec filius, nec Spiritus sanctus hæ sunt rationes D. Tho.

D. Thomæ probationes.

3 Rationes has demonstrat Scotus in quol. 2. non concludere, sed assumere aliqua falsa, & minus probata, vel subdubia: de prima autem dicit, falsum esse formas non posse multiplicari sine materia: nihilominus propositionem hanc, duplicem, inquit, posse habere sensum: vnus est, quod ideo non possit multiplicari, quia sit de se hæc: alter est, quia licet de se sit multiplicabilis, nihilominus, includit totam entitatem, & materiam illius generis, & speciei, ita vt tum intensiuè, tum extensiuè contineat totam speciem, & ideo non possit multiplicari. primus sensus est falsus, etenim nulla natura creata est de se hæc, sed sola natura diuina item natura angelica est immaterialis, & non est de se hæc, immo est multiplicabilis in indiuiduis: insuper si natura angelica est de se hæc, & immultiplicabilis, vtique erit contradictio intelligere eam vt multiplicabilem; sicut cōtradictio est intelligere hominem irrationalem; & Deum multiplicabilē in plures Deos: at hoc est falsum de natura angelica, quia Theologi plures intelligunt sine contradictione, & absque contradictione sustinent oppositum, multiplicari naturam angelicā in indiuiduis, vt in mat. de Angelis: immo & Damascenus in element. c. 12. tenet oppositum, cum alijs, vt ibi. igitur carentia materiæ nō est causa negationis multiplicationis: Præterea contra hoc, sunt

Formam non posse multiplicari sine materia, an verum.

Articuli Parisienses sunt tres articuli Parisijs damnati, tanquam errores: primus est, quia Intelligentiæ non habent materiam, ideo Deum non posse facere plures, error est; secundus Deum non posse multiplicare indiuidua eiusdem speciei, error est, tertius, formæ non recipiunt diuisionem, nisi secundum diuisionem materiæ, error est; nisi intelligatur de formis eductis de potentia materiæ. secundum ergo istum primum sensum non currit ratio hæc prima D.Tho. spectando autem alterum sensum, iam inde constat naturam v.g. Michaelis, non esse de se hanc; ergo per Dei potentiam posset natura eius esse in alio supposito, destructo Michaele si vellet Deus: sicut posset Deus destruere hoc cælum, hunc solem, hanc lunam, & naturam eorum apponere in alio supposito destructis illis. Cum insuper natura horum non sit de se hæc, poterit eam, stante eorum primo supposito, multiplicare in alijs suppositis: & hinc restat, vt nequaquam includat forma immaterialis creata totam entitatem speciei, quia non est de se hæc; & consequenter, nec extensiuè includet omnia indiuidua, vnde remanet, vt sit plurificabilis.

Anima ordo ad corpus qualis; 4 Item anima rationalis est immaterialis, attamen est multiplicabilis sub eadem specie, ergo. Dices multiplicari per aptitudinem, & ordinem ad materiam, siuè ad corpus informabile: Contra, anima est terminus creationis prius natura, antequam infundatur corpori; ergo est natura talis, & singularis ante ordinem ad corpus. Dices, esse quidem priorem vnione actuali, non autem vnione aptitudinali ad corpus, sed esse simul natura cum illa: Contra, omnis natura absoluta præcedit respectum, & aptitudinē ad quodcunq; prob. omne absolutum debet præcedere respectiuū, siuè omnis respectus debet esse posterior suo fundamento absoluto: ergo aptitudo ad corpus erit posterior natura anima. Item nullus respectus potest esse de ratione absoluti alias absolutum simul esset absolutum, & respectiuum; cum ergo aptitudo, quæ est respectus, nō sit de ratione animæ; quæ est quid absolutum; nec sit simul natura cum ea, remanet, vt multiplicatio fiat absq; tali relatione ad materiam. Dices, non fit multiplicatio animarum sine ordine ad materiam, quia iam Deus non creat animas, nisi in ordine ad vnionem corporis. Resp. quod ita quidem est, non enim animas creat, vt per se sint, & per se stent, separatæ à corpore; attamen ratio præcisa multiplicationis formæ immaterialis non est ordo materiæ: animam namq; consideramus, vel vt forma corporis est: vel vt ens spirituale est: primo quidem modo creatur in ordine ad corpus, quia creatur vt informet, & propterea definitur, quod sit forma corporis: secundo autem modo, nequaquam ordo ad corpus pertinet ad multiplicationem entis spiritualis, & immaterialis; quod vero talis ordo contingat, per accidens erit enti spirituali. Confirmatur, anima dicit ordinem ad hoc corpus, & non ad aliud: & dicit ordinem ad corpus huius speciei, & non alterius speciei; ergo de sui natura, quatenus est ens spirituale, & immateriale, præscindendo à ratione formæ, poterit abstrahere ab omni corpore, & consequenter multiplicari absq; omni ordine ad materiam, & corpus, sic de Angelis.

5 Circa secundam probationem D. Tho. ait Scotus non esse vniuersaliter veram propositionem illam, vbi est vnicus actus intelligendi, ibi est vnicum Verbum: nam non erit vera gratia formæ, licet in nobis sit vera gratia materiæ: & quidem supponit D.Tho. verbum produci per intellectionem in diuinis, quod negat Scot. de quo suo loco. Item in nobis est verum quod si haberemus vnicum actū dicendi; haberemus vnicum actum intelligendi; cum enim intelligere in nobis producatur per dicere. ergo quot dictiones, tot intellectiones: igitur si vna intellectio, vna dictio: at in diuinis non sequitur gratia formæ, est vnā intellectio, ergo vnicum Verbū, quia Pater v.g. haberet vnam intellectionem, at data hypothesi, non concluderetur quod non haberet plura dicere, seu plura verba, quia intellectio Patris non esset terminus dictionis: & propterea ex vnitate intellectionis in *Vbi est vnicus actus intelligendi, ibi est vnicū verbū, an verum.*

diui-

diuinis non concluditur gratia formæ vnitas verbi, siuè dictionis: in creaturis autem si vnica esset dictio, vtique vnica esset intellectio, quia intellectio nostra producitur per actum dicendi; ergo si est vnica dictio, est vnica intellectio, & viceuersa si est vnica intellectio in nobis, est etiam vnica dictio. ergo ratio non concludit. Insuper nec sequitur gratia formæ, est vnicum intelligere, ergo est vnicum Verbum, quia sol est vnica luce luminosus, & tamen habet multos actus illuminādi, ergo licet sit vnicum intelligere, non tamen sequitur gratia formæ, vt nō possit habere multa verba, & multa dicere.

Natura est determinata ad vnū qualiter verum.

6 Circa tertiam, cum ait, natura est determinata ad vnum, ergo vnicus filius, ait Scot. sensum propositionis esse, naturam esse determinatam, non quidem ad producendū numero vnū: sed ad vnum modum agendi, ignis nāque est quidem determinatus ad vnū modum producendi calorem, & ignitionem, qui modus est modus agendi naturaliter; attamen potest producere plures ignitiones, pluresq; numero calores: ad propositum autem non concluditur, vt Pater sit determinatus ad producendum vnicum Verbum, licet concludat vt sit determinatus ad vnū modum producendi Verbum.

7 Circa quartam, ex eo, quod tota filiatio est in filio, non concluditur, vt nō possit habere plures filios; nam licet tota filiatio intensiuè sumpta sit in filio; nihilominus non est, siuè non concludit esse totam in eo extensiuè sumptam; quia filius non habet Deitatem secundum omnes modos habendi eam; non enim habet eam eo modo, quo habet eam Pater, & Spiritus sanctus: ille à se, & iste per spirationem: ergo licet sit filius perfectus intensiuè, tamen non concludit quod habeat filiationem secūdum omnem modum habendi eam extēsiuè si plures filij esse possent extensiuè, posset namque dici, quod hæc quidem filiatio habetur ab hoc filio, & alia filiatio per alium modum haberetur ab alio filio.

Henrici probationes.

8 Accedit secundo loco Henricus probans intentum: is autem quol. 6. q. 1. sic probat, tota fæcunditas ad generandum remanet exhausta in generatione vnius filij: & tota fæcunditas ad spirandum remanet exhausta in spiratione vnius Spiritus sancti; ergo non possunt dari plures filij, & plures Spiritus sancti. Contra hoc obijcit Scotus, & ait, fæcunditatem totam Patris esse exhaustam, posse habere duplicem sensum: alter est, quod adeo euacuetur, & extrahatur, vt nihil proc sus eius remaneat; quemadmodum dicatur aqua totaliter esse exhausta, vt nihil eius remaneat in puteo: & sensus hic est falsus; nam non obstante quod Pater generet, nihilominus remanet, & perseuerat in Patre eadem fæcunditas. alter sensus est, eo modo exhauriri, vt non possit filium alterum generare, quemadmodum fons qui sufficiēs sit ad vnicam quidem potationem, non vero ad aliam: & hoc modo non diceretur fæcunditas exhausta simpliciter, & absolutè, sed in ordine ad secundam potationem: hoc autem stātè, inquit Scot. argumentum non probat adeo exhaustam esse fæcunditatē Patris, vt non possit alium producere filium, hoc enim esset probandum. Probat vero id Henricus sic, generatio filij semper stat, ergo non potest alius filius haberi, quia haberentur simul duo filij, Aristoteles autē 5. phys. t. c. 37. ait idem non posse simul moueri motib. contrarijs. Respondet Scot. negando consequ. ad probat. ait, ideo non posse haberi alium filium, quia generatio primi filij semper stat, at si per impossibile non perseueraret, non probat argumentum, quod non posset alium filium producere; igitur impossibilitas producendi alium prouenit ex data hypothesi de generatione eadem perseuerante, non autem absolutè, & simpliciter. Confirmatur, si sol haberet illuminationis actū sibi adæquatum intensiuè, quatenus esset illuminatio perfectissima: & esset etiam adæquatus extensiuè, ita vt illuminaret omne corpus illuminabile, & ille actus semper staret; non posset vtiq, habere tunc aliam illuminationem, non quidem ex parte sua, quia est agēs naturale, & necessario ageret, sed quia staret semper illa illuminatio, igitur aliunde

Generatiuam, & spiratiuam potentiam remanere exhaustam an verum.

aliunde posset. etiam ex parte saltem sua illuminare, ergo similiter de Patre. Item si potentia generatiua in diuinis ideo determinatur ad istum solũ actum, quia iste actus semper stat, non videtur posse assignari ratio, ob quam magis iste, quam alius actus exeat à tali potentia. Quod si arguat Henricus, actus adæquatus principio, & semper, atque vniformiter stans, nõ compatitur secum alium actum eiusdem rationis: talis est actus generationis diuinæ, qui semper stat. Resp. vel loqui de adæquatione intensiua tantum: vel de intensiua, & extensiua simul: primo modo falsa maior, nam cũ actu adæquato intensiuè potest stare alter inadæquatus extensiuè: secundo modo, id quidem est probandum: nam quod non possit habere alium actum, id non probat esse impossibile simpliciter, sed secundum quid, ea ratione, qua actus ille primus semper stat.

Scoti probationes.

9 His actis adducit inde Scotus rationes suas: prima autem sit. Si possunt in diuinis esse plures generationes, & spirationes, ergo sunt: & si possunt esse plures, ergo possunt esse & infinitæ: hoc est falsum, ergo non possunt esse plures eiusdẽ rationis: prob. consequ. si possunt esse infinitæ, ergo de facto ibi sunt infinitæ numero productiones, prob. in diuinis non differt esse à posse. quod autem possint esse infinitæ si possunt esse plures, probatur ex August. l. 1. contra Maxim. *immoderata, inquit, esset diuina generatio, si genitus filius nepotem gigneret Patri, quia nisi & ipse nepos Auo suo nepotem gigneret, secundum mirabilem doctrinã vestram, impotens diceretur similiter & ille, & ille, &c.* & subdit, *nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero gigneretur: nec etiam perficeret vllus eam, si non sufficeret vnus omnipotens.* hinc etiam consimiliter arguitur, quod si vnus filius non sufficeret ad complẽdam totam generationem Patris, pari ratione nec alius filius sufficeret, & nec alius, & alius, & ita procederemus in diuina generatione filiorum, nepotum, & pronepotum in infinitum: ne ergo demus in hoc inconueniens, statuendum est non multiplicari productiones eiusdem rationis in diuinis. Idem quoque August. loquens de æqualitate Patris, & Filij ibidem ait, *Absit vt ideo potentior sit Pater filio, quia vtputa, qui Creatorem genuit, filius autem non genuit Creatorem; neque enim non potuit, sed non oportuit*; quare autem non oportuit, causam, subdit, quia *immoderata esset diuina generatio*, vt est dictum, procederet enim posset in infinitum.

Si possunt esse plures filij; ergo infiniti.

Pater generans nõ est potẽtior Filio non generante.

10 Probatur insuper, quidquid est plurificabile in plura eiusdem rationis, illud quantum est de se non determinatur ad certam pluralitatem, sed potest in infinitum multiplicari: ergo si productio eiusdẽ rationis esset plurificabilis non vtique determinaretur ad certum numerum, sed procederetur in infinitum, ergo de facto essent in Deo infiniti Filij, & infinitæ numero productiones. maior patet comparando commune ad singularia: causã ad causata: principium ad principiata; quia nulla natura creata, nullaque causa determinatur ex se ad certum numerum: sed determinatio veniet aliunde, vel à causa suprema, vt Deus, vel ex defectu materiæ & influxus cælorum, vel ex impedimento alio causæ particularis, à quibus fiat determinatio ad tot, quin plura. Obstabis, fieri in diuinis determinationem ad certũ numerum, non quidem ex se, sed ab aliquo alio à se. Contra, vel determinabitur ab aliquo priori, vel posteriori, vel ab aliquo, quod sit simul natura: non à priori; quia illud vel erit principium quo, vel quod: non primũ quia si productio est multiplicabilis in plura, ergo similiter principium erit productiuum plurium productionum; nam à principio sunt productiones: non secũdum, quia principium quod agit per principium quo: ergo omnẽ numerum, & determinationem habet à principio quo: nec potest determinari ab aliquo posteriori, quia dum aliquid non habet ab alio entitatem, nec quidem ab eo habebit vnitatem, & pluralitatem. nec deniq; ab aliquo simul natura, quoniam dum productio eiusdem rationis non determinatur ex se ad certum numerum, nec determinabitur id, quod est simul natura cum eo, currunt enim simul. igitur pri-

Quod est multiplicabile in plura eiusdem rat. non determinatur ex se ad certam pluralitatem.

primo ad vltimum si possunt esse plures, poterunt similiter esse infinitæ numero productiones.

10 Item, omnis pluralitas necessario finita, vel est alterius rationis, vel si non est alterius, necesse est vt præexigat aliquam alterius rationis, per quam determinetur; prob. productio eiusdem rationis de se est indeterminata, ergo debet determinari; at non determinatur per productionem eiusdem rationis, quia iam est indeterminata; ergo per productionem alterius rationis: at in diuinis omnis productio est necessario finita numero, ergo vel est eiusdem, vel alterius rationis, ergo necessario præexigit aliquam alterius rationi, per quam determinetur illa pluralitas eiusdem rat: at non potest dari talis determinatio, vt visum est, non per aliquid prius: non per posterius: non per quid simul natura, ergo &c.

Plura mouentia prima non dari quomodo probat Aristot.

12 Insuper, Aristot. 12. met. t. cap. 49. probat non posse esse plura mouentia prima, sic, Quæcunque sunt numero multa & vnum specie, habent materiam: sed primum mouens non habet materiam, ergo non potest numero multiplicari. ergo dabitur vnus primus motor, vnum primum mobile &c. consimiliter infertur; sed in diuinis non datur materia, ergo nec dabitur generationis, & spirationis multiplicatio.

13 Ratio hæc Scoti coincidere videtur cum prima ratione D. Thom. etenim D. Th. ex negatione materiæ intulit negationem multiplicationis productionum eiusdem rationis: qua doctrinā cōfutauit Scotus: At quomodo nunc recurrit idem Scotus ad eandem doctrinam, vt inde probet non multiplicari productiones eiusdem rationis. Resp. materiam sumi vel pro materia partis; vel pro materia contrahente quidditatem ad esse hanc: vel alijs sub terminis, de materia partis, & de materia totius: Aristoteles probat non posse multiplicari primū Mouens, quia est abstractum à materia contrahente, seu differentia indiuiduali contrahente naturam; hæc namque distinguit, & multiplicat naturam in indiuiduis, vt Sorteitas, Petreitas, hæccheitas: hoc autem non est in Deo, cuius natura non est contrahibilis per differentiam indiuidualem, quia non est potentialis, nec actuabilis ab alio, sed est de se hæc: & inde est, vt cessāte hac materia à Deo, cesset ratio multiplicationis in primo mouente. & hinc habetur declaratio illius axiomatis Aristotelici, *In abstractis à materia, idem est quodquid est, cum eo, cuius est*: quod intelligitur in abstractis à materia *partis*, & *totius*: & hinc Scotus format hanc suam rationem, s. à materia hac, quæ est forma inuidualis contrahens, qua caret Deus, licet careat etiam materia partis: at abstractio à sola materia partis non est causa negationis multiplicationis; quia Angeli, & Animæ carent ea, & nihilominus multiplicantur; eo quod habent differentias indiuiduales contrahentes, & distinguentes, & multiplicantes naturam: D. Tho. vtitur negatione materiæ partis, sed nō sufficit; Scotus verò vtitur materia totius, indiuiduante, contrahente, distinguente, & multiplicante naturam, at hæc non est in Deo, ideo non est multiplicabilis Deus.

Materia partis, & totius.

In abstractis à materia idem est quodquid est cum eo, cuius est.

14 Obstatur aduersus principale intentum, probando dari plures productiones eiusdem rationis. Vbicunque principiū, & terminus sunt eiusdem rationis, ibi productiones sunt eiusdem rationis: in diuinis essentia est principiū, & terminus productionum, e. go ambæ, generatio, & spiratio erunt eiusdem rationis. Resp. differentiam productionum attendi non à principio formali, & partiali; neque à termino formali, & partiali, sed à principio, & termino adęquato, & totali: primum est essentia: secundum est persona producens, & producta. essentia quidem est vna in omnibus, tum ratione principij, tum ratione termini termini formalis partialis: at non hinc sumenda distinctio productionum: verum quia principium totale adæquatum, & terminus totalis adæquatus sunt personæ, & hæ sunt alterius rationis, alia namque habet esse per generationem, alia per spirationem; meritò productiones sunt alterius rationis.

Productionum differentia attenditur non à principio, & termino formali sed totali.

15 Obij;

Principiũ habẽs producendi põ test illo producere ex plic.

15 Obijcitur, habens principium formale perfectum producendi, potest illo producere: sed Filius habet memoriam fæcundam ex August. 5. Trin. cap. 7. quæ est principium generandi, ergo potest generare. Resp. maior intelligitur dummodo principium illud non præhabuerit terminum productum adæquatum, habet autem iam in Patre memoria terminum productum adæquatum; ideo nõ potest producere memoria, prout existens in Filio. exemplum, si calor esset in igne principium calefaciendi calefactione adæquata: si calor idem poneretur in alio subiecto non posset in illo esse principium amplius calefaciendi, patet, non quidem calefaciendi se, quia idem produceret seipsum: nec aliud, quia iam fuit in igne præhabitus terminus calefactionis adæquatus.

Filius si nõ potest generare, nec Spiritus S. spirare, cur communicatur eis memoria, & volũtas fæcunda.

16 Dices, si memoria in Filio nõ est principium generandi, cur igitur communicatur Filio? Resp. communicatur ei non sub ratione principij productiui, sed operatiui, nempe communicatur vt sit in Filio principium quo intelligendi, sicut & cæteræ personæ intelligunt, non autem *dicendi*, & *producendi*: similiter communicatur voluntas fæcunda Spiritui sancto non in ratione principij *spirandi*, sed *amãdi*, sicut & cæteræ, amore essentiali amant personæ. de hoc autem fusè suo loco in proprijs quæstionibus.

Productiones ad intra cur non amplius plurificabiles, sicut autem ad extra.

17 Obstatur, potest Deus plura producere immediatè in eadem specie creata, quæ sint eiusdem rationis, sicut de facto agit, creãdo plures animas, plures Angelos; ergo poterit ad intra plura etiam producere eiusdem rationis. Resp. negando seq: quia species creata non est de se hæc, nec determinata ad vnũ, sed intrinsecè indeterminata ad plura indiuidua: Deus autem est ille, qui metam, & numerũ, ac determinationem suis indiuiduis creatis imponit, ne species communicetur pluribus: imponit quidem terminum speciebus spiritualib. immediatè: materialibus autem vna cum concursu causarum secundarum; ipsæ namque etiam concurrunt, vt vnus Pater non generet nisi decem filios, alter plures, alter minus, vna etiam cũ causis superioribus vniuersalibus vt cœlorum, elemẽtorum, & huiusmodi: terminus verò animarum, Angelorũ est ab ipso solo Deo, volente creare tot, & non plures, quia pendent immediatè ab ipso Deo: & si corpus iam organizatum expectat animam, ipsemet Deus est, qui & formam creat, & imprimit, & ad corporis præparationem, & organizationem cõcurrit; ipso autem nolente, abortus fiũt: à primo ergo ad vltimũ, determinatio indiuiduorum creatorum est à Deo volente; Ratio est insuper, quia hæc sũnt entia contingentia, quæ tanto numero, & entitate gaudent, quantam confert illis Deus: at diuinæ processiones non sunt entia contingentia, sed vtraque est omnino necesse esse; id verò, quod est necesse esse, est de sui natura tale, & tantum, vt non possit aliter se habere; quapropter dum necesse est vt sint duæ solummodo productiones, duæ vtique erunt, & non plures, aliàs si plures possent esse, deberent ab aliquo determinari, ne detur processus in infinitum; vt deduximus: id verò deberet esse aliquid alterius rationis, quod hucusque est discussum. Respõsio ergo in eo stat, vt diuinæ emanationes sint ex se, & ex sui natura tot, quin plures, earumque numerus nec potest minui, nec excedi, quia sunt necesse esse. Creatæ autem species sũt & plurificabiles in indiuidua infinita, & sunt etiam determinabiles ad tantam indiuiduorum seriem, quin plura. Rationes aliæ talis implurificationis habebuntur singulariter quærendo de Filio, & Spiritu sancto infra.

QVÆSTIO XI.

Per quid Essentia determinetur ad essendum in prima persona.

Primus modus dicendi.

1 Cum diuina essentia sit in Filio per generationem: in Spiritu Sancto per spirationem; quæritur inde, per quidnā eadem essētia sit in prima persona? Reperitur penes Scotum in 1. d. 28. q. 3. modus quidam dicendi, quod nempè hic Deus essentialiter subsistēs, prius ratione quam generet, determinat se ad essendum in prima persona: & cōmunicat se primæ personæ per veram productionem, ad quam sufficit distinctio formalis inter essentiam, & personam. Modus hic dicendi videtur esse eiusdem Scoti; ratio est, quia argumenta, quæ fiunt cōtra hunc modum dicendi dissoluit ipse Scotus, vnde infertur hanc esse eius opinionem: & in hūc sensum trahunt Thomistæ aliqui ipsum Scotum.

Modus talis an sit Scoti Responsio Radæ.

2 Primo autem loco est videndū vtrum modus hic sit Scoti: & quidem Rada 1. p. controu. 25. ar. 1. §. *Dubium notabile.* ait modum hunc recenseri à Scoto, sed non esse Scoti, quia Scotus idem modum talem vocat phantasiā; inquit enim *Qualiter autem improbabitur phantasia hæc, tam dissona dictis Sanctorum:* vnde ait, & *esse modum phantasticum: & repugnare dictis Sanctorum.*

Responsio propria.

3 Nihilominus melius dicemus modū hunc nedum non esse Scoti, sed etiā nec referri ab ipso Scoto; ratio, quia modus hic est additio ab extraneis facta, vt solet, ad textum Scoti: quod patet intuenti; etenim sub additionis notula comprehenditur inter manulā, & asteriscum, vt videre est à litt. C. vsque ad litt. D. incipiendo sub litt. C. à §. *præterea si quis velit dicere &c.* vsque ad §. *Aliter ponitur,* sub litt. D. cùm ergo sit extranea additio, nec quidem est Scoti, nec modus talis refertur à Scoto, sed ab alijs extra: & ita communiter in cæteris exemplaribus notatur vt additio; imo in aliquibus vetustiorib. nullatenus reperitur nec vt Scoti textus, nec vt extranea additio.

4 Quod verò talis modus non sit Scoti probatur etiam ex eius doctrina, quia ibid. §. *sed tunc est aliud dubiū,* docet essentiam immediatè, & absque alia productione, & externa communicatione esse in prima persona: in alijs verò per productionem, & communicationem. Item in 1. d. 5. q. 1. docet essentiam nec generare, nec generari, quia non distinguitur realiter à diuinis suppositis, vt exigitur inter generās, & genitū; ergo nullatenus sētit cōmunicare se per productionē. Nullibi etiā reperitur apud eū mentio talis modi communicandi se per productionem ab eadem essentia fiendā. quidquid tamen sit, modus hic & non est Scoti, & non est tenendus; non. n. est essentia, quę producit, & gignit, distingueretur enim realiter; sed est suppositum id, quod producitur, & producit, tanquam quid distinctum realiter.

Essentia est in prima persona primo primitate immediationis.

5 Hinc dicimus primo, Essentia est in prima persona primo primitate immediationis: Dicimus secundo, Essentia est in tribus primo primitate adæquationis. probatur, & declaratur exemplis. Quandocunque aliqua plura respiciunt aliquod vnum illimitatum, tunc non æquè primo immediatè re-

respiciũtur à tali illimitatò, sed ordine quodam, licet æquè primo adæquatè respiciātur ab ea; sed personæ omnes pullulant ab essentia infinita, & illimitata; ergo ordine quodam emanant, itaut primo pullulet prima, inde cæteræ: omnes autem inde respiciantur ab essentia adæquatè. maior probatur exemplo Solis, qui æquè primo primitate adæquationis respicit totũ Emisphærium illuminabile, tanquam terminus adæquatus suæ illuminationis; & nihilominus primitate immediationis nõ æque primo respicit partes omnes; etenim prius illumina partes viciniores, inde remotiores. Insuper anima intellectiua æque primo primitate adæquationis informat, & perficit totum corpus; nihilominus quia inter partes primum locum obtinet cor, ex Arist. 16. de histor. anim. ideo primo perficit cor, inde cæteras partes ordinatè; ergo à simili de essẽtia in ordine ad personas, demptis imperfectionibus.

Essentia est in tribus, primo primitate adæquationis.

6 Dicimus tertiò, Essentia ex seipsa determinatur ad essendum in prima persona est expressa sentẽtia Scoti vbi sup. & communiter sic eum interpretantur Scotistæ. suadetur vero ex dictis: & prob. prima persona est improducta, ergo essentia non est in ea per productionem: patet conseq. nam non est alius modus essendi in personis; vel igitur erit in prima ex se, vel per productionem, non secundum, ergo primum. Item essentia, sicut quæcunque substantialis quidditas, est sufficiens radix, & fundamentum, vt ex ea pullulet sua propria subsistentia, etiam in natura creata; ergo diuina natura erit sufficiens vt ex ipsa pulluler persona Patris: at hæc non pullulat per productionem, ergo est in ea, quatenus essentia determinatur primo ad essendum in ea: non enim est inferioris conditionis natura diuina, quam natura creata; si enim ex hac pullulat sua prima subsistentia, vtique ex eadem natura increata pullulare poterit sua prima personalis subsistentia; nisi quod illa est creata, hæc increata: sed licet illa sit creata, nihilominus ipsa natura est fundamentum sufficiens, vt inde pullulet subsistẽtia.

Essentia ex seipsa determinatur ad essendũ in prima persona.

7 Dices, datur indiuiduum Deitatis, quod præintelligitur primæ personalitati; ergo ab illo poterit essentia determinari in hac prima persona. Contra, quæro, hic Deus, qui est in prima persona, qui est etiam idem ac diuina essentia, à quonam ponitur in prima persona: vel quidem à seipso per aliquam productionem, vel sine vlla productione: si per productionẽ, ergo idem produceit seipsum: si sine productione à seipso, ergo etiam essentia determinatur, & ponitur ex seipsa. Confirmatur, nam indiuiduum Deitatis est idem ac essentia indiuidua: quod si indiuiduum non ponitur in prima per productionem, sed ex se, ergo nec essentia, nisi ex se.

8 Dices essentiam non esse ex se in prima persona, sed per primam proprietatem determinantem illam ad primam personam. Contra, quia quæro, per quidnam essentia fit in illa prima proprietate determinante: vel namque esset in ea ex se, vel per aliam proprietatem: si per aliam, quæro de illa alia, vel esset ex se in ea, vel per aliam & ita daretur processus in infinitum: quod si est in ea ex se, igitur habetur intentum, quod sit ex se in prima persona.

9 Oritur verò difficultas, propositio ista, *ex se*, qualenam principium connotat, seu cuius causæ circumstãtiam. Respondet Scot. importare circumstantiam principij formalis: non quidem formæ informantis; nam tunc exigeret etiam concausam efficiẽtem, per quam forma ipsa vniretur materiæ, prout contingit in rebus creatis; in Deo autem nec est forma, nec materia: sed forma sumitur ibi, demptis imperfectionibus, pro dante esse simpliciter, forma namque ibi est ipsa quidditas dans esse simpliciter: sicut etiam vnaquæq; creata quidditas potest forma vocari, vt humanitas forma quidditatiua hominis. Est verò proprium formæ solius creatæ reduci ad vnionem materiæ per causam efficientem, talis non est diuinæ essentiæ quidditas. Dices, etiam quidditas, seu quidditatiua forma creata reducitur ad esse per causã efficientẽ. Resp. non est mirum, quia est ens dependens, &

Propositio ex se in diuinis quale principiũ connotat.

creatum, & postulat Effectorem suũ, ac Creatorem: natura verò Dei est increata, & est independens omnino, & ideo est ex se in ipsa prima persona.

Essentia, quæ determinatione est determinata ad essendum in prima persona.

10 Obijcitur aduersus principale intentum: primo, Essentia ex se est determinata ad essendum in primo supposito, ergo non potest esse in alijs suppositis; prob. sequ. vnum, & multa opponuntur: & quod ex se determinatur ad vnum, nõ potest esse in multis, quia quod determinatur ad vnum non potest esse in opposito, multa autem opponuntur vni. Secundo ex se determinatur ad essendum immediatè in primo supposito, ergo etiam ex se determinatur ad eisẽdum immediatè in cæteris, probatur seq. quia alia sunt ei æque connaturalia vt primũ. Confirmatur, non potest assignari ratio, quare sic sit magis in primo supposito, quàm in alijs.

Essẽtia intensiuè est adæquatè in singulis: extẽsiuè solũmodo in tribus.

11 Respond. ad primum, negando consequ. quia determinatio illa essentiæ non est determinatio opposita indeterminationi ad plura positiua, nam potest esse, sicut de facto est, in pluribus positiuis suppositis: sed est determinatio opposita indeterminationi contradictoriè sumptæ, quia non est in potestate essentiæ esse, & non esse in prima persona, sed necessario est primo in ea. Vel resp. secundo neg. conseq. quia licet sit determinata ad primam, determinatio tamen illa non est adæquata, est namque determinata vt sit adæquatè in tribus. Dices, igitur est inadæquatè in prima, ergo imperfectè, ergo persona prima nõ esset perfectè Deus. Ad primã cõseq. esse inadæquatè essentiã in prima potest facere duplicẽ sẽsũ: primus est vt sit inadæquatè intensiuè; secundus, extẽsiuè: primus est falsus, nã eadẽ essentia infinita, quæ est in alijs, est etiã in prima: secundus est verus, quia cæteræ personæ sunt duæ, prima est vna; sunt etiam distinctæ numero personæ cum sint plures, ergo dum est in prima, siue dum concipitur solummodo in prima, & non in alijs, vtique concipitur esse in prima inadæquatè extensiuè, extensiuè verò adæquatè in tribus. Ad secundum conseq. negatur, sufficit enim vt sit in ea adæquatè intensiuè ad hoc, vt sit perfectè Deus; etenim si per impossibile in diuinis esset vna sola persona, nihilominus illa esset perfectissimè Deus, quia haberet omnem perfectionem, & virtutem ex Ricchard. Victor.

Si per impossibile vna esset sola persona, esset tamen adæquatè Deus.

12 Ad secundum neg. seq. ad probat. licet sint alia supposita æquè connaturalia, non tamen respiciuntur ab essentia æquè primo immediatè immediatione ordinis, nam primo prima, inde cæteræ respiciuntur personæ licet respiciantur æquè primo primitate Deitatis, quia omnes sunt æquè Deus. Ad confirmationem, benè assignata est ratio, propter ordinem, quẽ exposcit ipsa diuina natura ad essendum in suppositis, vt sit in eis ordinatè in prima ex se absque productione, in alijs mediante productione, generatione, & spiratione.

QVAE.

QVÆSTIO XII.

Vtrum in diuinis detur indiuduum Deitatis.

Negat Durand. & Capr. 1 Quæstio est vtrum, vltra diuinas personas detur in Deo indiuiduum Deitatis, conceptibile antecedēter ad diuinas personas. Durand. 1.d.4.q.2. Capr.q.1. Torres 1.p.q.39.art.4. asserunt vltra essentiam,& personas non esse admittendum indiuiduum Deitatis. probatur autem primo, *Actiones sunt suppositorum* ex Aristot. prohæm. metaph.sed Deo conuenit actio creādi, conseruandi, & huiusmodi, ergo Deus significat suppositum, non autem indiuiduum distinctum, & seorsim à suppositis. secundò erit quaternitas in diuinis dato hoc indiuiduo, prob. sunt tres per se existētes, vt personæ est etiam ibi indiuiduum per se existens. ergo quaternitas in diuinis. tertio,ideo sententia opposita admittit indiuiduum Deitatis,quia vnicuique *quo* correspondet adæquatū *quod*: siuè vnicuiq; abstracto, & formali correspondet suum cōcretum, & materiale:at hæc ratio non conuincit vt admittamus tale indiuiduum. prob. hic homo de formali importat hanc humanitatem: & de materiali, seu in concreto importat suppositum habens hanc humanitatem,non autem importat hunc hominem indiuidualem distinctum à supposito: ergo similiter in diuinis, hic Deus non importabit,nisi hoc suppositum habens Deitatem. quarto hic spirator,de formali importat quidem hanc virtutē spirandi.attamen de materiali impor tat hoc suppositum spirans, siuè supposita Patris,& Filij spirantia.

Datur indiuiduum Deitatis. 2 Cæterum oppositum dicimus: ac ideo sit prima assertio, vltra tria diuina supposita, datur quoq; indiuiduum Deitatis.est Scoti in 1.d.2.q.7. litt.CC. & d.4.q.1. ad quæst. & communis Scotistarum. est etiam Caet.1. p.q 39. art.4. quam esse quoq; pleriq; existimant D.Thom. probatur vero, vnicuique *quo* correspondet suum proprium, & adæquatum *quod*: sed Deitas est *quo*, ergo ei correspondebit suum *quod*: sed hoc non erit, nisi Deus; ergo datur indiuiduum Deitatis. Respondent Aduersarij,adæquatū *quod*, esse tres diuinas personas. Sed contra arguitur, vnicuique naturæ singulari debet correspondere secundum talem naturam suum quod adæquatum singulare: sed diuina natura est singularis, ergo debet habere adæquatum singulare: at illud est Deitas: dixi, secundum talem naturam; nam diuina supposita sunt respectiua, essentia est absoluta: inter *quo* autem, seu rationem formalem: & *quod*, seu rationem materialem, debet reperiri adæquatio in entitate, & natura: at personæ sunt respectiuæ, essentia absoluta; ergo essentiæ non potest correspondere persona tanquam propriū suum *quod*: sed proprium quod erit Deus, quia sicut Deitas est absoluta, ita Deus est absolutus. vnde sic conficitur ratio, vnicuique *quo* debet correspondere suum *quod* secundum naturam sui *quo*: sed personalitates sunt respectiuæ: essentia absoluta, & Deus absolutus. ergo Deus, & non persona erit adæquatū *quod* Deitatis.

3 Secundo essentia non habet à personis,vt existat, ergo adæquatum *quod* non erit persona: antecedens patet; nam non persona essentiæ, sed essentia tribuit esse personæ,quia ipsa est pelagus, à quo emanant personæ. Tertio,Deus antequam intelligantur personæ est perfectè, & adæquatè

Deus,

Deus, in ratione Dei: ita vt si per impossibile non pullularent personæ, nihilominus verè Deus esset perfectè Deus: & confirmatur ex Rich. l. 3. de Trin. c. 16. dicente, *quod si per impossibile in diuinis esset vna tantum persona, nihilominus in ea esset potentia creandi, conseruandi &c.* hinc arguitur, data hypothesi quod ibi esset vna tantum persona, vtique adæquatū quod Deitatis non essent aliæ personæ, quæ deessent: ergo si per impossibile nulla esset persona, & esset Deus, vtique Deitas haberet suum adæquatū, quod nempè Deum. Item personæ intelliguntur quid posterius ad essentiam, & ad hunc Deum absolutè tentum: ergo verè datur indiuiduum essentiæ absolutum, quod antecedit personas. Insuper, propositio hæc est immediata, hic Deus creat: hæc vero est mediata, persona creat, etenim ideo persona creat quia hic Deus creat; ergo Deus de materiali non importat primo personam, sed Deum absolutum. Præterea hic Deus de materiali non dicit vnam solummodo personam, quia ista esset falsa, Deus est tota Trinitas, etenim Trinitas non constat ex vna sola persona: nec de materiali dicit primo omnes tres personas, quia ista esset falsa, Pater est Deus; nam Pater non est Filius, nec Spiritus sanctus personaliter: nec de materiali dicit primo personam in communi, quia Trinitas non est persona in communi; sed in particulari secundum omnes singulares personas: nec dicit personas omnes in plurali, quia ista esset falsa Pater est Deus, nam Pater non est omnes personæ realiter, cum distinguantur personæ personaliter: ergo à sufficienti enumeratione dicit hic Deus aliquod singulare commune omnibus personis primo, non autem primo ipsas personas.

Vltimum quod essentia quid est

4 Secunda assertio, vltimatum *quod*, terminatiuum essentiæ non est indiuiduum absolutum Deitatis, sed Trinitas personarum. prob. essentia est indiuiduum communicabile toti Trinitati, & ordinatur ad communicationem toti Trinitati: ergo tota personarum Trinitas est vltimatum, quod, terminatiuum essentiæ. Item da oppositum, quod non sit Trinitas vltimato terminans, & sequitur esse indiuiduum Deitatis, at inde sequitur vt Deus sit solummodo vnus, ratione vnius indiuidui, non Trinus, quia nō ordinaretur ad Trinitatem.

Vltimatum terminatiuum essentiæ non cōstituit in esse indiuidui, sed in esse trini.

5 Tertia assertio, terminatiuum hoc, siuè completiuum Deitatis non constituit indiuiduum Deitatis in esse indiuidui, siuè in esse essentiæ, sed in esse Trinitatis, seu in esse Dei vnius, & trini. prob. ante personarum emanationes iam est essentia: & essentia est vna, & indiuidualis, vt diximus: & essentia est verus Deus. ergo in ratione essentiæ, atque in ratione indiuiduali absoluta non pendet à completiuo Trinitatis. Item nullum absolutum, vt absolutum, pendet à respectiuo: indiuiduum Deitatis est absolutum, ergo in ratione indiuidui nō pendet à personarum Trinitate. probatur secunda pars, Deus est vnus, & trinus: sed non est trinus sine personarum Trinitate, ergo in ratione indiuidui vnius, & trini est à tota Trinitate. Demum, Trinitas est *Deus* vnus, & Trinus, ergo vt sic est à tota Trinitate.

Actiones sunt suppositorum declaratur.

6 Ad rationes in oppositum resp. & ad primam, non dixisse Aristotelē, actiones esse tantummodo suppositorum, sed esse vel singularium, vel circa singularia: vnde præfert experimentum arti, quia experimentum est circa singularia, ars circa communia. Item quod sit falsa, esse solummodo suppositorum, patet ex eod. Arist. qui 3. de an. dicit, quod anima, quæ tamen non est suppositorum, *intelligit, & sapit.* Non negatur tamen esse etiam suppositorum, at non necessario, nam etiam quæ non sunt supposita possunt operari, & sufficit vt sit singulariū. Respondetur insuper esse suppositorum, sed non tantum. Item esse suppositorum non tanquam rationis agendi, sed tanquam conditionis agētis, quia natura est ratio agendi, suppositum est conditio agentis. Demum respondetur esse suppositorum, tanquam vltimatè denominatorum, quia calor quidem calefacit de se, attamen id, quod vltimato denominatur à calefactione est subiectum, &

Ars circa communia, experimentum circa singulare.

sup-

suppositum ignis, in quo est calor, quod si non est necesse vt actio sit suppositi, quia potest esse indiuidui, & singularis, meritò hic Deus potest denominari Creator, præscindendo per intellectum à personis, quia est indiuiduum singulare: verum quia hic Deus reperitur in personis, ideo etiã personæ creant, vnde est vt personæ, seu tota Trinitas recipiat vltimatam creatoris denominationem.

Indiuiduũ Deitatis nõ fuit quaternitatem.

7 Ad secundum negatur quaternitas, quia hoc Deitatis indiuiduum non auget numerum vltra personas; ratio quia est vnum & idem in omnibus personis,& est vnum in personis, & est idem cum personis: quod si esset distinctum à personis, augeret numerum, & faceret quaternitatem. Confirmatur,quia est eadem substantialis existentia tum personarum, quę omnes habent eandem diuinam substantiam, & naturam: tum ipsius indiuidui Deitatis. Cum ais de existentia: vtique essentialis existentia vnica omnium est,non alia:& existentia indiuidui Deitatis, vnica est, quod si vnica est,& in omnibus est illa eadẽ, atque idem cum omnibus,meritò excluditur quaternitas, omnes enim personæ vna cum indiuiduo Deitatis sunt vnus,idemque existens Deus.

8 Ad tertium,differentia est inter naturam creatam, & diuinam, illa namq; necessario dum est singularis, habet pro suo materiali adæquato *quod*, suppositum; non enim Francisci natura de se est solummodo indiuidualis,sed necessario est adiuncta supposito; ita vt suum adæquatum *quod*, sit suppositum:at diuina de se est hęc, ideoque est in ratione naturæ vt natura est, adæquatè talis, quia Deitas est de se *hæc*, ergo est adæquatè Deus in ratione absoluta Dei, siuẽ Deitatis:relationes autem non constituunt Deum in ratione absoluti, sed in ratione trini,& relatiui, & ideo non in ratione vnius, sed in ratione Trini,vt est dictum. Respondetur etiam personas esse terminatiuum *quod*, & vltimatum,vt in secunda assertione, non autem primum,proximum, & immediatum,vt in tertia,& prima assertione. Ad id de vnicuique *quo* correspõdet suum quod,respondetur in sequẽti solutione.

9 Ad quartum respondet OKam, & Gabr. dari vnum *quod*, nempè spiratorem, præscindentem à Patre, & Filio:sed contra obijcitur,quia sequeretur illud tale referri realiter ad Spiritum sanctum: at relatio realis nõ est nisi personarum. Item distingueretur realiter à Spiritu sancto: at distinctio realis non est,nisi personalis. Respondetur itaq; adæquatum *quod*, esse Patrem, & Filium; ratio, quia spiratio actiua est proprietas Patris, & Filij, non quidem proprietas constitutiua, sed aduentitia post eorum esse constitutum:ideoq; adæquatum *quod*,est id, cuius, seu quorum est proprietas: itẽ passio, nõ habet pro adæquato quod, nisi id, cuius est passio: ergo spiratio habebit pro suo quasi materiali, seu adæquato quod,Patrem, & Filium. est enim quasi passio Scotus 1.d.12. quæst.1. litt.R. Respondetur etiam illam propositionem, *vnicuique quo correspondet vnum quod*,esse vniuersaliter veram de *quo*,essentiali, & absolutò; vt essentia, seu Deitas, est *quo*, ideo Deus, seu Indiuiduum Deitatis est *quod*: at spiratio actiua est quid respectiuum, ideoq; suum *quod* erunt personæ ambæ respectiuæ.

Vnicuique quo correspondet suũ quod: declaratur.

10 Obstabis,si vna natura humana assumeretur à tribus diuinis personis, tunc correspondere quidem tali naturæ vnum *quo* formale, sed nõ vnum *quod* materiale; quia esset quidem vna natura, & vna humanitas, at essent tria supposita, ergo à pari nunc habetur vna natura diuina,tanquam formale *quo*, & tria materialia *quod*,nempè personæ. Resp primo nõ posse ex Sco. dependere vnã naturã à tribus, vt in 3.d.1.q.2. Resp.2.quod si assumeretur à trib: tunc non corresponderet vnum *quod*, sed tria, quia esse in tribus non conueniret ex propria natura, sed prout eleuata ad rem superioris ordinis: dum vero assumitur à proprio, & naturali supposito, correspondebit ei vnum singulare suppositum,*quod*, quia est ei propriũ, & connaturale; ita à pari ipsi diuinæ essentiæ est proprium, & connaturale, vt habeat vnum singulare indiuiduum

duum suæ Deitatis, quod sit commune pluribus. Respondetur secundò, esse tria *quod*, vel *quæ* respectiua, sunt enim tria supposita respectiua, cæterorum esse vnum *quod* absolutum; & illud est absolutum indiuiduum Deitatis.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum diuina essentia generet, vel generetur.

1 SEntentiarum Magister in 2.d.5. docuit essentiam nec generare, nec generari. insuper docuit in diuinis Patrem reperiri, & Filium, ac Spiritum sanctũ, inter quos est generatio, & spiratio; repetiri etiã essentiam, quæ tamen nec generatur, nec generat, nec spiratur, nec spirat: ratione cuius tamen essentiæ omnes personæ sint vnum, & idem essentialiter. Abbas autem Iochimus contra Magistrum inuehitur, atque dicit, si id esset verum, sequeretur dari in diuinis quaternitatem: si namque datur essentia, quæ nec generet, nec generetur, nec spiret, nec spiretur, vt diuinæ personæ, ergo datur quartum in diuinis, nẽpe essentia, & ita destruitur diuina Trinitas: & ob id libellum obtulit in Cõcil. Florent. cõtra Magistrũ sentẽt. vt habetur in c.1. de Summ. Trinit. & fid. cath. in quo ipsum vocat, hæreticũ: docetq; essentiam generari, & generare: docet etiam diuinas personas non esse idem, & vnũ ratione diuinæ essentiæ, contra eundem Magist. Cùm verò cogebatur ad identitatem hanc essentialem adstipulandam ex Scripturis, vt Ioan: 7. *Rogo vt sint vnum, sicut ego, & tu vnum sumus*; aiebat ibi loqui Christũ de vnitate *charitatis* inter se, sicut fideles in Ecclesia ratione eiusdẽ charitatis, & dilectionis sunt vnũ, non autem ratione vnius naturæ, & essentiæ.

Ioachimus Abbas, inuehitur cõtra Magistrum sententiarum.

2 Verum res decisa fuit in Concil. Lateran. contra Abbatem Ioach. in quo defensus fuit ab eius impostura Magister: & confirmata fuit eiusdẽ Magistri doctrina, ac reprobata doctrina Ioachimi: vt infra. Ad illud autẽ Saluatoris, non loquitur Saluator de vnitate solummodo dilectionis inter Patrem, & Filium, sed de vnitate vera, & essentiali, quia verè sunt essentialiter vnũ ratione essentiæ vnius in omnib. sicut patet ibi, c.10. *Ego & Pater vnum sumus*: vbi neutrum illud *vnum* naturã indicat, quia sicut masculinum indicat personam, ita neutrum importat naturam: sicut etiã in hymno canit Ecclesia de Spiritu sancto, *Nunc Sancte nobis Spiritus. vnum Patri cum Filio*: vnum quidem *neutraliter*, ratione essentiæ, non autem vnus *masculinè* quia Spiritus sãctus distinguitur realiter personaliter à Patre, & Filio. est igitur sensus vt personæ diuinæ sint ratione essentiæ vnum: nos verò (rogat Patrem Christus) vt si nus vnum, non quidem consimili vnitate, & idẽtitate, quoniam nos distinguimur, & ratione personæ, & ratione naturæ ab inuicem; non enim in nobis, sicut in Deo, est vnica numero natura; sed de vnitate loquitur inter nos charitatis, & dilectionis; vnde est, vt ly *sicut*, *seu quemadmodum*, & huius generis, non importent relationem ęqualitatis, sed similitudinis; ait enim Ambr. *Creatura ad Deum non æqualitatis, sed similitudinis relatio est*: quomodo etiam intelligitur illud alterum Matt. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*. ly autem *sicut*, est nota similitudinis, & proportionis, non autem æqualitatis, quia impossibile est crea-

Magister defenditur ab impostura Ioachi-

tu;

toram coæquari in perfectione ipsi Deo: ita etiam impossibile erit coæquari in vnitate, & idẽtitate essentiali Deo; ergo à primo ad vltimum, personæ quidem diuinæ ad inuicem sunt vnum vnitate naturæ eiusdem numero essentiali, creaturæ vero vnitate dilectionis accidentali. & de his sup. q. 5. art. 2. n. 8. & art. 3. nu. 14.

Essẽtia nec generat, nec generatur.

3 Hoc habito fit prima assertio, Essentia nec generat, nec generatur. est communis Theologorum. D. Th. Bonau. Scoti, ac cæterorum. statuitur contra Ioachimum, & probatur primo ex c. damnamus de sin. & fid cath. vbi dicitur, *nos autem sacro approbante Concilio credimus, & confitemur cũ Petro, quod vna summa res est essentia, vel natura diuina, quæ nec generat, nec generatur.* statuitur autem cõtra Lutherum, & Hieronymum Zanchium, qui argumento conuicti Ioachimi idipsum sentiebant cum eo. Vltra vero determinationem Concilij, probatur ratione, *generans distinguitur realiter à genito*: sed essentia non distinguitur realiter à personis, ergo non generatur, nec generat: antecedens probat Scotus 1. d. 5. q. 1. ex August. 1. de Trinit. 1. quia nihil gignit seipsum, ergo omnino generans distinguitur realiter à genito; item generans refertur realiter ad genitum: essentia non refertur realiter ad personas, prob. relatio realis requirit extrema distincta realiter: essentia tamen non distinguitur realiter à personis. Insuper Pater est realiter idem cum essentia, & est formaliter Deus: si verò generatur essentia, vtique à Patre generatur, ergo non esset Pater realiter idem cum essentia, sed distinctus realiter, quia realiter distinguitur Pater à Filio, quẽ generat. Rursus in creatis non est forma, quæ generetur, & generet, in rẽcto, sed est totum compositum, & suppositum completum essentia est quasi forma, demptis imperfectionib: dans esse simpliciter: hę sũt rationes Theologicæ.

Quandocũque aliquid est vltima abstractione abstra-

4 Probat insuper ibid. Scotus ratione logica: quandocunque aliquod est vltima abstractione abstractum, nihil potest prædicari de eo, nisi in primo modo dicendi per se: sed essentia in abstractione substantiali, est vltimatè abstracta; ergo nihil potest de ea prædicari, nisi in primo modo per se: sed generatio, & generare non possunt prædicari de ea in primo modo dicendi per se, ergo nec generatur, nec generat. prob. min. generatio, & spiratio sunt quid posterius ad essentiam, quia diuinæ productiones pullulant ab essẽtia: sed nullum posterius est de intrinseca ratione prioris, ergo non potest prædicari de essentia, ergo nec generatur, nec generat. Qualis autem sit sensus propositionis ipsius Scoti, patebit ex num. 6. & deinceps.

Ett, nil potest prædicari de eo, nisi in primo modo dicendi per se.

5 Occasione huius subtilissimæ rationis Scoti, aduertendum occurrit ex eodem, quod nomina substantiua in diuinis possunt prædicari, & formaliter, & identicè: nomina verò adiectiua, sicut & participia non possunt prædicari, quandocunque occurrit prædicatio, nisi formaliter: exemplum primi, Pater est essentia, est prędicatio identica: Pater est Deus, est prædicatio formalis. exemplum secundi, Pater generat; Pater, & Filius spirant. ratio primi, quia nomina substantiua ex se habent, pro quo supponant: nomina autem adiectiua, & verba ponũt suum significatum circa id, pro quo supponit nomen substantiuum, cum quo coniungitur. Insuper nomina adiectiua significant per modum formæ informantis, seu dantis esse, & ideo de nullo prædicantur, nisi de eo, ad quod se habent per modum formę informantis. ex his deducitur quod hęc est falsa, essentia generat, quia essentia non includit generationem, siue generare in sua ratione formali, quia posterius nõ est de ratione formali prioris: at ista Pater generat, Filius generatur, est prædicatio formalis, quia de ratione formali Filij est vt generetur, sicut & Patris, vt generet, quia accipiunt esse per generationem. & ex his patet intellectus istius logicæ rationis Scoti.

Nomina substantiua possũt prædicari formaliter, & identicè: nomina adiectiua, & participia nõ nisi formaliter.

6 Obstari solet contra rationem hanc, probando non esse veram illam propositionem, quod de vltimatè abstracto nil valet prædicari, nisi in primo modo dicendi per se; quandoquidem istæ propositiones sunt veræ, essen-

De vltimatè abstracto nil valet prædicari, in primo modo dicẽ-

de per se, an sit verum. sentia intelligit, amat, est beata, videtur, fruitur, creat, distinguitur à creaturis, & huiusmodi, ergo falsa propositio. ita arguit contra Scotum OKam 1.d.5.q.1. Alphonf. Tolet. ibid. Guilelm. de Rub. atque Adam 1.d.33.q.4. hæ tamen non sunt in primo modo per se.

Mayronis glosemata. 7 Mayronis vt saluet Scoti propositionem, septem glosas affert in 1. d.5. ait ergo primo, axioma esse verũ in prædicatis affirmatiuis, non negatiuis: vnde licet de ea prædicetur, esse distinctam, abstractam, præcisam, quia tamen prædicata ista sunt negatiua, ideo, non tenet. Secundo intelligitur in prædicatis realibus, non autem in secundis intentionibus, vnde cum prædicata ista, esse visam, intellectam, amatam, & similia, sint secundæ intẽtiones, merito non concludit contra eum. Tertiò non valet regula in respectibus fundamentalibus, quia verè formaliter est vna, & bona. Quartò non intelligitur in terminis priuatis, sed positiuis, vnde verè dicitur quod est vna. Quintò non intelligitur de modis intrinsecis, vnde verè dicitur formaliter, quod est infinita. Sextò nõ intelligitur in prædicatis concernentibus actum intellectus, seu voluntatis, vnde verè formaliter dicitur quod intelligitur, amatur. Septimò intelligitur tãtum in prædicatis, quæ se habent per modum fluxus, & fieri, non autem per modum habitus, & quietis: vnde ista est vera, essentia est pulcra: ista falsa, essentia generat, generatur.

Gulielmi. 8 Guilelmus improbat has glosas Mayronis, & ait, quod omnia ista prædicata prędicantur identicè, & nõ formaliter: ratio, quia de vltimate abstracto, nil valet prædicari, nisi in primo modo, & omnia prædicta prædicata sunt posteriora ad essentiam.

Pauli scriptor. 9. Paulus Scriptor ead. dist. inquit quod regula non est intelligenda in concretis extrinseca denominatione denominantibus, sed denominantib. denominatione intrinseca: vnde ista, essentia communicatur, est vera formaliter, sicut ista, videtur, intelligitur, &c. ista falsa, essentia generat, generatur.

Nicolai de Nise. 10 Nicolaus de Nyse tract. 1. p. 2. q. 8. intelligit eam in prædicatis, quę dicunt aliquam realitatem in subiecto: & talia prædicatur in primo modo.

Lycheti. 11 Cæterum Lychetus omnia hæc explodit, atque ait regulam Doctoris esse absolutè in quocunque veram, vt sonat. neque glosis esse vtendum, valet enim in omnibus, siue respectiuis, siue realibus, siue intentionalibus: siue intrinseca, siue extrinseca denominatione denominationib. Vnde concludit nullam illarum prædicationum esse formaliter veram: Dices, essentia intelligitur, videtur, amatur, est bona, infinita, sancta, & huiusmodi; sunt prędicationes formales; ergo formaliter prædicantur de ea: Respõdet esse prædicationes fundamentales, non formales: quia sunt veræ fundamentaliter, quatenus essẽtia est radix, & fundamentum eorum: cæterum non esse veras formaliter, quia de vltimate abstracto nihil valet prædicari, nisi in primo modo, at omnia ista prædicata sunt secundi modi.

12 Verum non assentior Lycheto dicenti prædicatioens istas non esse formales; etenim quis negare audebit, essẽtiam esse bonam, & infinitam, & veram formaliter; & quidem beati formaliter vident diuinam essentiam: item de essentia ait Ambros. Luc. 5. *si vult videtur, si non vult non videtur.* est etiam formaliter beata, & huiusmodi: qua ergo ratione negandæ veniunt propositiones istæ formaliter? Responderet Lych. aliter loquendum esse cũ Rudibus, aliter cum Theologis: cum illis esset cautè procedendũ, quia non capiunt, hi capiunt.

Prædicata de essentia theologica, alia logica. 13 Quidquid tamen sit, dum res disquiritur theologicè, & logicè, secũdũm vtrumque modum est respondendum: & quidem logicè loquendo, benè ait Lych. propositiones istas non esse formales, sed fundamentales; adde reales, & identicas; non formales, vt est dictum, quia sunt prædicata posteriora ad essentiam; ergo non prędicantur in primo modo dicendi per se formaliter: at quia sunt idem realiter, fundamentaliter cum essentia, ideo sunt benè prædicationes fundamentales;

tales : si verò loquamur theologicè, est omnino concedendum prædicationes istas esse formaliter veras, quia verè essentia est beata, beatificat, videtur, amatur : ergo formaliter videtur, formaliter est beata : ratio autem prędicationis istius formalis theologicè loquendo desumitur primo ex veritate, & realitate ipsius prædicati, quia verè, & realiter à parte rei videtur, amatur, beata est, beatificat &c. Secundò quia verè identicè, & realiter est bona, sapiens, iusta, infinita, & huiusmodi : ergo est formaliter talis. ideoque ne dubitatio oriatur in vocibus, dum sumus in rebus theologicis, vtamur theologico more, sic enim catholicè, & fideliter rem exprimimus, cõformando nos cum more loquendi Patrum, & Theologorũ : modus autem ille explicandi logicè ad Scholas pertinet, & ideo in disceptationib. eo vtendum: cæterum communi via vtendum, vt dicamus essentiam esse bonam, iustam, beatam, sanctam, & infinitam theologicè formaliter, sic namq; & rudibus satisfacimus, & doctis; *sapientibus* namq; ait Paulus, *debitor sum, & insipientibus*.

Prædicata logica de essẽtia quænam.

14 Si autem inquiras quænam sint prædicata, quæ logicè loquendo prædicantur de essentia prout est vltima abstractione abstracta : iam dictũ est, esse prædicata essentialia, seu primi modi dicendi per se: & ista erunt, ens, existentia, Deus, Spiritus, vita intellectualis. siuè erunt ea, quæ includuntur in eius definitione, si posset difiniri, prout eam describit Scotus quæst. 5. quolib. inquiens, *essentia diuina est entitas realis, existens, prima, vnica, absoluta, quæ in diuinis qualibet persona est Deus, radicaliter infinita*.

Essẽtia diuinæ descriptio ex Scoto.

Essẽtia est principium & terminus formalis, non totalis.

15 Secunda assertio, essentia diuina est terminus formalis generationis : est etiã principium formale eiusdem: licet non sit terminus totalis, & adæquatus, nec principium totale, & adæquatum est Scoti 1. d. 5. q. 2. litt. F. & D. Tho. 1. p. q. 41. art. 3. Iam constat principium, & terminum cuiuscunq; productionis diuidi in totalem, quod, & adæquatum: ac in partialem, & formalem, & quo, siuè inadæquatum: totalis constat ex natura, & hypostasis huiusmodi principium totale, quod, & adæquatum generationis actiuæ est Pater: terminus vero erit filius, qui est adæquatus, & totalis terminus generationis. hinc vero sequitur, quod si Filius, & Pater sunt principium, & terminus totalis, vtique essentia erit principium, & terminus inadæquatus, quo formalis, & partialis. Probatur autem, essentia in Filio nõ est materia, neque quasi materia, vt contra Henricum dicetur suo loco : nec est causa finalis, nec efficiens; ergo remanet, vt habeat rationem principij, & termini formalis. Item terminus formalis productionis Filij, vel est essentia, vel relatio, vel essentia, & relatio simul : non essentia, & relatio simul, quia ambo faciunt terminum totalẽ, non relatio, quia ipsa non est perfectissimum, quod per productionem habetur, cum relationes ex Scoto nõ dicant perfectionem, & imperfectionem: dato autem in sententia D. Tho. dicere formaliter perfectionem, nihilominus perfectio eius est fundamentaliter ab essentia, cum ipsa sit pelagus perfectionum: cum igitur essentia sit quid primo perfectissimum, ipsa quoq. erit terminus primus; & formalis generationis. Insuper in creaturis terminus formalis generationis est natura, non autem proprietas indiuidualis: quia vtrumq; facit terminum adæquatum, & totalem: ergo in generatione diuina terminus totalis, & in recto erit Filius constans ex essentia, & proprietate, terminus partialis formalis erit natura diuina. Deniq; natura est ratio agendi: proprietas vero est conditio agentis : ergo natura eadem erit terminus partialis ipsius rationis agendi : quo fit, vt sicut terminus totalis, & principium totale constat ex ratione agendi, & conditione agentis, ita terminus generationis totalis, & principium totale sit Pater, & Filius terminus vero partialis, ac terminus formalis sit ipsa diuina essentia. est contra OKam, & Gregor. de Arim. 1. d. 5. q. 2. Hoc idem habet Scotus 1. d. 7. q. vn. litt. P. & quol. 2. litt. O. ac d. 13. q. vn. litt. T. docens assertionem recensitam.

16 Arguitur aduersus dicta, Au-

gust. 7. Trin. c. 2 & 12. ait, *Idem dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia:* & inde, *ac in altero, quod est sapientia demonstretur essentia, qua ad se dicitur*: concludit ergo idem esse sapientiam, ac essentiã: arguitur verò, sapientia est nata, & genita, ergo etiam est genita essentia. Respondet Scot. non esse parem rationem de sapientia, & essentia: illa namq; non est vltima abstractione abstracta, ista sic: at conclusum est quod de vltimatè abstracto non potest prędicari nisi in primo modo formaliter; igitur generatio non prædicabitur de essentia: dicetur verò de sapientia, quia non est vltimato abstracta.

Sapientia non est vltimato abstracta, est autem essẽtia.

Propositio de quid indicat circa essentiam.

17 Item arguitur, Augustinus aliquando dixit Filium esse essentiam de essentia: ergo essentia generat. Resp. non esse sensum, vt velit Augus. essentiam generare, sed sensus erit, vt ly *de*, non denotet quidem rationem causæ efficientis, non enim generat: nec rationem materię, siuè quasi materiæ, vt aiebat Henric. sed denotat essentiam esse fundamentum, de quo educitur Filius: essentia enim est fundamentum, & radix, ex qua, siuè de qua emanant diuinæ personæ.

18 Insuper Richar. 6. Trin. c. 22. inuehitur contra Magistrum, dicens, *Multi temporibus nostris non audent dicere substãtiam genitam: quin potius, quod est periculosius, & contra Sanctorum authoritates, audent negare, & modis omnibus conantur refellere, quod substantia gignat substantiam, pertinaciter negantes, quod omnes sancti affirmant*. Respondet Scot: quod si Richardus intendat reprobare Magistrũ in hac re, est neganda eius authoritas, quia sententia Magistri est approbata à Concilio. authoritates verò Sanctorum exponendæ sunt iuxta mentem Concilij, vt exponit Magister.

19 Item essentia communicatur, ergo generatur, & producitur. prob. consequ. communicare, & communicari dicunt relationes originis: sed easdem relationes dicunt generari, & generare; producere, & produci: Item si vnum relatiuum est idem cum altero relatiuo, vtique correlatiuum erit idem cum correlatiuo: sed communicare, & producere sunt relatiua, eorum correlatiua erunt communicari, & produci: sunt autem idem ergo &c. Respõdet Scot. non esse idem communicare communicari, producere, & produci; & quidem productio est totius compositi, communicatio est formæ, siuè termini partialis: ita productio in diuinis est totius suppositi, communicatio autem est ipsius essentiæ, tanquam termini formalis. item productio, & generatio dicit relationem realem inter producentem, & productum: communicatio verò dicit relationem rationis inter communicantem, & ipsam essentiam cõmunicatam licet ad hanc relationem rationis sequãtur inde relationes reales, quæ intercedunt inter personas ratione producentis, & producti; spirantis, & spirati, geniti, & generantis; ideo non tenet, essentia communicatur, ergo generatur: productio namq; dicit distinctionem realem, sicut relationem realem: communicatio verò distinctionem rationis, sicut & relationem rationis.

Communicari, et produci valde differunt.

20 Arguitur insuper argumentis logicalib. quandocunq; prædicatum enuntiatur de subiecto, potest supponere pro ipsomet subiecto: sed essentia prædicatur de Patre per se, quia Pater est essentia; ergo potest essentia supponere pro Patre: at Pater generat, ergo essentia generat. maior patet, quia si homo est risibilis, est etiã animal risibile, prout animal supponit pro homine. probatur minor, nihil prædicatur accidentaliter de Deo ad intra: ergo generabit per se essentia, sicut Pater generat per se. Respõdet Scot. quod essentia non prædicatur per se primo modo de Patre, neque formaliter. Cum probas, neque per accidens, ergo per se: respondet inter prædicari per se, & per accidens prout accidens est quid separabile à subiecto, datur prædicatio per accidens vocata per accidens sumptum pro extraneo: sicuti bonus non prædicatur formaliter de differentia specifica, vt animal de rationali, neque per accidens, quia animal non acci-

dit

dit rationali: sed est accidens extraneum.

Arguitur aduersus Scotum. soluitur.

21 Verum instatur contra hanc responsionem Scoti, quomodo namq; potest esse verum quod essentia non prædicatur per se, in primo modo de Patre, cùm sit de ratione formali essentialiter constitutiua Patris: omnis enim ratio formalis constitutiua alicuius prędicatur formaliter, & in primo modo dicendi per se de eo. Resp. Scotum loqui logicè, non theologicè: logicè, quia vltimatè abstractum non prædicatur formaliter de subiecto, vt Petrus est animalitas: sed est prædicatio identica: ita de essentia, quæ est vltimatè abstracta, & propterea Scotus negat eam per se, idest logicè: attamen loquendo theologicè est de fide, quia Pater constituitur ex relatione, & essentia, & est prædicatio vera, formalis, realis, & idētica. Resp. secundò, Patrem sumi ibi adiectiuè, prout est idem, ac patrixans, seu generans: verum quia essentia non generat, ideo Pater adiectiuè est essentia non est prædicatio formalis: at sumēdo Patrem sudstantiuè, est verissima, substantiuè autem tenetur cum sumitur Pater quatenus est persona prima.

Pater est essentia, an sit prædicatio formalis.

Essentia est Pater, an vera.

22 Consimiliter respondetur ad hanc, essentia est Pater: sed Pater generat, ergo essentia generat: antecedens patet per conuersionem simplicem, quia sicut hæc est vera, Pater est essētia, ita hæc essētia est Pater: prob. conseq. de eo quocunque dicitur subiectum, de eo etiam prædicatur propria eius passio, quia subiectum est mediū ad demonstrandam propriam passionē: generatio autē videtur esse propria passio Patris, ergo &c. Respond. quod sumendo Patrem substantiuè, prout significat personam, cuius est paternitas, vera est, ait Scot. per identitatem, ista essentia est Pater: at sumendo adiectiuè, est falsa, essentia est Pater, quia sequeretur Patrem, seu genitorem, seu generantem prædicari formaliter de essentia, & consequenter sequeretur essentiam verè generare. Cùm arguis de passione dicendū, quod tunc passio prædicatur de quocunq; prædicatur subiectum, quando prædicatur eodem modo, quo prædicatur subiectum de illo: at quādo subiectum prædicatur vno modo, & passio alio modo, tunc prædicatio est falsa: ita subiectum, nempe Pater, prædicatur de essentia, identicè, quæ prędicatio potest competere essentiæ, quia est vera sic essentia est Pater: at passio seu quasi passio, demptis imperfectionibus, non potest prædicari nisi formaliter de suo subiecto: verum de essentia non potest prædicari formaliter, quia essentia nō generat, ideo &c.

De quocūque dicitur subiectum, de eodem prædicatur eius passio, declaratur

23 Argues, essentia est Pater Filij, ergo essentia generat: antecedens est verum, quia eius conuersa est vera, vt Pater secundæ personæ Trinitatis est essentia: sed essentia est Pater, ergo essentia est Pater secundæ personæ, seu Filij, ergo generat. Respond. vt sup. essentia est Pater, est quidem vera sumpto Patre substantiuè: falsa tamē adiectiuè pro generante, & sic non erit essentia Pater Filij.

24 Arguitur, Genitum inquantū genitum est aliquid; sed omne, quod est in diuinis est essentia; ergo Filius inquantum genitus est essentia: maior patet, quia generatio non terminatur ad nihil, sed ad aliquid. Respōd. Scot. quod genitū est essentia identicè, non formaliter, sumēdo genitum reduplicatiuè, quia esset sensum, quod essentia esset genita. Cùm dicitur, genitum est aliquid; vtique reduplicatiuè sumptum est aliquid, quod est constitutū ex relatione, & essentia: cum autem infers, ergo Filius inquantum genitus reduplicatiuè, est essentia, concedo identicè, ait Scot. non formaliter, ne detur intelligi, quod essentia sit genita: sensus autem formalis est, essentiā esse genitam, quia si genitum inquantum genitum est essentia formaliter, igitur sequitur quòd essentia sit genita formaliter. vndę ex hoc cōcedit Scotus genitum inquantum genitum reduplicatiuè esse quidem essentiam, & identicè solum, non formaliter.

Genitum inquantum genitū est essentia an vera.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Deus genuerit alium Deum.

Deus genuit Deũ, sed nõ aliũ Deum.

1 DE fide est, *Deum genuiße Deum*: ita in Concilio Nicæno definitum, & eanitur in Symbolo Niceno ab Ecclesia, *Deum de Deo, Deum verũ de Deo vero*. faciunt etiam ad hoc scripturæ probãtes Christi diuinitatem, & productionem Verbi: de quibus per totam seriem Trinitatis. Hoc veluti de fide cõstito, restat solutio quæstionis, vt dicamus Deum non generare aliũ Deum. Est etiam de fide, nec differt à prima. prob. Deus generans, & Deus genitus sunt idem Deus; ergo Deus non generat aliũ Deum. Item Deitas est de se hæc, ergo est vna, & singularissima; igitur nõ plures; ergo à primo ad vltimũ Deitas, quæ est in Deo generante non est alia à Deitate, quę est in Deo genitó. Insuper vnicuiq; quo singularissimo, quod est de se hoc, & de se vnum, correspondet nunc adæquatum quod, consimiliter de se hoc, & de se vnum: sed Deitas est de se hæc, & de se vna, ergo Deus est de se vnus: ergo Deus genitus, & generans est idem, & vnus. Rursus Deitas non est contrahibilis per differentias indiuiduales, ergo non est multiplicabilis; ergo nec est multiplicabilis Deus: prob. antec. tum quia non habet rationem generis, nec potentialis, hæc enim sunt contrahibilia per differentias ad inferiora; tum quia non diuiditur in suppositis, genus namque & species diuiditur, ideo contrahitur: quod si non contrahitur essentia, ergo non multiplicatur, ergo non erit alia in Patre, alia in Filio, & consequenter non est vera quod Deus genuit alium Deum. Denique si Deus generat aliũ Deum, ergo Deus generans non est Deus. prob. Deus genitus est alius à Deo generante: sed quod est aliud à Deo non est Deus; ergo Filius genitus non est Deus; ergo Deus generãs non est Deus, quia est alius, & aliud à Deo genito. Propositio insuper illa destruit seipsam, Deus generat alium Deũ; nam si generans, & genitus sunt idem Deus, quomodo Deus erit alius à Deo, idem enim esset, ac dicere, Deum esse alium, seu aliud à Deo, Deum distingui à Deo, & consequenter Deum non esse seipsum Deum, immo Deum non esse Deum. Item si generat aliũ, aut ille alius Deus est alius Deitate, aut est alius in Deitate à Deo genito: non primum, quia sequeretur quod Deitas esset ratio distinguendi inter Patrem, & Filium: non secundum, quia inferretur Deitatem diuidi, & plurificari inter Patrem, & Filium: cùm ergo sit eadem, & vna sequitur vt Deus generet Deũ, sed non alium Deum, sed prorsus eũdẽ omnino essentialiter, & veraciter Deum.

Propositiones logicales expendentes præsens subiectum.

2 Adducit verò Scotus in 1. d. 4. q. 1. doctrinam quandam logicalem ad propositum. ait verò istas tres propositiones valde inter se differre: A, est alius à Deo: A est alius Deitate: & A est alius in Deitate. sicut etiã istę aliæ differũt, Sortes est alius ab homine: Sortes est alius humanitate: & Sortes est alius in humanitate. primus. n. modus loquendi dat intelligere, quod Sortes est alius ab homine in se, & à quocunque contento sub homine; secundus dat intelligere Sortem per humanitatem differre à brunello, tãquam per rationem formalem distinctiuam ab eo: & tertius significat terminum alietatis esse commune vtriq; extremo, itaut ambo conueniant in illo,

illo; attamen diuidi in illis, vt sortes est alius in humanitate, denotatur cõuenire quidẽ cum Platone in humanitate specifica, at humanitatem diuidi indiuidualiter in eis: sicut ex opposito, ista non est vera, sortes in humanitate est alius à brunello, quia nõ cõueniunt in humanitate: est tamen vera ista, sortes in animalitate differt à brunello, quia animal est commune eis, & diuiditur in eis. Ad propositum A est alius à Deo, sensus est quod non est idem cum Deo, nec idem cũ omni incluso in ipso Deo. nec valet ista, filius est alius Deitate à Patre: sensus enim est, quod Deitas erit ratio distinctiua Filij à Patre, cum tamen ratio distinguendi sit proprietas, non Deitas. nec deniq; valet ista, Filius est alius in Deitate à Patre; nam Deitas, quæ communis est Patri, & Filio, denotatur diuidi, & distingui inter Patrem, & Filium; igitur à primo ad vltimum, falsa est hæc propositio Deus genuit alium Deum.

Deus nõ genuit se Deum: nec alium Deum; sed alium, qui est Deus.

3 Obstatur contra, Deus generat Deum aut ergo generat se Deum, aut alium Deum: non primum, quia generaret seipsum cõtra August. 1. Trin. 1. ergo alium Deum. Resp. non genuit se Deum: nec alium Deum: sed genuit alium, qui est Deus: genuit enim Filium, qui est alius à Patre, quia distinctus personaliter à Patre: qui tamen Filius est etiam Deus, sed non est alius Deus: est autem alius suppositaliter, non essentialiter.

4 Arguitur, generans distinguitur realiter à genito, ergo Deus genitus distinguitur realiter à Deo genito, ergo genuit alium distinctum Deum. Resp. committi fallaciam commutãdo hoc aliquid in quale quid, nam commutatur terminus personalis in essentialem, dum ex distinctione personali personæ genitæ intendit inferre distinctionem realem essentię diuinæ communicatæ per generationẽ, & consequenter distinctionem realẽ Deitatis, & Dei.

5 Obstatur, Deus generat alium; aut ergo Deum, & habetur intentum, quod generat alium Deum: aut non Deum: sed id est falsum quia genitus non esset Deus. Resp. Scot. neutrum esse concedendum; nec enim generat alium, nec generat non Deum. Dices inter contradictoria non datur medium, ergo vel genuit alium Deum, vel non Deum. Resp. quod ibi non datur medium, vbi reperitur vera cõtradictio: at in argumento non sumũtur benè contradictoria, non enim ista sunt contradictoria, genuit alium Deum, & genuit alium non Deum: contradictoria vero hæc sunt, nempè genuit alium, & non genuit alium: & horum alterum erit falsum, vt genuit alium: alterum verum, vt non genuit alium Deum.

Ex negatiua de prædicato finito sequitur affirmatiua de prædicato infinito, declaratur.

6 Dices, Deus non genuit alium Deum, ergo genuit alium non Deum, quia ex negatiua de prædicato finito sequitur affirmatiua de prædicato infinito: sicut sequitur, homo non est iustus, ergo est non iustus. Resp. regulam illam esse veram, sed fallere in prædicatis compositis, non enim sequitur, lapis non est lignum album, ergo est lignum non album; in prima namq; negatur esse lignum, quod tamen conceditur in secunda, dum affirmatur esse lignum, licet non album.

7 Contra, Deus genuit alium habentem Deitatem, ergo genuit alium Deum: anteced prob. ex Damasc de fid. orth. c. 5. Deus. inquit, est diuinam habens naturam, & homo humanam. Resp. negando consequ quia commutatur quale quid in hoc aliquid, nam in antecedente ly, alium, stat pro supposito, quod quidem est aliud a generante: in consequente ly, alium, stat pro Deitate, & Deo. Ad Damasc. ait Scot. illam non esse veram Dei diffinitionem, sed quandam descriptionẽ: Deus autem, & habens Deitatem distinguuntur, quia Deus est concretũ; & indiuiduum Deitatis: habens vero Deitatem est persona, & suppositum Trinitatis.

8 Quidquid tamen sit, ad argutiones omnes logicales respondendum, quod si alietas determinet suppositũ, concedendæ sunt; si naturam, negandæ id vero proprium est Sanctissimæ, & indiuiduæ Trinitatis, quę cum alietate suppositorum cõtinet vnitatem Diuinitatis, quod non contingit in naturis creatis.

Dices,

9 Dices, idem, & diversum dividunt immediatè totum ens 10.met. t.12.ergo vel genuit se Deum, vel aliū Deum: non se, vt est probatum ergo alium. Resp. non genuit suppositaliter seipsum, sed aliud suppositum, & ita currit argumentum: comparando namq; generationem ad suppositum, conceditur quod aut genuit se, aut alium, quia non datur medium, & ita non genuit se, sed alium suppositaliter: comparando tamen generationē ad naturam, siuè Deum, dicendum, quod genuit non alium, sed eundem Deum, qui ratione suæ infinitatis, cōmunis est generanti, & genito, & vterque est generans, & genitus Deus; est enim Deus de Deo, Deus verus de Deo vero, vt canit Ecclesia.

QVÆSTIO XV.

Vtrum dictio exclusiua, *Solus*, possit competere Deo.

Magistri sentent. de terminis numeralib. in diuinis.

1 Vit sentētia Magistri, qui in 1. d. 24. docuit terminos numerales nō poni in Deo ad aliquid affirmandum, sed potius ad removendum; vnde *vnus*, & *vnitas* indicat in ipso non esse pluralitatē Deorum: Numerus quoque ternarius personarum, seu trinitas, indicat Deum ipsum non esse solum, atq; non esse plures, quam tres. Verum sententiam hanc merito impugnat eo in loco D. Bonau. Et quidem vnitas non consistit in sola negatione plurium, sed denotat etiam positiuum subiectum, de quo nedum negatiuè, verum & affirmatiuè quid prædicetur: nec est passio purè negatiua, cum addat quod positiuum, de quo dictum est suo loco. Nunc vero discurrendum est de exclusiua ista dictione, solus, vtrum possit competere Deo aliquo modo.

Solus, & solitarius quid indicet.

2 Notamus cum Scoto in 1. d. 21. q. 1. & D. Tho. 1. p. q. 31. art. 3. illud dici *solum*, seu *solitarium*, quod non habet associationem, & consortium indiuiduorum, seu suppositorum eiusdem speciei, & naturæ, vt infra, quod si oppositum contingat, non vtique erit *solum*. hinc fit vt Petrus dicatur esse *solus* in horto, licet in eo sint virgulta, & plantæ, sufficit enim commercium non habere aliorum hominum. sic quoq; Deus. si associationem non haberet diuinarum personarum, quāuis haberet associationem Angelorū, & animarum beatarum, inquit D. Th. quod diceretur esse *solus*, sed magis infra.

Deus non est solus.

3 Hoc supposito, primo dicimus Deum non esse *solum*: prob. habet Deus, associationem Patris, Filij, & Spiritus sancti: habet quoque Pater associationem Filij, & Spiritus sancti, & è conuerso: ergo neque Deus, neque persona vlla diuina dicitur *solitaria*, vel *sola*: prob. conseq. nam omnes diuinæ personæ sūt Deus, & sunt eiusdem naturæ diuinæ, ergo nulla ipsarū est *solitaria*, vel *sola*. Item 2. Elench. *solus est, qui cum alio non est*: at Deus est cum diuinis personis, & Pater est cum cæteris personis, & è contra, ergo nō est solus, probatur etiam ex Scripturis, Ioann. 8. *solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater*. & Ioan. 17. *& non sum solus, quia Pater mecum est*.

4 Terminus etiam iste *solus* ex prædictis Doctorib. accipi potest, vel cathegorematicè, vel syncathegorematicè;

maticè: primo modo negat associationem suppositi eiusdem naturæ: & est idem, *ac solitarius*: ita 1. Reg.21. *quare tu solus, & nullus est tecum?* & Ioan.6. *fugit iterum in montem ipse solus*. & hoc modo non contingit in diuinis: vnde idem August.6.Trin.c.9. *considerãda est*, inquit, *illa sententia, qua dicitur non esse Patrem verum Deū solum*, & sup. *solum Patrem dicimus, nō quia separatur à Filio, & Spiritu sancto*. & leo magn. serm.2. Pentec. c.3. *sic in tribus confitenda est personis, vt solitudinem non recipiat Trinitas*. idēque August.6. de Trin.c.7. inquiens, *Quanquam non inueniatur quomodo dici possit, aut Pater solus, cum semper, & inseparabiliter, & ille cum Filio sit, & ille cum Patre*. Secundo modo sumi potest, vel quatenus additur termino essentiali in ordine ad prædicatū essentiale ad extra: & hoc modo prædicatur de eo *solus*, ista enim est vera, *solus Deus creat*, annihilat, suscitat mortuos, & similia: hæc enim nō potest facere, nisi Deus solus. vel quatenus additur termino essentiali in ordine ad prædicatum personale, & hoc modo falsa erit ista, *Deus est solum Pater*: etenim Deus est etiam Filius, & Spiritus sanctus, cū omnes sint Deus: *solum* ergo, siuè *tantum*, non potest determinare subiectum essentiale ad vnum prædicatum notionale, cum Deitas sit communis tribus, & non sit solummodo vnius: vel quatenus additur termino personali in ordine ad prædicatum essentiale, & sic erit falsa ista, *solus Pater est Deus*: vel quatenus additur termino personali in ordine ad prædicatum notionale, & erit vera ista, *solus Pater generat: solus Filius generatur: solus Spiritus sanctus spiratur: solus Pater & Filius spirant*. Si deniq; sumatur quatenus determinat subiectum essentiale in ordine ad prædicatum essentiale ad intra, & tūc vera erit ista, *Deus solus est Deus*, siuè *Deus solummodo est Deus*: Deus solus est omnipotens, infinitus, immensus, æternus, & huiusmodi. quidquid tamē sit, ad principale intentum concludimus, Deum non esse solum, cum habeat associationem diuinorum suppositorum.

5 Cæterum si *solus* cadat tantummodo supra Deitatem, concedendum vtique Deum esse solum; sensus autē erit, quod ipse, & non aliud sit Deus, quia est vnus solummodo Deus. ita Deuter.32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*. & Isa. 37. *Tu es Deus solus omnium regnorum terræ*. August. lib.6. de Trin. c.7. *Dicimus ipsam Trinitatem Deum solum*. Ignatius Epist. ad Ephes. *Medicus noster est solus verus Deus, Dominus omnium*.

6 Petes, an sicut dicitur *Deus solus*, ita & dici possit *solitarius*. Negant Theologi sup. Augustinus quoque serm.125. de Temp. ait *Non sic vnum Deum, quasi solitarium*. idem habet in Quæst. noui, & vet. testam. q.122. & Hilar.7. de Trin. Ratio quia vox *solitarius* excludit commercium suppositorum eiusdem naturæ, præcipuè in natura intellectuali ex D. Th. & Scoto allatis: Deus autem habet consortium diuinarum personarum: immo magis patet vox *solus*, quia est vniuersalia, quam *solitarius*, quoniam *solus* dicitur, qui consortio caret rerum, siuè eiusdē, siuè alterius speciei, vnde Pastor inter oues non propriè diceretur *solus*, licet diceretur verius, esse solitarius si consortium non haberet cæterorum Pastorum, seu hominum: hinc Cicer.1. de offi. *solitarius homo atque in agro vitam agens*. Pastor ergo in agro vitam degens absque consortio hominum dicitur esse solitarius, licet Grege sit stipatus ouium at non diceretur *solus*, siquidem esset consortio comitatus earundem onium. *Deus an solitarius.*

7 Obstatur contra ex Ioann.17. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum*. & 1. Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili, soli Deo honor, & gloria*. & Io: sup. *videte quod ego sum solus*. Resp. ad primū, quod ly *te*, nempè Pater, non se tenet ex parte subiecti, sed ex parte prædicati, subiectum est Pater, prædicatum est Deus: quia tamen est vnus Deus, sequitur vt Pater sit ille Deus, quia est solus Deus, præter quem Dij idololatrarum, sunt falsi Dij: nō est autem sensus, Patrem esse solum in diuinis, sed sensus est, Patrem esse illum

N Deum

Deum, qui Deus est solummodo verus Deus, neglectis falsis dijs. non ergo Pater est solus in diuinis, cum associationem habeat Filij, & Spiritus sancti: similiter ad illud Timoth ostēditur vnum solummodo esse Deum: & ibi *solum*, non sumi cathegorematicè, sed sincathegorematicè quatenus determinat subiectum essentiale ad prædicatū essentiale, vtpotè *Deus est solus*; siuè solummodo ipse Deus, & non sunt plures Dij. Eodem modo illud alius Deuter. 32. & confirmatur ex eo, quod sequitur, inquiens, *& non est alius præter me*, istud enim declarat intentum: sicut & illud Ioannis declaratur per id, quod sequitur, cum namq; dixisset, *vt cognoscant te solum Deum*, subiunxit, *& quem misisti Iesum Christum*, ob quod associationem ostendit Filij ad Patrem. Ac denique ly solus, non se tenet solitariè, sed negatiuè; non solitariè propter associationem personarum: sed negatiuè, quia negat plures esse Deos.

8 Obstabis, solus Deus, qui est Pater, est Deus, ergo solus Pater est Deus. prob. autec solus Deus, qui est Pater, est Trinitas: prob. consequ. solū animal, quod est homo, currit, ergo solus homo currit. Secundo, solus Deus est Pater, ergo solus Pater est Deus: patet sequela per conuersionē prædicati cum subiecto. Tertiò solus Deus est Deus, ergo solus Pater est Deus: prob. sequ. in antecedēti Deus, in subiecto stat personaliter. Resp. ad primum, maiorem esse falsam reduplicatiuè, est enim sensus, quod Deus est Deus inquantum Pater: at paternitas cum sit posterior ad Deitatem non potest constituere Deum, vt Deum: est autem vera specificatiuè, & est sensus, quod Deus Pater est Deus. Respondetur secundò committi fallaciam consequentis, arguendo à Superiori ad inferius affirmatiuè, vt animal currit, ergo homo currit, non valet: ideo dicendo, solus Deus est Deus, ergo solus Pater est Deus: Deus se tenet vt prædicabile commune de personis, quas vocat Scotus partes quasi subiectiuas. Resp. 3. committi fallaciam figuræ dictionis commutādo quale quid in hoc aliquid, commutando Deum qui est terminus cō-munis, in personam determinatam Patris solius.

9 Ad secundum negatur sequ: & ad probat. non benè infertur consequentia per conuersionem talē: etenim consequentia conuersiua tenet in terminis simplicibus, ac conuertibilibus: & Aristoteles id docuit de conuersione propositionum simplicium, quæ pertinent ad syllogismum cathegoricum, & simplicem: & ibi præcipuè tenet, vbi vel prædicatum est de essentia subiecti; vel identificatum cum eo; vel necessario, & determinatè consequens illud. Dixi determinatè, quia si subiectum est ad plura indeterminatum, & indifferens, non valet conuersio, vt homo currit, ergo currens est homo, non valet, nisi gratia materiæ, non formæ. quia currens poterit esse leo, vel equus. Ad tertium neg. consequ. committitur enim fallacia commutando quale quid in hoc aliquid: & arguendo à communi ad non commune, & ab indistributo ad distributum. hæc sunt, quæ breuiter deducuntur ex longa solutione Scoti.

Consequētia conuersiua in quibus terminis valet.

DISPVTATIO TERTIA

De distinctione ad intra in ordine ad productiones,

QVÆSTIO I.

Vtrum generatio, & spiratio distinguantur seipsis.

Aegidij sententia. 1 Plures sunt dicendi modi penes Scotū, quorum tamen aliquos referemus & improbabibus. Primus autem est Aegidij, qui d. 13.q.2.ait, origines distingui penes terminos, ij autem sunt personæ productę. probatur assumptum, motus distinguuntur penes terminos, ait Arist. 5. phys. t. cap. 4. productiones hæ diuinæ licet non sint motus, sunt tamen quasi motus, quia sunt viæ ad suos terminos. Confutat Scotus hanc opinionē sic: Emanationes istæ nō habent esse per terminos, ergo nec distinguuntur per eos: prob. antec. quia personæ habent esse per emanationes, non emanationes à personis, illæ namque sunt viæ ad istas: & prob. conseq. à quo aliquid habet esse, ab eo habet vt possit à quocūq; alio distingui; à quo n. habet entitatem, ab eo habet vnitatem, & distinctionem: Ad rationem Aegidij resp. motus quidē ideo distingui per terminos, quia formæ fluentes sunt eiusdem rationis cum formis terminantibus: vt dealbatio, & nigrefactio distinguuntur per albedinem, & nigredinem terminantem tales motus dealbationis, & nigrefactionis, ideo quia forma albedinis, & nigredinis in fieri, & produci est eiusdem rationis cum iisdem formis iam in facto esse: at in proposito originatio non est eiusdem rationis cū termino nempe cum diuina essentia, quæ est terminus partialis formalis; etenim originatio est relatio, & respectus, essentia verò est quid absolutum. ita Scot. 1. d. 13. q. vnic. & hinc diluitur euasio Ferrariensis, & Vasquij.

D.Tho. 2 D.Tho. 1. p. q. 36. art. 2. ait distingui eatenus, quatenus generatio est ab vno, spiratio est à duobus. Arguit verò Scotus contra eum. si aliquid est principium alicuius operationis de se, eodem modo est principium si sit in vno supposito, ac si sit in duobus: vt albedini conuenit de se disgregare: quæ quidem ita disgregat si sit in vno subiecto, ac si esset in duobus; id namque competit de se, & suæ naturæ, non ratione vnius, vel pluriū subiectorum: ergo generationi vt generatio est, competet de se distingui à spiratione, & esse alterius rationis ab ea, parumq; refert, vt illa sit ab vno, hæc à duobus. Item possent ex hac via multiplicari in infinitum diuinæ personæ; prob. prima esset ab vna, secunda à duobus, tertia à tribus, quarta, quinta, & insuper de alijs in infinitum: prob. sequ. dualitas personarum productarum est deducenda ad dualitatem principij productiui, memorię, & voluntatis fæcundæ: at si non reducamus eam ad hæc principia, posse-

mus multiplicare personas in infinitum: cur namque Filius, & Spiritus sanctus distinguuntur, quia ille est ab vno, hic à duobus: & ideo habemus duas personas productas; ergo similiter possemus habere tres, & quatuor productas, quia haberentur à tribus, quarta à quatuor, & sic de singulis. Insuper omnis distinctio reducitur vltimatè ad ad primo diuersa: natura autem eorum, quæ sunt primo diuersa, talis est, vt sint distincta omni quocunque alio per impossibile, semotoi at semotis principiis productiuis, vtpote intellectu, & voluntate, non videtur quod vnitas, & pluralitas suppositorum possit esse prima ratio distinctiua productionum; sunt namq; priora, memoria, & voluntas, quam vnitas, & pluralitas suppositorum.

D. Thom. 3 Idem D. Tho. 1. par. q. 27. ar. 4. aliter distinctionem assignat, ait enim generationem distingui à spiratione, quia illa est prior, hæc posterior: igitur ratio prioris, & posterioris est ratio originũ distinctiua. Arguit contra Scotus: ita distinctio non est prima, ergo. prob. antec. prius quærendũ est per quid vna productio est prior alia. & inde recurrendum erit ad ordinem prioris, & posterioris: prius enim, & posterius habet causam, per quam insurgat in producto, seu productis, & causatis, relatio prioris, & posterioris; ergo prius aliunde erunt origines distinctæ, quam insurgat in eis ratio prioris, & posterioris. Item relatio non distinguitur primo, & per se à relatione per relationem, quia relatio relatio non refertur primo: emanationes sunt relationes prioris, & posterioris: igitur aliunde antecedenter habebitur distinctio: fundamenta quippe antecedũt relationes: & à fundamentis emanant: ergo recurrendum erit ad fundamenta antecedẽter, vt habeatur primario distinctio relationum. Insuper relationes prioris, & posterioris sunt aliæ à relationibus originis, quia relationes originis sunt inter originans, & originatum: relationes prioris, & posterioris sunt inter seipsas origines: hinc verò deducitur, quòd cùm relationes istæ sint alterius rationis, minime earum distinctio accipienda est ex ordine earum. Rursus, si Spiritus sanctus nõ procederet à Filio, nihilominus esset verè Spiritus sanctus vnus, & idem, qui nunc, ex Scoto, vt suo loco dicemus, ergo ratio distinctiua eius à Filio, non est, quia sit ordo inter processiones, vt processio Spiritus sancti sit distincta, quia est posterior origine.

4 Circa rationes prædictas D. Th. animaduertendum, tum procedere de facto, vt id, quod de Spiritu sancto diximus, quia de facto est à duobus, & est post Filium: immo est impossibile aliter se habere; tum etiã quod rationes eius & si non sint demõstratiuæ à priori, nihilominus currunt à posteriori: iuxta sensum impugnãtur à Scoto; cæterum admitti possunt in sensu posteriori; quia etiam Theologi omnes eas à posteriori admittunt, nec refugeret Scotus, & discipuli. Caetanus autem cum cæteris Thomistis concederent Scoto eas non concludere à priori. *D. Thomæ probationes valent à posteriori.*

5 Henricus in summ. art. 37. q. 7. ait, Emanationes distingui per principia formalia elicitiua: quæ verò sint ea, aiebat Henric. esse relationes: potentia namque generandi in Patre, penes eum, est essentia, & relatio: dicebat verò relationem determinare essentiam ad hoc, & illud: itaut relatio paternitatis determinet essentiam ad generationem Filij: relatio spirationis actiuè determinet essentiam ad spirãdum Spiritum sanctum: & ex his determinationibus concludebat distinctionem emanationum. Impugnat id Scotus, & nos infra suo loco, cùm agemus de potentia generandi, & spirandi: præcipuè de determinatiuo essentiæ: vt ibi. Item Henricus probat notius per ignotius; quia notius est, & manifestius emanationes, nempe passiuas, distingui quam paternitatẽ, & spirationem, patet, quia duæ productiones passiuæ non possunt simul esse in vna persona, præsertim vbi duę tales productiones sunt alterius rationis: non enim Verbum producitur per memoriam, & voluntatem: nec Spiritus sanctus per voluntatem, & memoriam, sed per alterum ipsorum: *Hẽrici probationes.*

&

& Petrus non generatur duabus productionibus totalibus, & alterius rationis specificæ; hæc quidem magis nota sunt, quam notum fit in Patre, & Filio reperiri generationem, & actiuā spirationem. Insuper nō assignat Henric. principia distinctiua per intrinseca, sed per extrinseca, nempe per relationes actiuas, quæ sunt principia, ait Scot, extrinseca.

Idem. 5 Idem Henricus aliter alibi distinctionem assignat, inquit enim q.9. quol.5. & q.1. distingui emanationes per principia, quæ sunt natura, & voluntas: hæc verò distinguuntur inuicem, ergo & distinguūtur productiones: quod autem distinguātur, inquit, patet, quia distinguuntur natura, & voluntas ratione, sicut & cætera attributa distinguuntur ratione. Arguit contra eum Scot. non est necesse distinctionem realem pendere à distinctione rationis: ergo distinctio realis generationis, & spirationis passiuæ, non pēdebit à distinctione hac rationis. Item ens reale non pendet ab ente rationis: distinctio emanationum est à parte rei realis, ergo non pendebit ab hac distinctione rationis. Verū vero natura, intellectus, & voluntas distinguūtur sola ratione, iam in propria quæstione dictū est, & hæc sunt, quæ contra eum Scotus affert longo sermone.

Adæ probationes. 6. Adam in 1.d.6.q.2. ait essentiā esse principiū talis distinctionis, quatenus est illimitata, continens virtualiter in se plura: etiam nulla existente distinctione ex parte essentię: probat, sicut principia limitata possunt esse causæ duorum actuum distinctorum; ita vnicum principium illimitatum, continens virtualiter plura, poterit esse principium aliquorum plurium distinctorum. probatur etiam de Sole, qui dum est causa illimitata ad plura, producit effectus plures, & distinctos in istis inferioribus. Cōfirmatur, essentia namque est radix attributorum, & est immediatum principium illorum sine vlla distinctione in ipsa essentia, ne detur processus in infinitum, ergo similiter, quatenus illimitata, erit principium harum distinctarū productionum. Arguit contra Scotus sequeretur inde generationem non differre à spiratione. prob. distinctio earum petenda est ex parte intellectus, & volūtatis, quia illa est per modum naturæ, hæc libertatis: at demptis his principijs, vtraque esset per modum naturæ. prob. de generatione iam constat: probatur de voluntate; prima distinctio istarum emanationū esset penes ipsas, quatenus iam positas in esse: at spiratio vt posita in esse iam non esset libera, probatur, quia actus voluntatis vel est qualitas, vel ad instar qualitatis, qualitati autem competit naturaliter agere, & producere naturaliter terminum suū: ergo negatur ratio distinctiui per voluntatem, cui competit liberè producere, vtraque est productio naturalis, & Spiritus sanctus non produceretur liberè. Item non essentia ex se sola, sed essentia vna cum intellectu, & voluntate est productiuum principium; ergo non est refundenda vtraque productio in solam illimitationem essentię. Confirmatur antecedens essentia, de se sola est principium naturale, & de se sola æquo modo se habet, nisi accedat intellectus, & voluntas; igitur si de se esset principium, duo inferuntur, vel quidem quod nō habebitur diuersitas emanationum, prob. quia vniformi modo se habet de se sola, & ita vna productio non distingueretur ab alia; ambæ .n. vel essent generationes, vel spirationes: vel productiones erūt infinitæ, prob. de se est illimitata, & illimitatio est ratio emanationum, ergo emanationes erūt numero infinitæ: nos autem non damus infinitas, quia non essentia sola, sed intellectus, & voluntas, quæ non sunt plus quàm duo principia, sūt principia duarum emanationum.

7 Gotfredus quol.3.q.3.& quol. 7.q.4. ideo distingui, ait, quia vna est cum alia, & cum opposito eius: vtpute spiratio actiua stat simul cum generatione actiua in Patre, & cum generatione passiua in Filio: at generatio actiua, & passiua non stat simul in eodem supposito: & per hoc quia illa est compossibilis cum illis: & hæ duæ *Gotfredi probationes.*

non

non sunt simul compossibiles, ideo generatio, & spiratio distinguũtur ab inuicem. Redarguit Scot. primo com possibilitas, & incompossibilitas aliquorum præsupponit illa talia prius habere esse, & distingui inter se, quàm sint in ordine ad aliud compossibilia, vel incompossibilia: vt albedo, & nigredo sunt incompossibiles in eodem subiecto: at talis incompossibilitas prius supponit albedinem, & nigredinem distingui inter se; ratio enim quare sint penes tertium incompossibiles nõ deducitur primario ex ipso subiecto, sed ex rationibus formalib. albedinis, & nigredinis, quia repugnant inter se: ita de albedine, & dulcedine, quæ in lacte sunt quidem cõpossibiles, at prima ratio compossibilitatis non prouenit ex subiecto, in quo sunt, sed ex suis intrinsecis rationibus formalibus, quia ex seipsis non repugnant esse inuicem: à pari distinguentur origines prius penes seipsas iuxta suas rationes formales, inde verò, quatenus sunt incompossibiles, vel compossibiles in eodem. Itẽ, non ostendit Gotfredus, inquit Scotus, duas productiones ex hac sua positione esse solummodo duas, possent namque multiplicari in infinitũ, quia sua ratio nõ obest tali multiplicationi: prob. si Pater, Filius, & Spiritus sanctus producerent quartam personam ad intra, tũc staret etiam in Patre, & Filio vna cum vtraque generatione spiratio actiua compossibilis; ergo hinc non deducitur esse solummodo duas productiones; sic etiam si produceretur quinta, & sexta persona in diuinis, & vltra, semper enim staret talis compossibilitas, & incompossibilitas: hinc verò non assignatur determinatus numerus productionum.

Generatio, & spiratio distinguuntur à priori ex suis intrinsecis rationib. formalibus. 8 His actis resoluenda est quæstio per sequentes assertiones, Prima sit, Generatio, & spiratio, tum actiua, tum passiua distinguuntur à priori, & ab intrinseco per suas intrinsecas rationes formales. est Scoti in 1. d. 13. q. 1. D. Bonau. ibid. atque D. Augustini. prbatur vero ex eod. August. qui 5. de Trin. c. 9. 14. 15. 27. qui rationẽ reddens, quare Spiritus sanctus, qui exit a Patre, non sit Filius, respondet, ideo esse, quia exit quomodo datus, & non quomodo natus: ex Augustino igitur habemus distinctionem personarum esse per distinctionem emanationum, sed generatio, & spiratio tales sunt, & talis naturæ, vt vna non sit alia, & vna sit omnino talis, circumscripto quocunque alio: ergo per sua intrinseca vna distinguitur ab alia. si ergo quis quærat vnde distinguuntur intrinsecè, respondendum, ex suis intrinsecis rationibus formalib: & non est vltro quærendum ab intrinseco, sed resoluendum dicendo, ideò hæc distingui, quia sunt talis naturæ, hoc est hoc, & illud est illud, ne demus processum in infinitum in rationibus assignandis ab intrinseco. Probatur etiam ratione, Illa, quæ in nullo conceptu contrahibili conueniunt, illa sunt primo diuersa, & seipsis distinguuntur: generatio, & spiratio in nullo concpetu ad eas contrahibili conueniunt, ergo se totis distinguuntur: prob. min. quia in diuinis non reperitur genus, siue quid potentiale contrahibile, & determinabile: nec reperitur quid contrahens, & determinãs Igitur dum non conueniunt in aliquo ad eas contrahibili, erunt primo diuersa, ac seipsis distinguentur.

9 Dices, Scotus in 1. d. 26. q. 1. ait, ad diuinas emanationes contrahi cõceptum dictum in quid de eis, vt de generatione, & spiratione, ergo falsa ratio quod nihil prædicetur in quid de eis. Resp. quod non est meus Scoti negare, posse aliquid prædicari in quid de diuinis emanationibus, vt conceptus relationis, & conceptus & conceptus entis: attamen negare intendit talem conceptum prædicari de eis, tanquam aliquid determinabile, & contrahibile per differentias specificas: sic enim ait in proprijs terminis, ibi litt. Z. *Dico, quod paternitas, & filiatio non sunt primo diuersa quã tum ad intellectum, quin possit intellectus abstrahere ab eis aliquem conceptum realem communem; sed sunt primo diuersa quantum ad realitatem, & realitatem, itaquod nullum gradum realitatis includat, qui sit quasi potentialis, & determinabilis per proprias differen-*

Obstatur ex Scoto.

Soluitur.

A primo diuersis an possit aliquid abstrahi.

ferentias; sicut albedo, & nigredo includunt realitatem determinabilem per differentias specificas, & tunc propositio illa, primo distinctiua sunt primo diuersa, debet intelligi de ipsis realitatibus, quæ primo consistuunt quantum ad non, conuenientiam in aliqua realitate, quam formaliter includant ambo. vsq; huc Scotus.

10 At obstabis, idem Scotus in 1.d.23.& d.8.& sæpissimè negat posse abstrahi conceptum dictum in quid. Respond. Lychet. negat posse abstrahi ab vltima realitate generationis, & spirationis non tamen ab vltimis distinctiuis.

11 Sed obstatur, quia vltima distinctiua, & vltimę realitates idē sunt, ergo si non potest ab illis, nec poterit ab istis. Item docet Scotus generationem, & spirationē distingui sicut vltimas differentias: at de his nil prę prædicatur in quid.

De primo diuersis, de passionib. et vltimis differētys nil potest prædicari in quid, declaratur.

12 Pro solutione est breuiter insinuandum quomodo sit vera propositio, quod de primo diuersis nil valet prædicari in quid, sicut nec de vltimis differentijs, passionib. & huiusmodi; & quidem non est negandum nullatenus posse fieri prædicationem in quid; nam conceptus communes, vt entis, alijque trascendentales benè prædicantur de vltimis differentijs, etenim quis negabit rationabilitatē, risibilitatem, irrationabilitatem, rudibilitatem, hinnibilitatem, & huiusmodi esse ens in quid? non ergo negatur prædicatio talis obiectiua: sed concipiuntur hæc secundum suas proprias rationes formales, qua talia sunt, & tunc nihil erit eis commune vnius ad alterum: exemplum, humanitas vt humanitas est, & æquinitas, vt æquinitas, talis sunt naturæ, vt specificè tentæ, vna nullatenus includat aliquid alterius; nec enim humanitas vt humanitas, quatenus est vltima differentia specifica constitutiua hominis, includit aliquid æquinitatis: nec æquinitas quatenus est vltima differentia constitutiua equi includit aliquid humanitatis, alias equus esset homo, & homo equus: vt sic ergo spectatæ vltimæ differentiæ, vtique sunt omnino primo diuersæ, & in nullo quidditatiuè, nempè specifico, indiuiduali, & constitutiuo vltimato gradu conueniunt: ita de passionib. atque de cæteris rerum vltimis constitutiuis; cęterum loquendo de prædicatis superiorib. cōmunibus, atque trascendentalibus, vt entis, boni, veri, & similib. vtique conueniunt, & prędicantur talia superiori de eis in quid. ita ad propositum, generatio, & spiratio, quæ sunt vltimę differentiæ constitutiuæ Filij; & Spiritus sancti: ita se habent, vt vna quatenus talis, nihil includat de altera; generatio namq; vt generatio est, in sensu composito, nihil includit de spiratione, vt spiratio est: & spiratio qua talis, nihil includit de generatione, vt generatio est, alias generatio esset spiratio (saltim inadæquatè, & ex parte, in ijs paucis, quæ includit) & spiratio esset generatio: quia igitur nihil vnius, qua talis, includitur in altera, ideo dicuntur generatio, & spiratio distingui se totis, atque esse primo diuersa. Ad Scotū autem adductum, exponendus est modo prædicto, non enim negat prædicationem in quid conceptus alicuius superioris, vt entis, relationis, prædicabilis de eis in quid; sed negat conceptum per differentiam, seu conceptum differentiæ vnius contrahentis, prædicari de altera: & sic conceptus generationis qua talis, non prædicatur de spiratione, qua talis, & viceuersa: sicut humanitas non est equinitas, sed equinitas est tantum equinitas, formaliter tenta, inquiebat Anic. ita vt nullo modo conueniret specificè cum humanitate, licet conueniret cum ea in ente; ita generatio est tantum generatio, spiratio est tantum spiratio; & in his rationibus quasi specificis, nullatenus vna participat de altera, quia sūt vltimæ differentiæ quasi specificæ, & vltimato constitutiuæ, ac consequenter vltimato distinctiuæ: cæterum nil vetat prędicari de ijs in quid conceptum entis, atque relationis; talis enim prædicatio, & conuenientia potest stare cū primo sic specificè, seu quasi specificè, vel numericè, vel alio modo diuersis. hoc totum implicitè habetur in verbis citatis ipsius Scoti. sed qualis sit ista prædicatio conceptus entis

[de

de passionibus, modis intrinsecis, & vltimis differentiis, an quidditatiua, an denominatiua, vide formalistas.

Generatio, & spiratio originatiuè distinguuntur per principia productiua.

13 Et hinc soluitur instantia Caetani, arguebat enim 1.p.q.27.art.4. nō esse verum distingui se ipsis primo, quia generatio, & spiratio conueniūt in prædicatis superioribus communibus, sunt enim ambæ immateriales, diuinæ, infinitæ, spirituales, & huiusmodi: at Resp. ex dictis; quod esse primo diuersas non impedit posse prædicari aliquid commune de eis. Ratio quia in vltimis constitutiuis sunt duo conceptus, proprij, & communes: loquendo de secundis, vt sūt conceptus entis, ac cæteri superiores, iam prædicantur de eis: loquendo de primis, nullatenus insimul conueniunt: intellectus namque vt intellectus, est principium generationis, & nullo modo spirationis: sic voluntas vt voluntas est principium spirationis nō generationis: sic quoq; generatio vt generatio non est spiratio vt spiratio, & è conuerso. Verum verò de modis intrinsecis proprijs passionibus, vltimisque differentijs ens prædicetur quidditatiuè, an denominatiuè, vltra dicta spectat ad formalistas, vide Trombett.fol.159.

14 Secunda assertio, generatio, & spiratio originatiuè, & principiatiuè distinguuntur per sua principia productiua. est Scoti vbi sup. prob. distinctio aliquorū sumitur à suis principijs productiuis, ergo generatio passiua, & passiua spiratio productiuè distinguūtur à suis principijs productiuis. Item à quo aliquid habet esse, ab eo habet & distingui: sed emanationes passiuæ habent esse à principis originatiuis, ergo & ab illis habent distingui. Insuper actus nedum distinguuntur per obiecta, verum etiā per suas potentias productiuas; ergo actus generationis distinguentur penes principia productiua: ea autem sunt intellectus, & volūtas: quæ adeo distincta sunt inter se, vt vnum non sit principium productionis alterius formaliter; intellectus siquidem est principium generationis, & voluntas spirationis: illæ per modum naturæ, hæc per modum libertatis. Distinctio hæc datur penes principia extrinseca, & ideo datur per extrinseca: sicut enim effectus creaturarū distinguuntur, & per intrinseca, & per causas productiuas extrinsecas, ita diuinæ emanationes productiuè distinguuntur per extrinseca productiua, & originatiua principia, quæ etiam ex anteced. assertione distinguebantur ex suis intrinsecis rationibus formalibus per intrinseca.

Generatio, & spiratio distinguūtur penes terminos totales manifestatiuè.

15 Tertia assertio, generatio, & spiratio distinguuntur penes terminos totales, manifestatiuè. est eiusdē Sco. est vero distinctio hæc penes terminos à posteriori. Dixi penes terminos totales: quia terminus formalis, partialis est diuina essentia in vtraq; productione: verum quia est eadem vtrobique, ideo distinctio sumenda erit penes terminos totales, ij sunt Filius, & Spiritus sanctus. Dixi manifestatiuè, quia non omnibus cōspicuum est diuinas emanationes distingui, sicut magis conspicuum esse poterit distincta esse ipsa producta, seu terminos productos: prob. nihil idē potest produci simul duabus productionibus totalibus alterius rationis: ergo Filius non producitur per generationem, & spirationē: nec Spiritus sanctus per spirationem, & generationem: quod si termini hi distinguuntur inter se, vtique nobis manifestant distingui quoq; inuicem generationem, & spirationem. vide etiam Scot.d.3.eiusd.1.l.q.& quol.2.litt.O.

16 Dices assertio ista coincidit cum sententia Aegidii, quam tamen impugnauimus. Resp. Aegidium desumere distinctionem penes terminos quocunq; modo spectatos, etiam formales, quod est falsum; vt patet de essentia: nos autem desumimus penes terminos totales, & adæquatos, quod est verum; quia motus distinguuntur non penes terminos formales partiales, sed adæquatos, & totales.

17 Obstabis, distinctio productionum habetur penes terminos, ergo tanta erit distinctio inter productiones, quāta inter terminos productos: at Filius, & Spiritus sanctus distinguuntur solo numero, ergo & productiones distinguentur solo numero, &

con-

consequenter erunt eiusdem rationis generatio,& spiratio: id verò videtur falsum,quia productiones videtur distingui quasi specificè ex Sco.7.quol.

Non semper ex tanta distinctione terminorũ inferenda est tanta distinctio productionũ, nec vice versa.

18 Resp. non semper ex tanta distinctione terminorum debere inferri tantã distinctionem productionum:nec semper viceuersa ex tanta distinctione productionum colligendam esse tantam distinctionem productorum: sicut ex opposito nec ex identitate terminorum necesse est colligere identitatem productionum, & è conuerso; ratio quia non est necesse ponere tantam distinctionem in productis,& principiatis,quantam in principijs,& causis; nec è conuerso tãta distinctio in principijs,& causis,quanta in principiatis,& causatis: & quamuis ex distinctione quasi specifica terminorum formalium filiationis,& spirationis passiuę possit inferri distinctio specifica generationis,& spirationis actiuæ,non tamen sequitur vt ex idẽtitate specifica terminorum totalium necesse sit colligere identitatem specificam productionum, secundùm suas vltimas rationes formales consideratarum: sic Filius, & Spiritus sanctus sunt quasi specificè idem, dixi, quasi specificè, quia in diuinis nõ est propriè nec genus,nec species,at non sequitur vt sic sint idem ipsæ diuinæ productiones. hinc verò colligimus, quod siue loquamur de idẽtitate essentiali terminorum,non est necesse admittere in productionibus identitatem eiusdem specificæ rationis, cùm sint alterius rationis, licet omnia sint idem essentialiter identicè cum diuina essentia, at contemplamur productiones secundùm suas rationes formales, prout distinguuntur ab essentia: siue etiã sermo sit de eorundem terminorum distinctione, non est necesse admittere tantam distinctionem in terminis, quantam in productionibus, quia nõ est semper admittenda tãta distinctio in principiatis, & causatis, quanta in principijs,& causis: & ita productiones remanebunt quasi specificè distinctæ, termini vero totales solùmodo distincti realiter: vberior doctrina in quæst.sequ.5. Item aliud esse loqui,vide infra q.5.nu.11.12.

19 Dices,motuum distinctorum specie sunt termini distincti specie: ergo si differunt quasi specie productiones, different etiam sic ipsa producta. Responsio patebit ex quæst.5. nu.8.9.&c.

Vasquez non penetrat Scotũ.

20 Aduersus primam assertionẽ arguit Vasquez dicendo Scotum insufficienter assignasse distinctionem emanationum, dicendo distingui ex suis intrinsecis rationib. formalibus, quia etiam distinguuntur aliunde. Resp. vel non legisse, vel non penetrasse quod legerit apud Scotum:etenim eandem obiectionem facit contra se Scotus ibi d.13.q.vn. sub lit.O. ait enim,& si obijciatur,emanationes non sunt à se, ergo non distinguuntur à se: cõsequens probatur, quia à quo aliquid habet entitatem ab eo habet & distinctionem 4.met. t.cap.3. Respondet verò ipse Scotus, distingui & seipsis formaliter, & originatiuè ab ijs, à quibus principiantur: vnde constat ex duplici capite distingui, & formaliter ex seipsis, & originatiuè à principijs, vt memoria, & voluntate: quod si personæ ipsæ essent omnino improductæ, vtique se totis formaliter distinguerentur,& non principiatiuè aliunde: sicut differentiæ vltimæ distinguuntur formaliter seipsis, & originatiuè ab ijs, à quibus producuntur,quod si essent improductæ,distingueretur se totis, non autem originatiuè ab alio.

Pluralitas suppositorum an per se requisita ad productionẽ Spiritus S.

Obstatur,pluralitas suppositorũ requiritur per se ad productionem Spiritus sancti,prob.quia procedit vt nexus Patris, & Filij; ergo verè D. Tho. probauit distinctionem prouenire, quia van est à duobus. Respondet Scotus negando antecedẽs, quia Spiritus sanctus procedit quidem à duobus,at illud non est ex vi suæ processionis intrinsecè,non enim procedit intrinsecè vt nexus, sed ideo est nexus, quia procedit à duob. & quia voluntas spiratiua iam reperitur in Patre, & Filio, quapropter procedit vt nexus. quod idem est, ac dicere, quod de facto procedit vt nexus,etenim si per impossibile nõ esset Filius, Pater solus esset sufficientissimus ad spirãdũ,tũc autẽ cessaret ratio nexus, quia nexus nõ est vnius, sed plurium. &c.

QVÆSTIO II.

Vtrum productiones, & personæ distinguantur realiter.

Negāt personarū distinctionem realem Praxeas Victorinus, Montanistæ, etc.

1 PRaxeas Patrem cum Filio confundebat, vnam ambos, docens, esse personam: esse insuper Patrem ipsummet Iesum Christum, passum, atque crucifixum. Refert ita D. August. lib. de hęres. c. 41. & huius erroris sectatores appellat *Praxeianos*. quos & Victorinus quidam sequutus fuit teste Tertullian. lib. de præscript. aduers. hæret. ciulē. & lib. contra Praxeam c. 1. Mōtanistæ tres diuinas personas in vnam confundebant opinantes eundem esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, penes Nicefor. lib. 4. histor. cap. 22. de quibus Hieronymus ep. ad Marcell. *Trinitatem*, inquit, *in vnius personæ angustias agebant*. Idem appellati sūt sunt Phryges, siue Phrygastæ, Cataphrygę, Propuziani, & Donatiani, referente Epiphan. hæres. 48. Noetus eundem esse Patrem docuit cum Filio, quem Patrem genitum putauit, & in carne passum: à quo dicti sunt Noetiani, refert Philostrius in Catal. 2. hæres. nu. 6. in quem errorem iuisse quoque Hermogenem, à quo Hermogeniani, refert August. de hæres. loc. cit.

Eadem hæresis Sabel pluriūq;

2 Errorem hunc suscitauit Sabellius, à quo & Sabelliani: aiebat .n. Patrem, Filium, & Spiritum sanctum nō tres distinctas hypostases, sed vnā esse personam: itaut loco distinctionis habeatur sola nomēclatura, vt solo nomine distinguerentur, iuxta distinctas earundem personarum functiones. ita de eo Nicephorus lib. 6. hist. Eccles. cap. 26. inquiens: *Docuit vnam subsistentiam esse Patrem, Filiū, & Spiritum sanctum, vnamq; trinominem personam*. referūt idem Epiphan. hæres. 26. Basil. t. 1. homil. 28. contra Sabellian. & Anomeos, Naziāz. orat. 25. ad Arian. Athanasius lib 4. aduers. Potent. Vrbic. & cōtra Gregales Sabellij, &c. qui itidem Sabelliani appellati fuerūt Patripassiani, apud Philastr. catalog. 2. hæres. num. 7. August. loc. cit. atq; Athan. lib. de Synod. Seleuc. & Arim. Idem tamen Sabelliani vt aliqualem admitterent distinctionem inter personas, aiebant, *Patrem esse corpus, Filium Animam, & Spiritum sanctum esse velut spiritum hominis*. refert Epiphan. hæres. 20. Faustus Manichæ. *Vnum sub triplici*, aiebat, appellatione colimus *Deum*. penes August. l. 20. contra Faust. c. 2. Photinus *Verbum prolatiuum* appellabat: vt refert Epiphan. hæres. 71. Seruetus, vnicam tantummodo personam constituebat, quem sequuntur Frāciscus Dauidis, Gregorius Blandrara, & Transyluani ministri penès Sander. hæres. 223. de visib. Monarch. Apud Genebrardum lib. de Trin. adsunt Rabini quidam dicentes, Deum esse trinum ratione tantū. Raymundus Lullus lib. de Confess. contrit. satisfat. &c. sic ait, *de Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto sic est, quod quilibet eorum stat tam completus, sicut alius, & stant omnes tres vnus Deus, non distincti in aliquo*. hinc Eymericus hoc inter errores Raymundi connumerat, dum ait, *non distincti in aliquo*. par. 2. q 9. art. 22. Director. Inquisit. ac, vt plura reticeam, Bellarm. l. 2. de Christo c. 1. 2. refert Valentinum Gentilem dixisse personam primam esse sophisticam, & diabolicam. ideoque noluisse Patrem appellari personam primam, ne

note-

notetur adesse distinctionem personarum. Transyluanos verò Verbum, & Spiritum sanctum dixisse esse potentiam, & virtutem Patris, nullatenusq; à Patre distingui.

Distingui Personas est de fide. 3 In primis verò est assertio catholica, & de fide, diuinas personas distingui ab inuicem realiter, & probatio petenda breuiter erit, ex theologicis rationibus, ex Patribus, & ex Concilijs.

4 Et quidem circa probationes theologicas inseruire possunt illæ eędem, quibus probatum remansit vna cum vnitate diuinæ essentiæ stare pluralitatem personarũ, quas modo necesse non est repetere; videndæ sunt ibi.

Ex rationibus theologicis. 5 Inter cætera vero potiora fundamenta, validum est illud petitum à generatione; arguitur autē inter generans, & genitum interuenit necessario distinctio realis personalis: ergo Pater distinguitur realiter à Filio. Assumptum docuit tum Aristot. tum Augustinus 1. de Triuit. tum Cyrillus lib. 1. in Ioann. c. 2. *Veritas,* inquiens, *ita se habet, quod necessario à generante genitum re ipsa distinguitur.* Hinc August. c. 1. lib. 1. inquit, *Qui putant eius potentia esse Deum, vt seipsum ipse genuerit, eo plus errant, quod non solum Deus ita nō est, sed nec spiritualis creatura, nulla enim res seipsam gignit, vt sit.* & Hilar. li. de Synod. post. Canon. 8. Orient. *Cum non possit, nisi alius, atq; alius esse generans, ac generatus.* ac demum ipsemet Aristot. lib. 2. de Anima t. 47. *Generat autem nihil seipsum, sed conseruat.* Ex his ergo clarè deducitur distinctio realis Patris à Filio.

6 Pariformiter hinc quoque deducitur distinctio realis vtriusque à Spiritu sancto: nihil namque spirat producendo seipsum: ergo spirantes distinguuntur realiter à spirato. assūptum ex consimili sequitur, etenim spiratio actiua est actio productiua in esse formali: at nihil producit personaliter seipsum, ergo renet conclusio, vt consimiliter distinguatur realiter Spiritus sanctus.

7 Accedit, quia Filius est à Patre, Spiritus S. à Patre, & Filio: quod si ab alio est Filius, & ab vtroque est Spiritus sanctus, ergo nō à seipso Filius, nec à seipso Spiritus sanctus, igitur persona producēs erit alia à producta.

8 Caput circuminceßionis validè confirmat intentum: etenim personam esse in persona requirit vltra idētitatem essentialem, distinctionem personalem, & realem: & eo magis, quo mysterium hoc indicat quoque productionem vnius ab altero: quæ omnia important distinctionem realem, de qua suo loco.

9 Relationes personarum constitutiuæ distinguuntur realiter, ergo & ipsa cōstituta, dà oppositum, & sequitur paternitatem esse filiationem, & vtramque esse spirationem passiuam.

10 Denique ergo Pater esset Filius, & Spiritus sanctus, & vice versa: ergo Pater esset genitus, ac spiratus: ergo non esset ingenitus, nec à se, sed ab alio, & esset persona producta; ergo non esset prima persona: ergo Filius generaret si non distingueretur à Patre: ergo Spiritus sanctus generaret, & spiraret, si non distingueretur ab vtroque. Ergo demum, Pater non esset à parte rei Pater, sed sola fictione per intellectum; sed sola denominatione extrinseca ex eo, quod aiunt distingui personas sola ratione, & ratione officij, atque sola nomēclatura, seu appellatione: cōsimiliter nec Verbum, & Spiritus essent reuera Verbū, & Spiritus, sed extrinseca appellatione, & sola fictione intellectus, quod quidem est cōfundere, immo destruere Trinitatem. Rationes plures facile congerere poterit Theologus ex thesauro sacrosanctæ Theologiæ. hæc quoad Scholasticos.

11 Quoad Patres, in primis Athanas. lib. 4. contra Vrbic. Potent. explicans illud Christi Domini Ioan: 10. *Ego, & Pater vnum sumus,* ait, *Ego, & Pater vnum sumus, vtique, quia vnitū nomen natura, plures natura non sint, & vna persona non sint.* Aug. lib. 7. de Trin. c. 6. *Vnū,* inquit, *secundùm essentiā, sumus, secundùm relatiuum:* at relatiua sunt tria, & distincta. & tract. 36. in Ioann: *Non dixit* (nempe Christus) *Pater ego sum, aut ego, & Pater vnum est, sed cum dicit, Ego, & Pater vnum* *Ex Patrib.*

ſumus vtrumque audi, & vnum, & ſumus, & à Carybdi, et Scilla liberaberis: in duobus iſtis verbis, quod dixit, vnum, liberat te ab Ario: quod dixit, ſumus, liberat te à Sabellio. & propterea ſerm. 56. de Verb. Dom. *Quod ait, vnum, audiant Ariani: quod ait, ſumus, audiãt Sabelliani.* Cyrillus Alex. l. 3. theſaur. *Ne quis Patrem Filium, & Filium Patrem eſſe putaret, & dualitatem nominum ſolummodo faceret, & vnam, non duas perſonas arbitraretur, neceſſario illud expoſuit, dicẽs, Ego in Patre, et Pater in me eſt: vt quemadmodum ex illis verbis identitatem ſubſtantiæ oſtendit, ſic ex iſtis dualitatem perſonarum ſignificaret.* Nazianz. lib. de fid. *Vnum ad vnitatem diuinitatis refert, ſumus autẽ perſonis aſſignat.* Cyrillus Hieroſol. Catech. 11. *Non dixit vnus ſum, ſed Ego, & Pater vnum ſumus, vt neque abalienemus, neque contractionem filiopatoriæ fabricemus.* ſpecialis autẽ aduerſus Sabellium confundentem perſonas ſcribit Damaſc. lib. 1. fid. orth. cap. 11. inquiens, *Immanenentes, & in ſe inuicem perſonæ exiſtunt, non quod confundantur, ſed quod ſe inhabitent quidem, ſecundùm Domini ſermonem, inquientis, Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Hilarius quoque l. 6. de Trinit. ad Filium loquens ait, *Cognoui te in Deo Deum, non ex permixtione confuſum, ſed ex virtute naturæ.* Concludens verò principale diſtinctionis intentum Nazianz. Orat. 44. inquit, *Omnia quæcunque Pater habet, ſunt Filij, præterquam quod ingenitus nõ eſt: omnia quæcunque Filius, Spiritus ſancti ſunt, ſi generationem exceperis.* ac Cyrill. Alex. l. 4. theſaur. cap. 2. *Omnia, quæ Pater eſt, Filius ſimiliter eſt, præterquam quod Pater non eſt Filius, & Filius non eſt Pater.* & denique Damaſc. lib. 1. fid. c. 11. *ſecundùm omnia vnum ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, præter (ſi ita dicamus) ingignentiam, gignentiam, & proceſſionem.* Expreſſius autẽ Baſil. homil. 28. contra Sabellianos, *Numera,* inquit, *perſonas, Ego ait, nempe Chriſtus, vnus ſum, qui teſtificor: & teſtificatur de me, qui miſit me; ecce duos teſtes, Ego non auſim ita numerare, verum Dominus ita docuit dicens, in lege veſtra ſcriptum eſt, quod duorum hominum teſtimonium verum ſit.* atq; Ambroſ. lib. 2. ad Gratian. cap. vlt. ita redarguit Sabellianos, *Nõ audis Patrem? non audis Filium? nunquid hic vlla cõfuſio eſt &c.* hæc quoad Patres.

12 Ex Conciliis autem id ipſum conuincitur: & quidem in ſexta Synodo act. 21. aduerſus Sabellium ſic habetur, *ſabellianorum iſta eſt prauitas, in vnam ſubſiſtentiam tres confundere ſubſiſtentias, & in vnam perſonam eaſdem tres conſpergens perſonas.* Sequitur vero fidei confeſſio ſub Agatone Papa, inquientib. Patribus, *confitemur Trinitatem perſonarum, ſiuè ſubſiſtentiarum, non trium nominum ſubſiſtentium, ſed benè trium perſonarum vnicam ſubſiſtentiam.* Vtrum verò legendum vltimo loco ſit, *vnicam ſubſiſtentiam,* an *vnicam ſubſtantiam,* viſum fuit ſup. quæſt. an detur ſubſiſtentia abſoluta &c. Concilium Nicæn lib. 2. 5. *ſancta, & magna,* inquit, *Diuinitas non eſt vna perſona, vt Iudæi opinantur, ſed tres perſonæ verè ſubſiſtentes, non ſolo nomine, &c.* & in profeſſ. fidei, referente Nazianz. in tract. breu. de fide Nicæna, ſeu Orat. 50. ita ait, *Confitemur non ſic vnum Deum, quaſi ſolitarium: nec eundem, qui ſibi ipſi Pater ſit; & ipſe Filius, ſed Patrem verum, qui genuit Filium verum.* Penes Hilar. lib. de ſynod. ab orientalibus Epiſcopis anathematizantur ii, qui dixerint vnum, eundemque eſſe Patrem, & Filium, ac ſolis nominibus diſtinctos, vt can. 1. 2. 8. & 9. &c.

13 Obſtant vero Hæretici primo ex Nazianz. etenim orat. 35. ſiuè 3. de Theolog. ait, *vnam quoque Dei eſſentiam, & naturam, & appellationem eſſe, tametſi per cogitationes quaſdam diſtinctas nomina quoque ſimul diſtinguantur.* ex quo Aduerſarii colligebant, Nazianzenum docuiſſe Patrẽ, & Filium diſtingui ſolis nominibus. Item Epiphan. in Ancor. col. 6. inquit, *Tria nomina vna Deitas Patris, Filij, & Spiritus ſancti.* Damaſcenus lib. 1. fid. orthod. c. 11. *ſecundum omnia vnũ ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, præter, ſi ita dicamus, ingignentiam, gignentiam, & proceſſionem; ratione autẽ, & intelligentia hoc diſtinctum.* docet

Obſtatur ex Patrib. ex Nazianz. ex Epiphan. ex Damaſc.

ergo

ergo personas distingui sola ratione, sicut Nazianzenus per cogitationes, ac Epiphanius per sola nomina.

Resp. explicatur Nazianz. 14 Respondetur autem in primis ad Nazianz. ipsum apertissimè confutasse errorem Sabellij confundentis personas, atque Orat. 49. ostendisse personarum realem distinctionem. Item secundò, cum ait distingui per cogitationes quasdam, non loquitur de distinctione personarum inter se, sed de distinctione essentiæ in ipsis personis; etenim essentia quatenus est in Patre, non est ab alio ei communicata, at quatenus est in Filio, & Spiritu sancto, vtique est per generationem, & spirationem communicata; at esse communicatam, & non communicatam ab alio, non quidem distinctionem realem indicat essentiæ, cum sit eadem numero in omnibus, ergo si distinctio aliqua adest, ea erit per intellectum, & per *quasdam*, vt Nazianzenus loquitur, *cogitationes*. Item quia essentia à personis, & personæ ab essentia distinguuntur vel ratione, vt Damascenus infra, vel formaliter ex Scoto, &c.

Explicatur Epiph. 15 Ad Epiphanum, ipsemet ibidem aptè docet distingui personas per rationes producendi, originandi, &c. quod si *tria nomina* dixit, non loquebatur de distinctione personali, sed essentiali, ita vt docere intenderit omnes esse eundem essentialiter Deû, & in ratione Dei, seu Deitatis non distingui personas, veluti tres Deos in re, sed ad summum veluti tria nomina, ac propterea ait, *tria nomina vna Deitas Patris, Filii, & Spiritus sancti*, veluti concludens Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum distingui solis nominibus respectu Diuinitatis, quia re vera sunt vnus Deus: non ergo negat distinctionem realem personarum, quæ non solum distinguuntur per tria nomina, vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, verum & distinguūtur realiter vt tria supposita.

16 Ad Damascenum respondet D. Tho. in 1. d. 2. q. vn. art. 5. ad 1. & d. 25. q. 1. art. 4. vt per *rationem* Damascenus intelligat *relationem*, quia *relatio*, inquit D. Thom. *dicitur ratio per comparationem ad essentiam*. Potest etiam responderi, vt de Nazianzeno, loqui de distinctione personarum in ordine ad essentiam, quæ quidem distinctio erit rationis, nō realis, in essentia, namque sunt idem realiter, & essentialiter personæ, at distinguuntur personæ ab essentia, & essentia à personis *ratione*, vt Damasc. immo Scotus ait distingui formaliter. *Explicatur Damascen.*

QVÆSTIO III.

Vtrum productionum, & personarum distinctio sit omnium maxima.

Aliacensis, & Lullij opinio esse distinctionē maximam. 1 PEtrus Aliacensis in 1. q. 5. art. 1. docuit distinctionē personarum diuinarum esse maiorem quacūque distinctione creaturarum. Insuper Raymundus Lullus citatus ab Eymerico in direct. Inquisit. p. 2. q. 9. art. 25. asseruit *diuinas* personas distingui maiori distinctione, quæ possit *esse*. & ar. 27. subdit, *male* faciunt illi, qui dicunt, quod inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctū non sit tanta distinctio, quanta est inter Deum, & *equum*. Probat vero vtrumq; assertum, inter Patrem, & Filium in diuinis est maior vnitas, & con-

concordia quæ possit esse; ergo inter eos erit maior distinctio, quæ possit esse: probatur consequens, quia maior concordia non potest esse sine maiori distinctione: ergo in diuinis est maior, immo maxima distinctio, quia concordia est maxima. Argui etiam potest secundò in fauorem eorum, distinctio aut dicit perfectionē, aut imperfectionem: si imperfectionē, ergo erit remouenda à diuinis: at cōstitit de fide esse, reperiri distinctionē in diuinis ex quæst. anteced. ergo dicit perfectionem, & non imperfectionem: quod si dicit perfectionem, profectò quo distinctio erit maior, eo dicet maiorem perfectionem: at in diuinis est apponenda summa, & maxima perfectio, ergo dabitur ibi summa, & maxima omnium distinctio, ergo à primo ad vltimū, distinctio personarum erit omnium distinctionum maxima. Arguitur tertio, distinctio personarum diuinarum est infinita, ergo erit maior omni distinctione, ergo maxima, quia infinita.

Distinctio personarū non est omnium maxima.

2 Sit nihilominus prima assertio, distinctio diuinarum personarum nō est maior omnibus distinctionibus, nec omnium distinctionum maxima. Est communis theologorum, & facilè suadetur ex multiplici capite desumendi distinctionem maximam. Distinctio maxima est distinctio essentialis, vbi distinguuntur essentiæ, & multiplicātur naturæ vna cum distinctione, & multiplicatione indiuiduorum, & suppositorū, vt patet in creaturis: at in diuinis personis, licet distinguantur, & multiplicentur supposita, non tamen multiplicatur, nec distinguitur diuina essentia, diuinaque natura, cum sit vna numero in omnibus, ergo non erit maior, & maxima. Item distinctio maxima est inter decem genera, quæ genericè multiplicantur, diuiduntur, & distinguuntur: in diuinis autem nulla est distinctio generica, nec substantiæ quidem ab accidentibus, nec accidentis ab accidenti, vt in prædicamentis; omnia enim in diuinis sunt essentialiter idē, & vnum. Confirmatur, quia Deus nō est in genere, ne in ipso reperitur imperfectio generis, speciei, & huiusmodi, vt tum 1. p. disputat. de simplicitate Dei demonstrauimus, tum etiā hic quæst. Insuper maior, maximaq; distinctio est ibi, vbi adesse potest separatio, separabilitas, & diuisio: personæ autem inseparabiles, atq; indiuisibiles inuicem sunt, cum sint vnū, idemque in essentia, & natura. Rursus distinctio maxima vel esse solet inter ea, quæ distinguuntur se totis subiectiuè, vel totis obiectiuè: nihil horum in diuinis: non primum, quia habent personæ eandem essentiam, eandemque numero naturam: nec secundum, siquidem omnes fruuntur eodem cōceptu obiectiuali Deitatis; etenim Deitas, siuè Deus prædicatur essentialiter de omnibus, dicendo Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus. An vero, & qualiter interuenire possit distinctio se totis obiectiuè inter diuinas emanationes, veluti inter vltimas differentias constitutiuas, dictum fuit sup.

Nō est omniū maior intensiuè, nec extēsiuè.

3 Accedit, quærendo, si distinctio hæc erit maxima, & cunctis maior, aut erit maior intensiuè, aut extensiuè: nihil istorum: probatur primum, distinctio maxima intensiuè excludit omnem identitatem, patet etenim maxima intensiuè caliditas, ita vt habeat omnem intensionis gradum, non compatitur secum gradum vllum oppositæ frigiditatis: ergo si distinctio personarum erit maxima intensiuè, nullam prorsus cōpatietur inter personas ipsas identitatem, quo foret, vt destrueretur identitas essentialis personarum, ratione naturæ, & essentiæ eiusdem, gratia cuius personæ sunt inuicem consubstantiales. probatur secundum, etenim, sequeretur distinctionem realem personalem trahere secum omne aliud genus, & ita cum distinctione reali staret distinctio essentialis, se totis subiectiuè, se totis obiectiuè, distinctio generica, vna cū omnibus generibus distinctionum, hoc namque importat distinctio maxima extensiuè, inclusio nempe, omnis generis distinctionum.

Inter distinctiones reales distinctio personarū est minor.

4 Secunda assertio, inter distinctiones reales distinctio personarum diuinarum est minor. Conclusionem hanc attigit D. Tho. 4. contra Gent. c. 4.

c.14.ad 10.§.*Per quod etiā patet*: quin potius distinctionem talem appellat minimam, ait enim, *sequitur, quod diuinarum personarum minima fit distinctio*. Durandus quoque appellat eam primo *minimam*, inde vero *minorem quacunque distinctione &c.* ita in 1. d. 26.q.1.ad secundum. ad quos accedit modus loquendi Richardi in eod. 1. d.26.art 3.q.2.ad 1. & Argentin.ibid. q.1.ad tertium.

5 Licèt verò non probent, patet tamen de facili suaderi, Magis differt sortes à Caio, quam Pater à Filio, & Spiritu sancto: ergo distinctio personarum realis in diuinis est minor cūctis distinctionibus realibus. Antecedens patet, sortes namque distinguitur à Caio nedum personaliter, verū etiam essentialiter, etenim non est in eis eadem numero essentia: at diuinæ personæ distinguuntur solummodo personaliter, non essentialiter, cum vna, eademque numero sit in ipsis essentia. Item tanta est personarū creaturum, & suppositorum, siuè indiuiduorum creatorum distinctio, vt vnū non sit in altero, hoc autem prouenit quia non possūnt eandem numero essentiam, quæ est fundamentum circuminsessionis: at personæ diuinæ ita se habent, vt vna sit per circuminsessionem in altera, & hoc ratione identitatis essentiæ, ergo distinctio earum realis erit minor distinctione reali creaturarum. Insuper ob distinctionē personalem, seu realem sit, vt creatura vna ab altera distincta, possit separari, & esse absq; altera, at vero distinctio realis diuinarum personarum nō compatitur diuisionem, & separationem ab inuicē; ratio illius, ob distinctionem tum personarum, tum naturarum, quæ infert separabilitatem; & ratio illius ob identitatem naturæ, quæ non compatitur diuisionem, seu separationem, licet stet ibi distinctio personarum. Demum, minus distat ab vnitate distinctio realis personarum diuinarum, quam distinctio realis creaturarum inter se, ergo illa est minor ista: prob. anteced. distinctio realis personalis in diuinis stat cum vnitate essentiæ, seu cum identitate essentiali; at distinctio realis inter creaturas non stat cum identitate essentiali, plurificatur namque, & diuiditur natura in eis ad plurificationē, & diuisionem suppositorum, personarum, indiuiduorum, & singularium rerum creatarum, ergo concludendum, inter distinctiones personales reales, distinctionem personarum diuinarum esse omnino minorem.

6 Ad opposita autem occurrendo, dicimus ad primum negando consequens: ad probationem vero negatur id, etenim quo maior est concordia, eo erit minor distinctio: Concedimus quidem concordiam præsupponere aliqualem distinctionem, nam quæ concordant, aliqualiter distinguūtur, & ita in diuinis, vbi enim personæ essentialiter concordant, ibi etiā realiter distinguuntur: at non sequitur, vt quo maior est concordia eo maior sit distinctio, immo oppositum, quia quò concordia, & vnio erit maior, ibi aderit minor discrepantia, minorque distinctio. *Vbi concordia ibi supponitur distinctio.*

7 Ad secundum, de distinctione est dupliciter loquendum, aut enim sumitur formaliter de se, aut connotatiuè, siuè subiectiuè: primo modo dicendum, de se, nec dicere perfectionem, nec imperfectionem, sed abstrahere ab vtroque: probatur vtrunque: si de se diceret perfectionem, ergo daretur omne distinctionis genus in diuinis, & ita sequeretur essentiam distingui realiter, & essentialiter à personis, & personas ab essentia: personasque distingui nedum realiter inter se, verùm & essentialiter, &c. si vero diceret de se imperfectionem, igitur nulla distinctio apponeretur in diuinis, quoniā inde remouenda sunt ea, quæ dicunt imperfectionem; probatur sequela, siquidem à diuinis personis negaretur distinctio realis: ab essentia, & attributis inter se, & cum personis negaretur omnis distinctio, tum rationis, tum formalis, iuxta singula Scholarum placita: igitur de se formaliter spectata nec dicit perfectionem, nec imperfectionem. Secundo modo asserēdum est dicere perfectionem, & imperfectionem, reddendo singula singulis; quod patet, quoniam spectando subiecta connotabilia *Distinctio an dicat perfectionē an imperfectionem.*

lia à tali distinctione, quandocunque sufferre poterit distinctionem, perfectionis erit in eis distinctio, quotiescunq; autem ferre non poterunt, erit imperfectionis; vt distinctio essentialis in diuinis dicet imperfectionem, siquidem destruet consubstantialitatem personarum, ergo est remouenda à diuinis: distinctio personarum realis est compossibilis inter personas, ergo erit aponēda ibi, propter quod dicet perfectionem. consimiliter de distinctione siue rationis, siue formalis inter essentiam, attributa, quæ est apponenda, quoniam explicat diuinorum attributorum perfectionem, &c. Cùm verò subdit argumentum, in diuinis esse apponendam summam perfectionem, & consequenter summam distinctionem, verum quidem si summa distinctio diceret summam perfectionem, at constat summam distinctionem, quę erit distinctio essentialis, se totis subiectiuè, & obiectiuè, destruere identitatem essentialem diuinarum personarū, ergo inde erit remouenda, tāquam dicens summam imperfectionem.

Distinctio personarū nō infinita.

8 Ad tertium, distinctio personarum attenditur vel formaliter de se, vel subiectiuè: primo modo non est infinita, nec intensiuè, nec extensiuè: vt est dictum: non intensiuè, aliàs excluderet identitatem essentialem: nec extensiuè, quia non complectitur cætera genera distinctionum, vt deduximus. secundo autem modo appellanda venit infinita, quia cadit super personas diuinas, quę sūt realiter, & idēticè, atq; essentialiter ens infinitum, sunt enim Deus infinitus.

Diuisionis nomine vtuntur in diuinis Nyssenus, & Basil explicantur.

9 Obstari tamen insuper potest, eo quod Patres aliqui admittere videntur diuisionem inter personas: at diuisio est plusquam distinctio realis, diuisio namque importat distinctionem naturarum essentialem, ergo distinctio personarum erit maxima. Assumptum probatur, quia Greg. Nyssenus Orat. catechetica c.1. Verbum appellat *distinctum, ac diuisum à Patre.* & lib. de Trinit. ad Eustat. nominat *diuisionem hypostaseon.* ac Basil. homil. 28. aduersus Sabellian. nominat *diuisionem, & alterationem personarum.*

Diuisio an cadat in diuinis.

Respondetur autem per diuisionem, siue separationem intelligere solam distinctionem realem personarum: vnde pro eodem vsurpant diuisionem, separationem, ac realem distinctionem, non autem separare verè intendunt, aut diuidere in personis diuinis diuinam Naturam, sicut accidit in humanis: & quod ita sit patet ex Nazianzeno, qui Orat. 32. ad 150. Episcopos, inquit diuina supposita esse *tria, quia diuiduntur, non naturis, sed proprietatibus.* & Athanas. lib.2. de propr. person. loquens de Trinitate ait, *diuisa est in nominibus personarum, in Deitate autem indiuisa.* ac .S. Martialis epist.1. ad Burdegalens cap.10. *Hæc*, inquit, *in personis tria diuisa, in Diuinitate vnus Deus indiuisus est.* hi omnes licet diuisionis nomine vtantur, docent nihilominus nullo modo diuidi ipsam essentiam: vnde mos horum Patrum est diuisionem, & separationem longè spectando, sumere pro personali, realique, non autem essentiali distinctione.

QVÆSTIO IV.

Vtrum vtraquè productio Filij, & Spiritus sancti sit vniuoca, vel æquiuoca.

DVm singulariter loquemur de persona Filij, tūc de eius generatione quæremus vtrum sit vniuoca: nunc verò de vtraque productione est sermo, tum Filij, tum vero Spiritus sancti.

1 Quæstionem exagitant Scotistæ, atque inuestigare tentant vndenam desumatur vniuocationis, atque æquiuocationis natura, vt inde resoluant vtrum diuinæ productiones sint vniuocæ, an æquiuocæ.

Vniuocationis tres gradus ex Scotistis.

2 Primo autē loco tres assignant gradus vniuocationis: colligendo eos ex Scot. tum 7. Met. c. 9. t. comm. 30. tum in Prolog. q. vlt. in fin. & ex Formalistis. Primus est quādo producēs, & productum assimilantur nedum in forma, sed etiam in modo habendi talem formam: vt ignis producens, & productus habēt eandem speciē formam ignis, & eodem modo, siquidem vterque possidet eam realiter, & formaliter: sicut etiam de Homine generante, & genito. Secundus quando producens, & productum conueniūt quidem in forma, sed non in modo eā habendi, vt domificator, & domus extra; etenim Domificator habet in mēte sua formam domus, seu ideam, attamen domus hæc habet esse intentionale, quia habet esse ad intra in mente Artificis, domus autem extra habet verum esse reale, vnde licet conueniant in specifica ratione domus, nihilominus differunt in modo essendi, reali, atque intentionali. Tertius quando producens non habet formaliter, sed solummodo virtualiter formam consimilem formæ, quæ reperitur in producto, cuiusmodi est Sol habens quidem in se formam Ranæ producibilis, attamen habet eam solum virtualiter, ob virtutem in eo inexistentem ad producendā formam Ranæ, cùm tamen Rana habeat formam suam realiter, & formaliter.

3 Doctrina hæc fundamentum habet in Aristot. qui qui 1. de Gen. c. 9. 10. & lib. 7. Met. c. 7. docet, omne Agens, quodcunque sit, producere sibi simile. Similitudo autem esse potest, vel formalis, vel virtualis: prima erit in productione vniuoca: secunda inæquiuoca.

4 Inquirendum verò est, vtrum ad vniuocam productionem sufficiat vnitas naturæ in producente, & producto, an verò requiratur aliquid vltra, itaut exigatur modus etiam consimilis habendi eam, vtpote per modū naturæ, & vt ex vi talis productionis productum sit simile producenti: an verò modus talis assimilationis sit superuacaneus, itaut sufficiat participare candem formam, & naturā simpliciter, absque eo, quod attendēdum sit, vtrum productum recipiat eā, vel assimiletur producenti ex vi productionis suæ.

5 Nouissimus Scotista Vulpes de Trin. disput. §. 56. art. 1. ait vtramque productionem esse vniuocam, perfectissimo modo vniuocationis, ex recensitis. probat vero, primo, in productione æquiuoca productū est deterioris conditionis producēte æquiuoco: at in diuinis vtrumque productum est æqualis perfectionis, ergo nulla in diuinis datur productio æquiuoca, sed vtraque erit vniuoca. Secū- *Vulpis sententia.*

P dò,

dò, productio vniuoca est assimilatiua; at vtraque productio, tum Verbi, tum Spiritus sancti est assimilatiua, ergo vtraque vniuoca, similes enim sunt Filius, & Spiritus sanctus cum Patre in natura. Tertiò omnis ibi productio est assimilatiua non quidē virtualiter, sed formaliter, ratione eiusdem singularissimæ essentiæ in tribus: assimilatio virtualis est æquiuoca, at ibi nō adest nisi assimilatio formalis, & hæc est vniuoca. Quartò in diuinis magis conueniunt, & assimilantur in natura ambæ productiones, quam in humanis generans, & genitum: sed in humanis productio generatiua est vniuoca, ergo erit magis vniuoca vtraque productio in diuinis: assumptum patet, quia in diuinis stat assimilatio in natura singularissima, quæ vna numero est in omnibus, at in humanis nō eadem numero natura est in generante, & genito, sed solum eadem specie. Nititur quoque hanc sententiam elicere ex Scoto, in 1.d.13.q.1.in calce; atq.ibid. d.7. sub lit.R.

Probatur.

Radæ sententia.

6 Rada p.1.controu.14.art.1.solam productionē Verbi appellat vniuocam: cæterum, productionem Spiritus sancti ait nō esse vniuocam primo gradu vniuocationis. Fundamentum est, quia licet habeat eandem naturam cum Patre, & Filio, tamen non habet vt sit similis eis ex vi productionis suæ, quoniam ex vi suæ productionis habet, vt sit amor consequenter vero habet inde vt sit Deus, & per consequens, vt sit eis similis per Deitatem: vnde concludit, ea ratione, qua est amor, habere tātummodo virtualiter, vt sit similis producentib. non autem formaliter, vnde fit, vt eius spiratio non sit vniuoca perfectissimo, seu primario modo vniuocationis.

Differentia inter Verbum, & amorem.

7 Nos autem in primis supponimus differentiam inter Verbum, & Spiritum sanctum, quantum ad præsens spectat. Et quidem Verbum habet, vt ex vi productionis suæ procedat vt simile: hoc vero in sensu reduplicatiuo: ratio, quia filius ex natura sua habet, vt sit imago, & similitudo Patris: at Spiritus sanctus procedit quidem similis, cum eandem habeat numero naturam, & perfectiones, attamen non procedit vt similis reduplicatiue: Ratio, quia amori non cōpetit ex natura sua esse similitudinem siuè assimilatiuum, sed ex natura sibi competit esse vnitiuum, & impulsiuū, competitque ei agere per modum impulsus, inclinationis, atque vnionis: quod si amor ipse assimilat Amātem cum amato, id secundariò competit amori, & consequenter, nō primario, stat ergo differentia, vt tum Verbum, tum Amor sit assimilatiuus, at Verbo id competit primario ex vi, & natura generationis, Amori verò competit consequenter, & secundariò; hæc vberius explicabuntur infra, Dum quærebamus per quid generatio distinguatur: à spiratione &c.

Producta in diuinis non sunt æquiuoca.

8 Hoc præiacto dicimus primò, nullam productionem terminatiuè sumptam esse æquiuocam: facilè probatur, natura eadem numero, reperitur in tribus, ergo nulla stat ibi æquiuocatio, antecedens est de fide, & sequitur consequens, quandoquidem in æquiuocis diuersificatur substātia, & natura. Item sequeretur personas diuinas solo nomine esse Deum, & non ipsa re, probatur, etenim æquiuoca sunt, quorum nomen est idem, ratio autem substantiæ est diuersa: ergo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus essent Deus solo nomine, cæterum ratio diuinæ essentiæ non esset eadem in ipsis.

Productiones sūt alterius rat.

9 Dicimus secundò, productiones sumptas formaliter, & secundum se, esse alterius, & alterius rationis. Assertio remanet probata, sup.q.1.2. & 3. Dices, productiones sunt idem cum essentia, ergo sunt vniuocè, eiusdemque rationis: Resp. licet sint idem realiter, tamen distinguuntur formaliter, quod sufficit, vt spectatæ formaliter, sint alterius rationis, licet realiter sint idem cum essentia.

Obstatur.

10 Verum obstatur, productiones sunt æquiuocè, ergo & producta erunt æquiuoca. Antecedens patuit sup. quoniam generatio, & spiratio sunt alterius rationis, cum altera fit per intellectum, altera per voluntatē, & distinguantur seipsis, siuè quasi specificè, vt proprijs quæstionibus probaui;

Nū eadem distinctio in principiatis, ac in principijs. bauimus. Ad hoc stat ibi responsio, quod non oportet admitti tantam distinctionem in principiatis, quanta est in principijs, præcipuè vbi principiā di rationes non sunt totales, vt relatio, seu proprietas, quæ non est ratio constitutiua totalis: vnde licet productiones sint alterius rationis, non est tamen necesse & producta esse æquiuoca, & alterius speciei, vt ibi deduximus. Respondetur secundò disparem esse rationem productionū, & productorum: siuè aliam esse rationem proprietatis, & relationis constitutiuæ, aliam vero ipsius personæ constitutæ: relationes namque, seu proprietates formaliter tentæ non sunt constitutæ ex diuina essentia, licet sint idem realiter cum essentia, nō enim essentia, quæ est absoluta, est de intrinseca ratione constitutiua relationis: at eadem essentia est de ratione constitutiua personæ, etenim quælibet persona includit in sui quidditate diuinam essētiam. hoc habito respondetur, quod licet productiones formaliter tentæ sint alterius rationis non propter hoc personæ erūt æquiuocæ, quia includunt essentiam, ratione cuius omnes personæ sunt idem Deus vniuocè. Dices, etiam personæ includunt ipsas proprietates essentialiter, cū per ipsas in esse cōstituantur; at illæ sunt alterius rationis, ergo & personæ. Resp. personas ex parte quidem relationum esse alterius rationis, at ex parte essentiæ esse omnino vniuocas, cum in eis stet essentia, ratione cuius personæ sunt idem numero Deus.

Generatio, & spiratio in Patre an eadem. 11 Obstatur, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se: at generatio actiua, & spiratio actiua in Patre sunt idem, ergo erunt eiusdem rationis inter se. Resp. veram maiorem, quandocunque illud tertium habet rationem limitati, & finiti: huiusmodi non se habet Pater, respectu vtriusque fæcunditatis, & productionis. Respondetur insuper, quod licet in Patre identificentur realiter, remanent tamen generatio, & spiratio inter se distinctæ formaliter. De intelligentia illius axiomatis, *quæcunque sūt eadem vni tertio*, & c. actum fuit disput. 2. q. 4. art. 2.

12 Alia, quæ obstare possunt, petenda sunt ex hac ead. disput. q. 1. & 4.

Productio Verbi est vndequaq; vniuoca. 13 Dicendum tertio productionem Verbi esse omnino, & vndequaque vniuocam. Ratio, quoniam per eam communicatur Verbo eadē natura, quæ est in Patre. Addimus vniuocationem hanc esse maiorem, quā sit vniuocatio Patris, & Filij in humanis; ratio, quia in humanis stat vniuocatio specifica solum, propter eandem specificam naturam repertā in Patre, & Filio creato: at in diuinis reperitur nedum eadem specifica, verum & eadem numericè natura in Patre, & in Verbo: ergo vniuocatio hæc est maior vniuocatione creata: stat igitur productionem Verbi esse omnino vniuocā ratione naturæ eiusdem. Verum ratio hæc postulat & alteram, vt magis appareat talis productionis vniuocatio. est ergo secunda ratio, productio Verbi est vniuoca, quia Verbum procedit vt simile, procedit vt Filius, Filius autem est imago, proceditque ex vi generationis, vt imago, & vt similis Patri, ergo est verè productio vniuoca. Confirmatur ex Ansel. Monolog. c. 53. dicēte, idem esse procedere in rationem similitudinis, ac in rationem imaginis: & August. in Deuter. quæst. 4. *si Patri Filius sit similis sit, etiam imago rectè dicitur.* Ex duplici ergo capite manat vniuocatio, primo ex identitate naturæ, & secundò ex vi suæ productionis, quia producitur, vt similis. Addendum tertiò, quia producitur per modum naturæ: qui modus amplius explicat, quod procedit vt similis. ex quibus elicitur vniuocationem Verbi esse vndequaque perfectam, nihilque sibi deesse in ratione perfectæ vniuocationis.

Productio Spiritus S. an etiā appellanda vniuoca. 14 Dicendum quarto, productionem Spiritus sancti esse etiam appellandam vniuocam. Assertio hæc remanet probata ex prima assertione. Eamque docet Scot. in 1. d. 13. q. 1. ad argum. 2. & d. 7. q. vn. Gabriel in 1. d. 9. q. 2. art. 2. Durand. 1. d. 4. q. 1. & ita loqui docet, maximè, vt tueamur cōsubstantialitatem Spiritus sancti cum Patre, & Filio eiusque diuinitatem, aduersus Arium, cæterosq; negantes

diuinitatem Spiritus sancti.

Vniuocationis requisita.

15 Dicendum quinto, esse magis vniuocam productionem Verbi, quã spirationem Spiritus sancti, ideoque Spiritus sancti processionem non esse ex omni parte vniuocam, nec consequenter possidere perfectissimum gradum vniuocationis. Facilè suadetur ex fundamento præiacto ante primam assertionem. probatur autem, ad perfectam vniuocationẽ tria, pro nunc, requiruntur: primo identitas naturæ: secundò, vt productio fiat per modum naturæ: & tertio, vt productũ procedat in similitudinem naturæ, & vt simile producenti ex vi suæ productionis, ita vt similitudo, & imago exprimatur ex vi naturæ, seu ex talis processionis natura. hæc clara sunt, & constabũt amplius infra, dum loquemur de persona Filij, expendendo generationis naturam. hæ vero conditiones magis verificantur de productione Verbi, quam Spiritus sancti, ergo magis illa, quam ista, habet rationem vniuocè productionis, loquendo quidem de Verbo, clara sunt omnia, etenim eius productio est vera generatio, ergo necessario sequitur vt sit in idẽtitate naturæ; per modum naturæ; & in similitudinem naturæ, quod magis patebit loquendo infra de generatione Filij.

Filij productio habet omnes conditiones vniuocę productionis.

Spiritus S. productio non est omni vniuocationis gradu vniuoca.

16 Loquendo de Spiritu sancto non ita currit discursus; & quidem, ex tribus conditionibus ad vniuocationem requisitis, vnica tantummodo reperitur in productione Spiritus sãcti: adest namque prima, vtpotè identitas naturæ: cæterum desunt aliæ, nõ enim producitur per modum naturæ, sed per modum voluntatis: nec habet ex vi productionis suæ, vt procedat vt similis producenti; non enim est imago, nec procedit vt similis: ergo non est completa ratio vniuocæ productionis in eo. Altera ratio, quia licet procedat similis, est enim consubstantialis Patri, & Filio, non tamen procedit, vt similis reduplicatiuè. Vel tertiò procedit quidem similis, at nõ ex vi productionis. Item non primario, sed consequenter, ait Rada, Insuper non vt productio simpliciter est, sed quatenus est productio diuina, & infinita, nam eatenus producit similẽ in natura diuina, nõ autem quatenus absolutè productio per volnntatem est, quia nostra volũtas producit amorem, at non est eiusdem naturæ cum producente. Vel quarto, Amori non competit assimilare, sed vnire: est autem Spiritus sanctus amor, ergo virtus vnitiua ei competit, impulsiua, atque inclinatiua, non assimilatiua, vt docet D. Tho. 4. contra gent. c. 19. ibique Ferrar.

Spiritus S. productio an appellanda æquiuoca.

17 Ob has rationes aliqui Spiritus sancti productionem appellant æquiuocam: Nobis autem sufficiat dicere nõ esse omni vniuocationis gradu vniuocam; melius est enim abstinere ab æquiuoca denominatione, ne appellando eam æquiuocam, ansã præbeamus hæreticis negantibus cõsubstantialitatem Spiritus sancti cum Patre, & Filio, hæc vberius habebuntur infra quæst. 6.

18 Dices Scot. prædicta d. 13. ait primum terminum esse essentiam, ergo amor ex primaria ratione sui est assimilatiuus. Respondetur Scotum declarare seipsum, ac docere essentiã esse quidem primum terminum, sed primitate originis, at primitate adæquationis esse Verbum, & Spiritum sanctum, seu amorẽ, productum: specificatio autẽ motus habetur ex termino adæquato, & totalĩ, quod non aduertit Vulpes afferens pro se hunc locum Scot. qui tamen est contra ipsum, qui etiam productionem Spiritus sancti appellat perfectissimo gradu vniuocam, fallitur tamen, & hæc est commnnis, tum etiam Thomistarum &c.

Vulpes.

19 Et hinc ad rationes eius respondendo, ad primam iam constat, responsio ex num. 14. & 17.

20 Ad secundam, productio illa est completè vniuoca, cuius productum est simile ex vi suæ productionis, & primario: productio Spiritus sancti est quidem assimilatiua consequenter, non autem ex vi, & natura talis productionis primario, quia amori competit esse vnitiuum primario, non autem primario assimilatiuũ.

21 Ad tertiam distinguit Rada, productio namque vt productio est

volun-

voluntatis, eſt aſſimilatiua virtualiter: at vt infinita eſt, ſeu vt diuina eſt, eſt aſſimilatiua formaliter.

32 Ad quartam vtique Spiritus ſancti productio ſuperat productionẽ vniuocam humanam in eo, quod in humana ſtat identitas ſola ſpecifica, in diuina autem ſtat etiam numerica: at aliunde humana habet maiorem rationem vniuocationis, quia generatio fit in ſimilitudinem naturæ, non ſic amoris productio.

QVÆSTIO V.

Vtrum generatio, & ſpiratio diſtinguantur ſpecificè.

Pars affirmatiua ex Patrum loquutionib.

1 Videtur in primis ſpecificè differre tũ emanationes, tum ipſæmet diuinæ perſonæ: probatur autem ex Baſil. qui li 2. cõtra Eunom. ait, *Genitum, atque ingenitum, vt ſpecificas quaſdam proprietates in ſubſtãtias conſideratas &c.* & infra, *Genitum, atque ingenitum ſpecificę, ac declaratiuæ quædam ſunt proprietates &c.* Tertullian. lib. contra Praxe. de perſonis inquit, *eſſe tres non ſtatu, ſed gradu, nec ſubſtantia, ſed forma: nec poteſtate, ſed ſpecie.* Cyrill. Alex. dial. de Trin. lib. 3. loquens de perſonis ait, *eſſe tres ſubſiſtentias eiuſdem ſpeciei.* ac Damaſc. lib. 3. fid. c. 6. *Vnaquaque hypoſtaſeon eiuſdem ſpeciei perfecta ſubſtantia eſt.* & cap. *Hypoſtaſeon deſignat ſpeciem.*

In diuinis nec genus, nec ſpecies

2 Supponimus in diuinis nec genus reperiri, nec ſpeciem; non enim Deus eſt in genere; ratio reddita eſt ſuo loco; quia quæ in genere ſunt, ea ſunt entia finita, limitata, habentque rationem actus, & potentiæ, contrahentis, & contrahibilis, determinantis, & determinabilis: quia verò hæc dicunt imperfectionem, ideo remouentur à diuinis. nihilominus ſumpta ſpecie, & numero impropriè, & latè, prout indicant aliqua eſſe alterius, & alterius rationis, non incõgruum erit vti in diuinis numero, & ſpecie, ſeu quaſi ſpecie: infra verò agendo de perſonis fiet quæſt. an ſit ibi numerus perſonarum.

Productiones diuinæ nequaquã propriè ſpecie differũt

3 Hinc primo dicimus, diuinæ proceſſiones nullatenus propriè ſpecificè diſtinguuntur. prob. Deus non eſt in genere, ergo nec in ſpecie, preſſe ſumpta. antecedens patet, quia in eo reponuntur entia finita, & limitata. Item vbi ſpecies, ibi differentia, contrahens genus, & conſtituẽs ſpeciem: ibi etiam reperitur realitas determinans, & determinabilis; contrahens, & contrahibilis, actus, & potentia; materia, & forma, ſaltem metaphyſica: hæc longe ſunt à diuinis. Inſuper ratio ſpecifica obeſt ſũmæ Dei ſimplicitati: prob. ſpecies componitur ex genere, & differentia, Deus eſt ſummè ſimplex, ergo à primo ad vltimum, non eſt ibi propriè ſpecies, nec cõſequenter proceſſiones diſtinguuntur propriè ſpecie. Aſſertio eſt D. Auguſt. 7. de Trinit. c. 6. Magiſtr. 1. d. 19. D. Bonau. ibid. p. 2. ar. 1. q. 1. ibiq; Durand. q. 4. Argentin. d. 13. q. 1 art. 3. Aureol. d. 19. par. 2. ar. 4. Albert. 1. p. q. 47. m. 3. par. 4. Henric par. 2. artic. 37. q. 11. &c.

Vtrum differant numero.

4 Secundò dicimus, diuinæ proceſſiones, atque producta non diſtinguuntur propriè numero. prob. in diuinis nõ eſt propriè ſpecies, ergo nec eſt propriè numerus. antecedens eſt probatum, probatur conſequens, numerus indiuidualis contrahit ſpeciẽ

ad esse indiuiduum: in diuinis non adest talis contractio, quia siquid deberet contrahi, id esset diuina essentia, at illa non est in potentia ad cōtrahi,& determinari; nō enim habet rationem materiæ, vel alicuius potētialis ad aliquod actuale, ergo nec erit propriè numerus indiuidualis. Item ibi est indiuiduum numerale, reperitur diuiduum, seu natura diuisibilis,& contrahibilis, vt in specie creata, quæ diuiditur in indiuiduis contrahentibus: at natura diuina nō diuiditur in personis, ergo nec contrahitur per numerum strictè indiuiduorum. Insuper, indiuiduum in diuinis est de se hoc, vt indiuiduum Deitatis, ergo non est numeraliter contrahibile ad plura. à primo ergo ad vltimum non erit ibi propriè numerus. Accedit, numerus ex Arist. *cōsurgit ex diuisione continui*: nullum in diuinis continuum diuisibile, cùm sit simplex spiritus. quod si indiuidua condiuidunt naturam creatam, contrahendo eam, id prouenit, quia vna numero non potest esse in pluribus; diuina autem ratione infinitatis potest esse in plurib. ergo non diuiditur, nec numeratur, nec consequenter erit ibi propriè numerus, quod amplius patebit loquendo de numero personarum, quærendo vtrum in diuinis sit propriè numerus, non enim adest in diuinis numerus *prædicamentalis*, sed *trascendentalis*. & ideo Scot. 1.d.7.q.1.§.huic rationi, negat distinctionem propriè indiuidualem, ne detur intelligi indiuiduum diuinæ essentiæ diuidi,& numerari: ideoq; non est ibi numerus propriè, sed impropriè .i. *numerus personarum*.

Distinguntur quasi specie.

5 Tertiò dicimus, diuinæ emanationes distinguuntur quasi specie, suntque alterius rationis quasi specificæ. est Scoti 1.d.2.q.7. litt.M. & d. 13.q.vn.litt.R. ac quol.2.litt.O. prob. generatio de sui formali ratione non est, nec potest esse spiratio, & è conuerso. Item generatio,& spiratio non militant sub eadem ratione specifica, vel quasi specificâ: prob. generatio, & spiratio non differunt illo numero, quia quæ sic differūt sunt eiusdem rationis, vt duo indiuidua eiusdē speciei: at hæ non sunt eiusdem rationis, vt patet, ergo nec differūt solo numero. Insuper principia earum nō differunt solo numero, vt intellectus, & voluntas, quæ non numericè differunt, sed specificis rationibus formalibus, vel quasi specificis, saltim inadæquatè specificis; ergo & productiones eorum. Rursus quæ sunt eiusdem rationis in diuinis non possunt multiplicari: sed diuinæ emanationes multiplicantur, ergo non sunt eiusdem rationis. antecedens patet, vnus est .n. Pater, vnus Filius, vnus Spiritus sanctus: vna generatio actiua, vna passiua: vna spiratio actiua, vna passiua. Confirmatur, si possent multiplicari quæ sunt eiusdem rationis in diuinis, daretur processus in infinitum, ita si possent esse plures generationes, possent esse & infinitæ, vt deductum fuit sup. ex August. Item magis distinguitur Filius, & Spiritus sanctus, quàm duo filij, ergo plus quā numero.

Personæ nō sunt alterius speciei

6 Quartò dicimus, diuinæ personæ non sunt alterius speciei, licet diuinæ emanationes, seu processiones, vel productiones sint alterius rationis,& quasi speciei. prob. antec. diuinæ personę sunt Deus, ergo sunt eiusdem naturæ. Item licet duæ differentiæ indiuiduales sint inter se alterius rationis, & primo diuersæ, tamen indiuidua constituta per ipsas non sūt primo diuersa, sed sūt eiusdem rationis, & eiusdem speciei. ergo quamuis constitutiua diuinarum personarum sint alterius rationis, & quasi speciei, tamen producta earum erunt eiusdem naturæ, & nullatenus alterius speciei. Denique sequeretur Patrem esse Deū alterius speciei à Deo Filio,& à Deo Spiritu sancto,& è conuerso.

Melius est dicere emanationes esse alterius rationis, quā alterius speciei, vel quasi.

7 Vltimò concludimus, melius esse dicere diuinas emanationes esse alterius rationis, quàm esse alterius speciei, vel quasi speciei: dum namq; ibi non adest genus, & species, non est vtendum nomine generis, aut speciei: ita dicendum personas esse eiusdem naturæ, cùm in diuinis non sit species; esse idem essentialiter, cum vna sit alteri consubstantialis ratione

næ identitatis naturæ. sicut nec vtendum stricta voce numeri, ob rationē dictam, ne demus intelligere reperiri numerum prædicamentalem, cum personæ non sint in genere: addendū verò est ipsi numero suum adiacens, nempè, *personarum*, vt dicamus ibi esse numerum personarum: qui quidē erit numerus trascendentalis.

8 Obstatur aduersus dicta, *motuū diuersorum specie sunt termini distincti specie* 5. phys. t. 49. ergo si productiones distinguūtur specie, vel quasi specie, etiam personæ productæ distinguentur specie. Secundò non est maior distinctio in principijs, quàm in principiatis, ergo si productiones distinguuntur specie, consimiliter & producta. Tertiò, est eadem ratio, & differentia constituentium, & constitutorum.

Motuum differentiū specie sunt termini distincti specie, declar.

9 Ad solutionem istorum: & primò ad solutionem primi exponenda est auctoritas Aristot. quod vt ipsa locum habeat necesse est recurre ad duas alias propositiones antecedentes; nam propositio illa nō est immediata, sed supponit duas alias: prima est, quòd formæ fluentes, seu secundi quas est fluxus, distinguantur specie: secunda est, vt forma fluens, & forma terminans sint eiusdem rationis: quibus ptopositionib. præ suppositis erit vera propositio illa Aristotelis: & quidem dealbatio, & nigrefactio sunt motus distincti specie, & ex distinctione specifica ipsarum infertur bene distinctio specifica terminorum, vtpote albedinis, & nigredinis proptoductæ; tum quia formæ illæ fluentes distinguuntur specie; tum etiam quia vnaquæque ipsarum est idem cum suo termino: dā oppositū, quod non sunt idem cum termino, & non sequitur ex distinctione motuum distinctio terminorum, vt idem vbi acquiri potest per motū rectum, & circularem: attamen ex distinctione horum motuum non sequitur distinctio terminorum, quia tales motus non identificātur cum termino, nec sunt eiusdem rationis cum eo. à pari emanationes sūt relationes, terminus autē formalis est essentia, quæ est quid absolutum: at respectus, & absolutum non sunt eiusdem rationis formalis; meritò igitur non sequitur vt ex distinctione emanationum habeamus distinctionem specificam terminorū, & personarum: licet ergo emanationes distinguantur inter se, & inter se sint alterius rationis, vel quasi speciei, non tamen erunt alterius rationis, aut quasi speciei ipsa producta, quia productiones non sunt eiusdem rationis cum termino, qui est essentia.

Distingui aliqua dicitur dupliciter.

10 Ad solutionem aliorum notandum est, quod aliqua dicūtur magis distingui dupliciter; primo quia minus inter se conueniunt, & secundò, quia magis incompossibilia sunt, & magis repugnant: exemplum primi, albedo, & homo minus conueniunt, quàm homo, & Asinus; nam illa differunt genere, hæc conueniunt in eodem animalis genere. exemplum secundi, homo, & asinus magis repugnāt, quia magis sunt in eodem supposito incompossibilia, quàm homo, & albedo, quia datur homo albus, nō autem homo asinus.

Repugnantia, & distinctio val de differūt.

11 Item, aliud esse loqui de repugnantia, aliud de distinctione: de illa namq; verum erit dicere, quod quāta est repugnantia constituentium, tanta est repugnantia cōstitutorum: prob. si albedo, & nigredo repugnāt, & sunt inuicem incompossibilia in inter se, vtique etiam eorum constitota erunt simul incompossibilia, vt album, & nigrum: ita quoque paternitas, & Filiatio, generatio actiua, & passiua; spiratio actiua, & passiua, sūt omnia hæc in diuinis incompossibilia inter se, non enim in eodem supposito stat paternitas, & filiatio, spiratio actiua, & passiua; ergo dum hæc incompossibiles sunt inter se vtique erunt quoque constituta ipsorum simul incompossibilia, quia nullum diuinum suppositum est simul Pater, & Filius: spirans, & spiratus. loquēdo igitur de repugnātia verum est, quod quanta est repugnantia constituentium, tanta est repugnantia Cōstitutorum. loquēdo autem de distinctione, non est necesse ponere tantam distinctionem in Constitutis, quanta in constituentibus; ratio quia possunt con-

An sit tāta distinctio in principiatis, quanta in principijs.

constituentia magis distingui, constituta verò minus differre. esto exemplum, vltimæ rerum differentiæ sunt primo diuersæ, itaut prædicata superiora vt eus, prædicentur de eis denominatiuè, nõ in quid, ex Formalistis: & nihilominus de constitutis earum prędicata superiora dicuntur verè in quid, vt de homine animal, corpus, substantia ens: qui tamen modus prædicandi non conceditur vltimæ differentiæ animalis, vt rationali, & irrationali. similiter duæ differentiæ indiuiduales sunt primo diuersæ, cùm tamen non sint tanta diuersitate differentia duo indiuidua constituta per eas, quia genus, & species prædicatur de eis. Insuper duo mures geniti ex putrefactione, & ex via generationis sunt eiusdem speciei, & nihilominus viæ ad productiones eorum non sunt eiusdem rationis. Rursus Adam, & Eua sunt eiusdem specificæ rationis, & tamen hæc, & ille nõ per eandem viam acceperunt esse, cum illa ex eius costa, & hic fuerit de terra formatus à Deo: consimiliter homo productus per generationem, nõ esset alterius speciei ab homine, quẽ Deus produceret de nihilo per creationem. itaque vera est propositio, quod non est necesse ponere tantam distinctionem in constitutis, quantã in constituentibus: nec tantam in productis, & causatis, quantã in causis, & producentibus, immo minor.

12 Ad propositum ex tradita doctrina responsio liquet ad Primum.

13 Et ad secundum negatur antecedens, quia falsum est, vt vidimus,

14 Et ad tertiam, quod sit eadem differentia, & distinctio, patet esse falsum: quod autem sit eadem ratio cõstitutiui, & constituti, id intelligitur proportionaliter, quia constitutio, constitutiuum, & constitutum debẽt proportionari inuicem ad hoc, vt ex eis exeat cõstitutum, quia inter causam, & causatum; producens, & productum; constituens, & constitutum debet esse proportio, aliàs non consurgeret compositum, & cõstitutum: at argumentum non intendit hoc: sed intendit tantam distinctionem in Constituto, quãtam in constituentibus, quod est negatum.

15 Ita etiam cum arguitur, Filius, & Spiritus sanctus solo numero differunt; ergo eorum productiones different solo numero. responsio constat, negando conseq. quia potest esse maior distinctio in constitutiuis, quàm in constitutis.

16 Arguitur, differentia specifica dicit perfectionem, ergo est apponenda in diuinis. prob. anteced. multitudo, & diuersitas specierum est de perfectione Vniuersi; ergo est ponenda in diuinis. Resp. multitudinem specierum cum specifica distinctione dicere perfectionem supplentem imperfectionem, nõ autem perfectionem simpliciter. ratio, quia species creatæ sũt limitatæ, & finitæ, & vna non potest continere aliã, nec omnes alias, ideoque est necesse multiplicare, & distinguere eas: quæ multiplicatio non esset necessaria, si vna species posset cõtinere in virtute sua omnes alias, ideo earum multiplicatio supplet imperfectionem, dicitq; perfectionem supplentem imperfectionem; at essentia diuina est adeo illimitata, & infinita, vt ex se sola, quæ vnica essentia est, valeat continere quidquid potest esse in diuinis; & ideo est, quia ipsa est radix, & fundamentum, ex quo pullulet quidquid est ad intra in diuinis, quapropter non est necesse multiplicare naturas specificè in diuinis. *Multitudo specierum an dicat perfectionẽ*

17 Ad Patres verò Initio citatos dicendum, loqui iuxta sensum primæ, & tertiæ assertionis, non enim sumunt *speciem* rigorosè, & prædicamentaliter: sed per speciẽ indicare intendunt diuinas emanationes esse alterius rationis, seu quasi speciei.

QVAE-

QVÆSTIO VI.

Cur est, vt productio Spiritus sancti non sit appellanda generatio.

Filius in diuinis vnicus.

1 VNicum esse in diuinis Filium, de fide est: vnde Ioann. 1. dicitur, *vidimus gloriã eius, quasi Vnigeniti.* & iterum, *Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* & cap. 3. *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret,* ac 1 Ioann. 4. *Filiũ suum Vnigenitum misit in mundum.* idem habetur in Symbol. Apost. *& in Iesum Christum Filium eius Vnigenitum:* ac Nicæn. *& in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Vnigenitum:* definitumq; est in Concil. Tolet. 1. confess. fid. vbi dicitur, *Spiritus sanctus non est genitus*, ac denique apud Athan. in symb. de filio, *non factus, nec creatus, sed genitus.* concluditur ergo Filium & esse genitum, immo esse vnigenitum, ex quo remanet vt non sit alius Filius in diuinis, quàm vnus. cõstat etiam ex supradictis hæc veritas, dum ostensum fuit duas esse, & non plures, productiones alterius rationis, vtpotè spirationem vnam, vnde vnus Spiritus sanctus; & generationẽ vnã, vnde vnicus Filius, & consequenter vnicus, ac Vnigenitus.

Cur appellatur primogenitus, ex Patrib.

2 Verum obstare videtur Apost. ait enim Rom. 8. *esse primogenitum in multis fratribus.* Ad Galat. 1. appellat Iacobum fratrem Domini, *Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrẽ Domini:* atque Coloss. 1. *primogenitum omnis creaturæ.* vbi verò adest ratio primi, adest relatio ad secũdum: si ergo est primogenitus, ergo non vnicus, non vnigenitus, quia primum dicit ordinem ad secundum. & hinc Heluidius intulit Deiparam habuisse præter Christum, alios filios: fundatur verò super illud Matt. *non cognouit eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Respondet Ambros. l. 1. de fid. c. 4. *Verbum dici primogenitum: sed genitum, propter consubstantialitatem; primo, propter æternitatem:* explicauit autem Ambros. de Christo, ratione Diuinitatis. Cyrillus verò Alex. epist. ad Ioann. Antioch. de Christo ait, *vocari vnigenitum, vt Deum, primogenitum, vt hominem.* Addunt Alij primogenitum vocari, *ad ostendendum eximium amorem Parentum erga illum.* vt solent Parentes erga primogenitos.

3 Rem tamen istam examinare oportet expendendo prius quidnam importet ipsa vox *Primogeniti*: occasione autem eius expẽdendum insuper quid importet vox ista *Primus, Vnus*, ac inde quid importet hoc, quod exinde deducitur, *Primogenitus.* id verò præstabimus primo ex Iurisperitis, inde ex Philosophis.

4 Incipiẽdo igitur à voce *Primus* id quidem propriè dicitur primum, quod dicit ordinem ad secundum: ita in l. 1. §. *Aestas* iuncta Glos. ff. ne quid in flum. publ. Nihilominus *Primum* quoque dicitur, etiam si non sequatur secundum: ita tex. in l. *Qui duos* ff. de reb. dub. vbi habetur, quod aliquis dicitur decessisse primus, licet post eum nemo decesserit: sicut & *Proximus* dicitur qui solus est, licet neminem antecedat, nullusque eum sequatur, vt in l. 1 §. *proximus*, & l. *proximus*, ac l. vulgari, ff. de verb. signif. & l. 2. §. legitima ff. de suis, & legit. hæred. Ita quoque Aretin. in l. *Qui filiabus* §. 1. ff. de leg.

Primus quid indicat.

1.vbi ait, propter saluandam dispositionem testatoris communiter *primũ* accipimus pro eo, quem nullus antecedit, licet nullus eum sequatur. Item primum decretum diximus, etiam si secundum non interueniat, ait Spec. tit.de primo, & secund.decr.§.1. Hæc quoad *Primus.*

Vnus quid importet. 5 Quoad *Vnus*, hoc vsurpari quandoque solet pro primo: sic Card.Florent.in cap.Ioseph.de verb.signif. vbi ait, legem vnicam alicuius tituli posse allegari pro prima.& Panormit. ad d. cap.inquit, si daretur brauium primo venienti ad talem locum, & vnus tantum venerit, is debet habere brauiũ, quasi primo venerit, licet nemo sequutus fuerit.sequitur Ant. Corsat.de brauio q.6. Ex Scripturis quoque sacris id liquet, vbi namque Gen.1. legitur, *Et factum est vespere, & mane dies vnus*, Iosephus lib.1.cap.1.antiq. Iudaic.habet, *Dies primus.* & lib.Numer.c.29. vbi Septuaginta vertunt *In die vna mensis*; Alij legunt, *In die prima.* Penes Mattheum quoque c. 28. Lucam 24.& Ioannem 20.vbi legitur *Vna Sabathorum*, Theophilactus habet, *prima Sabathorum.* Hæc quoad *Vnus.*

Primogenitus quid denotet. 6 Tandem quoad vocem *Primogenitus*, descriptio eius desumitur ex cit.c. Ioseph.extr.de verb.signif. Primogenitus secundùm naturam is est, qui primo natus est.Itẽ ex Baldo in l. 2.de iur.emphit. primogenitus est is, antequam nullus natus est, seu quem nemo antecedit.idemque in l.*cum antiquiorib.*C.de iur.de lib.ait, Primogenitus est is, qui primo natus est, qui primo videt lucem, & totus ad Orbẽ processit. Completissimè verò Tiraquellus hoc ipsum ponderans inquit, Primogenitus dicitur qui primo natus est, etiam si nullus eum frater sequatur.de iure primogenit. q.1.nu.3. is namque vocem hanc expendit tum in ordine ad antecedens, tum in ordine ad subsequẽs:itaut ex eius descriptione *primogenitus* duplicem renuat relationem, tum ad prius tum ad subsequẽs posterius; & hæc apparet completior primogeniti explicatio. Obstabis, filius primogenitus habẽs fratres posterius genitos, dicit ordinem etiã ad posteriores. siue ad posterius genitos, ergo falsum negare ordinem ad posterius. Resp.non negari primogenitum dicere relationem ad posterius genitos quandocunque fuerint & alij posterius geniti, id enim necesse est, vt primogenitus sic restratur ad secundo, tertio, & vlterius genitos; sed sensum esse, quod in voce hac *primogenitus* non necessario, & essentialiter includitur relatio ad secundum, siue expectatio prorsus secundi, etenim si nullus subsequeretur partus inde, nil minus ille solus genitus vocandus veniret verè primogenitus. Hæc quoad Iurisperitos.

7 Quoad Philosophos autem spectat, *primogenitus* duo dicit, positiuum, & negatiuum, quæ duo de rigore logices includuntur in hac voce. & quidem *primo*, seu *primum*, negatiuè sumptum, negat ordinem ad prius, & anterius; sic namque hoc primum est, v.g.in hoc loco, & hoc anno, vt nõ sit eo aliquid anterius.positiuè autem tentum dicit relationem ad secundũ, vel vltra ad posteriora: vt inter cæteros homines, qui huc accesserunt, Petrus accessit primus, secundo Franciscus, inde cæteri. *Primogeniti vox quid indicet ex Philosophis*

8 Supposito hoc, Christus, primogenitus est, *primo* se tenente negatiuè, quatenus Beatissima Virgo nõ genuit Filium priorem eo, sed ipse fuit primus, & nullus ante eũ ab ea genitus: non autem se tenet positiuè, vt v.g.dicat iste *primus* ordinem ad secũdum, vt secundum, v.g. genuerit, ante quem ipse sit primus, id namque esset hæresis dicere, & per hoc retunditur blasphemia Heluidij. Confirmatur doctrina hæc Scriptura Numer. 18. vbi dicitur, *quidquid primum erumpit è vulua.* Insuper, *& pro hominis primogenito, pretium recipias.* vbi præcipitur, vt primogenitus pretio redimatur. potuisset Mater aliqua tũc temporis nõ subito primogenitum pretio redimere, donec secundum filium pepererit, etenim si secundum non peperisset, iã antegenitus non fuisset appellandus primogenitus, propter ordinem, quẽ diceret ad secundum; & ita non obligata fuisset ad legem implendã, donec secundum peperisset genitum: at id *Primo, seu primũ negatiuè, & positiuè.*

graue

crimen fuisset, & contra legem peccasset, si non continuo legem de primogenito adimpleuisset; ergo signum est, quod per primogenitum intelligebatur à lege ille filius, qui adeo erat primus, vt ante ipsum nemo alius à tali matre genitus fuisset. sic à pari Christus primogenitus dicitur, non in ordine ad alium genitum, sed quia ante ipsum nullus alius à Maria Virgine genitus esset.

Scripturarum mos fratres appellare etiã propinquos

9 Ad Apostolum Rom.8. loquitur de filiatione per gratiam, sunt .n. Electi, Filij Dei per gratiam, teste Psalmista 115. *Dij estis, et Filij Excelsi omnes*: inter Electos autem, ac prædestinatos, ipse Christus est primo prædestinatus ac præterea ipse est primogenitus, vera quidem, ac naturali genitura, tum æternali secundùm diuinitatem, tum temporali secundùm humanitatem; ipse inquam, est Filius primogenitus per naturam, Electi verò sunt fratres eius, fraterna genitura per adoptionem, & gratiam.

10 Ad illud ad Galat. de Iacobo Fratre Domini, mos est Scripturæ, fratres appellare etiam eos, qui aliqua consanguinitate inuicem coniũcti sunt; licet non ab iisdem prodeant parentib. hoc modo loth vocatur frater Abrahæ gen.13. qui tamẽ ex ead. Scriptura fuerat Filius fratris Abrahæ: Iacobus autem erat consanguinitate coniunctus Christo Domino, nõ autem fuerat verus frater Domini, cũ vnicum pepererit Filium ipsa mater Domini. Videndus autem Hieronymus in comment. super Matt. speciatim confutando Heluidium &c.

5 Constito quidem Filium esse Vnigenitum, sequitur vt dum ipse solus in diuinis est genitus, nequaquam Spiritus sanctus sit genitus: Probatur autem id ex Concil. Tolet. in confess. fid. vbi dicitur, quod Spiritus sanctus non est genitus: & in symbol. Athan. *non factus, nec creatus, nec genitus*, de fide ergo est Spiritum sanctum non esse genitum: quod si genitus non est, nec vtique Filius est: hoc vero inquiritur, cur Spiritus sanctus non sit Filius, & quæ ratio discriminis, & vnde ortum habeat, vt Verbum sit Filius, Spiritus autem sanctus non sit Filius.

11 Et quidem Ariani, & Macedoniani ita argumentabantur: Spiritus sanctus vel est à solo Patre, & ita erit Filius: quemadmodum quia Verbum est à Patre, ideo est Filius: vel est à solo Filio, & ita erit sibi Filius, & Patris nepos: vel tertio erit à Patre, & Filio, & hoc, non; quia ad generationem requiritur mas, & fæmina: igitur à primo ad vltimum, vel non procedit à Patre, & Filio, vel si à Patre procedit, erit Patris Filius. Theologi etiã Catholici, ita arguunt, Spiritus sanctus est Patri similis, ergo erit Filius. consequens probatur, etenim Verbũ est Filius, quia est Patri similis: Spiritus S. est Deus, & Patri similis, ergo cõsimiliter erit Filius. Hinc ergo dubitatio insurgit quare non sit Filius.

Perdifficilẽ existimant Patres solutionem.

12 Dubitatio vero tantopere vrget, vt Augustinus dixerit, *præ altitudine mysterii minimè posse rationem eius exquiri*. ait namq; contra Maximin. l.3.c.14. *quæris à me si de substantia Patris est Filius, de substantia etiam Patris est Spiritus sanctus, cur vnus Filius sit, alius non sit Filius; ecce respondeo siuè capias, siuè non capias, de Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus; sed ille genitus, iste procedens, ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus est vtriusque, quoniam de vtroque procedit: quid autem inter nasci, & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis possit? distinguere inter illam generationem, & hãc processionem non valeo, non sufficio: ac per hoc, quia illa est ineffabilis, sicut Propheta de Filio loquens ait, generationem eius quis enarrabit, ita de Spiritu sancto verissimè dicitur, processionem eius quis enarrabit*. hæc Augustinus. idem fatetur Athanas. dial. 3. cõtra Arrian. inquiẽs *mysterium esse inuestigabile*. idem Basil. homil. 2. contra Sabell. & Anom. Anastasius quoq; Synaita l. de rectis fidei dogmatibus, *Non est tutum*, inquit, *hoc quærere, quod soli Trinitati cognitum est*. & Bernar. ser.1. Pethec. huic mysterio adaptat id, quod à Propheta dicitur, *posuit tenebras latibulum suum*.

13 Nihilominus, quia iuxta Petri testimonium, parati esse debemus *ad satis-*

satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est, spe. 1. Petr. 3. idcirco Patres coiulendo, & Scholasticos, afferemus ex eis rationes, quas quisque pro suo modulo conatus est pro tanto misterio adinuenire. primum vero ex Patribus, postmodum ex Scholasticis.

Patrum responsio ad quæst.

14 Ex Patribus autem Athanas. epist. ad serap. ait, *si processio Spiritus sancti esset generatio, sicut & generatio Filii, sequeretur nullam illarum esse adæquatam; sed inadæquatam, atque inadæquatè vnamquamque illarum participare diuinam essentiam.* prob. ideo in generatione creata multiplicantur generationes, & Filij, quia nulli communicatur adęquatè ipsa natura creata, sed diuiditur in indiuiduis; at diuina natura non diuiditur, ergo vna est generatio. Basil. l. 5. contra Eunom. c. 12. si Spiritus sanctus esset Filius, inquit, posse ibi esse infinitæ generationes, ac infiniti Filii: natura si quidem multiplicabilis in plures generationes, erit quoq; multiplicabilis in infinitas, quæ fuit etiam quandoq; ratio Augustini. Idem August. l. 15. de Trin. c. 26. 27. *ideo distinguuntur,* inquit, *quia Filius est ab vno, Spiritus sanctus à duobus*; ab ijs autem duob. non posset procedere per generationem, quia alter se haberet, vt Pater, alter vt mater, quod est de matre absurdum in diuinis, solus enim conceditur Pater respectu Filij, ibi Rupert. 2. de Trin. c. 2. ideo ait, distingui, *quoniam Filius est imago*: at imago non potest esse nisi vnius, vnde quia Filius est imago, ideo est à solo Patre: cum vero Spiritus sanctus sit à duob. & imago sit solius vnius, merito Spiritus sanctus non erit Filius. Richard. Victor. 6. Trin. c. 18. ideo distingnit, quia Pater Filio communicat potentiam producendi aliam personam, quam tamen potentiam non communicat Pater, & Filius Spiritui sancto. Idem quoq; August. vltra dicta, ideo, distingui docet, quia Filius procedit, vt natus, Spiritus sanctus vt datus 15. Trin. c. 14. hæ sunt capita, ad quæ reduci possunt rationes horũ Patrum.

15 Aug. item ser. 38. de temp. *Spiritus sanctus nec ingenitus, nec genitus dicitur: ne si ingenitus diceretur sicut Pater, duo Patres in sancta Trinitate intelligerentur: aut si genitus diceretur, sicut Filius, duo itidem Filii in eadem æstimarentur esse sancta Trinitate.*

16 Basil. l. 5. contra Eunom. c. 12. petens cur Spiritus Filius Filij non dicitur: & respondet inquiens, *Non quia non est ex Deo per Filium, sed ne Trinitas Filios ex Filiis habere suspecta, vt est in hominibus, infinita putetur multitudo.* Et post med. *Si quis Filium ex Filio diceret, in suspicionem multitudinis Trinitatem Deitatis hominibus adduceret; facilè enim suspicari erat, quod si Filius ex Filio natus est, & ex hoc alius vtique natus est, ac rursus alius, & deinceps ad multitudinem.*

17 Epiphan. hæres. 62. *semper Spiritus cum Patre, & Filio; non confrater Patri; non genitus, non creatus, non frater Filij, non soboles Patris.* & hæres. 73. de eodem Spiritu sancto, *Non confrater, non compater*; atque hæres. 74. *Non confrater, non propater, nõ nepos* ac demum in Ancor. *Spiritus sanctus, non genitus, non creatus, non confrater, non Patruus, non propater, non Filius.*

18 Ex his autem excluditur hæresis fabulantium inter personas diuinas reperiri nomina quasi consanguinitatis, aut cognationis carnalis; ad instar hominũ: meminit vero speciatim huius Nazianz. orat. 37. siuè vlt. de Theol. num. 19. inquiens, *Quod si iuxta veteres fabulas hoc quoque modo luseris, vt dicas Deum voluntate sua congressum, Filium genuisse; Marcionis videlicet, et Valẽtini, qui nouos Aponas commentus est, hermaproditum quendam Deum induxeris.* Valentinus autem quandam matrem, aliumque hermaphroditũ inter Apones Dei commemorat, refert Iren. l. 1. aduers. hæres. c. 5. & Feuardent. ad eundem Iren. ante c. 1.

19 Accedamus modo ad Scholasticos, ipsi quoq; variè assignant rationes vtriusq; emanationis: & quidẽ Alensis 1. p. q. 42. num. 3. art. 2. atque Maior 1. d. 13. q. vn. quib. accedit Vasquez 1. p. d. 145. c. 5. aiunt Filium esse imaginem, ac ideo productioné eius esse generationem: Spiritum sanctum non procedere vt imaginem, ac ideo

Sententia Alensis, Maioris, Vasqu.

eius

eius processionem distingui à generatione. Ratio vero cur, quatenus imago habeat rationem Filij, est, quia sola imago procedit ad repræsentandū: item quia imago est vnius solius: Spiritus sanctus est à duobus, ergo non est imago, nec Filius.

Impugnatur. 20 Verum obijcitur contra, quia imago potest esse duorum, & plurīū, non enim est necesse vt sit vnius solius: Spiritus sanctus est à duobus, ergo potest esse imago duorum: ratio igitur ista non subsistit. Item Spiritus sanctus etiam repræsentat, licet repræsentare sit appropriatum Filio. probatur assumptum repræsentare non est solummodo notionale in diuinis, verum etiam & essentiale: notionale quidem appropriatur Filio, essentiale autem est commune omnibus, prob. relatio similitudinis, sicut identitatis, & æqualitatis in diuinis est communis omnibus; ergo & relatio repræsentatiui; simile enim repræsentat simile, ergo Spiritus quoq; sanctus repræsentat. igitur licet dissimilitudo stet in ordine ad repræsentandum quid notionale, nempè potētiam Filij ad producendum, ad intra, siuè ad spirandum, nihilominus aliunde adest similitudo. Accedit, quod & aliqui aiunt, etiam ex vi processionis suæ procedere vt similem, vt infra. Insuper quid interest inter similitudinem totalem, & imaginem, sub præcisa ratione repræsentatiui? vtique idem sunt: dixi, sub præcisā ratione repræsentatiui, quoniam iam patet aliunde distingui, vt constat ex propria quæst. at sub ratione repræsentatiui, vt sic, conueniunt: dum ergo Spiritus sanctus habet rationem repræsentatiui, non est cur non habeat rationem imaginis, quatenus imago induit rationem repræsentandi: abstracta tamen à ratione exprimendi, & huiusmodi. Denique ratio hæc de imagine vtique vera est, quod ideo Filius sit Filius, quia est imago, non autem Spiritus sanctus, quia non est imago: & eam concedimus, eamque docent aliqui Patres vt sup. attamen rationem à priori quærimus, cur Filius sit imago, & non sit Spiritus sanctus, ideo recurrēdum ad quid prius: quod si rationem imaginis amplectimur, non tamen assentimur rationi alteri allatæ, quod de ratione imaginis est vt sit vnius solius: etenim alias non posset esse duorum: & nihilominus in creatis, Filius est imago tum Patris, tum matris: & si plures interuenirent Patres, vtpotè altero supplēte, & adiuuante siuè complēte imperfectam decisionem vnius, Filius erit imago plurium, & tot quidem, quot partialiter concurrerēt ad formationem, & generationem ipsius: in diuinis vero hoc necesse non est, vnus est enim Pater, de se solo sufficiētissimus, vna cum præsentialitate diuinæ essentiæ sub ratione obiecti actu intelligibilis, ad generandum Filium.

21 Diuus Thomas 1. p. q. 27. ar. 3. ait inde distingui, quia Filius procedit in similitudinem naturæ, Spiritus sanctus non procedit secundum rationem similitudinis, quia procedit per modum amoris. hinc Caetanus explicans ait, ideo esse quia intellectus formaliter tendit ad assimilationem; voluntas autem non operatur per modū assimilationis, sed per modum amoris, nexus, impulsus, & vnionis, & propterea processio Filij est generatio, non autem Spiritus sancti. Aduersus sententiā hanc arguit Torres ibid. ad loc. D. Tho. & nouissimè Vasq. nitens probare, etiam Spiritum sanctum procedere, vt similem ex vi processionis suæ: sed de hoc infra. *Sententia D. Tho.*

22 Aduersus eandem arguit aliqui Scotistæ, vt Rada 1. p. contr. 14. in secunda explicat. & Vulp. de Trin. d. 55. art. 2. Verum non vident, eandem esse sententiam Scoti, de quo, vt videbimus, elicitur, discriminis rationem esse, quia Filius procedit vt similis, Spiritus sanctus non vt similis ex vi suæ processionis, propterea, quod Filius per intellectum, Spiritus sanctus procedat per voluntatem. *Scotistæ aliqui impugnant sētentiam D. Thomæ, sed immerito.*

23 Solùm obijci posset contra D. Tho. & Caetan. quod etiam volūtati amanti competit assimilare, & assimilari, quia amor est assimilatiuus amātium, ergo Spiritus sanctus procedit vt similis, hoc est validius argumentum quod fieri potest ab Aduersarijs ad probandum Spiritum sanctū

ex

ex vi productionis procedere vt similem: at hoc argumentum non magis militat contra D. Tho. quam cótra ipsos Scotistas: dicere autē amorem habere similitudinem, seu rationē assimilandi non prouenire ex modo, & vi, seu ratione formali eius, sed ex ratione subiectiua, seu quasi materiali, quod est essentia, in qua conueniunt: hoc est cōtra naturam amoris, qui de sui intrinseca natura, primò, & per se habet, vt sit transformatiuus. Sed respond. duo competere amori, esse vnitiuum, & esse assimilatiuum, ac transformatiuum: primum competit primario: secundum vero secundariò.

Sententia D. Bonau. Richar. Aegid. 24 Diuus Bonau. Richar. Aegid. 1. d. 13. inde docent distingui, quia productio filij est per modum naturę, non autem productio Spiritus sancti: de ratione autem generationis esse aiunt, vt sit per modū naturę. argumēta, quæ obstant, adducentur in fine, obstabunt enim contra ea, quæ dicemus pro resolutione quæsiti.

Suar. non percipit Scotum. 25 De Scoto, ait Suar. l. 11. Trin. c. 5. ipsum sentire non esse rationem querendam huius rei, siquidem ad mentem eius processiones istæ sunt primo diuersæ. Verum fallitur, nam supra, duabus antecedentibus quæstionibus visum est; de mente Scoti distingui processiones istas ex pluribus capitibus, & modo afferemus capita alia, de mēte eiusdem. quia verò magna ex parte decisio huius litis pendet ex ratione, & inuestigatione generationis, ideo præmittimus naturam, & conditiones eiusdem generationis.

Generatio quid. 26 Est autem generatio, vt ex Aristotele 8. ethi. 12. deducunt Scot. D. Thom. ac cæteri, *Origo naturalis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ.* Dixi *origo viuētis*, quoniam non viuentia non dicuntur propriè generari, Dicitur, *à principio viuenti coniuncto*, per quod ostenditur quod aliqua portio viuentis generātis sit communicanda filio generando, ea autē est ratio seminalis decidēda à Patre, & tribuenda Filio ad productionem corporis sui. Dicitur insuper, *in similitudinem naturæ*, nempe specificæ, ob tria, primo vt ostēdatur generationem fieri per modum naturæ: secundo vt ostendatur vnitas specificæ naturæ inter generantem, & genitum: ac tertio vt ostendatur ratio imaginis in genito, eo quod genitum est imago generantis. totum vero pullulat ex eo, quod in vtroque est aliquid commune, derelictum filio à generante ad formationem corporis sui, tanquam materia, per rationem seminalem decisa: hinc Damascenus l. 1. de fid. orthod. c. 8. dicebat, *Generari est de substantia gignentis proferri quod gignitur, secundum substantiam simile*: & Aristot. 7. met. c. 8. & in problem. sect. 4. problem. 14. & 8. aiebat, *quod Parentes diligūt natos suos vt aliquid sui; nati vero Parentes, vt aliquid ex illis*: & infra, *Parentes igitur, natos, vt seipsos, amant, qui namque ex ipsis sunt orti, sunt quasi ipsi, alij separatione*, id est decisione seminis. Ex rationibus dictis sequitur productionē Euæ non fuisse generationem factam ab Ada, nec Euam fuisse filiam Adæ, quia Adam non decidit semen ad formationem corporis Euæ, formata enim fuit à Deo ex costa ipsius Adæ: nec consequenter Euam fuisse imaginem Adæ, non enim erat filia Adæ, filio nāque solummodo competit esse imago ex ui generationis.

27 Occasione particulæ ipsius, *A principio viuente coniuncto, seu vita coniuncto*, Smysingus de Trinit. d. 3. q. 2. num. 113. ait in nulla generatione creata verū est quod Doctores aiunt, genitum debere aliquid in se habere quod fuerit de substantia generantis; ratio, quia semen, quod deseruit genito tanquam materia sibi subministrata à generante, nō uiuit; item non est, nec fuit pars generantis, licet fuerit in generante, tanquā in uase. confirmat, quia sāguis, pili, & alij humores, qui sunt uiuenti cōiuncti, nō per hoc accipiunt denominationē uiuentium, nec erunt principium generationis, ergo nec semen accipiet hanc denominationem administrandi aliquid de substantia genitoris, licet sit ipsi uiuēti conuinctum. ex quo ultimatè deducit, quod licet semen sit generanti cōiunctum, seu licet materia geniti fuerit *Smysingi sensus de generat.*

ali-

aliquando generanti coniuncta, non tamen fuit coniuncta illa, vt pars toti, sed vt cōtentum in continente, quod volunt, inquit, Damascenus, & Aristoteles.

Cōfutatur. 28 Verum per traditam descriptionem non intendunt Authores asserere semen viuere: sed esse principium vitæ: ratio, quia habet in se virtutem vitalem, qua mediante faciat illum, cui decisum est, viuere. insuper semen dum non viuit formaliter, vtique pars gignentis vitalis non est; immo semen est quid superfluum secundum indiuiduum, licet necessarium secundùm speciem, vt deducit Scot. 2. d. 18. q. 1. Demum licet nō sit viuens, nihilominus est quid viuenti coniunctum: & hoc est omnino necessarium: talis autem coniunctio inde prouenit, vt seminalis ratio necessario postulet viuens subiectum, ex quo decidatur, quaeunq; vita, siue rationali, siue sensitiua: id verò sufficit vt in primaria decisione reperiatur viuenti coniunctum, etenim à viuente est primario decidendum, ab ipso enim recipit virtutem vitæ: dixi in primaria decisione, vt contra distinguam eam ab asportatione, etenim derelictum in balneo à decidente primario, poterit inde alia via, alioque medio traductum, viam generationi parare, si conseruetur in sua virtute, vt de muliere grauidata in balneis referūt, si tamen id verū, de quo Physici dubitāt. sufficit ergo, & si semen non viuat, sufficit, inquā vt virtualiter viuat, dando fœtui vitam, siue viuat in actu primo, licet non secūdo: vel viuat in potētia, nō in actu, quatenus potentiā, virtutemq; habet dandi fœtui vitam. & vt sit ipsi viuenti decidenti, coniunctum. his stantibus cessant quæ dicebat Smysingus; etenim licet semen non viuat, quia tamen verè est aliquid gignentis, quod negari non potest, nam in ipso gignente producitur, in ipso conseruatur, & ab ipso tandem deciditur: dum verò est aliquid eius, dum etiam ipsi genito communicatur, restat vt vere in generatione creata in ipso genito sit aliquid de substantia gignentis. Adde si neges istud, quomodo gignens, & genitum erunt idem specificè.

Semen an viuat.

29 Ad id, quod dicit, idem posse contingere sanguini, & pilis, nec enim ipsa sunt animata, sicut nec semen; respond. esse disparem rationem, nam licet in hoc conueniant, nihilominus semen in hoc excedit, quia & si non viuat in ordine ad se formaliter, viuit tamē in ordine ad Filium virtualiter, habet namque decisum, subministratum, & conuenienter fotum, virtutem vitalem, qua genitum viuat inde formaliter.

30 Ad formam verò descriptionis, cùm dicitur, *à principio viuente coniuncto*, vbi ipse dicit, non bene explicari per illud, *viuente*, cùm semen non viuat; dicendū est primo optimè stare descriptionem eius. Et per illud *principio viuente*, intelligendum est ipsum principium totale, & suppositale, quod est ipse decidens semen: quod totale principium necesse est sit viuens, vt constat, etenim quæ non viuunt non dicuntur propriè generare, vt ignis, nec generari, vt capilli, vngues: non autem intelligitur principium partiale, & quo, vtpote esset semen, non. n. viuit. Vel clarius constabit descriptio si dicamus à principio vitæ coniuncto: & tunc per principiū intelligamus etiam ipsum semē: quod quidem licet in se non sit viuens, tamen est vitę coniunctum, quia qui decidit semen est vitæ coniunctus. vel tertio si dixerimus, à principio viuenti coniuncto: vt ostendatur semen decidendum, esse in sua decisione coniunctum viuenti, viuens enim decidit: & sic cessant, quæ contra traditam descriptionem congerit Smysingus.

31 Ad ipsam verò descriptionem redeundo, *Generatio est origo naturalis*. Ratio, quia est opus naturæ; aliàs si opus esset voluntatis non esset generatio: hinc productio Adæ à Deo, siue Euæ non est generatio; fuit enim sic voluntariè vterque productus à Deo: nec productio illa fuit naturalis, sed præternaturalis. creatio etiam animarum rationalium, atque Angelorū nec est generatio, licet sint imago Dei, nō enim est naturalis, siue per modum naturæ, cum voluntariè eos producat; nec sint in similitudinem naturæ, cum sint alterius naturæ à

Generatio est origo naturalis.

Deo

Deo. iuxta etiam Poetarum fabulas nec homines, in quos conuertebantur lapides post terga proiecti à Deucalione dicebantur ab eo geniti, non enim proiectio illa erat opus naturæ, sed liberæ voluntatis.

Generatio est in similitudinem naturæ.

32 Ac deniq; hoc idem est, quod in fine descriptionis dicitur, *in similitudinem naturæ*; cuius sensus est, vt genitum sit generanti simile ex vi, & ratione producendi, quod soli generationi congruit, ideoque fit ex impulsu naturæ: vnde quæ productio nō est naturalis, sed libera, non assimilat productum ad producentem ex vi, & impulsu naturæ, quia non procedit in similitudinem naturæ: & licet assimiletur producenti, nihilominus assimilatio adueniet gratia materiæ, in qua vterque conueniet, non gratia formę, seu rationis agendi, quia non erit ex forma, quæ agat ex vi, & impulsu naturæ, cum agat per modum libertatis, & voluntatis.

Generationem esse in similitudinem naturę competit generationi perfectæ.

33 Dices, Equus, & Asina generant mulum, qui est amborum filius, & tamen generatio hęc nō est in similitudinem naturæ, quia nō est eiusdem speciei mulus cum equo, & asina, ergo falsum quod generatio, quia est opus naturæ, est in similitudinem naturæ. Resp. diffinitionem intelligi de generatione perfecta, quæ quidem est assimilatiua geniti in propria specie, non de imperfecta. Consimiliter argui potest de monstris, si ex homine, & fera nascatur monstrum; siquidem prædominatur virtus feræ, assimilabitur feræ, non homini, & nihilominus erit etiam Filius hominis, at non in similitudinem naturæ, quia generatio est imperfecta: Intelligitur ergo definitio de generatione perfecta, quæ consurgit ex commixtione maris, & fęminæ eiusdem speciei, cuiusmodi non est generatio muli, & monstrorum. intelligitur etiam de generatione, quæ fit ordinario modo, vt ex parentibus eiusdem speciei, non de ea, quæ fit modo extraordinario, vt sunt recensita; ratio est, quia neutrum genetās producit sibi simile, sed quid tertium, & ideo appellabitur generatio talis, *præter naturam*. Cùm dicitur generationem esse assimilatiuam, vtique verum est de perfecta de naturali, non præternaturali: de ea, quæ fit ordinario, non extraordinario modo: est etiam assimilatiua quantum est de se, nisi aliude impediatur per accidēs

Ad esse filiū per accidens spectat generare.

34 Dices, mulus est filius, ergo poterit generare: at non generat, ergo non est filius. Respondet Maior d.17.q.1. satis est mulo vt sit *Filius*; cæterum non est necesse vt possit generare: ad esse autem filium, per accidens pertinet posse generare. Respondetur quoque mulos quādoque genuisse [vt refert Alex. in genial. vt potè apud Romanos mulam generasse. testatur quoq; Theophrastus mulos in Asia fuisse quandoque fæcundos. Dices monstra assimilantur alteri genitorum, ergo eorum generatio, licet imperfecta, erit assimilatiua. Resp. id esse per accidens, nec ex toto, sed ex parte. quia generatio est imperfecta: at in generatione hominis filius assimilatur Patri secundum totam formam specificam, licet differat in accidentibus materialib. quia generatio est perfecta.

Mulos quādoq; generasse.

Generationis descriptio ex Scoto.

35 Generationem describit aliter Scotus in 3.d.8.q.1. inquiens, *Filiatio* est habitudo producti naturaliter, similis producenti in natura intellectuali. Dicitur habitudo, quoniā inter generantem, & genitum est mutua relatio. dicitur naturaliter, vt distinguatur generatio à spiratione, quia illa est per modum naturæ, hæc per modum libertatis. Dicitur, similis producenti, ex quo constat vermem non esse filium solis, quia sunt alterius naturæ. Dicitur denique in natura intellectuali, vt ostendatur plantam non esse filiam plantæ, nec ignem Ignis: immo nec bouem bouis, quia non sunt naturæ intellectualis. quod si instes, inquit Scot. bouem esse filium bouis, respondet corrigendam esse definitionem, atque dicendum, generationem esse habitudinem producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali, vel sensitiua; vt per hoc vltimum cōplectatur etiā filiationem brutalem. Nihilominus vsus inoleuit, vt nequaquam brutorū fœtus appellentur filij, nisi impropriè: consonat vero ethymologia nominis ipsius

ipsius filij, dicitur enim filius græcè ab amicitia: non est autem propriè amicitia, nisi inter viuentia intellectualia, vnde impropriè appellantur Filij.

Quæstionis solutio.

36 His actis respondendum est ad principale quæsitum, cur est vt productio filii vocetur generatio: non autem processio Spiritus sancti. Dicimus id prouenire ex tribus capitibus, primò quia filii generatio est per modum naturæ, spiratio per modum libertatis: secundò, quia Filius est imago, Spiritus sanctus non est imago: tertio quia Filius procedit vt similis generanti ex vi suæ processionis, Spiritus sanctus licet procedat similis, non tamen procedit vt similis in sensu reduplicatiuo ex vi suæ processionis: hæc deducuntur ex Scot. 1. d.10. q.1. ad prim. & d.13. quæst.1. ad prim.

37 Singula hæc capita patent, applicando quæ de generatione in se diximus. Et quoad primũ, iam cõstat ex dictis generationem esse opus naturę: Filius verò producitur per modum naturæ, & Spiritus sanctus per modũ libertatis: ille per intellectum, cuius munus est agere per modum naturæ; iste per voluntatem, cuius munus est agere per modum libertatis, ergo patet primum caput distinctionis. hinc August. supra relatus dicebat, *quid interest inter vtramque generationem? cur Filius non sit Spiritus sanctus, & viceuersa, nisi quia ille procedit quomodo natus, hic quomodo datus:* natiuitas in diuinis ad intellectum pertinet, donum ad voluntatem: vnde si quis voluntate, siue per voluntarem generaret, nec generans esset Pater, nec genitus Filius.

Per voluntatem generans, & genitus, nec esset Pater, nec Filius.

38 Quoad secundum, solus Filius est imago Patris, non item Spiritus sanctus: probatum est supra: nam filiatio fundat imaginem, cùm sit per modum naturæ expressa: Spiritus sanctus non est expressus per modũ naturæ, sed libertatis. ergo nõ est imago. Item imago est relatio realis fundata super generatione, solus Filius generatur, non Spiritus sanctus. Insuper in Filio concurrit vtrumq; & similitudo, & imago, vt ait August. q.4. in Deuter. dicens, *si Patri est similis Filius, etiam imago rectè dicitur; at Spiritus sanctus similis quidẽ dicitur, imago non dicitur.*

Filius solus imago, non Spiritus S.

39 Quoad tertium, Filius vt sit similis, id ei competit ex vi suæ productionis, ergo eius productio est generatio: cõsequens patet ex dictis de generatione. Spiritus autem sanctus similis quidem est, at similitudinem illam aliunde habet, non autem ex vi suæ processionis, vnde procedit similis, sed nõ vt similis. ratio, quia ex August. 3. de Trinit. c.14. Spiritus sanctus est Deus, ergo est similis producenti; est enim amor infinitus, habetq; eandem essentiam cum producentibus, & hinc similitudo: qui modus assimilandi vocabitur quasi materialis, dẽptis imperfectionibus; quatenus non est similis ex vi, & ratione formali producendi; cùm producatur liberè, sed similis aliunde ratione eiusdem diuinæ essentiæ, ac perfectionum cæterarum, penes quas redditur Patri, & Filio similis, ex infinitate quidem essentiæ, & inobliquabilitate diuinæ volũtatis.

Filius ex vi sua productionis procedit vt similis: Spiritus S procedit similis, sed non vt similis.

40 Additur quartum caput. Differunt, quia terminus spirationis est amor, terminus generationis est notitia: & vterque productus, & vterque notionalis, ac personalis, quorum alter est Filius, qui est sapientia genita, alter Spiritus sanctus, qui est amor spiratus. amor verò, & notitia seipsis differunt, sicut seipsis differunt intellectus, et voluntas, principia eorum.

Spirationis terminus est amor, generationis notitia.

41 Aduersus caput hoc vltimum obiici potest ex Scot. qui d.13. litt. T. ait falsum esse, quod genitum ex vi generationis sit notitia genita primitate originis, quia sequeretur Filium non habere diuinam essentiam ante quodcunq; aliud esse, quod falsum est, quia essentia est fundamentum cuiuscunq; esse. Item æquiuocatio, & vniuocatio attenditur penes substantiam, & naturam, non penes proprietates, ergo non ex hoc capite distinguuntur. Insuper Pater creatus potest esse dissimilis Filio creato in accidẽtibus personalibus, & materialibus, sine formalibus, & nihilominus nõ sequitur hinc vt sint alterius, & alterius formalis, &

Obstatur.

B spe-

specificæ rationis. ob hęc Scotistę aliqui aduersantur huic positioni.

Spiritus S. & Filius considerátur, vel vt personę productæ, vel vt constituta.

42 Respondemus ad primum, Filium, & Spiritum Sanctum posse considerari, vel quatenus sunt personæ productæ, vel quatenus sunt personæ constitutæ in esse suo: loquendo de primo, verum est vt diximus, notitiã, & amorem esse terminum primum, & per se generationis, & spirationis, quia adoc tendunt productiones istę, vt habeant Filium, & Spiritum sanctum pro termino, productiones autem, sicut & motus specificantur ex terminis: & ita de fide constat, quod terminus generationis est Filius, spirationis Spiritus sanctus: ille autem est notitia genita, hic amor productus, & hi sunt termini adæquati vtriusque productionis. loquendo de secundo, vtique essentia habet rationẽ prioris, & primi, quia dum persona constituitur ex essentia, & relatione, essentia tanquam fundamentũ est primum. Respondendum secundo, Notitiam esse terminũ primitate adæquationis, essentiam verò esse primã primitate originis, quia ipsa primò cõmunicatur, quibus terminis vtitur ibi Scotus.

Ad vniuocationem quid?

43 Ad secundum & tertium, vtique vniuocatio pendet ex identitate substantiæ, & naturæ: at hoc non sufficit, sed requiritur, vt generans, & genitum habeant vnum, eundemq; habendi modum suæ naturæ, nempè vt habeant eam naturaliter, vt sicut pater naturaliter ex vi, & impulsu naturæ eam communicat, ita Filius naturaliter, et per modum, & impulsum naturæ eandem substantiam specificam recipiat: at in diuinis licet Spiritus sanctus, & Filius recipiant eãdem essentiam, tamen differunt in modo habendi eam, cum ille per modum naturæ recipiat, hic voluntatis, & libertatis, verum de hoc sup. quæst. 4. diuersitas verò accidentium Patris, & Filij in creaturis non variat essentialiter, cùm habeant eandem specificam naturam, quæ est responsio ad tertium.

Obstatur.

44 Arguitur contra primum caput assignatum distinctionis. etiã Spiritus sanctus producitur per modum naturæ, ergo spiratio est generatio. prob. anteced. etiam diuina natura concurrit ad productionem Spiritus sancti, aliàs non esset eiusdem naturæ ergo non differt à generatione, quæ est à natura, & per modum naturæ.

Obiectum an causet volitionẽ, an sola voluntas.

45 Pro solutione argumenti est supponendum solere dubitari verum obiectum, in vniuersum loquendo, sit etiam causa partialis volitionis, sicut est intellectionis: de qua re agit Scot. in 2. d. 25. q. vn. estq; penes eum sententia aliquorum non concurrere obiectum vt volitionis causam, sed causam totalem esse voluntatem: ex hoc tamen non excluditur omnino obiectum à volitionis productione, quia hi dicunt, quod requiritur obiectum tanquam conditio sine qua voluntas non posset producere, concurrit igitur tanquam conditio per se requisita, vt ibi præsentatur obiectum, de eo namque inde est producenda volitio: data opinione hac, consimiliter dicerent de diuina essentia, vt ipsa Verbi quidem sit principium formale *quo*, partiale, ac propterea Verbi productio sit generatio, quia concurrit vt principium ipsa natura; at in productione Spiritus sancti non concurrat essentia sub ratione principij, sed vt conditio per se requisita, ad hoc vt voluntati præsentetur obiectum, de quo producat amorem. hoc stante sequitur vt eius productio non sit generatio, quia nec est à natura, nec per modum naturæ. responsio hæc placet Radæ controu. 14. 1. p. 5. Prima explicatio. Verum si non placet hæc respõsio, sustinendo essentiam concurrere etiam sub ratione principij formalis, dicimus nihilominus nec spirationem esse generationem, quia voluntas est, quæ applicat essentiam ad spirationẽ, talis autem applicatio est libera, & propterea, non est generatio: applicatio vero einsdem essentiæ ad generãdum fit per modum naturæ, quia ex essentia in ratione obiecti, & ex intellectu producitur Filius.

42 Arguitur contra secundum, & tertium caput. Spiritus sanctus ex vi suæ processionis recipit eandem naturam, quam habet Pater, & Filius; ergo est Filius. prob. consequ. quia Verbum ideo est Filius, quia ex vi

suæ

Spiritus S. primo, & per se recipit esse amorem spiratum, & inde esse Deum: ita Filius prius recipit esse notitiã genitam, & inde esse Deum ex Scot.

suæ productionis recipit eandem naturam.prob.anteced.Spiritus sanctus ex vi suæ processionis est Deus, ergo ex vi suæ processionis recipit diuinã essentiam,sed per essentiam est Patri, & Filio similis, ergo est Filius. Respondet Scot. quod Spiritus sanctus ex vi suæ processionis recipit primò, & per se,esse amorem spiratũ, & productum, secundariò autem recipit esse Deum: sicut Filius ex vi suæ productionis recipit primò,& per se, esse notitiam genitam, secundariò autem recipit esse Deum: quapropter licet Spiritus sanctus ratione Deitatis, quam recipit, sit similis Patri, & Filio, tamen fundamentum talis similitudinis non recipit ex vi suæ processionis primario, ideoque non est ex vi suæ processionis,similis, licet sit similis.

Spiritus S. & Filius in ratione constituti sunt primo & per se Deus,at in ratione producti sunt primo amor & notitia.

43 Obstabis,non esse intelligibile vt prius recipiat esse Spiritum, seu amorem spiratum,& inde recipiat essentiam, quam ipsa passiua spiratio; & amor spiratus constat ex spiratione, & essentia, prior autem est essentia. Argumentum hoc est in consimili de Filio solutum sup.vnde Spiritum sanctum cõcipimus, vel sub ratione producti,vel sub ratione constituti: secũdò modo vtique prior est essentia, quia ipsa est fundamẽtum emanationum: primò modo terminus primus, & per se est ipse amor spiratus:in quo duo sunt,amor spiratus, & essentia,siuè Deus: illud habet rationem termini per se primi, quia ad hoc tẽdit per se primò spiratio; hoc vero habet rationem secundarij,& gratia huius stat assimilatio: at quia hic non habetur primo, & per se,merito fit, vt non ex vi suæ productionis habeatur assimilatio. Ergo in ratione quidem constituti Spiritus sanctus, & Filius prius sunt Deus: at in ratione producti, prius concipiũtur vt notitia,& amor, quia ad hæc terminatur generatio, & spiratio.

44 Argoitur: Amor procedit vt similis amãti ex vi suæ productionis; ergo Spiritus sanctus ex vi suæ productionis erit similis Patri, & Filio, spiranti.prob.antec. ex Arist.2.de gener.c.9.& 7.met. c.7. omne agens assimilat sibi passum. Item amor est de sui natura assimilatiuus, & transformatiuus amantium. Respondet Rada amorem esse assimilatiuum solummodo virtualiter: notitiam vero genitã, siuè generationem esse assimilatiuam formaliter, quia hæc haber ex vi suæ naturæ,vt repręsentet,quatenus producitur per modum naturæ. Spiratio vero,amatio,& redamatio, quatenus sunt partus voluntatis non sunt assimulatiua formaliter: ad Aristot.vero, ait omne agẽs assimilare sibi passum, vel quidem formaliter, vel virtualiter,primum competit notitię,& Verbo,secundum amori, ac Spiritui sancto. hinc est vt idem Rada ex tribus gradibus vniuocationis adaptet ad Spiritum sanctũ solummodo gradum tertium: refert namque ex Scoto triplicem esse gradum vniuocationis in 7.met.t.30.sicut penes etiam formalitas ex eodẽ loco Scoti: primus quãdo generans, & genitum assimilantur in forma, & in modo essendi formæ, vt homo generans, & homo genitus. Secundus quando generans, & genitum habent quidem similem formam, sed differunt in modo habendi eam; vt domus in mente fabri, & domus extra sunt quidem eiusdem rationis specificæ, at differũnt in modo essendi, quia illa habet esse cognitum, & intentionale, hæc esse reale. tertius quando generans,& genitum non habent similem formam in specie,habet tamen generans virtutem talis formę, & sic sol gignit ranam, quia continet eam virtualiter,applicando autem dicit productionem Spiritus sancti esse similem tertio vniuocationis gradu, quia est virtualiter similis producenti,siuè teneatur obiectum concurrere cum voluntate, siuè non concurrere, sub ratione principij formalis partialis:negata autem similitudine formali,sequitur, inquit, vt spiratio non sit generatio.

Rada respõsio.

Vniuocationis gradus multiplex.

Faventini responsio impugnantis.

45 Fauentinus in 1.d.30.c.2. in fin. inuehitur contra hoc, & dicit falsum esse Spiritum sanctum non esse similem Patri, & Filio in forma,idest diuina essentia, & in modo habendi eam specifico, seu quasi specifico, li-

cet non sit similis eis in modo essendi personali: ac proinde concludit falsũ esse non esse similem formaliter, sed virtualiter.

Recõciliari possunt Fauentin. & Rad. Verum inter eos videtur esse contentio de nomine: & quidem non intendit Rada negare Spiritum sanctum cõuenire cum cæteris personis in vnitate,& identitate essentiæ, hoc enim esset negare consubstantialitatem: sed eius intentio est demonstrare Spiritum sanctum non esse similem ex vi suæ productionis; rationem affert, quia Filius habet essentiam modo naturali per intellectum, & ideo ex vi talis modi habendi eam procedit vt similis formaliter: at Spiritus sanctus non habet essentiam hoc modo, sed per modum volũtatis,& ideo non procedit vt similis formaliter,sed virtualiter.

Motus ad substantiã est generatio, declar. 46 Arguitur, motus ad substantiam est generatio ex Arist. 5.phys. t. 7. at processio Spiritus sancti ipsa quoque, sicut productio Filij terminatur ad substantiam, sunt enim vterque Deus,ergo productio vtriusq; est *Qualis productio substantiæ est generatio.* substantia. Respondet Scotus,generationem sumi vel generatim, & impropriè, pro cuiusque productione substantiæ: vel rigorosè,& propriè, prout est naturalis origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ: primo modo omnis productio substantiæ poterit sic vocari generatio: at loquutio hæc est valde impropria, sic namq; productio Adæ à Deo, & Euæ ex eius costa, atque animarum creatio,productio ranæ à Sole, mineralium ab astris,& huiusmodi posset dici generatio, cùm tamen multæ desint his productionibus conditiones generationis: verum quia in diuinis non est impropriè loquendum, hinc Spiritus sancti productio non est generatio; non enim est similis ex vi suæ productionis in habendo naturam sibi communicatam à Patre,& Filio.

Motus, & mutationes distinguuntur penes terminos, declar. 47 Arguitur,motus, & mutationes distinguuntur penes terminos ex 5. phys.t.4. at terminus generationis, & spirationis est vnus,& idem,nempè essentia. Responsum fuit sup. quæst. præced. propositionem istam non esse immediatam,sed mediatam,& pendere ex duabus alijs antecedentibus, quarum altera est, vt formæ fluentes distinguãtur specie; altera,vt sint eiusdem rationis cum forma terminante, vt dictum fuit ibi, vbi agebatur de distinctione emanationum. nunc verò quia ex argumento infertur identitas earum,respondendum est,quod non semper ex identitate terminorum inferri debet identitas motuum; etenim ex 5.phys. motus circularis, & rectus possunt terminari ad eundem terminum,qui tamen sunt incomparabiles inter se, ait Phil. ita eadem diuina natura erit terminus formalis partialis quo, vtriusq; productionis,licet productiones ipsæ sint omnino distinctæ, & alterius rationis inter se, vt vna sit generatio,altera spiratio. Respondetur quoque quod identitas, & distinctio motuum attendi debet ex terminis adæquatis,& totalibus: at termini adæquati,vt Filius,& Spiritus sanctus distinguuntur, ergo & eorum productiones sunt alterius rationis.

48 Argues,quæcunque vniuocãtur in vno tertio, vniuocantur inter se, prob.quia quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: at generatio actiua, & actiua spiratio vniuocantur in Patre,quia vniũtur in eo, dum idem Pater generat, & spirat;ergo sunt eadem inter se. Respondet Scot. maiorem esse verãm,quando illud tertium nõ est quid indeterminatum ad plura, & illimitatum, quod si sit,nõ inde sequitur identitas, vel vniuocatio, vel simultas eorum inter se: vt ego sum cum Deo hic, Franciscus est cum Deo Parisijs, igitur ego, & Franciscus sumus simul, quia Deus, cui omnis creatura est præsens,est infinitus, & illimitatus. de qua etiam propositione egimus sup. quæst. de vnitate essentiæ,& distinctione personarum. Pater autem respectu vtriusq; emanationis se habet vt illimitatus; inde est,vt licet in Patre vniuocentur, quatenus sunt vnum, tamen inter se erunt alterius rationis. *Vniuocata in vno tertio vniuocatur inter se. declar.*

DISPVTATIO QVARTA.

De ordine in diuinis.

QVÆSTIO I.

Vtrum in diuinis sit ordo naturæ, & originis?

ARTIC. I.

Quid sit ordo naturæ, & originis.

1 Cum quidquid sit in Vniuerso sit distinctum, & ordinatū; *quæcunque enim à Deo sunt, ordinata sunt*, ait Apost. ne demus in confusū Cahos Anaxagoræ, omnia distinctim, & ordine suo tanquam collocata, sūt proponenda. ordo verò, quem vnaquæque res, siue creata, siue Deus ipse intra semetipsum obseruât, triplex est, durationis, originis, & naturæ. De primo non est nunc discurrendum: is verò subdiuidi solet, in æternitatem, Aeuum, & tempus: de quibus suo loco, igitur relicto hoc ordine, agēdum de secundo, & tertio. incipiendum autem ab ordine originis.

Ordo originis, & conditionis. 2 Ordo hic originis sumi solet propriè, & in rigore, ac stricta sui significatione: & impropriè, ac latè. primò modo sic describi potest, *ordo originis est habitudo vnius ab alio iuxta ordinem essendi, & operandi.* Adhûc ordinem presse sumptum duo necessario exiguntur, primum originatio, & secūdum, realis distinctio. quæ duo *Ordo in essendo.* constituunt essentialiter talem ordinem. Res est in diuinis, vbi Pater originat Filium: & vterque Spiritum sanctū; hinc vero fit, vt Filius habeat habitudinem, ac ordinem ad Patrem in ratione producti, & distincti realiter: similiter Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium; ergo inde deducitur, vt Pater sit in primo signo originis, Filius in secundò, Spiritus sanctus in tertiò. Et quidem patet habitudo originationis, quia vna persona originatur ab alia, & alia ab vtraque. patet quoq; distinctio, quia personæ distinguuntur realiter. quia vero vbi est ordo, ibi est prius, & posterius, iuxta naturam talis ordinis; ideo Pater est in primo signo originis, Filius in secundo: & Spiritus sanctus in tertio. Quia etiam personæ quæ sunt in his signis, habent suum esse non eodem modo, ideo Pater dicitur habere esse à se, & in primo signo; Filius habet esse ab alio in secundo signo: & Spiritus sanctus habet esse à duobus in tertio signo: & hic ordo vocatur in essendo, quia quidquid habet Pater, habet à se: quidquid habet Filius, habet à Patre: & quidquid habet Spiritus sanctus, habet à Patre, & Filio. hic autem ordo dicitur ordo in essendo.

3 In his quoque signis reperitur ordo in operando, & id, tum ad intra, tum ad extra: ad intra quidem, vt Pater intelligit, sapit, vult amat, & huiusmodi, in primo signo, quia hæc facit à se: in secundo Filius sapit, amat, vult, fruitur in secundo signo, quia hæc habet ab alio: in tertio Spiritus sanctus hæc omnia præstat in tertio signo, quia hæc habet à Patre, & Filio: Ra- *Ordo in operando.*

Ordo in operando. tio huius, quia sicut res se habet ad esse, ita ad operari: at Filius habet esse in secundo, Spiritus sanctus in tertio, & Pater in primo, ergo hæc omnia vnaquæque persona præstat in suo signo. Ad extra etiam, quia Pater intelligit, producit creaturas in esse cognito, & volito, ideali, & reali in primo signo, quia producit à se: Filius in secundo, quia à Patre: Spiritus sanctus hæc eadē in tertio, quia ab vtroque. obseruandum verò, quod ordo iste non ordo inter operationes intelligendi, amandi, fruendi, creandi, & huiusmodi, quia est vna numero intellectio, volitio, creatio in omnibus personis; sed ordo attenditur penes ipsas personas operantes tum ad intra, tum ad extra. hic etiam ordo est post productionem personarum, quia productio ad extra præsupponit productionem ad intra: ordo, inquam iste non est inter operationes ob rationem dictam, sed inter personas, quia sicut vna est prior & posterior alia in essē do, ita dicitur prior & posterior alia in operando. de ordine sic propriè; & strictè sumpto Scot. in 1. d. 2. p. 2. q. 1. & d. 12. q. 1. ac in 2. d. 1. q. 1. & alibi vt infra.

Ordo originis multiplex. 4 Ordo originis impropriè sumptus multiplex est: & quidem sumi solet, prout est ordo inter ipsas origines: & describi potest, vt sit *habitudo originis ad originem, sub ratione præsuppositionis huius ab hoc*: hoc modò se habent generatio, & spiratio, vt illa sit prior, hæc posterior. In isto autem ordine assignari possunt plura signa, vel quidem duo, vt in primo signo generatio actiua, & passiua; in secundo spiratio actiua, & passiua: licet possint assignari quatuor, vt generatio actiua in primo: passiua in secundo: spiratio actiua in tertio, & spiratio passiua in quarto iuxta Tatar. in 2. d. 1. quæst. 1. & Hetrher. d. 9. q. 5. Ordo hic meritò vocatur improprius, quia desunt eō ditiones originis propriè dictæ, dum nec generatio originat spirationem: nec generatio actiua distinguitur realiter à spiratione actiua, vt est dictum: ad veram autem originem requiritur productio, & realis distinctio.

5 Sumitur inde etiam prout est ordo vnius essentialis ad aliud essentiale sub ratione præsupponentis, & præsuppositi; sic essentia est in primo signo, intellectus in secundo, voluntas in tertio: vel iuxta Mayron. in 1. d. 13. 1. essentia est in primo, inde se iunctur modi intrinseci, inde attributa: Essentia quidem, & prædicata quidditatiua sint in primo signo, vt Deitas, spiritus, substantia, & ens, Additur ab alijs, vita intellectualis. in secūdo modi intrinseci, vt infinitas, necessitas, & secundùm aliqs existentia. in tertio, inquit, sunt attributa ad intra, quæ accipiuntur per comparationem ad diuinam essentiam, cuius modi sunt, ait, intellectus, voluntas, sapientia, charitas. & in quarto attributa, quæ accipiuntur in ordine ad extra, vt iustitia, misericordia, & similia. *Ordo essentialis ad essentiale.*

5 Sequitur denique ordo, qui est inter essentiale, & notionale, estq; præsuppositio essentialis ad notionale. de quo Scot. in 1. d. 1. q. 2. & d. 6. q. vn. art. 1. habet quoque iste ordo sua signa, vt in primo Pater est beatus, intelligit, amat, & huiusmodi exercet essentialia; & in secundo generat, spirat: Filius etiam primo similiter est beatus, intelligit, amat, & inde insuper spirat. ac in tertio Spiritus S. est ipse quoq; beatus, sapit, amat, ac in ordine ad intra nil producit, sed comparatur inde ad extra. Ratio horum, quia essentialia sūt priora notionalibus, ergo prius personæ concipiuntur in primo signo sub perfectionibus absolutis, & essentialib. quàm sub ipsis productionibus notionalibus. Præter primum ordinē originis, qui est rigorosè ordo originis, cæteri sunt tantùm largè appellāti origines ob dicta. *Ordo essentialis ad notionale.*

7 De ordine notionalis ad notionale, eorumq; signis, art. seq.

8 Signa hæc originis sunt signa *à quibus*, non *in quibus*. vt loquuntur Theologi, & præcipue Scotistæ. ratio, quia tum essentialia, tum notionalia ad intra sunt simul in eodem instanti æternitatis, vt Scotus loquitur, in 1. d. 10. q. vnic. in fin. quo fit vt à parte rei nulla sit successiuitas, & ordo durationis, & temporis, & hinc est, vt non sint signa *in quibus*, probatur, aliàs in vno instāti esset essentia sine modis intrinsecis *Signa à quibus, et in quib.*

fecis, attributis, & notionalibus: quia verò naturæ, & originis ordo cogit nos distinctè agere, & contemplari diuina; hinc est, vt concipiamus ea, quatenus rei ipsius natura postulat vt cōcipiatur: natura verò exigit vt prius cōcipiamus essentiam, quàm modos, & attributa, quia ipsamet natura ordinem ponit inter ea, vt essentia sit natura prior ipsis, sub ea ratione, qua hæc omnia pullulant ab ea: naturalis quoque ratio docet, vt absoluta sint prius concipienda, quàm respectiua, illa.n. sunt fundamēta istorū; ideo merito secundùm nostrum naturalem modum concipiendi, prius concipimus vnum, quàm aliud, ita namq; exigit natura: tum etiam quia sicut ipsa natura respuit confusionem, & facit cuncta procedere ordinatè, & distinctè, ita eadem natura cogit nos, vt singula in diuinis concipiamus ordinatè, & ordine eiusdē naturæ, siuè ab eadem natura cōstituto, et distincto. Quapropter si quis arguat, essentia est in primo signo; modi, attributa, & notiones sunt in posterioribus signis, ergo in primo signo Deus non est infinitus, sapiens, nec est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Resp. committi fallaciam arguendo ab astractione præcisiua, quæ fit per intellectum, ad diuisiuam, quæ fit à parte rei. sunt ergo signa *à quibus*, non *in quibus*.

Pater an spiret prius quam Filius, prioritate signi à quo, an in quo.

9 Occasione huius expeditur difficultas penes Scotum, vtrum velit Patrem spirare prius origine, quàm spiret Filius, itaut ille spiret in primo signo originis, iste in secundo. & videtur quod sic, quia Pater spirat à se, ergo in primo signo originis: Filius spirat à Patre, ergo in secundo signo originis: idem diceretur de intelligere, & operari ad extra, creando, quod prius produceret lapidem, quàm Filius. De Spiritu autem sancto concedit Rada 1. p. controu. 5. conclus. 8. licet id neget controu. 16. art. 3. Et locum videtur habere penes Scot. quodlib. 8. art. 2. imo contradictio, vel dubietas apparet penes eundem, dum in 1. d. 12. q. 2. §. *Respondeo*, vel oppositum docet, vel irresolutam rem relinquit; Nihilo minus ex dictis resoluitur quæstio in terminis recensitis; etenim Pater spirat prius origine, quàm Filius, prioritate signi *à quo*, non *in quo*. ita etiam prius origine creat, & similia præstat tum ad intra, tum ad extra operando tum circa essentiam, tum circa creaturas; prioritate inquam signi *à quo*, non *in quo*: ita quoq; de Spiritu sancto, & Filio in essendo, & operando, posterioritate signi, seu signorū originis *à quo*, non *in quo*; ratio, quia nihil agit de spiratione Spiritus, siue productione creaturarū Pater, quod mediante eadem numero actiua spiratione non præstat circa Spiritum sanctum Filius: & vterque nil agunt intelligendo, & volendo, ac amando essentiam, & producendo creaturas, quod simul in eodem signo, *in quo*, nō præstet Pater: quia tamen personæ sunt ordinatæ in essendo, ita quoque erunt ordinatæ in producēdo; & propterea spirabit Pater in primo signo originis, vtique in primo signo *à quo*, quia ipse spirat à se: Filius in secundo signo *à quo*, quia spirandi virtutem habet à Patre: omnes autem tres personæ operantur simul ad extra simultate signi *in quo*, sicut Filius, & Pater spirant simul simultate signi *in quo*, licet omnes inde personæ operentur ad extra prioritate, & posterioritate signorum *à quibus*, quia Pater creat à se, Filius à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque, propter creandi virtutem receptam per Filium, & Spiritum sanctum in posteriori signo *à quo*. ita semetipsum declarat Scotus, præcipuè de spiratione Spiritus sancti in ead. d. 12. recensita. Rada autem predicta disp. 16. §. *sed contra*, ait esse ordinem inter Patrem, & Filium, in habendo principium spiratiuum, non autem in eliciendo actionem: & ita existimat de spiratione: sed hoc de actione est contra omnes Scotistas, ideo remanent quæ diximus.

10 Viso de ordine originis, videndum est de ordine naturæ. est autem naturæ ordo, is, à quo non conuertitur subsistendi consequentia: prius igitur naturæ instans est à quo non conuertitur, secundum vero instans est, à quo conuertitur subsistendi cōsequentia, ratio quia à priori non licet inferre posterius, nisi gratia ma- *Ordo naturæ quid.*

teriæ:

teriæ : à posteriori vero licet inferri prius gratia formæ. valet quidem, est homo, ergo animal, non valet, est animal, ergo homo; quia prius quantum est de se potest esse sine posteriori, posterius non sine priori, vbi prius est de intrinseca ratione posterioris, vt animal de intrinseca ratione hominis, non è conuerso, quia nullum posterius est de quidditate prioris. applicando autem ad diuina, inter essentiã, & suas attributales perfectiones, siuè etiam inter ess.ntialia, & notionalia est ordo naturæ, quia prior est essentia, & essentialia; posteriora sunt attributa, & notionalia: vnde qua ratione essentia est prior, non conuertitur subsistendi consequentia, quia non licet inferre ex essentia attributa gratia formæ, sed gratia materiæ vt loquuntur Scotus, & formalistæ, ratione identitatis essẽtiæ cum attributis. non ergo valet, est essentia, ergo attributa, quia essentia est prior; non inquã valet gratia formæ, quia ex priori non licet inferre posterius, cum posterius non sit de ratione prioris: attributa autem, modi intrinseci, & notionalia non sunt de ratione intrinseca quidditatiua essentiæ: valet tamen gratia materiæ, & id propter identitatem essentiæ cum modis, attributis, & notionalib. vbi namque ponitur illa, ponuntur tunc simul & ista; ergo nũquam erit essentia sine modis, attributis, & notionalib. quapropter sic licebit inferre, & non aliter. ex parte vero modorum, attributorum, & notionalium, licebit inferre ipsam essentiam, & id gratia formæ, quia includunt essentiam, & fluunt ab essentia, cum ipsa sit radix omnium: ergo valebit inferre, est modus, attributum, & notionale, ergo est essentia. & essẽtiale. ex his tandem elicitur esse inter hæc omnia ordinem, & prius, atque posterius natura. Hunc insuper naturæ ordinẽ licet multiplicare per plura instantia, sicut multiplicat cũ Mayron. sup. art. 2. ita vt in primo instanti sit essentia: in secundo modi intrinseci: in tertio attributa ad intra: in quarto attributa ad extra, de quib. sup. & secundum alios, inde processionem personarum, inde productionẽ creaturarum: ita vt liceat naturæ instantia multiplicare occasione desumpta ex pluralitate perfectionum, formalitatum, & conceptuum.

Ordinis naturæ multiplicatio ex Mayro.

11 Dices, Scotus in 2.d.1.q.1. docet duo tantum dari naturæ instantia in diuinis, primus, in quo habetur totus ordo productionis diuinarũ personarum ad intra, & secundum, quo habetur productio creaturarum in esse cognito ad extra, ergo non sunt multiplicanda tot naturæ instantia. Resp. parum curasse Scotum inquirere vtrum instantia naturæ sint duo, vel plura; non enim negaret talem, immo maiorem multiplicationem, vt Mayronus, si peteretur. quod verò omnia ad intra concluserit sub vnico naturæ instanti, non per hoc negare intẽdebat essentialia, & absoluta esse prius natura notionalibus, & respectiuis, vnde multiplicaret & ipse, sicut alibi multiplicat illa naturæ instãtia: sed in secũdo loquebatur amplo quodam modo, sumendo instans vnum naturæ valdè largè, ita vt voluit tunc totum modum essendi ad intra, absolutè, & respectiuè, concludere sub vnico instanti, sicut totum ordinem ad extra inclusit in alio instanti: non ergo modus hic arctatus ad duo tantũ instantia præiudicare potest, etiam in via Scoti, modis alijs multiplicandi eadem instantia.

Ordo naturæ quousq; multiplicatur ex Scoto.

12 Solent penes Scotum in doctrina eius instantia hæc originis, & naturæ confundi, vt vnum capiatur pro altero, & è cònuerso. sint exempla in 1.d.1. q.2.§. quantum ad istum artic. vbi Scotus ait, Pater prius origine, quam generet Filium, est perfectè beatus, quia nullam perfectionem sibi intrinsecam habet à persona producta. & in 1.d.2.q.4 §. obijcitur, sic ait, memoria in Patre, tanquam actus primus est origine prior actu operatiuo, quam notitia genita. & 1.d.6.q. vn. art.1.§. de quarto dico, inquit, Pater in primo signo originis intelligit se formaliter, & tunc habet actum volendi formaliter, & in secundo signo gignit Filium. ac quol.1.art.3.§. contra ista: ait, quamcunque perfectionẽ potest habere Pater, habet eam, vt est origine prior Filio: declarans vero

Ordo naturæ, & originis solent cõfundi penes Suar.

quæ sit ista perfectio, subdit, Pater vt est prior origine Filio intelligit seipsum, non tantum per memoriam, siuè actu primo, sed etiam per intelligentiam, siuè actu secundo. oritur vero difficultas, si Pater est perfectè beatus prius origine, quam generet Filium, ergo generabit non à se, sed ab alio; prob. in primo signo originis est beatus, ergo est beatus à se: quia esse in primo signo originis, seu habere aliquid in primo signo, est habere illud à se. habere autem, siuè facere aliquid in secundo signo, est habere, & facere illud ab alio: ergo Pater generando in secundo signo originis, generabit non à se, sed ab alio, & ita nō erit Pater. In cæteris etiā locis quomodo poterit esse verum, actum primum, & operatiuum, nempè essentialem, esse priorem origine actu notitię genitæ, siuè notionalis, quandoquidē notitia genita non producitur per actum intelligendi, secundum ipsum: esse autem posteriorem, & priorem origine idem est, ac esse productum, & producere. Cæterum Scotus per hæc signa originis intelligit instans naturæ. ita communiter exponūt eius discipuli, & præcipuè formalistæ; ratio est, quia absoluta, & essentialia sunt priora non origine, sed natura notionalib. tum quia notionalia non originantur ab eis, alias distinguerentur realiter; tum quia naturæ ordo id postulat, vt absoluta sint priora natura relationibus, veluti fundamētum, in quo subsistunt, & veluti radix, è qua pullulant: ergo confundit Scotus cū naturæ ordine ordinē originis; & ita Pater anteq̄uē generet Filium erit tali prioritate perfectè beatus.

Naturę ordo pro ordine orig. ex Scot.

13 Ex opposito pro naturæ ordine intelligitur penes eum quandoque ordo originis. locus est in 4. q. quolib. vbi habet Patrem esse priorem natura Filio: cuius tamen oppositum habet in 3. q. quolib. art. 3. cùm ait, Pater, & Filius sunt simul Natura. At responsio in promptu est, vt primo loco pro signo naturæ intelligat signum originis: & sit sensus, Pater est prius natura, idest, prior naturali origine: nihilominus reuera sunt simul natura, quia relatiua sunt simul natura. Sumitur quoque ordo naturæ, prout est præsuppositio huius ab hoc, & conceditur quod sic est prior natura; quia conuertitur cum priori originis, Pater. n. præsupponitur origine Filio: sumitur etiam prout est id, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, & hoc modo nō est prior natura; nusquam enim est Pater sine Filio.

Ordo naturę multiplex.

14 Ordo iste naturæ sumi solet tripliciter; primo pro ordine inter naturas: qui etiam appellatur ordo essentialis perfectionis, et eminentię: secundò pro ordine, qui est inter naturam, eiusq; naturales perfectiones: et tertiò pro ordine, qui est inter potentias cōparatas ad sua obiecta. Primus est ordo essētialis rerū perfectionis: consistit verò in ordine perfectionali; quia species rerum ordinantur inter se ordine perfectionali, quatenus vna est perfectior altera, et omnes reducuntur ad vnam perfectissimam: et de hac prioritate perfectionali currit axioma Aristotelicum, quod in vnoquoque genere est vnum perfectissimum, quod est metrum, & mensura omnium contentorum in tali genere: in genere autem animalis est homo: in genere florum rosa, vel lilium: in genere Angelorū Seraphim, atque in genere, siue supra genus omnium est ipse Deus, trascendens omnia genera, nec conclusus in genere. Secundus est, qui à natura ipsa constituitur inter quidditatem, eiusq; naturales perfectiones: huiusmodi est anima, ad quam posterioritate naturę succedit intellectus, volūtas: atque earundem potentiarum actus eundem seruant ordinem, vt potentiæ; loquēdo de actibus primis, in creaturis: sicut namq; intellectus est natura prior voluntate; sic actus primus illius est natura prior actu primo istius: dixi, de actib. primis; nā actus secūdi ordinari possunt, imò ordinantur ordine durationis, prius enim duratione intelligimus, inde volumus. talisque naturæ ordo reperitur inter cæteras eiusq; rei naturales perfectiones, vt inter hominem, risibilitatem, flebilitatem, beatificabilitatem, & sic de naturis cæteris. Tertius est, quo mediante potentia habens plura obiecta, ad quæ

S ter-

terminetur, prius terminari habet ad vnum. inde ad aliud; id verò contingit quandocunque talia obiecta ſunt alterius conditionis, itaut vnum ſit neceſſarium, alterum contingens: vnũ primarium, aliud ſecundarium: hoc modo ſe habet Dei intellectus, qui habens pro obiecto tùm diuinam eſſentiam, tum creaturas, prius naturæ ordine intelligit eſſentiam, inde creaturas; ratio, quia dum concurrunt in ordine ad eandem potẽtiam duo obiecta, quorum alterum ſit neceſſariũ, alterum contingens; alterum primarium, alterum ſecũdarium, naturæ ordo poſtulat vt prius intelligatur primarium, & neceſſarium, quàm contingens, & ſecundarium: taliter ſe habẽt diuina eſſentia, & creaturæ, illa quidẽ eſt obiectum primarium, & neceſſarium, iſtæ ſunt obiectum contingens, & ſecundarium.

ARTIC. II.

Datur in diuinis ordo naturæ, & originis.

Inter perſonas datur ordo orig.

1 PRæiactis ijs, quæ antecedenti artic. diximus de ordine naturæ, & originis, applicando ea ad principale quæſitum, modo quæſtionem reſoluimus per aſſertiones: Prima autem ſit, inter diuinas perſonas datur ordo originis, ita vt vna ſit prior, altera poſterior origine. eſt Scot. locis ſup. citatis. Sequutur Gregor. Arim. Gabr. 1. d. 19. Marſilius 1. q. 13. art. 1. ex Recentiorib. Vaſq. 1. p. d. 168. & conſentit Suar. in met. d. 12. ſect. 1. alijque plures. eſt cõtra D. Th. 1. p. q. 42. art. 3. qui licet ponat ordinem in diuinis, negat tamen adeſſe ibi prius, & poſterius: ſequitur Baſſo. penes Tatar. in 2. d. 1. q. 1. eſtq; contra eos communis tum formaliſtarũ, vt Vallonis, Sirecti, Trombettæ, tum Mayronis ſup. atque Scotiſtarum. & Bacchon. 1. d. 6. q. 1.

probatur auctorit.

2 Probatur primo auctoritate Auguſt. qui lib. de triplici habitac. ſic ait, *quid intereſt inter naſci, quod ad Filium pertinet, & procedere, quod ad Spiritum ſanctum; excepto, quod vnus ex vno natus ſit, alter ex duob. proceſſit: & quomodo Pater non præceſſit Filium tempore, ſed origine, nec Spiritum ſanctum. hac Auguſt.* idem Sanctiſſimus Doctor l. 1. de Trin. c. 1. ſic ait, *qui autem putat eius eſſe potentiæ Deum, vt ſeipſum ipſe genuerit, eo plus errat, quod non ſolum Deus ita non eſt, ſed nec ſpiritualis, nec corporalis creatura:* ſubdit verò inde rationem, inquiens, *nulla enim omnino res eſt, quæ ſeipſam gignat, vt ſit; quia eſſet, antequam haberet eſſe.* hinc vero deducitur, ea ratione, qua generat eſſe Patrem priorem origine genito. Quod ſi Auguſtinus docet Patrem præcedere origine Filium, ergo eſt prior origine Filio: igitur gratis dicitur dari ibi ordinem ſine priori, & poſteriori origine; vbi namque eſt præcedentia, quam ibi Aug. admictit, præcedentia, inquam, originis, adeſt etiam prius, & poſterius origine. Item Richar. Victor. l. 6. de Trin, c. 7. quærit quomodo ſe habeant inter ſe, velle habere condignũ, ideſt habere Filium, & velle habere condilectum, ideſt Spiritum ſanctum, ideſt quod nam horũ ſit prius, & poſterius, & reſpondet, quod habere cõdignum eſt prius; & probat, quia *habere condignum cõſiſtere poteſt in dualitate; & habere condilectum, non poteſt eſſe ſine Trinitate*: at hinc arguitur, dualitas eſt prior Trinitate, ergo ibi prius, & poſterius. Inſuper Vgo Victor. 6. de Trin, c. 6. inquit, *prius, & poſterius, hoc loco intelligi volumus, non temporis ſucceſſione, ſed ordine naturæ, vel originis.* Damaſcen. l. 1. de fid. c. 9. *Patrem, ait, eſſe maiorem, & ſuperiorem Filio, non natura, ſed cauſalitate, ideſt, origine*, iuxta expoſitionem Clitthouæi, vſurpant enim Græci cauſalitatẽ pro originatione, vt dicemus agendo de perſona Patris. Baſil. l. 1. contra Eunom. *in his,* inquit, *priorem eſſe cauſam dicimus, poſterius vero quod ab ipſa eſt; non interuallo hæc inuicem ſeparantes, ſed cogitatione priuſquam cauſatum, cauſam intelligentes; quonam igitur pacto rationem habet, ordinem in ijs negare, in quibus eſt prius, & poſterius,*

tius, non positione nostra, sed naturali quadam consecutione. ecce quomodo Basilius quæstionem apertè decidit, dari prius, & posterius, dari ordinem: & id non imaginatione nostra, sed naturali consecutione, vt loquitur. Idem quoque Basil.l.3. contra eund. admittit in Trinitate primam, secundam, & tertiam personam origine: at vbi est primum, secundum, & tertium, ibi est prius, & posterius, vt naturalis ipsa ratio dictat. Epiphanius & Nazianz. penes D.Tho. opusc. cōtra errores Græcorum cap.2. asserunt Filium esse medium inter Patrem, & Spiritum S: at vbi mediū, ibi prius, & posterius inter quę intercedat mediū. Denique idem August. lib. de gaudijs electorum, *in beata, inquit, visione videbimus duas processiones, quomodo Pater præcedit Filium origine, non tempore.*

3 Probatur secundo rationibus in diuinis datur prima, secunda, & tertia persona verè à parte rei, nullo etiam intellectu v.g. considerante; ergo nullo intellectu cōsiderante adest prius, & posterius, non autem tempore, ergo origine. Item, vbi ex natura rei datur primum, secundum, & tertium, ibi ex natura rei datur prius, & posterius: ex natura autem rei Pater est prima persona, Filius secūda, Spiritus sanctus tertia, ergo ex natura rei prius. Insuper in diuinis est vna persona improducta, ergo habet esse sine origine, adest secunda, & tertia producta, ergo habent esse cum origine ab alijs: modus autem sic habendi esse eum origine, & ab sque origine nō est sine priori, & posteriori origine. Rursus, esse prius, & posterius origine nil aliud est quàm vnam personam non esse ab alia, & aliā esse ab alia: sic euenit in diuinis, vt Pater à nullo sit, Filius sit à Patre, & Spiritus ab vtroque. Præterea, ordo est habitudo plurium ad vnum primum, vt etiam ibi docet D.Thō. at Filius habet hāc habitudinem ad Patrē, ergo habet eā, tanquam posterior ad primum, ergo prius, & posterius origine. Denique, producens est prius producto, aliàs idem posset producere seipsum, quod negat Aristot. & August. igitur cùm Pater producit Filium, erit prius Filio.

4 Respondent Thomistæ, vnam personam esse priorem alia non à parte rei, sed secundùm nostrum modum concipiendi, sed contra arguitur, & primo, id est expressè contra Basiliū, qui supra aiebat, *quonam igitur pacto rationem habet, ordinem in ijs negare, in quibus est prius, & posterius, non positione nostra, sed naturali quadam cōsecutione?* igitur fatetur Basil. prius, & posterius nō esse per nostrum modum concipiendi, sed naturaliter ex natura rei. Item arguitur ratione, distinctio, & ordinatio ista destruit ordinem constitutum ex natura rei, ergo non est apponenda prout pendens solummodo ex nostra consideratione, prob. antec. verè ex natura rei Pater vt sic, est prior Filio origine: quod si prioritatem hanc tribuas soli nostro intellectui, ergo destruitur prioritas, quam constitutam ibi reperimus ex natura rei: Verè etiā ex natura rei producens vt producēs est prius producto; quod si totum id refundas in nostram considerationē, destruis ordinem constitutum ex natura rei. Insuper modus concipiendi non debet esse mendax, sed verus: ad hoc autem vt sit verus, oportet conformiter fieri ad ipsam naturam rei: quod si ex natura rei non est ibi prioritas, ergo prioritas facta per intellectum, erit imaginaria, & fictitia, sicq; prioritas Patris, posterioritas Filij, & Spiritus sancti erit ibi non vera, sed ficta. Præterea concedunt Thomistæ, vt debent, Patrem esse primam, Filiū secundam, & Spiritum sanctum tertiam personam, quod est de fide: at si ibi nulla prioritas à parte rei, quare potius Pater erit prima persona, quā Filius: quare Filius potius secunda, quàm Spiritus sanctus: & quare Spiritus sanctus potis tertia, quàm Pater, & Filius: quod si à parte rei vna est prima, alia secunda, alia tertia, ergo non per intellectum datur prius, & posterius origine, sed ex natura rei, ne destruas Trinitatem, quæ in ordine consistit secundùm prius, & posterius origine.

Responsio Aduersariorum arguitur.

Ordo originis à parte rei.

5 Item hoc est de essentia Trini-

tatis, vt Pater sit prius, Filius, & Spiritus sanctus posterius: negabis hoc, & destrues Trinitatem. prob. antec. de essētia numeri ternarij vt sic, est vt vna vnitas habeat rationē primi, alia secundi, alia tertij: illa quidem, quæ est principium numeri habeat rationem primi, cui succedat secunda: quæ adeo erit secunda, vt non sit tertia: & tertia adeo sit tertia, vt non sit secunda; & in hoc ordine harum vnitatum, necesse est vnam esse priorem, aliam posteriorē; aliàs negato ordine prioris, & posterioris, non habebitur numerus vnitatū, & trium vnitatū: talis verò ordinatio & prius, & posterius nō pēdet ex sola ratione, sed ex parte rei, quia nullo intellectu cogitāte trinitas non est quaternitas, non dualitas, non quinitas; ergo de essentia Trinitatis erit prius, & posterius. Cōfirmatur, ergo dabitur confusio in Trinitate, prob. si non ex natura rei Pater est prius, Filius posterius, ergo confusè se habebunt diuinæ illæ personæ, prob. nō magis Pater erit prius, quàm Filius, nec magis Filius, & Spiritus sanctus erit posterius quàm Pater, & ita destrui posset ordo Trinitatis: nec potius Patrem collocabimus veluti primarium fontem Trinitatis, quàm Filium, quàm Spiritum sanctū: hæc autem sequuntur ex negatione prioris, & posterioris originis in ipsa Trinitate.

Prius, & posterius signa à quibus, non in quibus.

6 Secunda assertio, prius, & posterius origine in diuinis nō est prius, & posterius *in quo*, sed *à quo*: itaut instantia hęc non sint instantia, & signa, *in quibus*, sed *à quibus*. Ratio, quia nusquā fuit Pater sine Filio, aut vterque sine Spiritu sancto; ergo nullum est signum, in quo sit Pater, & in quo non sit simul Filius, & Spiritus sanctus. Item personæ omnes sunt æternales, ergo omnes simul semper ab æterno. Demum, personæ omnes sunt inuicem consubstantiales, habentes vnam, eandemque essentiam: at nunquam fuit instans in quo fuisset essentia sine personis, ergo signa ista non sunt signa in quibus. Insuper personæ sunt in se inuicem per circumincessionem, ergo nullum fuit instans in quo fuisset Pater sine Filio, & Spiritu sancto. Sunt verò signa *à quibus*, quoniā vt dictum fuit antec. artic. Pater est in primo signo originis, quia est à se, seu à nullo: Filius in secundo, quia est à Patre: & Spiritus sanctus in tertio, quia est ab vtroque. Scot. locis citat. & præcipuè 1.d.10.q.vn. in fin. Accedit, quod in diuinis non est prius, & posterius tempore, ergo non sunt ibi signa *in quibus*. Itē Athanas. in symb. *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius*: loquitur verò, iuxta Scotum, de prius & posterius tempore. Augustinus quoque lib. 3 contra Maximin. c. 14. ait, *Genitorem, & Genitum esse, non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ, non quo alter est prior altero, sed quo alter est ab altero.* idem docet Ambros. l. 1. de fide ad Gratian. c. 5. idem Scot. quolib. 6. Accedit Bacchonus penes Bargium in 1.d.1. quæst. 2. atq; Gregor. 1.d.9. q. vn. idemque ibidem Bargius.

Et confirmatur amplius ex alijs Patribus; August. lib. de Triplici habitac. cap. 6. *Tunc iustis manifestum erit, quomodo Pater non præcessit Filiū tempore, sed origine*: Ephræm Syrus opusc. de sui ipsius reprehens: *Quod porro post Filium, Spiritum sanctum dicimus, id non temporis, sed personæ est significatiuum.* Richard. Victor. lib. 5. de Trinit. cap. 7. *Nil ibi prius tempore, nil tempore posterius, sed quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter, & eo ipso naturaliter.* Per *causaliter* autem intelligit, *principiatiuè* more Gręcorum vsurpantium causam pro principio, de quo in materia de Patre.

7 Tertia assertio, in diuinis non est ordo naturæ, qui reperitur inter naturam, & naturam; est Scoti l. de primo princ. c. 1. Scotistarum, ac præcipuè formalistarum. prob. ordo inter naturam, & naturā exigit plures naturas; in diuinis est vnica essentia, & vnica diuina natura. item ordine inter naturas est ordo causati ad causam: à diuinis ad intra longè est ratio causati, & causæ. Insuper, ordo inter naturas est ordo essentialis dependentiæ vnius naturæ ab alia: abest ratio dependentiæ à diuinis ob suas maximas imperfectiones. Rursus ordo hic dicit

Naturę ordo qualis negatur à diuinis.

eit alteritatem, & realem distinctionē naturæ, in diuinis vnica est in omnibus personis, atque indistincta natura. Præterea ordo naturæ, & naturæ dicit excessum naturæ supra naturā, excessum, inquam, perfectionis, quia species se habēt sicut nun eri ex Phil. ergo sicut species vna numeri excedit alteram in perfectione, ita species essentiales rerum excedunt semetipsas in perfectione: in diuinis autē omnia sunt æqualis perfectionis. non est igitur ibi ordo sic naturæ, nec ordo maioris, minorisque eminentiæ, nec dependentiæ; illa enim excessum indicat, & defectum in perfectione, ista dependentiam dicit causæ ad causatum.

Naturę ordo in diuinis quid.

8 Quarta assertio, in diuinis esse ordo naturæ, qui tamen ordo appellatur, *Præsuppositio huius ab hoc*: & reperitur inter naturam, eiusque naturales perfectiones: ita vt essentia sit prior natura modis intrinsecis: modi sint prius natura attributis: hæc omnia sint prius natura notionalibus. est Scoti sup. & prob. essētialia sunt priora notionalibus: at non sunt priora tempore, vt est dictum: nec origine, prob. prius, & posterius origine expostulat distinctionem realem originati ad originantem: at essentialia nō distinguūtur realiter à notionalibus, nec essentia à modis, & attributis: tū etiā quia ordo originis est inter originantia, at essentialia, & essentiā non originant notionalia, nec attributa, sed dicuntur emanare ab ea. Item fundamentum est prius natura relatione, essentia est fundamentum notionum. Insuper subiectum est prius natura sua passione, modi, attributa, & notiones ex Scoto sunt quasi passiones, demptis imperfectionibus. Rursus, diffinitio est prior natura diffinito: quod si quidpiam definiri, vel potius describi queat in diuinis, sequitur, vt ibi inter descriptionem, & descriptū sit ordo naturæ. Assertio hæc est contra Bassol. pluresq; quam latius corroborat Mayron. vbi sup. ordo etiam hic reperitur in potentia, penes diuersa obiecta, vt de intellectu diuino habente pro obiecto essētiam, & creaturas; quæ tamen ordinatè intelligit per prius, & posterius natura, vt prius feratur ad illam, quā ad istas; & ratio est allata superius artic. anteced. in tertio modo sumendi ordinem naturæ.

Fauētinus negat distinctionem signorum in quibus, & à quibus.

9 Circa assertionem secundam Fauentinus in 1. d. 46. dendet distinctionem datam de signis *in quibus*, & à *quibus*, & veluti inutilem, & falsam reijcit, præcipuè contra Scotistas ea vtentes; Probat vero inquiens, Non possūt admitti signa *in quibus*, ex Scoto, quia in diuinis omnia sunt simul; nec signa *à quibus* ergo distinctio hæc est reijcienda; patet primum, & probatur secundum, signum à *quo* est habitudo vnius ab alio in esse, & operari, vt patuit ex eius descriptione, sed voluntas nō habet esse ab intellectu, nec operatur ab intellectu, licet sit posterior eo; in hoc autem casu non dantur signa, cùm intellectus, & volūtas sint simul; nec etiam dabuntur signa *à quibus*, cùm verò non producatur ab intellectu, ergo distinctio hæc non cadit in diuinis. Item notitia essentialis, & improducta, siue actus operatiuus est simul cum actu notionali, & productiuo, & tamen vnus nō producit alium, quia Verbū non producitur per actum intelligendi, sed dicendi, ergo non dantur signa nec *in quibus*, nec *à quibus*.

Impugnatur.

10 Esset quærendum vtrum excludenda veniant omnino à diuinis signa *in quibus*, breuis autem resolutio in hoc stare potest, vt sumendo signa *in quibus*, pro signis durationis, & tēporis, seu pro prius, & posterius duratione, & tempore; nequaquam sint admittenda hæc signa *in quibus*, etenim omnia ibi sunt simul: sumendo verò pro signis naturæ, seu pro prius, & posterius naturæ, possunt admitti signa *in quibus*; idem namque est, ac ordo naturæ, & signa naturæ. Ita quoq; Bargius vbi supra admittit in Deo signa *in quibus*, inquiēs, *signa in quibus, esse signa naturæ.*

Signat in quibus an in diuinis.

11 Hoc stante deducitur inutilē esse speculationem Fauentini arguētis Scotistas admittentes distinctionē signorū *à quibus*, & *in quibus*: Et quidem loquēdo de signis *à quibus* sperta est mens Scotistarum, Formalistarum,

rum, cæterorumque recensitorum admittenda esse; etenim signa hæc sunt inter personas, at personæ ita se habent, vt vna sit ab alia, igitur negare non potest signa *à quibus*. loquendo autem de signis *in quibus*, iam dictum est quomam sensu admitti valeant signa *in quibus*; idem .n. sonant, ac signa naturę; sicque voluntas se habet, & intellectus: actus operatiuus, & productiuus, per prius, & posterius ordine naturæ, & per signa *in quibus*; non quidem durationis, & successiuitatis, sed naturæ. Quod si Scotus, neget signa *in quibus*, loquitur ad sensum iam datum, sumendo signa *in quibus*, pro ordine, & successiuitate temporis, ac durationis, non naturæ.

ARTIC. III.

Arguitur contra ordinem naturæ, & originis.

ARgumenta potiora, quæ obstant, hæc sunt, Primo, vbicūque reperitur prius, & posterius natura, ibi reperitur distinctio naturarū: in diuinis autem est vnica Natura. Secundò, quicquid ordinatur, distinguitur, sed natura non distinguitur, ergo nec datur ordo naturę. Tertiò, in constitutione Personæ duo sunt, nempè essentia, & relatio, ergo si Pater, est prior Filio, vel erit prior secundùm essentiam, vel secundùm relationem, non secundùm essentiam, quia illa est vna, & eadem in Patre, & Filio, nec secundùm relationem, quia relatiua sunt simul natura. Quartò, implicat in diuinis producens esse prius producto, probatur, producens; & productum, vel sunt absoluta, vel relatiua, nō absoluta, quia personæ nō constituuntur per absoluta, ergo erunt relatiuæ: sed relatiua sunt simul natura, ex Aristot. cap. de relatione. Quintò Scotus in 4. quæst. quolib. art. 2. docet ordinem naturæ dicere imperfectionem, ergo non est ponendus in diuinis. Confirmatur ex Athanas. in symb. dicente, *in hac Trinitate nihil prius, ac posterius*. Sextò Scotus in 2. d. 1. quęst. 1. docet intellectum Dei in primo instanti naturæ intelligere ea, quæ sunt in diuinis ad intra, & in secundo instanti naturæ creaturas ad extra: Sed contra hoc arguitur, intellectio Dei est vna prorsus, & eadem, quatenus terminata ab intra, & ad extra, ergo non potest esse prior, & posterior natura, prout terminata ad intra, & ad extra. Confirmatur, vbi reperitur prius, & posterius, ibi reperitur distinctio: at Dei cognitio est vna, & indistincta, ergo non dantur illa duo instantia naturæ. Septimò, ordo naturæ dicit dependentiam, & distinctionem essentialem vnius ab altero, vt docet Scot. in diuinis verò nec est dependentia, nec distinctio essentialis. confirmatur, quia ex eodem Scoto, ad ordinem naturæ illa duo requiruntur, ergo vbi est ordo naturæ, ibi est dependentia, & distinctio essentialis. Octauò, quod est prius natura, potest esse sine posteriori, hæc enim est altera conditio requisita ad prioritatem naturæ, ergo si essentia est prior natura attributis, & notionibus, vtiq; essentia poterit esse sine eis. Nonò, instantia originis posita à Scoto videntur esse instantia durationis, & temporis, sicut etiam instantia naturæ, ergo in diuinis datur prius, & posterius tempore: prob. anteced. ex frequenti modo, quo vtitur Scotus, quādoquidē ait, Pater est in primo signo originis, & in illo signo non est Filius, qui tamē Filius est in secundo signo originis, in quo non est Spiritus sanctus, qui tamē est in tertio signo originis; similiter Pater est perfectè beatus antequam genetet Filium, itaquoque Pater, & Filius intelligunt, & fruuntur essentia antequam spirent Spiritum sanctum, ex hoc autem modo loquendi signa originis, quæ ponit Scotus videntur esse signa *in quibus*, nō autem solummodo signa *à quibus*, quod si erunt signa *in quibus*, vtique erunt signa durationis, & temporis: Ita enim argumētatur Aureolus, Bacchonus, & Molina. Confirmatur homo est prior natura risibilitate, ergo

potest

potest esse sine risibilitate, igitur essentia dum est prior attributis poterit esse sine eis, & dum Pater est prior Filio, & Spiritu sancto, vtique poterit esse sine illis. Decimò, Pater creatus non est prior origine Filio, ergo nec Pater diuinus, anteced. patet, quia paternitas nec est ratio agendi, nec cōditio Agentis. Vndecimò, Pater est prior origine, ergo est prior generatione: sed quæ sunt priore generatione, sunt posteriora perfectione, ergo non prior origine: minor est Scoti in 1.d.5.q.2.

Vndecimo ex Patribus, Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 149. ait Trinitatem, *Nec prius, nec posterius: nec primum, nec secundum, nec tertium admittit.* Ambros. lib. 4. de fid. cap. 6. in illud Rom. 11. *Quis prior dedit illi*, inquit, *non accepisse per naturam à Patre Filium denegauit, sed priorem non posse dici inter Patrem, & Filium declarauit. quia etsi Pater dedit Filio, non tamē quasi posteriori dedit, quia increata, & inaestimabilis Trinitas, quæ vnius est æternitatis, & gloriæ, nec tempus, nec gradum, vel posterioris recipit, vel prioris.* Nazianzen. orat. 5. de Theol. *Non enim aliud alio, aut magis, aut minus Deus: neque aliud prius, aliud verò posterius.* Basil. sup. *Filius natura nullo modo secundus, quoniam in vtroq; vna est Deitas.* Concil Nicæn. *Nil in ea*, nempe Trinitate, *prius aliquando, sed semper, & eodem modo existentem, indiuiduam, & consubstantialem Trinitatem.*

ARTIC. IV.

Occurritur argumentis præcedentis articuli.

Nō est prius, & posterius essentialiter.

1 Respōdetur ad primum verum esse antecedens de prioritate, & posterioritate essentiali, quandoquidem prioritas hæc multiplicat naturas, in diuinis verò non adest talis prioritas, nec posterioritas, cum sit vnica essentia, & per consequens vnica natura, ratio est iam dicta, quia prioritas, & posterioritas essentialis est prioritas specifica, quæ reperitur inter plures naturas specificè distinctas, ordo vero naturæ in diuinis non est ordo naturarum sed est ordo repertus inter naturam, eiusq; naturales perfectiones.

Ordo inter naturas dicit distinctionem essentialem.

2 Ad secundum verum est antecedens de ordine reperto inter naturas, ibi enim reperitur realis, & essentialis distinctio, vt inter plures naturas specificas, non autem est verum de ordine reperto inter naturam, eiusq; naturales perfectiones. Respōdetur secundò quod ordo qui est inter naturam, atq; perfectiones, siuè emanationes dicit distinctionem formalem, & hæc distinctio sufficit.

Ordo nō est in essentia, sed in modo habendi eam.

3 Ad tertiū dicimus quod prius, & posterius non est in essentia secundum se solummodo considerata, quia penes illam simpliciter tentam non est ordo, nihilominus ordo est, & reperitur in modo habendi ipsam essētiam, quia Pater habet eam à se, non communicatam sibi ab alio, & per consequens in primo signo originis Filius habet eam, vt communicatam à Patre in secundo signo originis, & Spiritus sanctus habet illam, vt communicatam à Patre, & Filio, & per consequens in tertio signo originis: Cum verò inquis, relatiua sunt simul natura. Respondetur, quod licèt sint simul natura, tamen inter eos est ordo originis.

Ordo naturæ simul cū priori, & posteriori origine.

4 Ad quartum respondetur personas esse relatiuas, & per consequēs conceditur esse simul natura, nihilominus se præcedunt, & consequuntur per prius, & posterius origine. Contra, Richardus Victor. l. 6. c. 7. *Prius, & posterius hoc loco intelligi volumus non temporum successione, sed ordine naturæ*: ergo non simul natura. Resp. idem intelligere per ordinem naturę, ac ordinē naturalis originis. Ad Confirmationem ex Athanasio, tum ipse, tum reliqui Patres, & Concilia negāt in diuinis prius, & posterius duratione, & tempore, non autem origine, præcipuè Athanasius in eodem simbolo dicens Filius à solo Patre est, Spiritus sanctus à Patre, & Filio.

5 Ad

Ordo inter naturas dicit dependentiam, et imperfectionem, nō inter naturā, & perfectiones.

5 Ad quintum Scotus loquitur de ordine qui est inter naturas, non autem qui est inter naturam eiusq; perfectiones, atq; emanationes, ille namq; dicit imperfectionem, quia dicit dependentiam vnius naturæ ab altera, & proptetea appellatur ordo essentialis dependentiæ vnius ab altero hic autem non est in diuinis. Ad Confirmationem patet responsio ex paulò supra dictis.

Qualis ordo, talis distinctio.

6 Ad sextum non implicat vnam eamdemq; intellectionem terminari ad duo obiecta, ratio est quia diuina cognitio est illimitata, & infinita. Cum inquis, quod vbi reperitur ordo ibi adest distinctio. Respōdetur quod qualis est ordo talis est distinctio, si namq; ordo est temporis, distinctio erit realis, si ordo est naturæ qualis est inter naturam, eiusq; connaturales perfectiones, vtiq; distinctio non erit realis, sed formalis, vel modalis reddendo singula singulis quatenus est ordo inter modos intrinsecos, attributa, & relationes.

7 Ad septimum patet ex dictis quia Scotus loquitur de ordine inter naturas, inter quas necessariò interuenit dependentia, & distinctio essentialis, non autem de ordine inter naturam, eiusq; connaturales perfectiones. Et ita patet ad confirmationem.

Prius natura an esse possit absq; posteriori.

8 Ad octauam. Verum est quod prius natura potest esse sine posteriori quod intelligitur quantum est de se, ratio est, quia prius, vt prius non dependet à posteriori, nihilominus aliunde potest implicare, vt non possit esse sine posteriori, nempè propter identitatem prioris cum posteriori, & ita essentia non potest esse sine modis intrinsecis, & attributis, quia est eadem realiter cum illis, ex quibus omnibus constituitur in esse tali, ità vt faciant vnam eandemq; naturam, & entitatem talem: non quod vel attributa, vel modi intrinseci, aut relationes sint de quidditate essentiæ, vt dicetur infra lib. 2. dispu. 2. q. 7.

Signa à quibus, nō in quibus.

9 Ad nonum respondetur instātia originis posita à Scoto non esse signa in quibus, sed à quibus, prout semetipsum declarat supra, & prout est communis expositio formalistarum, & Scotistarum. Nec est facienda vis in verbis, dum constat intentio Doctoris. Respondetur secūdo, quod modus loquendi in diuinis non est exponendus per verbum, *est*, sed per verbum, *intelligitur*, ità vt non sit dicendum, essentia est prior, & attributa, & relationes sunt posterius, sed dicendum est, quod potest intelligi essentia in aliquo instanti priori, in quo non intelligantur modi intrinseci, attributa, & relationes; ità quoq; de humanitate, & risibilitate, de Patre, & Filio, & Spiritu sancto; non enim est dicēdum absolutè, quod humanitas risibilitate, & Pater prior sit Filio, & Spiritu sancto, sed dicendum est, quod illa intelliguntur in aliquo signo anteriori, in quo non intelligūtur ista, & ratio est, quia verbum, *est*, indicat consistentiam, & durationem ipsius temporis, sed in diuinis non est ordo durationis, & temporis; possumus nihilominus vti verbo, *intelligitur*, vtpotè intelligendo vnum in vno instanti, & non aliud, quod quidem non implicat fieri, quia ex Arist. *Abstrahentium non est mendacium*. Dices, Filius non intelligitur in primo signo originis, attributa non intelliguntur in primo signo naturæ, nec risibilitas in primo signo, in quo est humanitas; ergo Filius attributa, & risibilitas nō sunt simul cum essentia, humanitate, & Patre. Resp. negando conseq. quia committitur fallacia commutatādo abstractionem præcisiuam in diuisiuam: illa ibi cōceditur, quia *abstrahentium non est mendacium*, & negatur ista.

Verbū est, & intelligitur quid indicat in diuinis.

Instantia ex Sco. soluitur.

10 Dices, non videtur solutum argumentum cōtra Scotum, quia ipse vtitur verbo substantiuo *est*; ergo ipse dat intelligere quod signa sint, *in quibus*. Responsum est iam, Scotum intelligere de signis *à quibus*. Ad nouam instantiam, dum vim facimus in verbis, resp. primò, non dicere Scotum absolutè, Pater est, & Filius, & Spiritus sanctus non est; sed dicere, non est Filius in primo signo, & Spiritus sanctus in secundo. Respondetur itē, verbum *est*, siue non est, non se tenere diuisiuè, sed præcisiuè, siue abstractiuè per intellectum, itaut cùm dicitur Filius non est in primo signo, intelligatur

In ordine in diuinis, an vtendū verbo est.

tur non est, præscindendo eum à tali signo. Resp. tertio, quod verbum *est* habet locum in his exemplis recensitis, in prædicatione signata, non in prædicatione exercita: itaut cùm dicimus in primo signo naturæ est humanitas, & non risibilitas: essentia, & non perfectiones: Pater, & nõ Filius, nec Spiritus sanctus; intelligatur de prædicatione signata, vt illud *est*, sit solummodo signum, quod ista tunc non intelligantur esse, nõ autem quod reuera actu nõ sint, cùm verè ab æterno omnia simul sint: quicquid tamen sit, dum mens Scoti constat, non est facienda vis in verbis.

Pater an prior Filio in diuinis, & humanis.

11 Ad decimum est differentia inter generationem in diuinis, & in humanis; siquidem in humanis principium est potentia generatiuã, quæ cum sua natura est ratio agendi: singularitas autem, siue suppositalitas est conditio agentis: paternitas verò nihil est horũ, sed consequitur ad ista; ratio desumitur ex Scoto in 2. d. 1. q. 2. vbi ait, prius est absolutum in causa, inde absolutũ in effectu: deinceps consurgit relatio effectus ad causam, & quarto relatio causæ ad effectum; quia causa in quantum causa causat, & in quantum causa est prior natura suo effectu ex eod. Scot. 9. met. q. 5. In diuinis verò paternitas est cõditio principij siuè est conditio Agentis, siue generantis; ratio, quia principium, *quod*, generãs, cõstituitur per relationem: ex hoc autẽ sequitur, vt merito Pater æternus sit Filio prior origine.

Priora generatione, posteriora perfectione declar.

12 Ad vndecimum propositio illa non valet in diuinis; quia ibi stat identitas, æqualitas, atque consubstãtialitas, ideoque vnum non est prius, vel posterius perfectione altero, licet sit prius, & posterius generatione. Item nec etiam valet in rebus diuersi generis, vt albedo est posterior pariete, attamen nõ est perfectior eo, quia sunt diuersi generis, quapropter non valet in subiecto, & accidente, qualecunque sit accidens, siue extraneum, siue separabile, nec enim passio, nec albedo est perfectior subiecto, licet sit posterior eo productione, & emanatione. Nec valet in destruẽdo; etenim in destructione compositi incipitur à perfectione, vt pote in destructione domus, ordinatè procedendo, incipitur à destructione tecti: atque in morte hominis primum quod recedit, est ipsa anima: valet autem in construendo, quia in formatione domus incipimus à fundamẽtis, inde ad parietes, & tecta: fundamenta verò sunt imperfectiora, licet priora: tectũ est perfectius, licet posterius: materia est prior, forma posterior, ac hæc perfectior illa: anima denique est perfectior embrione, & corpore, licet hæc formentur prius, illa infundatur posterius. quidquid tamen sit de glosis illius axiomatis, hoc verissimum est, quod non tenet in diuinis.

Ad Patres respõsio patet ex responsione ad quartum.

QVÆSTIO II.

Vtrum essentialia sint immediatiora, & priora notionalibus.

Essentiale quid penes Philosophos.

1 Termini huius essentiale, considerátio, alia est penes Philosophos, alia penes Theologos, nõ enim pari modo ab eis vsurpatur: & quidem philosophicè, ac naturaliter loquendo, illud dicitur essentiale alicui, quod est de intrinseca, quidditatiua, atque essentiali ratione constitutiua eius: ita se habet omne compositum, vbi materia, & forma; genus, & differentia sunt essentiale illi; constituunt enim

hæc essentialiter compositum. Huic essentiali opponitur accidentale: est verò id, quod aduenit enti iam in sua quidditate essentiali constituto, siue illud sit accidens per *accidens* ex Porphyr. siue accidens pro *extraneo*, vt vocatScot. nec enim passio tanquam quid posterius est de quidditatiua, essentialique constitutione subiecti, immo pullulat ab eo, ab eoque accipit esse: ac multo minus de eius quidditate erit accidens separabile, siue accidens, quod est vnum de quinque prædicabilibus.

Quid penes Theologos. 2 Theologicè autem essentiale, id significat, quod est commune pluribus, & prædicabile de eis. huiusmodi est diuina essentia, modi intrinseci, attributa: quæ indifferenter communia sunt personis, & prædicantur de singulis. distinctius verò describendo essentiale, dicimus esse id, quod est cõmune tribus, seu omnibus personis ad intra: descriptio hæc differt à prima; siquidem hæc est vniuersalior; amplectitur enim omnes personas, illa autem nõ ita sigillatim, sed indefinitè loquitur de pluribus. Ratio differentiæ inter commune pluribus, & commune omnibus, siue tribus hinc deducitur, quoniam spiratio actiua videretur esse quid essentiale; etenim communis est pluribus, vt Patri, & Filio; attamen non est essentiale, quia non est communis omnibus, nec tribus, cùm non sit communis Spiritui sancto, non enim spirat; est ergo de ratione essentialis, non quidem vt sit commune pluribus, nõ enim sufficit, sed vt sit commune omnibus, sinè tribus.

Notionale quid. 3 Huic Theologico essentiali opponitur notionale: nõ opponitur accidentale, vt opponebatur essentiali physico, sed notionale. quid verò sit notionale, habebitur quæst. sequ. pro nunc sunt diuinæ productiones, relationes, emanationes personales, vt paternitas, filiatio, & spiratio. Hæc appellantur quid notionale, ratio, quia ex his noscimus diuinas hypostases, vt dicemus. Hoc verò notionale vt contradistinguitur ab essentiali theologico nequaquã vocari poterit accidentale, ratio, quia nil accidit in diuinis; est enim Deus, æternus, immortalis, stabilis, atque inuariabilis, apud quem non est transmigratio, nec vicissitudinis obumbratio ex Iacobo: appellabitur autem essentiale prout contradistinguitur à relatiuo, quod est notionale: vnde oppositum, essentialis physici, est accidentale; oppositum essentials Theologici est relatiuum, quod est notionale. sententia est præclarissima D. Aug. qui 5. de Trin. cap. 4. sic scribit, *In rebus creatis, quod non secundùm substantiam dicitur, restat, vt secundùm accidens dicatur: in Deo autem nil secundùm accidens dicitur; nec tamen omne, quod dicitur secundùm substantiam; dicitur dicitur. n. ad aliquid, sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non est accidens; quia & ille semper Pater, & iste semper Filius, & non ita semper, quasi ex quo natus est Filius, vt ex eo, quod nunquã desinat esse Filius, Pater non desinat esse Pater, sed ex eo, quod semper natus est Filius, ne capit vnquã esse Filius; quod si aliquando esse cepisset, aut aliquando esse desineret Filius, secũdùm accidens diceretur. si verò quod dicitur Pater, ad ad seipsum diceretur non ad Filium; & quod dicitur Filius, ad seipsum diceretur, non ad Patrem, secundùm sobstantiam diceretur. & ille Pater, & hic Filius: sed quia Pater non dicitur Pater, nisi ex eo, quod est ei Filius; et Filius nõ dicitur, nisi ex eo, quod habet Patrem, non secundùm substantiam hæc dicuntur, quia non quisq; eorum ad seipsum, sed ad inuicem, atq; ad alterutrum ista dicuntur; neq; secundùm accidens, quia & quod dicitur Pater, & quod dicitur Filius, æternum quoque, atque incommutabile est eis.* hæc August.

4 Essentiale hoc Theologicum duplex distingui solet à Theologicis, aliud quidem, quod nullum respectũ dicit ad extra: aliud, quod importat respectum ad extra. primũ est, quidquid est absolutum in diuinis, vt essentia, modi intrinseci, attributa: secundum, vt Creator, Gubernator, iustificator, Glorificator, Dominus, & huiusmodi. Hoc etiam, quod respectum dicit ad extra consideratur dupliciter, primo fundamentaliter, secũdo formaliter; vtpote omnipotentia, *Essentiale theologicũ duplex.*

omni-

omniscientia considerantur secũdùm se,& quidem fundamentaliter: considerantur etiam pro respectu, quem dicunt ad res creatas,& scitas à Deo, seu à tribus,& hoc formaliter, pro respectu illo, quatenus terminantur ad creaturas, quæ sunt obiectum omnipotentiæ, & omniscientiæ Dei, hæc autem essentialia relatiua ad extra negari non possunt; & quidem omnipotentia Dei, licet secundum se spectata sit perfectio absoluta Dei, nihilominus quatenus terminatur ad omne possibile, siue ad actũ existens, inuoluit respectũ rationis in ipso Deo. Similiter omniscientia, vtique secundum se est perfectio absoluta Dei; attamen quia terminatur, seu terminabilis est ad omne scibile à Deo, ideo dicit respectum in ipso Deo, respectus autem isti sunt toti Trinitati cõmunes, *quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*, & propterea omnes dicunt respectum rationis ad extra sub ratione scientis, gubernantis, ideantis, disponentis, & huiusmodi, Confirmatur ex Athan. in symb. *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus*. restat ergo primo probatum dari essentialia respectiua ad extra.

Essentiale absolutum ad intra.

5 Esset vero probandum dari essentialia absoluta ad intra: hoc vero eodem facili negotio conuincitur: quod per optimè, & diffusè præstat Scot. q.1. quol. probatur autem dari talia essentialia nullum dicentia respectum ad creaturas. Perfectio simpliciter non includit respectum ad creaturas; sed ad intra aliquod essentiale est perfectio simpliciter, vt sunt modi intrinseci,& attributa. ergo aliquod essentiale non dicit respectum ad extra. prob. ant. c. *perfectio simpliciter est, quæ melior est ipsa, quam non ipsa in quocunq;* ex Ansel. at creaturæ repugnat perfectio simpliciter, etenim de se est quid imperfectum, dependens, contingens, non necessariũ, & huiusmodi, hæc vero repugnat reperiri in Deo; ergo in Deo est aliquod essentiale absolutum non dicẽs respectum ad creaturas. Item in Deo reperitur diuina natura, quæ de se est quid absolutum, independens, à se, & ad se, omnino prima, nullum inuoluẽs respectum ad creaturam; ergo eius quoq; perfectiones cõnaturales erũt independentes, & absolutæ ab ordine,& relatione ad creaturas. Insuper reperitur in Deo intellectus, qui nullum per se, & ex natura sua respectũ includit ad creaturam, prob. intellectus vt potentia, est prior omni actu suo; ergo non includit per se respectũ ad creaturas: prob. conseq. respectus ad creaturas consurgit ex operatione intellectus cognoscentis, & ideantis creaturas. Rursus intellectio beatifica est quid essentiale, quia est communis tribus; at beatifica Dei visio non includit respectũ ad creaturas, prob. intellectio Dei beatifica, prout terminata ad essentiam est formaliter,& intensiuè infinita secũdum omne sibi intrinsecum: infinitas vero intensiua repugnat relationi ad creaturam, cũ creatura sit finita: neque reperitur infinitas formalis cum relatione reali, prout relationes reales ad intra præscindunt ab infinito, & finito: magis autem repugnabit relationi rationis, qualis est relatio ad creaturas. concluditur ergo dari essentiale absolutum in diuinis, nullum dicens rationis respectum per se ad extra.

Obi

6 Sed obstabis, diuina intellectio terminatur ad creaturam, quæ est ens imperfectum, & non necessarium; nõ tamen per hoc talis cognitio desinet esse perfectio simpliciter; ergo non implicat relatio ad creaturam cum essentiali ad intra.

Sol

Respond. aliud esse quærere vtrum intellectio desinat esse perfectio simpliciter, quia terminatur ad creaturas; aliud, vtrum talis respectus includatur per se in Dei intellectione: primum negatur; etenim adhuc erit perfectio simpliciter, nec per id desinet, ob duo, tum quia prius non variatur essentialiter per ordinẽ ad posterius, Dei cognitio est prior, creatura posterior; prius enim terminatur ad obiectum primarium, quam secundarium, tùm etiam, quoniam diuina cognitio non paritur à creatura, quæ solummodo terminat, non autem mouet diuinum intellectum, ergo nõ potest tribuere cognitioni imperfectiones suas, quas quidem tribueret

bueret ei, si esset causa eius; cognitio namque sumit specificationem ab obiecto, à quo paritur; ergo à primo ad vltimum non deperdit perfectionē suam simpliciter ex hoc, quod relationem dicat ad creaturas.

Relatio ad creaturam an includatur in Dei cognitione.

7 Quoad secūdum, nequaquam talis respectus includitur in Dei intellectione, sed consequitur, ratio primi, quia non causatur à creatura, quod si causaretur, vtique includeretur; sicut enim cognitio parietis causata à pariete dicit essentialem dependentiam, realemque per se relationem ad parietem, à quo causatur, ita esset de diuina cognitione si à creatura causaretur; cùm verò non causatur, hinc fit, vt relatio minimè includatur in ipsa natura diuinæ cognitionis: benè tamē talis habitudo includitur per se in Dei cognitione in ordine ad diuinam essentiam, quia ipsa sola est obiectum motiuum diuini intellectus; ergo Dei intellectus dicit per se ordinem, & relationem ad illam. Dices, igitur distinguitur realiter cognitio ab essentia propter hanc relationem realem; etenim relatio realis requirit extrema distincta realiter. Resp. negando consequ. quia relatio illa non est realis, sed rationis, quoniam est inter extrema, quæ sunt eadem realiter, vt essentia, & cognitio. item non est realis, quia nō verè causatur ab essentia. nec verè producitur, sed ait Scot. quod est quasi producta; ratio, quia potius dicitur emanare, & pullulare ab intellectu, & essentia, quam verè produci; notitia enim verè producta est Verbum, quod est notitia genita, & producta. Dices relatio cognitionis Dei ad essentiam est rationis, ergo non est à parte rei. Resp. negando cōseq. quia & si non sit realis in rigore cum ei non conueniant omnes conditiones relationis realis, dum non distinguitur realiter, nihilominus dicendū est esse à parte rei, quia habet saltim duas cōditiones relationis realis, nempè quod sit inter extrema realia, vt intellectus, & obiectum; & oriatur ex natura extremorum: quapropter erit realis impropriè, deficiente sibi vna ex conditionibus; at quia non pendet à sola ratione, dum verè est inter extrema realia, & verè oriatur à natura rei, ideo non poterit in rigore appellari relatio rationis; vnde fit vt mediando appellari possit relatio à parte rei, quæ medium locum obtineat inter relationē rationis, & realem: Cùm hoc tamen non est recedēdum à cōmuni casu loquendi Theogorum, qui relationem illam appellāt rationis, non realem. Redeundo tamen ad argumentum, respectus ad creaturam non includitur in natura intellectionis, ideoq; non competit ei per se; quia tamen scientia Dei est infinita, & ex infinita perfectione scientiæ Dei prouenit, vt Deus omnia sciat, est enim omnisciens; hinc tamen fit, vt ex cognitione creaturæ sequatur, & insurgat in Deo scientè respectus ille rationis. Respectus verò talis non pertinet ad intellectum per se, quia si nulla creatura esset, aut nulla foret possibilis, nihilominus Dei cognitio esset infinita, & perfectissima, habet enim primarium obiectum, quod ex Damasc. est pelagus omnium perfectionum.

Essentialia absoluta ad intra sunt immediatiora, quam notionalia.

8 His habitis dicimus primo, *Essentialia absoluta ad intra sunt immediatiora diuinæ essentiæ, quàm notionalia*: prob. essentialia dicunt perfectionem simpliciter, quam non dicunt formaliter diuinæ relationes ex Scoto; at diuinæ essentiæ est immediatius id, quod est perfectum simpliciter, ergo essentialia sunt immediatiora notionalibus. Item quod est propinquius perfectiori, id est perfectius: essentialia dicūt perfectionem simpliciter, ergo erunt propinquiora essentiæ, quæ pelagus, & radix omnis perfectionis. Insuper perfectiones cōnaturales sunt immediatiores ipsi naturæ, quàm sint proprietates personales: patet quoque in humanis; nam perfectiones cōnaturales, seu passiones consequentes naturam sunt immediatiores; siquidem est humanitati immediatior risibilitas, beatificabilitas, & huiusmodi, vt intellectus, voluntas, quàm proprietates, & conditiones suppositales: & quidem natura Verbi, habet humanam naturā cum suis naturalibus proprietatib; illamq;

illamque vna cum eis assumpsit, & prius natura est ipsa natura cum suis passionibus, singularis, in secũdo autem instanti natura resultat propria personalitas, siue assũpsit eam vt sic perfectionib. naturalib condecoratã diuinum Verbũ; ergo in diuinis prius concipimus diuinam essentiam vna cum modis intrinsecis, & attributis, inde vero notionales proprietates personarum. Rursus datur indiuiduũ Deitatis: vt suo loco fuit ostensum, tunc verò non cõcipimus, nisi Deũ, seu diuinam essentiam vna cum suis perfectionibus absolutis, non concipiendo pro tunc notionalia. Praeterea essentiae diuinae est immediatius principium productiuum, quàm sit ipsa actio productiua: principia ad intra sunt intellectus, & voluntas, actiones sunt diuinę productiones notionales, ergo illa praecedunt ista. Vlterius, qualem ordinem seruant aliqua vbicunque sunt realiter distincta, talem obseruant vbi sunt distincta formaliter, vel ratione: at si essentialia, vt intellectus, voluntas, attributa, notiones essent inter se realiter distincta, vtique immediatiora essent essentię, intellectus, voluntas, attributa, quã productiones notionales earũ; ergo modo cum sint haec omnia in essentia idem realiter, & ratione, vel formaliter distincta eundem seruabunt ordinem, vt illa sint istis immediatiora. Itidem, quod est immediatius primo non exceditur à tertio, alias si excederetur, vtique erit immediatius tertium: at omne essentiale, inquit Scot. excedit notionale, prob. tum quia essẽtiale est commune tribus, non sic notionale; tũ quoniã essentiale dicit perfectionẽ simpliciter, quã ex eodẽ non dicit notionale. Deniq; plus distãt ab essẽtia relationes, quàm quantitas, & qualitas. prob. plus distant à praedicamento substantiae relationis praedicamẽtum, quam praedicamenta qualitatis, & quantitatis: in diuinis adest quantitas virtutis, & pro qualitate. dẽptis imperfectionibus, sumuntur modi intrinseci, & attributa: ergo diuinae substantiae, siue essentiae erit immediatior infinitas, iustitia, bonitas, ac caetera attributa, quam relationes personales. Concluditur igitur essentialia nullum dicentia ordinem ad extra esse immediatiora essentię, notionalibus, & consequenter essentialia absoluta esse priora notionalibus.

9 Dicimus secundo, *essentialia respectiua inuoluentia respectum ad extra sunt posteriora notionalib.* Scot. vbi sup. & probatũ remanet ex antedictis, quia haec est differẽtia vtriusque essentialis, vt absolutum prius sit notionalibus, respectiuum posterius. Itẽ probatur, omnipotentia, Ars, idaea, omniscientia, iustitia, misericordia, praedestinatio iustificatio. beatificatio, & huius generis, prodeunt à tota Trinitate, quia opera ad extra sunt indiuisa: quatenus omnipotẽtia, omniscientia, caeteraque attributa considerantur in actu secũdo, sunt communia Trinitati: at quatenus tendũt ad extra, dicunt relationem. ergò essentialia respectiua sun posteriora notionalibus. Insuper operationes hae ad extra, vtpotè creandi, iustificãdi, & similium, emanant à voluntate libera Dei, & à diuino intellectu cõparante vnum ad aliud: at quę necessario competunt Deo ad intra, non dicunt respectũ ad extra, vt in quaest. de productione Verbi patebit; ergo respectus hi praesupponunt, & non antecedunt diuinas personas. Rursus non dicitur Deus absolutè tentus, & à personis abstractus. operari ad extra, creare gubernare, & similia, sed praestat haec Deus vnus, & trinus: licet namque si per impossibile non essent tres personae, Deus, quatenus indiuiduum Deitatis, siuè Deus hic, esset omnisciens, & omnipotens ad creãdum: nihilominus, quia de facto Deitas reperitur communicata toti Trinitati, ideo Deus creat vnus, & triuus, ergo à primo ad vltimum essentialia ad extra sunt posteriora notionalibus.

Essentialia ad extra posteriora notionalib.

QVÆSTIO III.

Vtrum notionalia constitutiua personarum sint priora essentialibus in eadem persona.

1 Præsens quæstio differt ab antecedenti, quia in illa loquebamur de essētialibus secundùm se quatenus præscindunt à persona; modo verò quærimus de essentialib. quatenus sunt in persona, & indagamus, vtrum attributa Patris, quatenus sunt in Patre, sint priora paternitate, quæ est notio propria constitutiua Patris, & sic de personis alijs.

Scotistarū quorūdam sententia negatiua.

2 Est aliquorum Scotistarū sententia, attributa esse priora notionalibus constitutiuis propriæ personæ: cum autem notionale constitutiuum Patris sit paternitas, seu generatio actiua, aiūt attributa, vtpotè iustitia, bonitas, intellectus, volūtas, actusque operatiuus vtriusque, & cætera, esse priora ipso Patre. inter quos Rada 1. p.controu.12.art.3. sic probat, qualē ordinem obseruant aliqua inter se considerata, talem seruāt in re, quam constituunt: sed Deitas, attributa, actus intelligendi, & volendi inter se spectata sunt priora Patre quem cōstituunt; ergo etiā in ipso Patre erunt priora ipso notionale Patris. Confirmatur, prædicata superiora, vtpotè substantia, corpus, animatum, sensitiuum, intellectiuum, inter se talem seruant ordinem qualem tetigimus; ergo eundem seruabunt ordinem in Petro, quem constituunt, vt sint omnino priora ipso Petro. Accedit, quod Scotus, ita docet, dum ait, intelligere Patris est prius quam dicere ipsius Patris: non capitur autem ibi Pater, materialiter, sed formaliter, id, quod importat genitiuus ille Patris, qui denotat veram personam Patris. Item nequit essentia communicari de se sola sine cæteris suis perfectionibus ipsis personis; ergo in quocunq; instanti concipiantur, ipsæ perfectiones præcedunt ipsas personas, quibus communicantur. Demum ipse Scotus quol.1.in solut.princip.docet magis distare à diuina natura constitutum personæ, quam proprietas naturæ, vt sapientia; quia si hæc essent in genere, primum poneretur in genere quarto relationis, secundum in genere tertio qualitatis.

3 Ex opposito sentiunt alij prius competere v.g. Patri proprium constitutiuum notionale, quam absoluta essentialia: & prob. quia cum Pater constituatur per actum dicendi, non videtur fieri posse, vt prius sibi conueniat actus intelligendi. Confirmatur, non constituitur per actum intelligendi, sed dicendi, ergo ille non præcedit, sed iste.

Essētia est prior notionali proprio personæ.

Nos resoluendo quæsitum dicimus primò, si loquamur de essentia, vtique ipsa præcedit notionale proprium constitutiuum personæ. prob. essentia est fundamentum primarium omnium ad intra, tum absolutorum, tum notionalium; ergo illa est omnino prior proprijs personarum notionalibus. Item persona constituitur nō solum ex propria sua notione, verum etiam ex essentia, quia constituitur persona ex essentia, & relatione: at semper essentia est prior relatione; etiam in concursu constitutiuo ipsius personæ, si namq; simul concurrunt,

essentia tamen tanquam fundamentũ, ex quo pullulat relatio constitutiuã, erit prior. igitur restat, vt comparando essentiam ad propriam personæ notionem ipsa essentia sit prior.

Intellectiua, & volitiua præcedunt notionalia in eadem persona.

4 Dicimus secundò, loquendo de potentia intellectiua, & volitiua, hæ præcedunt notionale proprium constitutiuum personæ. prob. intellectus, & voluntas, sub ratione principij fæcũdi, tum generationis, tum spirationis sunt fundamenta ipsarum originum, paternitatis, filiationis, & spirationis; ergo necessario præcedunt personas, antecedens patet, quia memoria, & voluntas fęcunda sunt principia vtriusque emanationis. quod si personæ constituuntur per notiones, & notiones pullulant à memoria, & voluntate fæcunda, merito sequitur vt intellectus, & voluntas in Patre præcedat ipsum notionale constitutiuum Patris. Dà oppositum, quod non præcedant, & sequitur vt nõ sint principia personarum: vel personæ si præcedunt, vtique cõstituerentur per quid posterius: at implicat prius constitui in esse essentiali, & quidditatiuo per posterius. Præterea non est maior ratio de essentia, quam de memoria fæcunda, & voluntate fæcunda: illa autem præcedit: prob. assumptum, sicut essentia requiritur necessario ad emanationes, seu productiones, seu cõstitutiones personarum; ita necessario exquiritur vtraque fæcunditas; à memoria namq; & voluntate fæcũda sunt productiones: ergo vniformiter præcedunt tum essentia, tum intellectus, tum voluntas propria constitutiua personarum.

Attributa essentialia præcedunt notionalia personæ in actu signato.

5 Dicimus tertiò, attributa essentialia præcedunt propria personarum notionalia, in actu signato, subsequuntur vero, & sunt posteriora in actu exercito. probatur prima pars assertionis, essentia non communicatur sine attributis: sed essentia præcedit proprium notionale, ergo etiam attributa præcedunt. Item dà oppositum, quod essentia communicaretur primo de se sola, inde post notionale constitutiuum, communicentur attributa, ergo sequitur vt ex essentia immediatius pullulent notionalia, quam attributa, hoc vero destruit ordinem diuinarum perfectionum, quæ consequuntur essentiam immediatè, non autem mediatè, mediantibus notionibus. Insuper ratio naturalis postulat, vt prius fluant absoluta à natura, inde respectiua, dà oppositum, & destrues ordinẽ naturæ. Rursus prædicata superiora eundem ordinem seruant in composito, quem seruant inter se: at prius est ens, inde substantia, corpus, animatum, sensitiuum, rationale, Petrus, in quo includuntur hæc omnia antecedenter ad aduentũ suæ proprietatis indiuidualis; ergo eundem seruabunt ordinem essentia, modi intrinseci, attributa, singulæque Dei perfectiones in ordine ad Patrẽ, quem seruant inter se, vnde merito præcedent proprium constitutiuum Patris. Denique apertè hoc docet Scotus vbi sup. cum ait, magis distare à natura diuina constitutiuum personæ, quam proprietas, quia si hæc esset in genere, illud esset in quarto prædicamento, vbi est relatio, hæc in tertio, vbi est qualitas, in quo loco videtur Scotus difficultatem decidere, & quæstionem terminare. Accedit, quod non potest suppositum aliquod creatum concipi perfectè, & completè constitutum in esse suo, sine ingressu tum suæ naturæ, tum passionum, ac perfectionum omnium naturalium, in sui compositionem; si namque à Petro deficeret risibilitas, tunc cum Petro adueniẽt Petreitas, quæ est proprietas constitutiua eius in esse Petri, iam Petrus non esset perfectus homo, sed perfectionem humanam essẽtialiter requisitam reciperet post eius esse, quod implicat; etenim perfectionem quidem accidentalem recipere potest post Petreitatem, non vero essentialem; ita Pater vt Pater, prius constituendus est in integra, & completa sui, perfectaque constitutione, habenda per communicationẽ essentiæ, omniumque naturaliũ perfectionum; alias si hæ, vtpote modi, & attributa reciperet postea, iam Pater quando concipitur vt Pater, non cõcipitur vt perfectus, nec vt Deus cõpletus. Confirmatur, quia spiratio actiua est illa, quæ aduenit Patri post esse

esse Patris, cætera vero non sic se habent; ratio illius, quia spiratio non est de ratione constitutiua Patris: at vero attributa, & omnia essentialia ad intra pertinent ad integram, ac completam constitutionem Patris, hæc vero dixi præcedunt ipsum notionale Patris in actu signato. Insuper Sco. t. d.6. docet intelligere Patris præcedere eiusdem dicere. atq; 1.d.1.q.1. Pater est perfectè beatus antequam generet Filium.

Sūt posteriora in actu exercitio.

6 Probatur secunda pars, quæ erat, quod nō præcedunt in actu exercito. prob. actiones sunt suppositorū ex Arist. in Prohæm. metaph. quam propositionem declarans Scotus, ait, esse suppositorum, tanquam vltimatè denominatorum; nam suppositum est vltimum, quod ab actione denominatur. igitur exercitium prædicationis attributorum competit Patri post proprium notionale eius. Insuper ibidem aiebat Scotus vtpote in 4.d. 12.q.3. actiones esse etiam singularīū, quapropter negabat propositionem illam esse Aristotelis, ac ideo, cuiuscunque fuerit, esse exponendam, vt diximus, actiones ergo sunt etiam singularium, vel circa singularia, quia anima separata intelligit: inde fit, vt Patri, quatenus hic Deus est, habeat quoque attributorum operationes, seu possit habere eas, quatenus hic singularis Deus, attamen habeat eas Pater in actu signato, seu in actu primo: in actu vero exercito, seu in actu secundo habeat eas post esse completum Patris, sicque verificabitur expositio Scotistarum, quod actiones sunt suppositorum, tanquam vltimatè à tali actu exercito denominatorum.

Actiones sunt suppositorum, declar.

Vera ad intra, & ad extra.

7 Hoc vero locum habet & ad extra, & ad intra: ad extra clarius patet, quia actus exercitus omnipotentiæ, omniscientiæ, creationis ad extra, iam sunt post constitutionem personarum, quia sunt communia omnibus, vt diximus; quia etiam essentialia respectiua sunt posteriora proprijs notionalib. vt anteced. artic. deduximus. Ad intra vero probatur, vt dicamus, actum operatiuum intellectus, & voluntatis, qui sunt actus essentiales, & improducti, communes tribus, intelligendi, & amandi essentiam, in actu exercito esse posteriorem Patre, ita vt Pater post propriam suæ personæ constitutionem dicatur tunc intelligere, & amare essentialiter diuinam essentiam, tuncque incipiat esse perfectè beatus. iam remanet probatum, quia actiones sunt suppositorum, ab eis vltimatè denominatorū. Item si Pater antequam sit Pater est perfectè beatus in actu exercito, ergo tunc non esset Pater, sed absolutum individuum Deitatis, quia Deus antequam cōcipiatur in personis, si per impossibile non esset vnquam in personis, & si personæ non pullularent ab essentia, vtique Deus ipse absolutè tentus esset perfectè beatus; cum ergo Pater est iam constitutus in esse Patris, tunc quidem actu exercito cōpetit ei intelligendo, & fruendo esse perfectè beatum. Insuper, si Pater antequam generet, seu antequam fit Pater esset in actu exercito perfectè beatus intelligendo, & amando, sequeretur Patrem generare ab alio, & non à se: prob. Pater est perfectè beatus in actu exercito antequam generet, ergo est beatus in primo signo originis, igitur dum post generat, vtique generabit in secundo signo originis, sicq; generabit ab alio: at id est cōtra Scotum, Scotistas, & omnes.

Pater antequam generet Filium est perfectè beatus, declar.

8 Sed dices, quomodo ergo intelligitur axioma illud, Pater antequā generet est perfectè beatus. Respon. omissis pro hac expositionibus alijs, de quibus in propria quæst. de Patre; quod intelligitur de beatitudine in actu signato, non in actu exercito: sēsus est, vt Pater, etiam tanquam Pater reduplicatiuè, sit perfectè beatus in actu signato, seu in actu primo, ante generationem, quia habet essentiam, intellectum, voluntatem, cæteraque omnia signantia beatitudinem in actu primo: at verò actum beatitudinis secundum, seu exercitum, habet postquam verò genuit; & ita vitatur inconueniens deductum; non enim sequitur, vt generet ab alio, nec in secūdo originis signo; quia beatitudo non est exercita ante generationem, sed post, licet sit signata ante ipsam generationem.

9 Vt

Ordo prædicandi. 9 Vrgetur magis pro principali intento, Paternitas prædicatur de Patre in primo modo dicendi per se; attributa verò, modi intrinseci, & actus operatiui prædicantur in secundo modo; at prædicata primi modi præcedunt compositum, & constitutum, quia constituens est prius constituto: prædicata secundi modi emanant ab ipso constituto, patet, quia sunt passiones, vel quasi passiones, quarum subiectum est compositum, seu cõstitutum. Confirmatur, risibilitas non promanat ab animalitate præcisè, nec præcisè à rationalitate, sed ab vtroq; coniunctim; animalitas autem, & rationalitas constituunt totum hominem, & hinc emanat risibilitas, vnde dicimus homo est risibilis: de homine quidem prædicatur animal rationale in primo modo, risibile autem in secundo modo. Accedit, quod risibilitas est perfectio accidentalis, & consequẽter erit posterior pdicato constitutiuo hominis: attributa quoque quasi accidentaliter insunt personæ, sumpto accidenti pro extraneo, ex Scoto, non autem accidenti per accidens, & separabile: quapropter non poterunt præcedere, aliàs essent prædicata essentialia. Demum, attributa sunt perfectiones secundariæ ipsius personæ, sicut risibilitas est secundaria perfectio hominis, quia dicitur in secundo modo per se.

Ordo consistentium in natura humana. Liceat ordinem emationis perfectionum naturalius à subiecto adnectere, & inde patebit amplius intentum. & quidem in primo signo naturæ est ipsa v.g. humanitas, & tunc cõtinetur in ea virtualiter risibilitas. in secundo emanat risibilitas, habetq; esse actuale per emanationem. in tertio signo emanat personalitas Petri, & in quarto Petrus exercet, siue exercere potest, si vult, actum risibilitatis.

Ordo consistentium ad intra. 10 Applicemus hæc, sed cum aliquali differentia ad nostra. in primo signo est essentia diuina, & in ea tunc cõtinentur virtualiter attributa (virtualiter quidẽ metaphysicè per emanationem, non virtualiter physicè per causationem) in secundo signo pullulant in esse formali attributa; in tertio pullulat paternitas; & in quarto Pater exercet actum bonitatis, sapiẽtiæ, beatitatis, & huiusmodi. ex hoc ordine habetur, quòd Pater recipit essẽtiam, vna cum attributis: at exercitium eorum non habet nisi post esse Patris: sicut Petrus, seu personalitas Petri recipit naturam humanam vna cum risibilitate, & exercitium risibilitatis non habet, nisi post aduentum suę personalitatis. habet quidem risibilitatem in actu signato, non autem habet tũc in actu exercito, quia exercitium non est humanitatis, sed suppositalitatis. quod si instes posse exercitiũ competere ante; dicã tunc non Petrum ridere, sed ridere hominem singularem, abstractum à personalitate: at quis dicet hoc? non enim datur indiuiduum humanitatis seiunctum à sua personalitate: vel dicendũ esset humanitatem tempore antecedere aduentum personalitatis, & in eo tunc exercere risibilitatem, quod non conceditur. quia non datur talis seiunctio à suppositalitate. & propterea id, quod ab exercitio denominatur est ipsum suppositum vltimatè. In casu nostro ita currit, quod si dicas, datur indiuiduum Deitatis, vt supra ostendimus, sed quid per hoc? vtique Deus præscindens à personis est infinitè perfectus, atque habens omnes proprietates perfectionales, etiam ante aduentum personarum, vt docet Scot. quia Deus hic est ens absolutũ, & independens. immo ab ipso emanant personalitates, & non Deus à personalitatibus: attamen exercitium intelligendi, & amandi non exerceret tũc Deus vt Pater, sed vt Deus; exercitium autem Patris vt Patris competit Patri post notionem propriam suæ personalitatis.

QVÆSTIO IV.

Notio, Prioritas, & Relatio an distinguantur inter se, & qualem ordinem seruent.

Sententia Præpositiui

1 PRæpositiuus relatus à D.Tho. p.1. q.32. art.2. & post Præpositiuũ, Gregorius in 1.d. 26. q. 2. negabat admittendas esse in diuinis notiones; fundamentum eius erat, quoniam vbi reperitur abstractum, siue abstractio, ibi adest compositio: est autem simplex Deus, ergo non ibi erit proprietas, nec notio. Si dixeris, reperiri necessario ibi abstractum, vt benignitas, paternitas, & huiusmodi; Respondet exponendum esse, & explicandum per concretum; & quidem de *benignitate* loquens, & *paternitate*, inquit, idē esse ibi *benignitatem* in abstracto, ac *benignum* in concreto; & cùm dicere solemus in humanis, *Rogo benignitatem tuam*, idem sit, ac dicere, *Rogo te benignum*: ita quoque dum in Deo est paternitas, idem sit, ac in diuinis esse *Deum Patrem*. Et in Deo esse benignitatem, id sit, ac *Deum esse benignum*.

Abstractũ, & concretum in diuinis non derogant simplicitati.

2 Confutatur verò assertio hæc præpositiui, & primò, ad saluandam alicuius simplicitatem, vti potius deberemus abstracto, quàm concreto, quando alterum istorum derogaret ipsi simplicitati: ergo non sunt negāda abstracta à diuinis: Probatur assũptũ, si aliquod istorũ secum traheret compositionem de se; potius id ageret concretum, quàm abstractum: sed in diuinis, etiam per ipsum, admittitur concretum, vt *benignus* vt *Pater*, ergo & multo magis abstractum. Discursus habet euidentiam, quandoquidem, quo res est abstractior, eo est simplicior; etenim Natura, & Vniuersale, quia est à conditionibus indiuidualibus abstracta ab *hic*, & *nunc*, à singularitate, actualique existētia, hinc est magis abstracta, quàm ipsum singulare, & indiuiduum iam concretum, & contractum ad conditiones ipsas materiales, sed indiuiduales: at in Deo apponit cōcretum, ergo multò magis apponere debebit abstractum.

3 Confirmatur authoritate Diui Bernardi serm.80. in Cant. ait enim, *siquid de Deo propriè dici posset, rectius, congruentiusque dicetur, Deus est magnitudo, bonitas, iustitia, sapientia, quàm Deus est magnus, sapiens, &c.* Accedit cōfirmatio altera apud eum ex Eugenio III. ac Patribus Concilij Remensis, vbi suspecta habita fuit expositio Gilberti Porretani super Boetium de Trinitate; aiebat namque, cùm dicitur, *Pater est veritas* expendendum esse, *Pater est verus*: eadem autem videtur esse eius sententia cum Præpositiuo, dum à diuinis negant omnia abstracta.

4 Item ad occurrendum hæreticis vtendum quoque est nominibus abstractis: Iam enim fides catholica confitetur Trinitatem, Deumque esse vnum, & trinum; atque Patrem, Filiumq; & Spiritum esse Deum vnum, & tres personas: si hæreticus peteret, quonam Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt Deus? Respondendum erit, *Deitate*, etenim Deitate sunt Deus: si rursus quæreret, quonam Pater est Pater, Filius est Filius, & Spiritus S. est Spiritus? Responderetur, Pater

paternitate est Pater: Filius filiatione est Filius: & Spiritus sanctus spiratione est Spiritus sanctus: at hæc sunt nomina abstracta.

5 Insuper destruit Præpositiuus rationem formalem vniuscuiusque rei conceptibilis in diuinis; probatur, formalis ratio cuiusque rei indicatur per abstractum: quod si hoc negaueris, vel destruetur ratio hæc formalis, vel non erit res ipsa, vt decet, conceptibilis, explicabilis, exponibilis; Esto in creatis exemplum: Sortes est homo: en concretū: quod si rationem postulas formalem, per quid sit homo, oportet vt recurras ad humanitatem nomine abstracto, ac dicas, humanitate est homo: dā oppositum, & dabis nugatoriam resolutionem; si namque respondebis per concretum, erit responsio nugatoria, vt dicendo Sortes est homo per hominem; seu Sortes est homo homine: at vltra quod loquutio est inepta, inconcinna, & penitus inusitata, nō explicatur Sortis esse humanum, seu esse hominem, nisi per *Hominem*; ratio autem formalis est illa, quæ apprime explicat rei quidditatem; ergo dicamus, Sortes est humanitate homo: ita in diuinis, si quæras, Pater est Deus, & Pater, at per quidnam est Deus, & Pater? Deitate quidem Deus; paternitate Pater.

6 Accedit vulgatum axioma, Vnicuique *quo* correspondet suum proprium, & adæquatum *quod*: & è conuerso, Vnicuique *quod*, correspondet suum proprium, & adæquatum *quo*: sicut namque humanitati, veluti *quo* correspondet *Homo* veluti quod, ita *Homini* veluti *quod*, correspondet suū *quo*, & illud erit humanitas: Ergo sicut Deitati, veluti *quo* correspōdet Deus, veluti *quod*; ita Deo, veluti *quod*, correspondebit Deitas, veluti *quo*, Ita ad exemplum Præpositius *de benignitate*, sicut ipsi *quo* ipsius benignitatis correspondet suum adæquatum *quod*, nempe *Benignus*, ita ipsi Benigno, tanquam *quod*, correspondebit benignitas, vt *quo*: sic de Patre, paternitate, deq; singulis concretis, & abstractis in diuinis proprietatibus, cum Notionibus. Ita cōmuniter de hoc sentiunt Theologi, vt Alensis p. 1 q. 68. mem. 3. D. Bonau. in 1. d. 26. q. 4. Durand. Richar. Capreol. cum Sententiarijs cæteris ibid. & D. Thomas relatus cum Expositoribus. communiterque cum Scoto Scotistæ.

7 Et hinc primo inferimus, dari ibi distinctionem concreti, & abstracti ipsasq; personarum proprietates, ac notiones sub hac duplici consideratione abstracti, & concreti, multiplicari, & differre.

8 Secundo inferimus distingui insuper aliquo modo hæc in diuinis: Proprietas, Notio, & relatio: Proprietas quidem se habet in ratione constituendi: Notio in ratione notificandi: & Relatio in ratione referendi.

9 Tria hæc differre inter se hinc suadetur; Proprietas, qua proprietas est, in sensu reduplicatiuo, non est notio, nec relatio, ergo distinguuntur: Probatur antecedens, proprietati, nō competit, nisi constituere, Patris nāque proprietas est paternitas; Filij filiatio; Spiritus sancti spiratio at hæc eatenus appellantur propria cuiusq; personæ, quatenus personas constituunt, & dant eis esse simpliciter, ergo proprietas, vt proprietas, nil est formaliter, nisi ratio constitutiua: ergo consequenter nec erit formaliter notio, nec relatio: nec ratio notificatiua, nec relatiua. Similiter de notione notio, vt notio, est formaliter solummodo notificatiua; ideo namque appellatur notio, vt notificet; eius namque munus est notificare, ex Basilio ep. 43. *Notionem esse cognoscibile signum*. & ex dicendis lib. 1. in tr. de Notionibus constabit: ergo vt sic, nec est constitutiua proprietas, nec relatio. De Relatione denique, Relationi, qua relatio, nō competit formaliter, nisi referre: ergo vt sic, nec erit notio, nec proprietas. Dices, Proprietas, Notio, & Relatio in Patre, sicut & in cæteris personis, sunt prorsus idem; quoniam Paternitas constitutiua Patris, & est proprietas dās esse proprium Patri; & est notio, quia innotescit Pater vt distinctus à Filio, & Spiritu sancto: & est ratio referendi eundem Patrem, ergo sunt idem; *Proprietas, Notio, & Relatio an idem.*

idem: Respondetur, materialiter quidem esse idem, & ratione personæ, in qua sunt, seu ratione counotari: cæterum distingui vel formaliter, vel saltem ratione, ex capitibus recensitis, pro diuersitate munerum vniuscuiusque. Vel distinguntur inadæquatè, non autem conceptibus adæquatis. De his Scotus in 1.d.2.q.7. & d.8.q.4. ac.quolib.1.

10 Verum est tamen, quod hæc procedunt spectando Proprietatem, Notionem, & Relationem in conceptu inadæquato; vt sic enim juxta propriasrationes formales earum, distinguuntur: cæterum in ordine ad intra, & in eadem persona, adest quæstio Scholasticorum exquirentium Vtrum constituant sub expressa forma relationis, an proprietatis, an sub ratione aliqua alia, de quo in 2.lib.

Qualem ordinē seruent inter se.

11 Et hinc consequenter loquendo, respondemus ad alteram partem quæstionis de ordine istorum inter se, quod spectando ea inadæquatè, necesse est admittere ordinem inter ea, quia talis rerum ordo id expostulat, vt vna, veluti radix præcedat, & sequatur altera: spectando tamen adæquatè, erit aliter sentiendum, prout ex professo trademus 2. lib. quæst. 5. disput.2.

Compositio nulla inter abstractū, & concretum.

12 Ad fundamentum autem Præpositiui occuritur, primo, dicendo non sequi compositionem inter abstractum, & concretum, ratio vltra dicta est, quoniam sunt vnum, & idē realiter; ad compositionē vero requiritur distinctio à parte rei. Item, concretum & abstractum distinguuntur sola ratione; homo namque, & humanitas, sola ratione distinguuntur. Denique in diuinis infinitas impedit compositionem, & fouet summam simplicitatem; quandoquidem ratione infinitatis omnia, quæ sunt ad intra, transeunt in perfectissimam identitatem diuinæ essentiæ: vltra quod ipsamet summa Dei simplicitas omnem excludit compositionem.

Finis Libri Primi.

D E
DE DIVINIS PERSONIS IN SE
LIBER SECVNDVS
DISPVTATIO PRIMA.
QVÆSTIO PRIMA.
Vtrum in Deo reperiatur vera ratio Personæ.

Valla sententia de nomine Persona.

1 LAVRENTIVS Valla l. 6 elegant c. 34. negat Personæ nomē significare *substātiam*: sed *solam*, inquit, *significare qualitatem*, siue animi, siue corporis: vtpote, verum quis sit iuuenis, an *senex*: medicus, an legis peritus: indeque infert, non magis reperiri in Deo, quam in animantib. brutis: Cum etiam Boetium legisset, definientem Personam in genere substantiæ, ita se inuexit contra illum, inquiens, *huic homini Romano ostendam Romane loqui nescire; Persona namq; non est in Deo magis, quam in bruto.* Videtur autem hoc Vallæ dictum cōfirmari posse authoritate eiusdem Boetij, ait namque l. de diuina: quod nomen Personæ videtur deductum ex Personis, quæ in Comædijs, tragædijsq; homines repræsentabant: *Persona enim dicta est à Personando circumflexa penultima: quod si acuatur antepenultima, apertissime à sono dicta videbitur. Idcirco autem à sono, quia concauitate ipsa, maior necesse est vt voluatur sonus: Græci etiam, Personam, Prosopon, vocant, ab eo, quod ponantur in facie, atq; ante oculos obtegant vultum* huiusq; Boet. Quod si ita est, duo habentur, primum, vt verum sit qualitatem significare, vt Valla: secundum, quod indignum sit, vt Deo tribuatur hoc nomen; dum id proprie exerceetur in Comędijs, atq; vsu recipitur in Tragędijs.

Persona significata penes Concil. Nicen.

2 Hoc certum est quod significauit olim Persona, faciem, penes Patres Concilij Nicæni lib. 2. §. *Cum sit copiosa* vbi dicitur, *Cum personam audimus ne suspicemur, quod est, diuinum humanam habere effigiem; expers est enim compositionis, atque figura: nam, & cælum, & terram personam habere testantur, quemadmodum, & ipse Dominus in Euangelijs adscribas aiebat, Hipocrita, faciem, siue personam cæli, & terræ diiudicare nostis; quidquid enim per se subsistit, quatenus persi*

subsistit, proprie natura personam siue faciem siue figuram, habere dicitur. Confirmatur ex scripturis, Matt. 22. habetur, *Non respicis personam*: ac Marc. 12. *Neque vides in faciem*. & Cor. 1. Ex multarum personis faciem, cum alibi legatur, *Ex multorum personis.* Athan. de Diffinit: *facies, character, hypostasis, & indiuiduum, unũ & idem sunt,* ac Matt. 16. *faciem cœli diiudicare*: Græce, *Prosopon*.

Persona significatum penes Theologos.

3 Cæterum iuxta vsitatum morem Scholasticorum, vocabulum *Persona* expendentes, dicimus, de sui natura, & iuxta vsum loquendi, significare *substantiam*. Ita Patres, ita communiter Theologi. Et in primis D. Athanas. in symbolo eam transfundit ad Deum, diuinasq; Personas, quæ omnimode substantia, immo supersubstantia diuina sunt, cum sint vere Deus, qui teste August. & est *substantia, & supersubstantia*; quia perfectissima, & infinita substantia. Inquit autem Athan. *Alia est persona Patris, alia filij, alia spiritus Sancti*. In actib. Apostol. 10. *Deus non est acceptator Personarum*, ait Petrus: loquebatur autem de Centurione, & de hominib. peccatorib. Cicero insuper I de Orat. *hominum*, inquit, *esse innumerabiles personas*. Adest, & penes Iurisconsultos titulus *Per quas personas*, & ff. *de statu hom.* l. 1. & 2. significare insuper solet gradus eminentes in Ecclesia siue Republica, vnde dici *solet, Personatum, & personam gerere quorũ*, primũ absolute dicit dignitatẽ: Secundũ est indifferẽs, iuxta qualitatẽ personæ: Italico quoq; Hispanoq; sermone idẽ significat hoc nomen, quod *Homines*. Et hinc merito fit, vt possit, immo debeat vere, & proprie transfundi ad diuina, prout iam de facto fit, & factum est, tum à Græcis, tum à latinis Patrib. & Theologis, & Damasus Pap. in confes. fid. ad Paulin. Hieron. Epist. 57. Naziazenus referens Athanasium ita eam recepisse. August. 4. de Trin. cap. 8. & hoc totum explicatum remanet in c. firmiter de Summ. Trin. & fid. Cath. & Concil. Hyspal. 2. cap. 23. Cætera autem, quæ sunt propria personæ, vtporè duplex illa incõmunicabilitas, atque independentia illa duplex, seu triplex expendentur infra, non enim hæc spectant ad confutationem Vallæ, de quo nunc agimus:

Persona, sicut, & Hypostasis non in eodẽ sensu penes Græcos, & Latinos.

4 Verum est tamen, quod non semper æque bene nomen *Persona* fuit à plerisq; intellectum, sicut, & nomen *Hypostasis*: & quidem Græci tres hypostases in Deo admittentes, non bene sentiebant olim penes latinos; sicut dum latini tres personas nominabant, non æque bene recipiebantur à Græcis. Ratio de illis, quoniam latini per hypostases Græcorum, intelligebant *Vsias*, siue essentias: & ita dum Græci tres admittebant hypostases, censebant latini Græcos admittere velle cum Ario, tres Deitates, siue tres essentias diuinas: dum vero latinis tres nominabant personas, autumabant Græci latinos non admittere inter diuinas personas distinctionem realem, sed solummodo eas voluisse distinguere ratione muneris, & officij, competentis Patri, Filio, & Spiritui Sancto, iuxta errorem Sabellij: quo fiebat, vt Græci latinis, & latini Græcis, redderentur suspecti: id vero procedebat ex varia intelligentia nominis hypostasis, & personæ, vnde dixit Hieronymus recensitus, *causam huius fuisse, eo quod tota prophanorum Græcorum Schola discrimen inter hypostasim, & Vsiam ignorabat.* Obquam contentionem, subdit Nazianz. orat. de laude Athan. *eo res adducta est, vt periculum esset, ne Orbis terrarum fines, vna cum Syllabis, à sè inuicem distraherentur, & abrumperentur*. Inde vero Athanasius, rè optime intellecta, effecit, teste eod. Nazianz. vt Græci hypostasim pro Persona vsurparent: & viceuersa Hieron. loco cit. apud Damasum id assequutus fuit, vt latini Personam pro hypostasi tenerent: quod modo tam pacifice, & concorditer tenet Ecclesia, vt pro eod. vnumquodq; ipsorum vsurpetur, vt amplius in sequ. dicemus.

Respondetur ad Vallam.

4 Ad deliria vero Vallæ, dum inquit, qualitatem importare: dicendum id concedi quandoq; posse arguitiue, & à posteriori; etenim à priori indicat substantiam formaliter: à posteriori autem personam indicamus per externas,

ternas, siue corporis, siue animi ostendi proprietates, vt esse album, nigrum, ignauum, doctum iuuenem, senem: & similia; & ita Personam quoq; in comœdijs habere suum locum, vt à posteriori varius histrionum habitus externus, modo Regis personam demonstret, modo serui, modo viuentis, modo mortui: at sub tali externa ostentatione latet subiectum substantiale, siue persona, quæ est vera substantia, & verus homo. Potest etiam dici, vocabulum Personæ vel esse æquiuocum, vel analogum, vt prius, vt de principali significato importet substantiam, de secundario autem externa accidentia indicantia, & distinguentia personas. Et ita intelligantur quæ dicuntur à Boetio.

Ad id quod aiebat personam reperiri quoque in bruto, aperte ostendit se non esse philosophum, etenim brutum non est persona, sed suppositum, quia persona reperitur in sola natura intellectuali, & rationali.

5 Ad id vero, quod non debeat tribui Deo, dum tot est immixtum in perfectionibus hoc nomen; respond. quæ reperiuntur in Creaturis esse Deo tribuenda, semotis tamen imperfectionibus: id, quod perfectionis, est in Persona, tribuatur Deo, quod autem indicat imperfectionem remoueatur à Deo.

Subsistere plura indicat.

6 Dices, subsistentia indicat subiectionem ad accidentia, & informationem eorundem; ergo Deus substat accidentibus, & informatur ab eis. Resp. substantia, seu subsistere plura indicat, primo namq; idem est subsistere, ac per sè esse; nempe independenter esse: secundo, idem, ac incommunicabiliter per sè esse: & tertio pro accidentib. subesse, & ab eis recipere informationem per accidètale esse. In proposito persona hic nõ sumitur nisi secundo modo, prout habet incommunicabile esse: tertio modo non sibi competit: primo autem modo eatenus competit, quatenus habet per sè esse, ea ratione, qua non dependet.

Persona an perfectionẽ dicat an imperfectionem.

7 Obstabis, nomen Personæ non dicit perfectionem simpliciter, cum dicat incommunicabilitatem, seu negationem. Responderent Thomistæ dicere perfectionem simpliciter in diuinis, quia paternitas, filiatio, & spiratio sont infinitæ formaliter. Respõderent autem Scotistæ, quod licet relatio personalitatis formaliter non diceret perfectionem, nec imperfectionem, nihilominus perfectionem diceret ratione connotati, & subiecti: est namq; persona de natura intellectuali, in Deo autem adest intellectualis natura perfecta, & infinita, vt Scotus habet in 1.d.23.q.1.

Persona an colligatur ex scriptura.

8 Dices, nomen hoc Persona, nõ colligitur ex scriptura in Deo. Resp. reperiri in scriptura implicite, non autem necesse est, vt ibi sint omnia explicite: dum namq; Ioannes ait, *tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, vtiq; indicare intendit, istos, tres, esse tres personas: quod autem ita sit, Patres, inde, & Concilia ita explicarunt, & Athanasius expresse, *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti*, sic cęteri Patres sic Theologi. Item si nõ possemus vti, nisi vocib. repertis in scriptura sequeretur esse necessario loquendum, & scribendum ea solum lingua, & caracterib. quibus scripturã dictata fuit à Spiritu Sancto ex D. Tho. 1.p.q.29.ar.3.

Persona reperitur in triplici natura.

9 Ex omnibus concludimus, Personam reperiri in triplici natura, diuina, Angelica, & humana: patet, quia persona secundum Boet. *est natura rationalis*: sed homo est rationalis natura, ergo in natura humana stat ratio personæ. Item ex Richar. *Persona est intellectualis natura*: sed Deus, & Angelus sunt naturæ intellectualis, ergo in eis etiam stat ratio personæ. Insuper, *persona est incommunicabilis existentia*, at Angelus, homo, & diuina persona est incommunicabilis, ergo.

10 Obstatur, per nomen personæ nihil prorsus de Deo explicatur, nisi confusissime, ergo vel nõ est apponẽda in Deo, vel inutiliter apponitur. Ita autem argumentantur Transyluani, & Valentinus gentilis, inquientes, stultum est, aliquid loqui, non vt aliquid dicamus, sed vt non taceamus.

11 Sed responderet Theologos nõ posse quidem ita exacte Trinitatis

mysterij exprimere, vt fas esset, at nihilominus explicant eo modo, quo possunt, quoue à Sacris Concilijs, Patribusque fuerit eis declaratum: Exprimunt vero Concilia, & Patres Trinitatem per personas, & hinc Scholastici esse aiunt tres diuinas personas, Audiamus in primis Augustinum 7. de Trin. c. 4 ita loquẽtem, *Cum ergo quæritur quid tria, vel quid tres, cõferimus nos ad inueniendum aliquod speciale, vel generale nomen, quo complectamur hæc tria. Neque occurrit animo, quia excedit supereminentia diuinitatis vsitati eloquij facultatem; verius enim cogitatur Deus, quam dicitur, & verius est, quàm cogitatur*. Idemq; ibidem concludit, *Quid igitur restat, nisi fateamur, loquendi necessitate partita hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione aduersum insidias, vel errores hæreticorum*. Accedit Rich. Victor. lib. 4. de Trinit. cap. 5. inquiens, *Hæc dicamus, quia hi, qui hoc nomen personæ primo ad diuina trastulerunt, hoc ipsum ex necessitate fecerunt, vt haberent quid responderent quærentibus quid tres illi in Trinitate essent, cum tres Deos esse respondere non possent; sed quod ab eis necessitate factum fuit, nouit Spiritus Sanctus, qui eorum cordibus præsidebat, qua ratione, & veritate id fieri voluit. Si vero hoc fideliter credimus, tum omni diligentia quæramus nõ iam sub qua acceptione primo humanis sit impositum, nec ex qua necessitate fit postea ad diuina translatum, sed in qua veritate per spiritum veritatis sit trãslatoribus inspiratum, & à latina Ecclesia vniuersaliter frequentatum*.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quænam sit ratio, & definitio Personæ.

1 DVAS diffinitiones Personæ colligimus ex Doctoribus alteram ex Boetio, & alteram ex Richardo de Sancto Vict. vtramq; autem ponderabimus, vt innotescat quæ sit verior.

Persona definitio ex Boet. & Rich.

2 Boetius quidem lib. de duab. nat. & vna persona Christi sic Personam definit. *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia*. Richardus vero 4. de Trin. c. 18. & 32. sic describit, *Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*. Quænam vero melior sit ex his est discutiendum.

Vtra ex his melior ex Scoto.

3 In primis Scotus arbitratur definitionem Richardi esse meliorem: & adeo verã, vt per eã corrigi debeat definitio Boetij, multa namque sunt in Boetij definitione, quæ non æque explicant naturam Personæ.

Boetij definitio impugnatur a Scoto.

4 Et quidem, inquit Scotus in 1. d. 23. q. 1. in respons. ad quæst. non bene ponitur, *indiuidua*. quoniam sequeretur animam rationalem esse Personam; ratio, quia anima etiam est indiuidualis substantia; at constat animam non esse Personam, cum sit communicabilis tanquam forma corpori, quod repugnat Personæ. Item idipsum posset dici de essentia diuina, quod esset formaliter Persona, quoniam ipsa quoq; est indiuidua substantia, & tamen essentia communicatur, id quod diuinis repugnat Personis. Insuper sequeretur quod in Deo non esset Persona, quoniam indiuiduum dicitur per oppositum ad diuiduum, sicut natura singularis appellatur indiuidua per oppositum ad naturam vniuersalem, quæ est diuidua, & in inferioribus diuiditur: at essentia diuina non diuiditur in Personis, ergo si Persona est indiuidua natura, sequitur vt in diuinis non sit Persona.

5 Item soli homini competit esse

rationalē, Deus autem est intellectualis, non proprie rationalis, cum rationalitas sit differentia specifica animalis; nec etiam Angelus est sic rationalis; ergo solus homo esset Persona, & non Angelus, non Deus. Deniq; substantia abusiue dicitur de Deo, iuxta August. 7. de Trin. cap. 5. cum ait, *manifestum est Deum abusiue substantiam vocari, vt nomine vsitatiori intelligatur essentia, quod vere, ac proprie dicitur.* Ex his capitibus colligit Scot. definitionem Boetij in multis deficere.

Richardi descriptio commendatur à Scoto.

6 Ex opposito autem demonstrat illam Richardi esse meliorem: & quidem, vbi Boetius ponebat, *rationalis*, Richardus apponit, *intellectualis*, vt fas est, est namq; intellectualis Deus, non proprie rationalis, quia non animal. vbi ille, *indiuidua* subdidit, hic eius loco addidit, *incommunicabilis*: & ita congruit, quia Personæ conuenit de rigore incommunicabilitas. Et vbi deniq; ille scripsit, *substantia*, iste rescripsit *existentia*, etenim substantia abusiue, existentia vero proprie de Deo dicitur, vt ait August. & ita concludit Scotus hanc definitionem Richardi esse meliorem.

Boetij definitionem saluare nititur Caietan.

7 Nonnulli quadā erga Boetium deuotione affecti, ipsius definitionem saluare nituntur contendentes immerito redarguere Scotum definitionem Boetij.

8 Et in primis ex antiquioribus Caietan. 1. p. q. 29. art. 1. in fin. ait per *indiuidua* in definitione Boetij intelligi substantiam primam: & ex hoc sequi animam rationalem non esse Personam: Scotus autem, inquit Caietan. non penetrauit quid importet substantia prima.

Caetani tutela non prodest.

9 Verum Caetani hæc euasio nil prodest Boetio: & quidem, quod per *indiuidua*, magis importetur persona, quam anima rationalis, vnde quæso deducitur? vox namq; *indiuidua* de sè non magis indicat personam, quam animam rationalem, seu quamcumq; aliam intellectualem substātiam, quod si de sui natura non magis indicat vnum, quam aliud, sed indifferens est ad vtrumq; cur igitur Caetanus ipsam restringit potius ad Personam, quam ad animam, gratis igitur, & sine ratione sic ipse interpretatur. Insuper dum ait, quod Scotus non bene penetrauit substantiam primam; vndenam hoc ipse colligit? immo optime Scotus eam calluit; siquidem nouit animam esse substantiam primam, licet incompletam: nouit etiam personam esse substantiam primam, licet completam: nouit denique vtramq; subijci sub ratione *indiuidui*, vnde ergo ex locutione Boetij colligi poterit magis importare substantiam primam completam, quam incompletam, siue personam potius, quam animam rationalem. Immo *indiuiduum* de rigore philosophiæ, magis prædicatur de forma, quam de supposito, & persona; indiuiduum namque seu forma indiuidualis est communicabilis vt quo, vt aduenit animæ rationali, quod tamen non aduenit personæ quæ est prorsus incommunicabilis, & licet cum persona stet etiam indiuiduum, siue natura indiuidualis personata; nihilominus de formali ratione ipsius personæ formaliter spectatæ est incommunicabilitas, vt suo loco dicetur. Quapropter defensio à Caetano allata est omnino gratis adducta, & nullatenus ex vi verborum definitionis Boetij intenta.

10 Vasquez 1. p. disp. 23. num. 18. alio modo illam defendit, vt per *indiuidua* non significetur natura singularis sed natura incommunicabilis: & ita id ipsum intellexisse refert Otthonem Phrisingensem Episcopum l. 1. de Gestis Friderici cap. 5. Sed saluatio ista est etiam extorta, & non naturalis: ratio, quia vt dixi, indiuiduum de sui natura non importat omnimodam incommunicabilitatem, & si tamque communicari non possit vt quod, nihilominus communicatur vt quo, tanquam forma materiæ; forma autem est indiuidua, & singularis, & communicatur materiæ; ergo saluatio hæc est ad libitum addita. *Nec prodest tutela Vasquij.*

11 Suarez l. 1. de Trin. cap. 1. Boetium saluat, vt dicat, definitionem intelligi debere de substantia completa, cum vero anima rationalis non sit substantia completa, sequitur, vt non sit persona: & ita ly; *indiuidua*, intelligatur de substantia completa. Verum etiam saluatio Suarij est voluntaria: & qui- *Suarij tutela est voluntaria.*

quidem est deductum quod Indiuidui ratio non magis prædicatur de substantia completa, quam incompleta: sis nãq; est indiuidua anima, sicut indiuiduus est totus homo, & indiuidua tota natura, & natura etiã personatam pacet, quia nec anima, nec persona sunt vniuersale, aut genus, ergo sũt singula re particulare, vnũ numero, & indiuiduum, reddendo singula singulis: licet autem anima sit indiuiduum incompletum, & persona completum, hoc nihil obstat, vt de vtroque prædicetur indiuiduum; igitur ex vi sermonis non magis importatur persona, quam anima; ergo si de sè non magis vnum dicat, quam alterum, gratis quidem, & voluntarie sic Boetium explicat Suarius.

Richardi definitio saluatur aduersus Suarez. 12 Subdit insuper ipse Suarez, nomen *existentia*, quo vtitur Richardus, est minus distinctum, quam nomen *Persona*: & confirmari potest, quia existentia dicitur de pluribus de quibus non dicitur Persona, vt de substãtia, accidente, de sensatis, insensatis, rationabilibus, rationis expertibus, de quibus tamen non dicitur Persona, cum sit solum de natura intellectuali; ergo per *existentiam* Richardus non bene definit Personam. Respond. optime definire: etenim iam anterius dixerat, Personam esse naturæ intellectualis: & per hoc satisfit ad id de irrationabilibus seu rationis expertibus Item dum dixit, *naturæ intellectualis*, aperte ostendit existentiam hanc indicare substantiam, etenim natura intellectualis spectat ad substantiam.

13 Vnum potest addi, & opponi, quia existentia de sè non est incommunicabilis, ergo per *existentiam* non complet adæquate definitionem. Sed Respond. quod existentia de sè sola sumpta incommunicabilis non est: at cum apposito, talis omnino poterit esse: non autem absolute dixit, intellectualis naturæ existentia, sed incommunicabilis existentiæ, quapropter ad existentiam addidit incommunicabilitatem; qua modificatione stante, idem est ac persona, est namque persona incommunicabilis existentia.

14 Ex his omnibus parere poterit aptiorem esse definitionem Richardi: nec quidem solus Scotus definitionem Boetij impugnauit, sed ante ipsum nonnullis etiam displicuisse definitionem eandem, enarrat D. Tho. 1. p. q. 29 art. 3. in fin vnde motus fuerit inde Richardus ad ipsam, per propriam definitionem traditam, corrigendam.

15 Quale vero sit significatum formale, & materiale personæ, habebitur infra quæst. 4.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Persona significet aliquid primæ, vel secundæ intentionis.

Henrici, et Aegydij sententia dicere rem secunde intentionis. 1 HEnricus in sum. art. 53 qu. 5. Refertur etiam Aegidius in 1. d. 25 qu. 2. & nouissime *Molin.* 1. p. qu. 29. disp. 2. sustinent Personam dicere rem secundæ intentionis. Rationes vero potissimum hæ sunt.

2 Primo, Personæ nomen prædicatur de tribus diuinis personis; ergo dicit intentionem secundam. Antecedens de sè patet: & prob. consequ. intellectus est, qui concipit, hoc v. g. esse prædicatum, & hoc, subiectum: & prædicatum copulari cum subiecto: sunt namque istæ intentiones, & operationes intellectus, ergo.

3 Secundo, indiuiduum importat intentionem secundam, ergo, & Persona. prob. conseq. quia indiuiduum est quid superius ad suppositum, &

Per-

Personam. Probatur anteced. genus, species, & indiuiduum, omnia hæc important intentionem secundam logicalem secundum sub, & supra, vt patet in logicis.

4 Tertio, prima intentio communis plurib. prædicatur. de illis sub ratione alicuius vniuersalis: essentia diuina, & diuinæ personæ important rem primæ intentionis; ergo habebunt rationem vniuersalis: at id falsissimum, etenim Deus esset in prædicamento, & similia.

5 Quarto, ab vltimis constitutiuis non potest abstrahi conceptus communis realis: sed Personalitates diuinæ sunt vltima constitutiua, ergo non potest ab eis abstrahi conceptus communis realis: at personæ nomen est conceptus communis abstractus ab illis, ergo non erit conceptus primæ intentionis: maior prob. vltimis constitutiuis nihil est commune reale, alias non essent vltimo diuersa, sed in aliquo conuenirent.

Communis sententia dicere rem primæ intentionis.

6 Vltimo, communicabilitas essentiæ est relatio rationis: ergo incommunicabilitas personæ erit etiam relatio rationis: ergo secunda intentio. prob. anteced. quia si esset relatio realis, iam realiter distingueretur à personis; relatio namque realis indicat distinctionem realem.

7 Sed opposita sententia est verior, sicut, & communior, quod nomen personæ dicat primam intentionem. Hanc defendit Scot. in 1. d. 23. qu. 1. D. Tho. 1. p. qu. 30. art. 4. d. Bonau. 1. d. 25. ar. 2. qu. 1. Bassol. ibid. qu. 1. & Recentiores communiter.

8 Probatur autem faciliter. Primo, omnis secunda intentio est relatio rationis, causata per actum intellectus componentis, diuidentis, conferentis, vnum ad aliud, sicut postulat natura relatiuorum, vt vnum conferatur ad aliud: sed nomen personæ de se non habet aliud correlatiuum, ad quod per actum intellectus possit conferri, ergo non indicat secundam intentionem.

9 Secundo, vnitas est passio realis ipsius entis, ex Philosopo 4 met. tit. 3. at persona à parte rei significat vnitatem naturæ intellectualis, existentis in supposito incõmunicabiliter à parte rei, ergo nõ est secunda intentio. Confirmatur, vnitas in communi non dicit secundam intentionem, ergo neque vnitas in particulari.

10 Tertio, vere à parte rei nullo intellectu cogitante, *Persona* est de sè incommunicabilis: si namque nullus intellectus talem incommunicabilitatem intelligeret., esset nihilominus à parte rei incommunicabilis; esset etiã à parte rei indiuidua, & singularis: quis namque diceret, singularem esse per intellectum cogitantem.

11 Item August. 1. de Doctr. Christ. c. 5. *Res*, ait, *quibus fruendum est, sunt Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*: hinc vero sequitur esse vere Personam à parte rei, nullo cogitante intellectu: esseq. à parte rei, res tales, quib. fruendum sit ex D. August. Confirmatur, quia, ex Magistr. 1. d. 25. cap. 8. per tres personas, exponitur, tres subsistentias: at nomen subsistentiæ de sè indicat rem à parte rei subsistentem, & non per intellectum, alias non essent subsistentes: dicere namque solemus de rè, quæ non habet verum esse, hoc non habet subsistentiam.

12 Denique si quæ ratio obstaret, quo minus esset primæ intentionis, id esset ratio incommunicabilitatis: at hæc non dicit rem secundæ, sed primæ intentionis prob. incommunicabilitas dicit negationem communicabilitatis: at hęc negatio sibi competit à parte rei: ratio enim negationis est vere realis, ita vt antequam intellectus concipiat, iam in persona reperitur talis negatio. Nec quia est negatio, ideo est ens secundæ intentionis; quandoquidem de Petro prædicatur negatio lapidis, bruti, plantæ, & similium, & nihilominus tales negationes non sunt entia secundæ intentionis, quia vere absque omni conceptione intellectus Petrus non est lapis, brutum, planta ergo consimiliter Persona.

13 Et hinc soluuntur opposita. Ad primum primo dicimus prædicationem in actu signato non pendere ab operatione intellectus: & ita vt re à parte rei personæ conceptus signatur, & reperitur in diuinis personis. Cæterum loquendo de actu exercito, habet in eo actu, intellectus operatio-

Prædicationes in actu signato nõ pendent ab actu intellectus, sic in actu exercito.

rationem suam, quatenus vnum concipit vt prædicatum, alterum vt subiectum. Secundo dicimus, quod intentiones logicales, quæ sunt secundæ intentiones, præsupponunt primas, & ita conceptio ista intellectualis sub ratione prædicati, & subiecti præsupponit intentionem primam personæ. Tertio dicendum, personam sumi vel primo intentionaliter, vel secundo: loquendo de primo, est res primæ intentionis, loquendo de secundo est secundæ.

Persona primo intentionaliter est primæ intentionis. Secundo secundæ.

14 Ad secundum est consimilis responsio: indiuiduum namque vel sumitur primo intentionaliter, & sic importat naturam indiuisam à se, & diuisam à quocunq; alio, & hoc à parte rei: consimiliter prout opponitur vniuersali, quatenus non est de pluribus prædicabile prædicatione in recto, prædicatione dicente hoc est hoc: vt sic, importat nomen primæ intentionis, quia nullo intellectu concipiente est à parte rei tale: vel sumitur secundo intentionaliter, & vt sic, importat relationem rationis ad suum superius vniuersale. Primo modo stat ratio indiuidui in personis, & suppositis diuinis: secundo modo nequaquam, caret namque genere, specie, prædicamento, & ratione prædicabilis vniuersalis Deus, & Persona diuina, vt dicetur.

Indiuiduum an rei primæ, an secundæ intentionis.

15 Et hinc ad tertium, non habet rationem vniuersalis, conceptus personæ ad diuinas personas; quoniã vniuersale debet contrahi per varias realitates, quarum vna sit in potentia ad alteram; & quarum vna sit actus, & forma, altera sit potentia, & materia: hæc non sunt in Deo: item vniuersale contrahitur per realitates distinctas, & diuersas: at in Deo omnia, quæ ibi sunt vnũ sũt: personę nãq; licet distinguãtur realiter, nihilominus sunt idem essentialiter inter se, ratione diuinæ naturæ: id quod non accidit in creaturis, in quibus vniuersale, & superius repetitur distinctum, tum secundum supposita, & personas, tum secundum particulares naturas: Petrus enim distinguitur, & personaliter, & indiuidualiter secundum singularem naturam à Francisco. Insuper vniuersale diuiditur in inferiorib. nulla tamen diuisio stat in diuinis; igitur non habebitur ibi ratio vniuersalis, & consequenter neq; generis, etenim vbi genus, ibi species, at vnus est Deus, non autem plures Deorum species: & vbi species, ibi multitudo indiuiduorum, at vero vnus, est indiuidualiter Deus. Deniq; vbi genus, species, ibi prædicamentum, at Deus, & Dei personæ trascendunt prædicamenta.

Vniuersale an in Deo.

16 Dices, si non genus, si non species, si non vniuersale erit ibi nomen Personæ, quale ergo erit? Respondet D. Thom. 1. p. q. 30. art. 4. cũ Richard. in 1. d. 25. art. 2. qu. 2. dicere indiuiduum vagum: vt aliquis homo est indiuiduum vagum, commune Petro, Francisco, & similibus, sicut namque aliquis homo dicit suppositum humanæ naturæ indeterminate, & vage ad significandum hoc, & illud indeterminate; ita & conceptus personæ diuinæ.

Persona nomen quale in Deo ex D. Tho. & Rich.

17 Scotus autem sup. d. 23 in fin. & d. 25. ait à personis abstrahi aliquid, commune quidem, non autem vniuersale, nec genus, nec species: sed erit aliquid commune, tanquam propriũ: veluti risibile, & quid commune hominib. Et prædicatur de illis: at non prædicatur vt genus, pater, quia non distinguuntur specifice risibilia; sub genere namq; oportet constituere, & distinguere species: neq; est commune vt species, quoniam species prædicatur in quid, & quidditatiue essentialiter de indiuiduis, at risibile prædicatur vt quale, vt accidens, licet proprium, de inferioribus, ita Persona prædicatur vt commune proprium, & dicit conceptum communem proprium diuinis personis: differt vero conceptus Personæ à proprio, tanquam accidenti, quia proprium non prædicatur in quid, sed personæ nomen prædicatur in quid de Personis, est nãq; essentialis prædicatio ista, Pater est persona, Filius, & Spiritus Sanctus sunt Personæ, vt dicebat August.

Quale ex Scoto.

18 Ad quartum dicimus, ab vltimis constitutiuis non posse abstrahi conceptum communem positiuum, non tamen impedit, vt abstrahi possit conceptus communis negatiuus, cuiusmo-

Ab vltimis constitutiuis an possit abstrahi conceptus communis.

iuſmodi erit conceptus incommunicabilitatis, quem in portat perſona, vt dicamus. Reſponſio hæc facit pro ſuſtinentib. perſonæ rationem dicere negationem. Sed ad mentem ſuſtinẽtium dicere poſitiuum, dicendum eſt, ab vltimis conſtitutiuis non poſſe abſtrahi conceptum communem quidẽ vt genus, vel vt ſpecies, non tamen implicare abſtrahi conceptum, vt proprium, vt diximus.

Eſt relatio rationis, ergo non eſt prima, ſed ſecunda intentio, an bona conſequentia.

19 Ad vltimum, non valet iſta conſequentia, eſt relatio rationis, ergo non eſt prima, ſed eſt ſecunda intentio: Inſtantia patet in hac propoſitione, *ego ſum ego*, vbi inter ſubiectum, & prædicatum eſt relatio rationis, & tamen propoſitio hæc eſt de prima intentione; quia nullo intellectu cogitante, verum eſt à parte rei, quod *ego ſum ego*. Quod vero inter ſubiectum, & prædicatum ſit ſola relatio rationis, patet, quia ſi eſſet relatio realis, tunc prædicatum diſtingueretur realiter à ſubiecto, & ita ego realiter diſtinguerer à memetipſo. Conſimiliter in eſſentia communicabilitas eſt relatio rationis, ſed nihilominus eſt res primæ intentionis; ratio, quia communicabilitas eſſentiæ eſt cõmunicabilitas realis, etenim à parte rei eſt vere communicabilis ita incommunicabilitas in perſonis eſt realis, quia vere à parte rei eſt incommunicabilis.

Communicabilitas eſſentiæ an relatio realis.

20 Dices, ſi communicabilitas eſſentiæ eſt realis, ergo non dicit relationẽ rationis, ſed realem; nego ſequ. quia ad relationem realem requiritur realis diſtinctio extremorum; eſſentia vero non diſtinguitur realiter à perſonis, ergo ex defectu iſtius conditionis non erit relatio realis, licet communicabilitas ſit realis. Vel dicendum eſſe relationem realem inadæquate, ob defectum cæterarum conditionum requiſitarum ad relationem realem.

Incommunicabilitas perſonæ an relatio realis.

21 Ad illud vero de incommunicabilitate perſonæ eſt conſimiliter dicendum, illã eſſe quid vere reale, quia vere à parte rei incommunicabilitas competit perſonæ, licet ſit quid reale negatiuum, cum conſiſtat in dupli i negatione. Cæterum cum probas non poſſe eſſe relationem realem, dicendum non eſſe realem adæquate, ſed inadæquate ob conſimilem defectum cæterarum conditionum.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Perſona ſignificet ſubſtantiam, vel relationem, tum in sè, tum in diuinis. Et de ſignificato formali, perſonæ.

ARTIC. I.

De Perſona in sè.

D. Tho. ſententia.

Diuus Thom. 1.p. qu. 29. art. 4. ait perſonam ſignificare relationem per modum ſubſtantiæ: per ſubſtantiam autem non intelligit eſſentiam, ſed hypoſtaſim, ſeu ſubſiſtentiam, vt ibi declarat vnde deduxerunt aliqui ex eius expoſitorib. perſonam de mente D. Tho. ſignificare directe, & formaliter ſubſtantiam, materialiter vero relationem, inter quos Vaſquez diſp. 127. cap. 1. & 2. & Torres ad citatum locum D. Tho. vna cum Rada, optimo inſuper D. Thomę interprete, licet alias ſit Scotiſta, in 1. p. controu. 22. ar. 3. qui etiam demonſtrant idipsũ præſtitiſſe D. Thomam in de potent. qu. 9. art. 4. licet ex oppoſito Caetan. ad p. 1. 29. art. 4. contendat ipſius Doctorem mutaſſe ſententiam, atq; in p. 1.

sustinuisse indicare formaliter,& directe relationem, materialiter vero, & quasi consequenter, seu non directe substantiam,

Rada quid de D. Tho. 2 Idem Rada eodem loco demonstrare cōtendit D. Thomam non differre à Scoto, ita vt sicut Scotus concedit,vt dicemus,personam de sè, nec substantiam importare, nec relationem, ita etiam idipsum concedat D. Thomas,huius quoque sententiæ, est Zamorra p. 1. tract. 9 qu. 5, mihi autem id non constat: etenim nusquā talis indifferentię mentionem fecit D. Tho. sed semper vel ad hypostasim significatum restrinxit personæ vel ad relationem. Sed quidquid sit de hoc,

Scoti sententias de formali nec importare substantiā, nec relationem, secus de materiali. 3 Est sententia alia Scoti,asserentis Personam de sè esse indifferentem ad substantiam, & relationem; atque de sè nullum illorum importare formaliter, & in communi: bene tamen est verum', quod descendendo ad singulares personas,importabit vnum,& alterum, reddendo singula singulis: vt loquendo de persona Creata, importabit pro materiali,siue de Connotato substantiam,cum constituatur per absoluta:loquendo autem de diuina, importabit materialiter relationem. Ita habet in 1.d.25.

4 Hæc Scoti sententia procul dubio verissima videtur;etenim distinctissime, & verissime per eā explicat Scotus totum quæsitum;ideoq;nos quoq; in eam incidimus, vt dicamus de sè formaliter nec importare substantiam nec relationem.

Probatur non importare relationem. 5 Et quidem probatur sic. Persona ex definitione supra tradita Boetij, & Richardi,*est incommunicabilis naturæ indiuidua substantia*: in hac autem definitione nulla importatur relatio, vt de sè patet; ergo de sè non significat relationem. Quod si aliqua importetur relatio, ea non habebitur in recto,sed in obliquo:non formaliter,sed materialiter:non directe,sed indirecte; cum vero indirecte habeatur relatio, sequitur vt de sui ratione intrinseca, minime sit talis relatio,seu tale importatum relationis.

6 Secundo arguitur. Si importat relationem,vel relationem propriam, vel communem: nullum horum est dicendum. Probo de primo, vel enim importaret propriam relationem Patris, vel filij, vel Spiritus Sancti: quæcumque autem ex his importetur,non poterit persona prædicari de personis diuinis; siquidem vna persona non prædicatur de alia, immo distinguuntur realiter personę, nomen autem persona debet esse commune, & prædicari de trib. at persona Patris non est persona filij, nec Spiritus Sancti, ergo. Nec secundum, nempe communem, prob.si persona dicit relationem communem, ergo Persona diceretur relatiue ad aliam personam, & ita sicut Pater dicitur filij Pater, ita etiam diceretur persona filij:hoc sequitur,nā persona de sè dicit relationem, Pater autem est persona, ergo sicut dicitur Pater filij Pater, ita Pater diceretur persona filij,non enim differentia esset inter hoc nomen Pater,& hoc nomen *Persona*,consequens vero est aperte contra August.7.de Trin.c.5.Sequela autem prob.quod competit generi,siue superiori, competit etiam speciebus, siue inferiorib. & indiuiduis contentis sub illis: sed nomen Persona est quid superius ad personam Patris,filij, & Spiritus,Sancti, ergo quod competit personæ in communi, competię etiam personæ in particulari: sed Personę secundum sè competit esse ad aliud, ergo etiā hæc persona in particulari diceretur ad aliud, & ita Persona Patris,veluti relatiua,esset Persona Filij relatiue; seu sicut dicitur Pater Filij Pater,ita Pater diceretur persona Filij.Cōfirmatur, sicut duplū in cōmuni dicitur dimidij duplum, ita etiam hoc duplum in particulari dicetur dimidij duplū ex Arist.5, met.. cap ad aliquid': quia quod dicitur relatiue de Superiori, dicitur etiam de relatiuo inferiori, & sic Pater esset relatiue Persona filij.

Caetani responsio argumentum. 7 Caetanus respondet verum esse discursum,vbicunq,relatiua significant per modum relatiui, non autem vbi sunt per modum absoluti, prout persona hic significat relationem per modum hypostasis; sed contra, igitur ex eius responsione sequitur quod persona pro principali, & formali significato importabit,substantiam, seu ab-

solu-

solutum: prob. ait namque personam importare relationem per modum subsistentiæ, ergo non importat primo relationem per modum relationis. Confirmatur, loquutio hæc ipsius attendenda est in sensu reduplicatiuo, talem namque sensum reddit; idem namque est dicere, relationem importare per modum absoluti, ac relationem importare quatenus importat absolutum, siue subsistentiam; at in explicatione sensus reduplicatiui, siue sensus compositi, id quod reduplicatur, habet locum principalis significati, ergo sibi contradicit Caetanus, & de importatione relationis pro principali significato incidit in importationem substantiæ in sensu reduplicatiuo. Item significare aliquid relationem per modum subsistentiæ, non est significare relationem primo, & formaliter, sed solum materialiter, & de commotato: nos vero loquimur de importatione significati primarij, & formalis.

8 Tertio, si persona in communi dicit relationem de formali significato, ergo nulla persona posset constitui per absoluta, sed omnis, & vniuersa necessario esset relatiua: consequens est falsum: prob. seq. persona creata, vt Angeli, & hominis est absoluta: ergo falsa opinio opposita. Sequela tenet, quod namq; est de intrinseca, & essentiali ratione alicuius superioris contrahibilis ad inferiora, est etiam de essentiali ratione inferioris: vt si de ratione animalis in communi sit esse sensitiuum, erit quoq; de ratione hominis, & bruti esse sensitiuum: sed per tè persona est de sui formali ratione respectiua, ergo vbicunque reperitur conceptus personæ, id erit respectiuus, & ita omnis, etiam persona creata erit respectiua.

Probatur non importare substantiam. 9 Consimiliter dicendum de alio capite, quod non sit de sui natura significatiua substantiæ: nec namq, de sè, relationem significat, vt diximus, nec substantiam. Iam probatum est primum, modo probemus secundum.

10 Et primo si de sè significat substantiam, ergo vbicunq; est, significabit absolutum, & substantiam: consequens est falsum; ergo. prob. seq. & falsitatem: Personæ diuinæ iuxta communem, & veriorem sententiam constituuntur per respectiua; igitur de sè non significat de formali substantiam, nec absolutum: sequitur hoc, etenim ratio personæ prædicatur de diuinis personis: hæ constituuntur per respectiua, ergo non posset ratio personæ prædicari in diuinis, quia persona de sè importaret absolutũ. Discursus sequitur vt prius de relatione: est namq; absolutum de intrinseca ratione personæ; ergo vel personæ ratio non prædicabitur de diuinis personis, quia sunt respectiuæ; vel si prædicabitur, sequitur, vt personæ diuinæ sint absolutæ.

11 Fuit opinio Magistri in 1. d. 23. Personam in singulari significare substantiam, in plurali autem relationem. Primum probat ex August. 7 de Trin. dicente, *nihil est* aliud dicere Personam Patris, quam substantiam *Patris*. Secundum probat, quoniam nomen Personæ pluraficatur in suppositis, ex Athan in symb. alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritu Sancti. *Magistri sententia.*

12 Sed hoc non potest stare: & primo, singulare, & plurale idem significant formaliter, licet differant solum in modo significandi: idem namque in substantia significat *homo* in singulari, & *homines* in plurali, quando ambo significant eandem naturam humanam; ergo si Persona in singulari significat substãtiam, idem significabit in plurali: & si in plurali denotat relationem, idem quoq; importabit in singulari. Item plurale nihil est aliud, quam singulare geminatum, & pluraficatum, ergo in solo modo significandi differunt; cæterum id, quod importabit singulare, importabit, & plurale, & viceuersa. *Non recipitur. Singulare, & plurale idem significant substantia, licet differant in modo significanas.*

13 Probatur insuper non significare substantiam; quia vel significaret substantiam primam, vel secundam: nullum istorum: probo, non primam, quia substantia prima est singularis, indiuidua, & hæc, quæ quidem non potest prædicari de multis prædicatione dicente, hoc est hoc: conceptus autẽ personæ prædicatur de multis. Non item secundam, quia substantia secun-

da, seu quidditas vniuersalis diuiditur, & cōmunicatur in inferiora, at persona vt persona est, competit incommunicabilitas. Dices, communicatur Persona in communi tanquam superius. Resp. bene verum est, quod persona sic logice spectata est communicabilis, & prædicabilis; at aliunde ex sui natura considerata est omnino incommunicabilis: & ita discrepat à quidditate rei, quæ quidem communicabilis est tum logice, tū metaphysice: non solum logice sub ratione vniuersalis prędicabilis, verum etiam metaphysice, quatenus soli personæ, seu personatæ naturæ implicat communicari, cæteris autem naturis, abstractis personalitatib. non repugnat, siue vt quo, siue vt quod, communicari.

14 Vtramque vero partem concludit Scotus, dum asserit personam dicere negationem. Quod si ita est, vt videbimus, bene infertur, nec relationē dicere, nec substantiam: & neq; substantiā primā importare nec secundā.

15 Durandus obstat nil potest esse commune absoluto, & respectiuo: ergo non dicit quid indifferens ad substantiam, & relationem. Resp. negando assumptum, quia *subsistentia* est quid indifferens ad vtrumque.

16 Vasquez 1. p. d. 130. c. 3. arguit in fauorem eiusdem Durandi, inquiēs, si importat quid commune, ergo nec est ad aliud, nec ad sè: implicat autem concipere relatiuum absque ordine ad aliud, & absolutum absque ordine ad sè, ergo nil dicit commune. Resp. prout dicit quid commune, nec esse ad aliud, nec ad sè formaliter, sed potestatiue vtrumq; sicut animal in communi de sè nec est formaliter rationale, nec brutale, sed permissiue vtrumq;

ARTIC. II.

Quid importet nomen personæ prout reperitur in diuinis.

Rada sententia. 1 HActenus de Persona in communi, & in sè: dubium autem restat de persona, prout reperitur in diuinis, vtrum importet substantiam, vel relationem, quatenus prædicatur de solis Dei personis. Rada vbi sup. idem ait, esse dicendum etiam in diuinis, vt nullum horum importet: asseritque id esse doctrinam Scoti. Quod vero non importet substantiam probat argumento Scoti: ait namq; Scot. vel importabit persona substantiam primam, vel secundam: nullum istorū prob. in diuinis non reperitur alia substantia prima, vel secunda, nisi diuina essentia: at essentia non numeratur, nec multiplicatur in diuinis, sicut aliāde multiplicantur personæ, ergo persona non importat naturam communem, seu quidditatem, vel substantiam secundam. Et sub eadem ratione non importabit substantiam primam, siue essentiam sub ratione primæ substantiæ, quia essentia communicatur, persona autem non communicatur. Et ex hoc habet Rada, quod non dicat substantiam.

2 Quod vero neque dicat relationem probat ex dictis, quia sicut Pater dicitur Filij Pater, ita diceretur Pater Filij persona. Item Persona vt sic, dicit quid positiuum; illud autem nec est absolutum, nec relatiuum, ergo erit indifferens, quia in mundo nihil est aliud præter absolutum, relatiuū, & indifferens. Insuper aliqui tenent personas constitui per absolutum, aliqui per relatiuum: ergo dandus est conceptus indifferens ad absolutum, & relatiuum; omnes namque habent conceptum contradictorium, igitur nec est absoluta, nec relatiua, sed indifferens. In eandem incidit sententiam Herrera in 1. disp. 7. q. 3. vnde concludere videtur cum Rada Personam in sè, vt communem ad personas diuinas, esse indifferentem, & neque importare absolutum, nec relatiuum.

3 Verum vtrum eorum sententia sit conformis Scoto, non constat: & in primis Scotus non loquitur de persona prout communis est solummodo personis diuinis, sed prout cōmunis est personæ creatæ, & increatæ: vt sic, putat eam esse indifferentem: Item semper Scotus docuit personas constitui per respectiua; licet namque *De sententia Rada, & Herrera non sōlat vtrū sit ad mentem Scoti.*

in

in 1.d.26. q. vn. vtrumque parum defendat, nihilominus, in eam magis inclinat, & vbique eam commemorat: hoc stante, quomodo, poterit dicere conceptum communem personæ ad personas relatiuas non esse relatiuũ.

Persona conceptus communis diuinis personis est relationis.

4 Ideo dico conceptum personæ communem personis diuinis solummodo, esse relatiuum. prob. relatiuum non constituitur per non relatiuum: personæ omnes diuinæ, sunt relatiuæ, ergo earum cõceptus communis erit relatiuus. Item qualis est conceptus essentialis superioris prædicabilis de inferioribus, talis erit conceptus cõstitutiuus, & essentialis inferiorũ: Sed conceptus essentialis personæ in cõmuni ad diuinas personas, non est relatiuus, ergo nec inferiores personę per talem essentialem conceptum constitutę erunt relatiuæ. Insuper ex non substantijs non fit substantia, ait Arist. ergo ex non relatiuo non fit relatiuum.

5 Dices, Scotus probat, non dissubstantiam, concedo, quia ideo id dicit, quia negat constitui per absoluta. Quod si inferas, ergo neq; dicit relationem, negatur id, etenim de hoc Scotus non loquitur, neque id negat: negat vero vtrumque loquendo de persona prout communis est ad increatam, & creatam.

Rada obiectiones soluuntur.

6 Cum inquit Rada, dicit quid positiuum, id vero est indifferens ad absolutũ, & respectiuum, negatur. Cũ subdit, si dicit relationem, ergo Pater Filij, esset Persona Filij, negatur consequentia quia committitur fallacia commutando hoc aliquid in quale quid, siue particulare in vniuersale; etenim Pater est singulare, Persona autem in communi est quid superius, commune, & quasi vniuersale, licet non sit vere vniuersale, vt superius diximus. Potest quidem superius, & commune prædicari de Filio, cuiusmodi est persona, non autem potest prædicari Pater, valet namque Filius est Persona, sed non valet, Filius est Pater. Item dum infertur, ergo Pater est persona Filij, dat intelligere quod persona stat suppositaliter, nempe pro persona patris, & hæc est falsa prædicatio, quia idẽ esset, ac dicere Persona Patris est persona Filij: at cum dicimus Filius est persona, persona non stat hypostatice, sed supponit pro quidditate superiori, & communi.

Contradicentes sibi inuicẽ an, & qualiter aliquando cõueniant.

7 Id tandem, quod aiebat, quod duo contendentes de constitutiuo personæ, quorum alter per absoluta constitui contendat, alter per respectiua, ambo habebunt conceptum communem, & indifferentem ad absolutum, & respectiuum, dicendum hoc ab imaginatione pendere, non à veritate; est namq; necesse vt altera istarum opinionum sit vera, & falsa altera: quod si vtraque esset vera, tunc vtriq; diceret persona conceptum cõmunem; verum quia altera solum est vera, tunc dicet solummodo conceptum determinatum; vel quidem conceptum absoluti, si opinio de absoluto est vera; vel conceptum relatiui, si vera est opinio de relatiuo. Nec propter varietatem opinionum admittenda est ista indifferentia, cum hæ ita se habeant, vt non sint ambo vera, sed, alterum eorum erit falsum, alterum verum: opinio autem de tali indifferentia non habet fundamentum in re, sed in sola fictione, atq; imaginatione: igitur conuenientia disceptantium est sola intentionalis, non realis, cum contradicentes inuicem non possint proxime conuenire in eadem veritate reali sicut nec contradictoria ipsa possent simul esse vera realiter. Dixi proxime, quia contradicentes possunt bene concordare in conceptu aliquo, & veritate aliqua remota.

8 Insuper nulla persona diuina est absoluta, ergo non est verum, dicere conceptum indifferentem ad absolutum. Denique omnis, & tota Trinitas, omnis inquam persona Trinitatis est respectiua, ergo persona prout cõmunis Trinitati est respectiua. Concluditur ergo dicere conceptum communem subsistentiæ, relatiuum, ac determinatum, non autem indifferentem.

9 His actis, duo concludimus, primum, quod persona quatenus indifferens ad creatam, & increatam, neque importat substantiam, neque relationem, sed quid indifferens ad vtrumq; quod visum fuit artic. anteced. Secundum,

dum, quod Persona, prout indifferens, & communis ad personas increatas, importat determinate, vel absolutum, si personæ diuinæ constituuntur per absoluta; vel respectiuum, si constituuntur per respectiua: Verum quia communis est sententia constitui per respectiua, ideo importabit conceptum communem respectiuum. Hæc de conceptu communi.

ARTIC. III.

Quid personæ nomen importet in particulari.

Persona de principali significato importat subsistens, seu subsistentiam.

1 DEscendendo, autẽ ad id, quod importat in particulari, primo dicimus, quod *Persona* de principali importat subsistentiam, siue subsistens in natura intellectuali. Hoc verum ex definitione personæ, quæ est naturę intellectualis incommunicabilis existentia, ergo de principali significato, siue primario, importat subsistentiam. Subsistentia vero sic primo importata habet duplicem indifferentiam: altera ad positiuum, & priuatiuum, siue negatiuum: & alteram ad substantiam, & relationem: vnde fit, vt inde importet aliquod istorum, etiam pro principali, & primario significato; ratio est quia omnis subsistentia, vel est absoluta, vel relatiua: vel dicit negationem, vel positiuum: & omnis subsistẽtia est formaliter aliquod istorum, reddendo singula singulis; ergo primo, & per se importat subsistentiã siue absolutam, siue relatiuam, siue positiuam: siue negatiuam: loquimur autem de persona contracta, siue de persona iam particularizata; etenim persona abstractiue tenta nullum est istorum formaliter, sed potestatiue; sicut animal in sè nec est formaliter homo, nec brutum, sed potestatiue vtrumq; licet hoc particulare animal necesse est, sit vel formaliter homo, vel formaliter brutum. Quod si ordinem constituere velimus, vt primo importet subsistentiam, simpliciter tentam, & inde relatiuum, vel absolutum: positiuum, vel negatiuum, ordo quidem iste erit fictus ab intellectu, non à parte rei; ratio est, quia subsistentia particularis cõstituitur essentialiter, & intrinsece ex altero ex his nempe vel ex absoluto, vel respectiuo, vel positiuo, vel priuatiuo: quomodo ergo prius concipere possemus subsistentiam absq; positiuo, vel priuatiuo absque absoluto, vel relatiuo? idem namq; esset, ac dicere quod constitutum sit prius constituentibus, & quod in creatis, compositum sit priusquam materia, & forma; igitur dicendum, quod principale, & primarium, immo adæquatum importatum personæ in particulari, sit subsistentia, vel absoluta, vel relatiua; vel positiua, vel negatiua.

Persona diuina quid pro formali, quid pro connotato.

2 Secundo dicimus quod loquendo de persona diuina, loquendum est etiam consequenter ad varietatem opinionum de earundem diuinarum personarum constitutione, & quidem asserendo eas constitui per respectiua dicendum est personam pro formali dicere negationem communicabilitatis, vt *quo*, & vt *quod*; pro materiali vero connotare hæc tria sequentia; nempe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, de quib. prædicatur: relationem originis, qua mediãte constituuntur, & qua mediante inest illa negatio, & deniq; ipsam naturam diuinam. Hęc Scotus supra litt. B.

Ordo eorũ quæ sunt in diuinis personis relatiuis.

3 Circa ordinem autem istorum, attendendum est, quod iuxta naturæ ordinem loquendo, in primo loco est ponenda relatio, in secundo subsistens per relationem constitutum, & in tertio apponenda est illa communicabilitatis negatio. Ratio talis ordinis, est quia prius est constituens, quam constitutum; relatio constituit: subsistentia personæ construitur, ergo primo loco adest relatio originis, & secundo ipsa persona: Verum quia incommunicabilitas necessario sequitur ad personam, hinc fit, vt in tertio loco ipsa collocetur.

Ordo qualis eorundẽ si esset absolutum.

4 Asserendo vero constitui per absoluta, non dissimili ordine est discurrendum, itant primo loco apponatur proprietas illa absoluta constitutiua: secundo loco habeantur per-

sonæ

sonæ ipsæ constitutæ: & tertio resultet inde duplex illa incommunicabilitas.

5 Itaque, & iuxta duas istas vias recensitas sequitur, vt si constituitur per respectiua, dicendum sit, quod pro formali dicit relationem: pro materiali dicit subsistens: verum quia hoc subsistens est relatiuum ideo indicat subsistentiam relatiuam: & quoniam persona constituitur etiam per essentiam, inde habetur etiam conceptus essentiæ. Si autem constituitur per absoluta, tunc pro formali indicat absolutum, siue proprietatem constituentem absolutam: pro materiali ipsam subsistentiam absolutam; & denique ipsam met essentiam, quia etiam ipsa constituit personam: negatio autem communicabilitatis in vtraque siue absoluta, siue respectiua, prouenit non ab essentia, sed à proprietate cōstitutiua: sicut etiam earundem personarum distinctio prouenit a proprijs specificatiuis constitutiuis.

6 Quia tamen constituuntur per respectiua, vt communis est opinio, ideo de formali significato indicat subsistens relatiuum, prius tamen indicat relationem, quam relatiuum: sine conceptu inadæquato significat relationem, adæquato relatiuum.

7 Sed quid de opinione dicentium constitui personam per negatiuum? *Qualis ordo in sententia dicentium constitui per negatiuum.* vtique principale signatum erit ipsa negatio, & hoc pro formali: pro materiali autem erit ipsa subsistentia negatiua, addens supra naturam, duplicem illam incommunicationem, vt sic non reperitur in diuinis, nisi consequenter, etenim principaliter constituuntur per positiua, id vero si est, cōtinget solum in personis Creatis, de quo insra. Applicando vero istam opinionem ad personas diuinas, dicendū quod ista negatio non significat substantiam, nec relationem, quia negatio nec est substantia, nec relatio: nihilominus connotat aliquod positiuum: primo autem connotat tres diuinas personas positiuas: secundo connotat relationes originis constitutiuas, quibus mediantibus conuenit tribus personis talis negatio: & tertio connotat essentiam.

8 Quæres autem cur vltimo cō-notat essentiam, cum ipsa sit principale constitutiuum etenim Scotus aiebat vltimo connotatum esse essentiam diuinam.

9 Respondeo, quia hic loquimur de incommunicabilitate personali: incommunicabilitas autem non habetur per essentiam, sed per relationes; ideo primo loco ponenda est relatio: verū quia cōstitutio personarū nō potest haberi sine essentia, ideo ponitur etiam ibi essentia: quæ licet sit prima, & principaliter, & radicaliter in Deo, & personis, nihilominus ipsa neque est ratio negationis, neq; incommunicabilitatis, sicut neq; pariter erit ratio distinctionis personarum, nec specificationis earum, vnde modus hic est modus explicandi, non essendi, quia primaria radix essendi in diuinis est diuina essentia, cum ipsa sit omnium pelagus ex Damasc. *Qualis ordo essentiæ, & cæterorum in Persona.*

10 Argui autem potest contradicta. Primo August 7. de Trin. c. 5 ait, *non esse aliud, Deum esse, & personam esse* hinc arguitur, sed Deus importat absolutum, & substantiam, ergo idipsum importabit persona. Resp. intentionem Augustini esse demonstrare diuinas personas esse Deum: Intendit etiam demonstrare personas diuinas nō esse alium Deum, quam ipse Deus, & ita ostendit vnitatem Dei, siue vnitatem Deitatis cum personarum Trinitate. Ac deniq; inde contra Arium concludit consubstantialitatem Filij, & Spiritus Sancti, dum Filius, & Spiritus Sanctus sunt idem Deus, & non sunt alius Deus à Deo, non enim eorum persona facit eos distingui essentialiter à Deitate, immo mediante eadem Deitate sunt consubstantiales cū Patre. Potest quoq; responderi, quod sustinendo personas constitui per absoluta, inde infertur personam ita esse absolutam, sicut Deitas est itidem absoluta: dando autem constitui per relatiua, remanet prima responsio, vt demonstret personas non esse aliom Deum, sed esse eundem Deum cum ipso Deo: & ita satisfit argumento Magistri, innixo super hanc Augustini authoritatem.

11 Secundo obstatur ex eod. August. ibid. c. 4. vbi, quærenti, quid sint tres

tres in diuinis, respondet esse *tres personas*. quia pater est persona, Filius est persona, & Spiritus Sanctus est persona; at *quid*, indicat substantiã, & essentiam rei, ergo persona indicat substantiam. Resp. quod dum fit interrogatio per *quid*, possunt duo peti, potest namq; peti definitio, & quidditas rei: potest etiam peti subiectum de quo dicatur aliqua res. Et quod ita sit, patet ex Arist. ex prin. topic. c. 4. dicente, *definitio est oratio indicans quid est esse rei*: ecce prima petitio. Patet etiam secunda petitio ex eod. in 10. met. t. 7. cum ait, *totaliter quærendum est quid vnum, quemadmodum, & quod vnum, quemadmodum, & quidem, tanquam non sufficiens, quod hoc ipsum ipsius naturæ*. Cuius sensus est, quod non sufficit dicere, vnum, esse principium, sicut Platonici asserebant; sed necesse est assignare aliquid, de quo ipsum vnum dicatur: & ita per *quid*, Aristot. duo intelligit, alterum, definitionem: & alterum, subiectum, de quo dicatur ipsum vnum, seu definitio de vno. Pariformiter heretici Dum legebant penes Ioann. 5. *tres sunt, qui testimonium dant in cælo*; quæsierunt dicendo, *quid tres*? in hac quidem interrogatione nõ quærebant de diffinitione, & quidditate, sed de subiecto, de quo dicuntur tres; & ad hoc optime respondetur per nomen *Persona*, dicendo, tres Personæ. Dum ergo in proposito indicat personam, vtiq; indicabit aliquid subsistens, vt diximus. Vel respondetur secundo, quod per *quid*, licet quæratur definitio, attamen non sequitur vt per eam habeatur sola substantia; quandoquidem definitio non solum traditur de substantia, sed etiam de accidente, & non solum de absoluto, verum etiam de relatione; ergo per ly, *quid*, non magis importatur substantia, quam relatio: Cum autem definitio sit vtriusq; & substantiæ, & relationis: & positiui, & negatiui, sequitur vt ly, *quid*, de sè non magis importet vnum, quam aliud, sed erit indifferens ad vtrumque.

Interrogatio facta per Quid, petit vel diffinitionem, vel subiectum.

12 Tertio arguitur omne, quod ponitur in definitione personæ est absolutum, ergo nullam indicat relationem: Resp. negando antecedens: quia ibi ponitur *subsistens*, hoc autem est indifferens ad absolutum, & relatiuum ponitur etiam, *incommunicabilis*, quod de omni dicitur persona, tum absoluta, vt creata, tum respectiua, vt diuina. dicendum etiam, quod ibi describitur persona in communi, & vt sic est indifferens; quod si descendat ad particularem, erit vel absoluta, vt creata, vel respectiua, vt increata.

Nõ omne, quod ponitur in definitione persona est absolutũ.

13 Vltimo, ex eod. August. in sententia Magistri recensito, nomen personæ in singulari significat substantiã, quia significat Deum: & in plurali relationes, quia significat personas: Dicendum, idem esse vtriusque significatum de singulari, & plurali, vt ibi diximus. Dicimus secundo esse differentiam solummodo in modo significandi, non in significato, est namq; vtriusque idem significatum; quapropter id, quod de sè importat persona in singulari, id secundum quidditatem importat in plurali. Dicimus tertio sensum Augustini fuisse ostendere personam non esse aliud à Deo, sed esse idẽ cum Deo; ait namq, *nihil est aliud dicere, personam Patris, quam substantiam Patris*: quo in loco ostendit duo; primo, quod Persona non est fortasse, vt hæretici dicerent, siue accidens, siue ens mancum, & diminutum, siue imperfectum, immo perfectum, & adeo perfectum, vt sit substantia, & perfectissima, ac infinita substantia: secundo ostendit, eandem personam Patris esse in substantia, & in essentia Deum, & eundem Deum, qui est Pater. Cum vero ex opposito multiplicantur personæ in plurali, ostendit plures esse personas, & hypostases, sicut aliunde ex persona in singulari demonstrare intendat August. identitatem essentialem ipsarum personarum cum essentia Dei: siue prædicationem, & communitatem, quam habet hoc nomen *Persona* supra cæteras diuinas Trinitatis personas, vt est dictum.

QVAE-

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Persona prædicetur vniuoce de creatis, & increatis personis.

Quæstionis resolutio cõsequẽter ad sententias superius recensitas.

1 Præsens dubitatio resoluenda est subsequenter, & conformiter ad opiniones varias de constitutione Personæ; etenim adsũt qui dicãt eam constitui per quid positiuum: adsunt, & qui negent id, affirmentque constitui per duplicem negationem, de qua re in materia de Incarnatione; hinc cõsequenter vnusquisque loquitur ad suam sentẽtiam: nos autem pro singulis quæstionem decidamus.

2 Et quidem sustinendo Personas constitui per quid negatiuum, dicendum est dari quid commune, abstractũ, prædicabile de omnibus personis, tum humanis, tum angelicis, & diuinis; illud autem est ipsa incõmunicabilitas, siue negatio communicabilitatis, & independentiæ: ita aperte fatetur etiam Scotus in 1.d.23.q.1.§. *Ad primum istorum Bassol.* in 1.d.25. q.1. art.3. estque sententia hæc communis, nec potest negari: conueniunt namque in tali negatione, ergo negatio prædicatur de illis, & communis est illis.

3 Sustinendo insuper nomen, & rationem personæ imperfectè reperiri in persona creata; perfectè autem reperiri in persona increata, tunc dicendum, nequaquam conuenire personas in cõceptu aliquo dicto de eis. Pro explicatione asserti, est supponendum hoc dici ad mentem Scoti; ipse autem in 3.d.1.q.1.docet in persona creata reperiri duplicem rationem incommunicabilitatis, nempe actualis, & aptitudinalis: non autem potentialis, quia est in potentia obedientiali ad Deum, & ideo potest dependere ad verbum, at de hoc infra suo loco. Persona autem increata dicit triplicem incommunicabilitatem actualem, aptitudinalem, & potentialem, quia omnino ei repugnat, & cõtradicit dependere; hinc fit, inquit Scot. vt ratio perfecta, & completa personæ sit in Deo, non autẽ in creatura. Hoc quidem supposito, stat, vt nequaquam absolute conueniant; ratio patet ex dictis, quia vni deficit incommunicabilitas potẽtialis, quæ alteri competit; ergo vt sic non omnino conueniunt. Vnde dicimus inadæquate eas conuenire, quatenus conueniunt in incõmunicabilitate actuali, & aptitudinali; & vt sic, dici potest personam vniuoce prędicari de creata, & increata, sed conceptu vniuoco inadæquato: ita Scotus habet in 3. d.1.q.1 litera G.

4 Dato insuper personam creatam constitui per duplicem negationem: increatam vero per quid positiuum, vt de hac secunda certum est; tunc nequaquam persona prædicabitur vniuoce de eis prob. positiuo, & negatiuo nihil est commune vniuocũ; enti enim, & non enti, nihil est commune, vt sorti, & chimeræ nihil est commune: ergo à pari in proposito. Item illud commune vel esset positiuum, vel negatiuum: nullum istorum: non positiuum, quia licet esset commune personis increatis, non tamen creatis, constitutis per negationem: non enim positiuum prædicatur de negatiuo; non enim valet dicere non ens est Petrus nec negatiuum, quia conceptus negatiuus prædicaretur quidem de personis creatis per negationem constitutis, non autem de increatis constitutis per positiuum. Insuper superius prædicabile, & commune inferioribus non debet habere maiorem, nec minorem entitatem suis inferioribus, at si positiuum est commune personis creatis, tũc istud

cōmune positiuum esset maioris entitatis, quam ipsa ratio personæ creatæ, quandoquidem plus est esse positiuum, & aliquid, quam negatiuum, & nihil, quale est negatio communicabilitatis: si etiam negatio esset quid commune personis increatis, tunc inferius iam nō esset quid positiuum, sed negatiuum, etenim ratio superioris descendit constitutiue intrinsece in inferiora, vt animal in hominem: sed negatio prædicatur de persona increata, ergo ipsa persona non est quid positiuum, sed negatiuum.

5 Concesso personam creatam constitui per absoluta, & increatam per respectiua, nil prædicabitur vniuoce de increata, & creata: prob. absoluto, & respectiuo nihil est cōmune vniuocum, ergo &c.

6 Dato deniq; personas omnes, siue creatas, siue increatas constitui per quid positiuum, facile est dicere importare quid cōmune prædicabile de ipsis Hoc idem habet Scot. in 1. d. 23. q. 1. in fine: & ibid. d. 25. expresse docēs, quod à personis potest abstrahi aliquod commune positiuum.

7 Quod si à Scoto quęras, quodnam erit illud commune positiuum, respondebit, illud esse subsistentiam, seu subsistens; etenim vnaquæq; persona tum creata, tum increata subsistit, & vt sic, se habent, tanquam inferiora ad ipsum conceptum subsistentiæ, vel personæ communem.

8 Quod autem, reddendo singula singulis, Persona importet quid cōmune, vt est explicatum, id omnes cōcedunt: & vltra Scotum, cum Scotistis, ad stipulantur etiam Alex. 1. p. q. 56. n. 4. art. 2. Capreol. 1. d. 25. art. 1. q. 1. D. Bonau. eod. loc. D. Tho. 1. p. q. 30. art. 4. Marsil. 1. d. 17. art. 2. itaut sit indubitatum. Et probatur ex August. 7. de Trin. c. 7. dicente, *Si Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt tres personæ, commune est eis esse personam.*

Persona cōceptus, an vniuocus. 9 Vnum nihilominus controuertitur, qualis nam sit communitas ista, siue ista prædicatio: vtrum nempe sit communitas vniuoca, vt prædicetur vniuoce siue negatio, siue realitas positiua de diuinis, & creatis personis: quod si vniuoce prędicari dixeris, & in quid; ergo dabitur realitas aliqua communis contrahibilis ad Deū per differentiam; at hoc est impossibile, quia Deus constaret, immo cōponeretur ex genere, & differētia. Item nihil est cōmune vltimis distinctiuis: & ab vltimato diuersis nihil potest abstrahi cōmune prædicabile de eis, alias non essent primo diuersa; ergo non videtur danda talis vniuocatio, siue communitas. Insuper si est quid commune, ergo vel erit genus, vel species, & ita diuinæ personæ reponentur in genere, & sub determinata specie.

10 Nihilominus dicendū est primo personam non prædicari tāquam genus, vel species; ratio patet ex difficultatibus prætactis, non enim ab vltimis distinctiuis, nec à primo diuersis, sicut nec ab vltimis differētijs potest abstrahi cōceptus in quid sic prędicabilis de eis, alias nō essent primo diuersa, sed in aliquo conuenirēt: nec insuper abstrahitur conceptus communis, vt genus, vel species, alias vel essent diuinæ personæ in genere, vel daretur aliqua realitas in Deo, habēs rationem actus, & potētiæ, quatenus deberet esse contrahens, & contrahibile vide Scot. in 1. d. 23: in fin. & d 25. à quo Vasquez 1. p. disp. 130. c. 2 & nos hac ead. disput. sup. q. 3.

11 Sola superesset difficultas circa contractionē personæ ad personas diuinas: etenim oportet in eis ponere aliquam realitatem contrahētem ipsam rationem personæ: dum autem fit contractio, contrahibile se habet vt genus, & potentia: & contrahens se habet vt forma, vt differentia, & vt actus, & ita Deus componeretur ex actu, & potētia; ex genere, & differētia. Ad hoc facile responderent qui dicerent talem communitatem esse quid rationis, non quid reale: id antē consistere non potest, quia alias etiā personæ ad quas fieret contractio esset quid rationis. Item sequeretur personam non esse quid primę, sed secundæ intentionis Ideo dicendum, quod quando aliquid contrahitur ad Deum non contrahitur per differentiam aliquam essētialem, sed per modum intrinsecum: dum vero contra- *Persona quomodo contrahitur ad diuinas personas.*

hitur

hitur per modum, cessat actus, & potentia, genus, & differentia, forma, & materia cum cæteris imperfectionibus.

12 Ratio est, quia modus intrinsecus non variat naturam eius, cuius est modus: quod si distinctio interueniat, ea est solum modalis. Item ens non dicitur ita proprie contrahi per modos, sicut genus per differentias, quia non est ita in potentia ad suos modos, eo modo, quo materia est in potentia ad formam, sub ratione informabilis, & informantis, strictè loquendo; & vel sicut genus ad differētias: licet inter id, à quo accipitur cōceptus communis, & id, per quod cō. trahitur, reperiatur differentia, tamen non semper interuenit distinctio realitatis, & realitatis, sed aliquando sufficit distinctio realitatis, & modi intrinseci eiusdem realitatis. Denique est eadem prorsus res, id quod contrahitur per modum intrinsecum, vna cum suo modo: solum enim differunt modaliter, vt realitas, & suus proprius modus, non autem vt realitas, & realitas. Et ita quoq; ens contrahitur per finitum, & infinitum, tāquam per modos &c.

Modus intrinsecus nō variat naturam eius, cuius est modus.

13 Obstatur, Persona est incommunicabilis, ergo cōceptus eius nullo modo potest esse vniuocus: probatur consequens, incommunicabile nō est communicabile, alias non esset incommunicabile, sed communicabile: dicere autem incommunicabile esse communicabile, inuoluit contradictionem. Secundo, quod est communicabile in diuinis dicit perfectionem simpliciter: personalitas autem, seu relationes personales abstrahunt à perfectione, & imperfectione in sententia Scoti, ergo non erit ratio personæ vniuoca, quia non communicabilis. Tertio, absoluto, & respectiuo nihil est commune vniuocum: persona creata est absoluta: diuina respectiua. Quarto, positiuo, & negatiuo nihil est commune vniuocum: persona diuina vltra duplicem negationē, importat proprietatem personalem vere positiuam: persona autem creata de toto dicit quid negatiuum.

Obstatur.

14 Ad primū, persona vel sumitur pro formali, vel pro substrato: secundo modo est incommunicabilis: quia est suppositum per sè subsistēs, incommunicabile vt *quo*, & vt *quod*, primo autem modo est communicabilis, veluti superius commune prædicabile de inferioribus. Respondetur secundo, personam in abstracto, & pro formali contemplandam esse, non absolute in ratione personæ, vt personæ, sed sub ratione alicuius trascendētis, & vt sic esse prædicabilem, & communicabilem: vnde sicut indiuiduum pro per sè denominato, seu pro materiali est implurificabile, cum sit indiuiduum à sè, & diuisum à quocunque alio, attamen pro per sè significato, & secundo intentionaliter sumptum est de pluribus prędicabile, ita conceptus personę pro per sè denominato erit incommunicabilis, at pro per sè significato, de pluribus prædicabilis.

Occurritur.

Persona aliquo modo communicabilis.

15 Ad secundum resp. quod est communicabile cōmunicatione reali, id quidem dicit perfectionem simpliciter, vt essentia, modi intrinseci, & attributa: quod autem est communicabile communicatione intentionali, qualis est communicatio per prædicationē, alicuius superioris, & communis, non oportet vt formaliter dicat imperfectionem, seu perfectionē simpliciter: hoc modo se habet conceptus personæ communicabilis per prędicationem personis inferioribus, ideo non oportet vt dicat perfectionem simpliciter, nisi saltem de connotato &c.

Communicabilis an dicat perfectionē simpliciter.

16 Ad tertium, & quartum responsio patet ea dictis num. 5. & 6.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum in diuinis sit vere numerus Personarum.

1 Res plana est intet Catholicos, adesse in Trinitate numetum personarum. Explicatione tamē indiget, ne creaturam consundamus cum Cteatore, [& vidēdum vttum diuinis personis numetus ea sub ratione competat, sub qua competit creaturis,

Numerus multiplex.

2 Distingui autem in primis solet de numero, altet namque est numerus qui appellatur formalis: altet mathematicus, & altet sensibilis, seu physicalis. Fotmalis numetus, idem est,]ac numerus trascendētalis, ideoq; trascendentalis vocatur, quia nulli ad scribitur, nullique coarctatur, adeo, & taliter, vt sit ptoptius eius, & non cōueniat alteri: immo competit cuiq; rei tum substātiæ, tum accidenti, tum omni enti: & propterea dicitur formalis, quia consequitut sotmam, seu naturam cuiusq; rei, & sub hac ratione Scotus citandus, appellat eum *essentialem*, quoniam cōsequitur essentiam vniuscuiusque rei.

Numerus formalis cōpetit omni rei, etiam quantitati contra Zamorram.

3 Dixi omnibus competete numerum hūc, tum substantiæ, tum accidenti, vt discrepem à Zamotra 1. p. tract. 9. q. 10 art. 1. sect. 1. qui ab hoc numero excludit quantitatem vnde ait, *non quantitatum, sed quidditatum numerus appellatur*. Vetum non placet, etenim quantitas ens est, ergo quatenus ens, vna est: at vnitas entis est vnitas formalis, & trascendentalis ergo etiam est numerum hic quantitatum. Cōfundit vero Author terminos; aliud namque est dicere, numetū quantitatum; & aliud, numerū quantitatiuum: hic quidem secundus non spectat ad numetum formalem, seu trascendentalem, cum sit numerus mathematicus, de quo postea; at ille prius, competit omni enti, qua ens est, quia omne ens, qua ens est, vnum est: sed quantitas ens, est, ergo vna vnitate trascendentali est; etenim sua quidditas ens est, & consequenter vna vnitate quidditatiua est.

Numerus mathematicus.

4 Numerus mathematicus est numetus prædicamentalis, de genere quantitatis disctete; & hic numerus consurgit ex diuisione continui, teste Arist. 3. Phisic. tit. 68. Hunc numerum licet accidētalem etiam vocare, ptout ita quoq; ipsum Scotus appellat. Et tatio esse potest, quoniam non est nec de essentia, neque idem realiter cum re numetata, immo accidit ei: per istum namque numetum numetamus plutes v.g. substantias: sed accidens, qualis est hic numetus, distinguitur essentialiter à substantia, ergo merito est quid additum, & accidens ad rem nnmeratam. Item eodem numeto numeramus cætera accidentia, at accidentia distinguuntur genericè intet se, iuxta variam seriem prædicamentorum. Denique numetus hic pendet etiam ab intellectu, qui vocatur quoque ab Arist. numetus numerans; ergo concluditut esse numerum istum accidentalem. Et multo fortius ptobatur, siquidem numorus hic appellatur mathematicus; at vt sic, abstrahit ab omni alio, etenim mathematica abstrahit à subiecto phisico, & sensibili, ergo est absolute accidens.

Numerus sensibilis, seu physicalis differt à numero mathematico.

5 Numerus denique sensibilis, & physicalis supponit potius pto alio, quam pro se ipso; etenim est rei sensibili, & mateciali addictus, quatenus per eum numeramus res sensibiles: in qua re patet distinctio numeri sensibilis à nnmero mathematico; quia mathematicus numerus abstrahit à materia secundam considerationem, solumque considerat quantitatem, & quantitatis diuisæ numerationes, seu multiplicationes, sensibilis, vero concernit sensibilem mateciam, atq; physicam.

6 His

Personis diuinis nō cōpetit numerus mathematicus.

6 His habitis, qualis nam ex his numeris competit diuinis personis. In primis dicendum, non competere secundum, nempe mathematicum. Facillime probatur: numerus hic cōsurgit ex diuisione continui: in Deo nec continuum est, cum non sit in eo quātitas molaris: nec cadit vllo modo diuisio; ergo. Item numerus hic, vt diximus, est accidentalis, in Deo autem omnia sunt vnum in substantia. Insuper numerus iste est prædicamētalis, Deus autem non est in prædicamento, cum trascendat omne genus.

Numeri cōditiones.

7 Præterea probatur optima ratione desumpta à Scoto in 1. d.24.q.1. numerus simpliciter, & propriè dictus debet habere tres conditiones: prima vt omnes partes eius, nempe vnitates, sint omnes vnius, eiusdem rationis: secunda, vt ita inter sè sint distinctę, vel diuisæ, vt vna non includar aliam: & tertia, vt in ipsis vnitatibus fundetur potentialitas, tanquam partis ad totum: hæc autem non cōpetunt diuinis personis, ergo non est in eis hic numerus. Probantur singula: & primo non competit inter personas prima conditio, quia personalitates non sunt vnius rationis, immo sunt primo diuersa, inquit Scot. in 1. d.23.q.1.lit.F. tum etiam quia alia est ratiō personalitatis Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, vt constat. Non insuper competit secunda, quia Personæ non possunt diuidi, nec distingui essentialiter, immo vna est in alia per circuinsessionem: nec deniq; tertia, quoniam vnaquęque personarum est in sua vltima actualitate, & perfectione; ergo à primo ad vltimum non cōpetit eis hic numerus. Amplius vero comprobabitur ex Patribus.

8 Et quidem philosophiam hanc aperte tradere videtur D. Athanas. orat. cont. Gregal. Sabell. inquiens, *Pater sum esse ad plenum possidet: & citra vllum defectum radix, & fons Filij, & Spiritus sancti.* Ibidem paulo supra conclusit, *vnus igitur, & vnus, dualitas, non diuisa est natura, cum sit indeficiens ad suam integritatem.* Damasc. in log. c.37. *numero autem differunt, quæ per accidentium connexionē, distinctam hypostasis sua habent proprietatem.* Concludit vero Boet. de Trin. *hoc est vere vnum, in quo nullus est numerus.* Ex his colligitur, & diuinas personas perfectas esse in seipsis, nec vnam esse in potentia ad alterā, tanquam partem ad totum esse insuper distinctas, & vnitatem seruare essentiæ, & naturæ; igitur cum Boetio cōcludimus, nullus est numerus. Hoc de secundo numero.

9 Numerus aūt tertius, nēpe sēsibilis, adeo constat vt non sit in Deo, quemadmodum constat personas diuinas non esse materiales, nec sensibiles: *Deum enim nemo vidit vnquā:* est pure spiritus, nec cadit sub sensu, & de hoc nulla dubitatio.

Numerus sensibilis nō cōuenit personis.

10 Solum remanet vt loquamur de primo, vtrum formalis, essentialis, siue trascendentalis sit in Deo, itaut vere hoc numero cōncedendum sit ibi adesse tres numero personas. Fuit Magistri sentęntia in 1.d.24. dicentis nomina numeralia in diuinis nihil statuere vere, & positiue, sed tantummodo sè tenere negatiue; ad excludendam aliquam imperfectionem à Deo: vnde est, cum dicimus, *vnus est Deus*, ibi excluditur pluralitas Deorū. item cum dicimus *plures sunt personæ*; ibi datur intelligi non reperiri solitudinem in Deo, sed comitantiam plurium personarum, est enim solitudo imperfectionis in Deo.

Magistri sentētia de termino numerali in personis.

11 Verum sententia hæc, seu potius loquendi modus non recipitur à Theologis: & quidem eius meminit D. Bonau. in 1.d.24.ar.2.q.1. & Alēs. 1.p.q.45.num.2.3. sententiarij in 1.d. 24. eamq; reijciunt: Arguitur autem sic, vnum non solum indicat quid priuatinum, vt puta indiuisum à sè, sed etiam pro materiali indicat positiuū, quo mediāte sit diuisum à quocunq; alio, iuxta descriptionem vnitatis, siue vnius; ergo dum dicimus, vnus Deus, non importatur sola negatio, & exclusio cæterorum Deorum, seu indiuisionem suæ essentiæ diuinæ, verum importatur entitas positiua eius essentiæ diuinæ. Cum insuper, dicit Magist. numerum personarū importare negationem solitudinis; hinc nō assignatur adæquate numerus persona-

Non placet.

narum; quæro enim à Mag. vtrum personæ sint duæ, vel tres, vel quatuor? respondebit tres, secundum fidem: quare tres? quia, inquit ipse, per tres excluditur solitudo, & demonstratur nō esse ibi vnam, & solitariam personām: contra, solitudo ita excluditur per numerū duorum, sicut per numerum trium; ergo non magis cōcluditur ibi esse tres personas, quam duas solummodo: sicut etiam solitudo excluditur per numerū quatuor, quinque, cētum, & mille personarum inuicem comitantium, vt puta mille hominum; ergo per hanc rationem solitudinis non magis probatur personas diuinas esse tres solummodo, quam cētum, & mille, ita enim excluditur solitudo per mille, ac per tres: immo, magis excluditur per mille, quam per tres, & ita concluderetur personas non magis esse tres, quam mille, & sic in infinitum.

Saluatur sententia Magistri.

12 Cæterum, licet hæc vera sint merito dicta contra solitudinem iuxta loquutionē Magistri, nihilominus posset ad pium sēsum trahi Magister: vt per vnitatem velit diuisionem negare, & distinctionem essentiæ: & per numerum personarum, excludere solitudinem, & intendere velit ibi etiam productionem personarum; vere nāque Pater ibi est cum Filio, & Spiritu sancto, sē inuicem intelligentes, amātes, & simul orbem hūc moderantes: ad hunc, & consimilem pium sensum potēst trahi Magister, sicut ipsumet ad pium sensum interpretatur D.Th. 1.p.q.30 art.3.

Numerus qualis in personis diuinis.

13 Verum quia loquutio Magistri in ijs terminis habita non æque explicat Triuitatem; ideo terminis Theologorum, & Patrum est vtendū communibus quapropter dicimus, vere in diuinis reperiri numerū trascendentalem, personarum. Hinc est, vt numerus absolute, & differenter non sit ibi apponendus: & hinc merito numerus ibi appositus, ponitur cū determinatione, non enim est numerus simpliciter: sed secundum quid; ideoq, non est absolute dicendum, in diuinis est numerus, sed addendum est, *personarum*, nempe, *numerus personarum*. Ratio, quare non concedatur numerus simpliciter, est vt vitetur suspitio numerandi, & multiplicandi essentiam diuinam, siue diuinitatem: cū vero addimus, *personarum*, clare patet numerū cadere super ipsas personas. Hoc expressum habemus ex Io.5. *tres sunt, qui testimonium dant in cælo*: specificans vero, super quo cadat talis numerus, ait, *Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*: quia tamē oriri poterat suspitio, vtrum personæ istæ tres sint consubstātiales inuicē, an vero diuersæ naturæ, & substantiæ, ideo denique subdit, *& hi tres vnum sunt*. Dum autem dicit, *tres*, indicat Personas dum inquit, *vnum sunt*, indicat vnitatem essentiæ, & cōsubstantialitatem earum.

14 Et hinc constat distinctio masculini, & neutrius generis in scriptura; quandoquidem masculinum importat suppositum, seu personam: neutrum vero indicat naturam, seu essentiam: at in diuinis multiplicātur personæ, ideo inquit *tres*, in genere masculini: non autem multiplicatur essentia, ideo ait, *vnum sunt*, in genere neutrius. Hoc etiam modo exponēdus est hymnus, quem canit Ecclesia ad horam tertiam, *Nunc sancte nobis Spiritus, vnum Patri cum Filio*: dum namq; ait, *Spiritus*, indicat personam, dum subdit, *vnum*, indicat essentiam, ratione cuius Spiritus sanctus est cōsubstātialis Patri, & Filio. Sed de hoc alias in mat. de circuminsessione, & sæpius infra: videndus D.Tho. 1.p.q. 39.ar.3. & Scot. in 1.d.12.q.1. & in 3. d.6.q.2. atq; D.Bonau. in 1.d.23.art. 2.q.3.

Generis masculini, & neutrius differentia in scripturis.

15 Totum vero, quod diximus confirmant Patres: D.Isid.l.1. ethymol.c.4. *distinguendum est inter Trinitatem, & vnitatem; est enim vnitas simplex, & singularis, Trinitas vero multiplex, & numerabilis, quia Trinitas est trium vnitas*. Bern.l.5. de cōsid. *Trinitas est Deus. Quid ergo, destruimus quod dictum est de vnitate, quia inducimus Trinitatem? non sed statuimus vnitatē. Et rursus, quid sibi vult, vt ita loquar, absq; numero numerus: sed habeo, inquit quid numerē, & quid non numerem: substantia vna est, persona tres sunt.* August.l.6. de Triu.c.7.

nec.

nec quoniam Trinitas est, ideo triplex Deus putandus est.

16 Concil. Tolet 11. in fidei confess. *hæc Sancta Trinitas, quæ vnus, & verus Deus est, non recedit à numero, nec capitur numero; in relatione enim personarum numerus cernitur, in diuinitatis vero substantia, quid numerandum sit, non comprehenditur* Et in sexta Synod. gen. act. 11. *Sanctam Trinitatem esse factam numerabilem personalibus subsistentijs.* Et rursus, *Sanctā vnitatem diuidi numeralibus subsistentijs, & numerari personalibus alteritatibus*, loquitur autem non de vnitate diuinæ essentiæ, quæ indiuisibilis est, sed de ipsis personis, quæ non vna sunt, sed tres. Nec per Verbum *diuidi*, denotatur vera diuisio, sed sola distinctio, sunt enim personæ ab inuicem indiuisibiles, & inseparabiles, solummodo autem distinctę.

QVAESTIO SEPTIMA.

Quid importet nomen *Vsia*, & *hypostasis* in diuinis

Lites Antiquorum inter hypostasim, & vsiā.

1 TAnta lis, orta fuit antiquitus circa intelligentiam nominum *hypostasis*, & *Vsia*, vt non immerito dixerit D. Gregr. Nazianz. de laudib. Athan. *quod res adducta eo fuit, vt periculum esset, ne Orbis terrarum fines, vna cum Syllabis à se inuicem distraherentur, & abrumperentur*: loquebatur autem de vtriusque Ecclesiæ Orientalis, & occidātalis Episcopis, qui in litigio versabantur circa eadem nomina: attamen omnes propter Deum, nostram veram, & catholicamfidem aduersus Arianos æmulabantur, vt magis etiā per nomina constaret fides nostra, ne in nominibus quidem conuenire viderentur cum Arianis.

2 Re tamen vera Catholici non discrepabant in fidei veritate, sed solū nomina inuestigabant quibus distinctius, & exactius fides nostra doceretur, & explicaretur: ita idem fatetur Nazianz. Epist. seu potius oratione 32. ad 150 Episcopos, inquiens. *An fieri potest, vt quidam magis inter se concordent, atque idem dicant, quam cū ita sentiunt, tametsi alioqui syllabis discrepent?* Hęc ipse nihilominus contentio fuit alioqui Sancta, etenim omnes idem corde afferebant licet verbis, & syllabis discreparint, itaut in tali vocum discrepātia adimplerint id quod docuerat. Apost. *æmulamini charismata meliora.*

3 Initio autem disceptationi huis occasionē præbuit Osius Cardinalis qui vt hæresim Arianam declinaret missus Alexandriam, ipse primus inter duo hæc nomina litem admouit, an idē significaret *hypostasis*, & *Vsia*: quæ controuersia cum tunc temporis terminata non fuerit: sic relicta fuit pendens, & in suspenso: quæ tamen iterum exagitata, & mota fuit in concilio Alexandrino: in quo cum patres in varias abierint vias, alijs idem significatum importare asserentibus, & negantibus alijs, peracto iam Concilio, nec res quidem decisa fuit, sed sub iudice quæstione relicta, recessere Patres à concilio vnoquoq; pro libito propriam defensante sententiam, ita ex Nycephoro colligimus lib. 10. cap. 15. & ex Ruffin. lib. 1. cap. 29.

4 Successione tamen aliquanti tēporis cæpere paulatim ad deteminatam sentētiam conuenire itaut dubio sublato, primo loco, censuerint voces istas non dissitas inter se esse, nec distinctas, sed idem prorsus importari per easdem voces significatum, vt censuerint idem importare *hypostasim*, & *Vsiam*: & in primis Rusticus lib. de incarnat. ait, *subsistentia nomen nonnūquam personam, interdum verò naturam significat*: expressius autem D. *Rustici sensus.*

August.

August. omnem aufert differentiam inter vtrumq; dum lib.5.de Trin.c.8. ait: *Nescio quid volunt interesse inter Vsiam,& Hypostasim.* Sed inter omnes magis, maximéq; pro hoc pugnauit D.Hieron. qui in ep.57. ad Dam. ait: *Testantur tres hypostases, si placet, & vna teneatur, nomen hoc non bonæ suspicionis est.* & addit, *venenū sub melle latet; transfigurat enim se Angelus Sathanæ in Angelum lucis.* hæc Hieron. atque id ipsum conuincit ex humanarum literarum professorib. asserēs, quod schola literarum sęculariū idem doceat esse vsiam, ac hypostasim. En qualis fuerit sensus Patrum antiquorum. Taliterq; propensus fuit in sententiam istam idem Hieronymus, vt cum sibi relatum fuisset Paulinum Thessalonicæ Episcopum asseruisse tres esse hypostases, ipse q̄dem ne in eandem sententiam ire fortasse ex eius authoritate cogeretur, dixit, *Ignoro Paulinum:* sic Acacius ep.15. ad Cirill. id autem dicebat, nō vt Trinitatem negaret Personarum, sed q̄a existimabat idem importare *hypostasim, ac vsiam, seu naturam:* quæ cum vnica sit, negabat multiplicādam fore nomine trium hypostasum.

Sententia Hieronymi.

5 Verum cum certum sit tantos Patres, ac pręcipuos Ecclesiæ Doctores nil absonum, nil incongruum voluisse nos docere, ideo lis solummodo sita fuerit in verbis, & in modo loquēdi, itaut exterius à plerisq; discrepantes, interius tñ, veluti idipsū sapiētes, & sentientes forent ab omnibus catholicis existimandi: sic cōsimiliter loquitur Ioannes Papa lib. contra Eutich de duab. Christi Domini naturis, inquiens, *nihil pro vocabulorum diuersitate diffidendum est, cum ad eundem sensum nominum diuersitas prouocet, & intellectum:* hęc ipse. Hinc noscens Athanasius, Patres Alexandrini Concilij solo nomine discrepasse, eos demum concordes reddidit, pacatoque animo reliquit, sic enim de eo testatur Nazianz. orat.21. inquiens, *Postquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam quidquam inter se dissidentes, ita negotium transegit, vt nominum vsum ipsis concedēs, rebus eos adstringeret:* hæc Nazianz.

Ioannis Papæ Athanasii.

Hypostasis, & Vsiæ differentia ex Scholasticis

6 Reliquum tamen est, vt quid demum de re hac hisce temporibus sit sentiendum statuamus: Et quidem cōtrouersijs hinc inde compositis, ac re melius inspecta determinatum habemus qua voce vti debeamus pro explicanda substantia; & qua pro explicandis personis. In primis ergo naturam diuinam nomine explicamus *vsiæ*, loquutione græca; & personalitates diuinas explicamus nomine *hypostasis*: vnde est, vt idē apud Græcos sonet *vsia*, quod apud Latinos sonat *essentia*, & idem apud eosdem connotet *hypostasis*, quod penès nos indicat *Persona*. Vndè cum vnica sit essentia, vnam concedamus *vsiam*: cum verò plures sint subsistentiæ, plures multiplicabimus *hypostases*. Ita Epiphanius docuit in septima Synodo generali, dum redarguebat Eutychianos nolentes distinguere *vsiam* ab *hypostasi*: ita etiam asseruit Paulin. Episcopus Chalced. dum primus fortè multiplicauit hypostases. Ita Iustinianus ad Papam Ioann. ita sexta Synod. generalis Act.4. & Concil. Alexandr. & Calcedonense Act.2. Constantinopolitanum, quintum can.5. & ex Theologis Rich. de S. Vict. lib.4. de Trinit. c.20. D.Thom.1. p.q.29. art.2. Scot. in 1.d.25.q.1.& d.23.q.1. & supponit sæpius in tract. de Trinit. & Incarnat. Bonau. Alex. Richar. & Sentētiarij omnes ibid. Boet. lib. de duab. nat. & ex Patrib. Nissenus libellum edidit de differētia hypostasis, & vsiæ. Athanas. lib. de diffinit. & Basil. epist.43. ad Nissen. iam ergo cōmunis vsus adeo inualuit, vt alienis vti terminis pro re fidei explicanda alioqui incongruis, periculosum sit, & causa erroris: quare non est à communi vsu abscedendum.

Hypostasis significata.

7 Distinctius autem nomina hęc explicemus, & primum loquendo de *hypostasi*, idē primo loco significat, ac *fundamentum*. Vt vbi ex Latino habemus. *Fides est substantia rerum sperandarum*, Gręcus textus habet, *hypostasis*, idest *fundamentum*, quia ipsa est fundamentale initium nostræ salutis, Hebr.11. & vbi legimus in Psalm.69. *infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, græcus legit, *non est hypostasis*,

postasis, quasi dicat, infixus sum in profundissimo, ac imo loco, ita quod profunditatis suæ non appareat terminus. & propterea sub communi conceptione denotet subsistentiam quasi cæteris subsistat veluti subiectum, & fundamentum. Hinc vini fæcem vocare solebant etiam *hypostasim*, quasi vltimum fundum vini; Vltra enim fæcem in dolio nil aliud remanet de vino. Quantoque insuper vsurpata fuit à Menandro pro condimento iuris. quasi ius sine tali subsistentia conditiua sapidum non esset: Multoties sumitur pro *re vera*, prout distinguitur à re minus vera, vel ficta, vel apparenti, ex quo dicere solemus, hæc ratio non est *subsistens*, idest non est admodum vera. Quidquid tamen sit, in Theologica significatione idem denotat, ac personam, incommunicabilem, & subsistentem, ita vt demptis imperfectionibus subiacendi, & substandi, apposito eo quod perfectionem dicit, transferatur ad diuina omni prorsus semota imperfectione. Hinc est, vt Diuus Augustinus lib.7. de Trinitate cap.4. dixerit: *in Deo substantiam abusiuè reperiri, quia nihil in Deo est, quod substat accidentibus, & inde etiam conuenit frumentum à paleis separare, & pretiosum à vili*: quatenus in substantia duo sunt: alterum substare accidentibus, & informari ab eis: alterum, esse independens, & nulli inhærere, sed per se esse; Primum est imperfectionis: secundum verò perfectionis. Transferatur ergo ratio substantiæ, & subsistentiæ ad diuina iuxta secundam eius acceptionem, relicta prima: & inde fuit, vt Boetius substantiam diuinam, non absolutè substantiam vocarit, sed *supersubstantiam*, vt eam semoueret ab accidentibus, & rationibus importantibus imperfectionem.

Hipostasis significata.

Substantia plura comprehendit.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum termini numerales multiplicentur in Diuinis, vt *Tria, Ens, Res, Aliqui, Vnitas, Veritas, Bonitas, Aeternitas, Omnipotentia, Dominus*, &c.

Tria an in Diuinis.

1 TRIA in diuinis admittere absq; modificatione, & declaratione non licet: Ratio, quia denotaretur multiplicari Deitatem: Prob. *Neutrum* indicat Essentiam, ergo dicendo *Tria* indicaretur multiplicatio Essentiæ.

Dices, *Tria* admisit Augustinus penès Bonauenturam: Respondet idem Bonauentura in 1. distinct. 23. artic. 2. quæst. 2. *Augustinum minus expressè fuisse loquutum, & ideo verbum eius esse exponendum.* Expositio autem ea est, vt *Tria* referantur ad personas, seu ad supposita, non ad Essentiam. Hinc Isidor. lib.7. Ethymol. cap.4. *Tria propter personarum proprietatem.* Augustinus etiam seipsum explicat 6. de Trinit. cap. 4. *Ita sunt illa Tria vnus Deus.* Ambr. in Symb. Apost. c.1.2. *Vna est in tribus Deitas, & tria sunt, in quibus vna Deitas.* & infra, *Hæc tria vnus Deus.* Martialis epist. ad Burdegal. c.10. *Has* in

personis tria diuisa, in Dininitate vnus Deus indiuisus *est*. Nanzianz. orat. 32. *Vnum quantum ad essentiam, tria quantum ad hypostases*. Et Orat. 37. *Tria quidem ea nomino, quæ totidē numero sunt* & sup. *Vnum esse tria, si proprietatum rationem habeas*: per proprietates vero intelligit personales constitutiuas proprietates. Ergo sic loquendum cū modificatione.

Entia entitates, an multiplicentur in diuinis.

2 Verum multiplicandum veniat nomen *Entis* in diuinis, vt sint ibi plura entia, negare videntur D. Bonau. in 1.d.23.art.2.q.2. D.Thom.in 1.d. 25.q.vn. Henric.in summ.art.34.q.2. Alexand.p.1.q.49 num.3.& q.15.nu. 6.Richart.d.25.in fin.atque Capreol. 1.d.29.q.vn.art.3. Hinc concludunt distinguendo de voce *Entis*, quod vel sumitur substantiue, vel adiectiue: primo modo negant plurificari *Entia*, secundo concedūt. Ratio primi quoniam in diuinis est vnica Essentia, ergo vnicum Ens, seu vnica substantia, ratio secundi, quia sunt ibi tres Personæ, vnaquæque autem est ens, ergo sumpta adiectiue, siue suppositaliter *Entia* multiplicantur in diuinis. Confirmatur ex modo loquendi Magistri sent. qui d.25. dixit *tres Entes*, non autem *tria Entia*, quem modum loquēdi imitatur Richardus. Item Ioan. 10. tres personæ vnum sunt, *Ego, & Pater vnum sumus*: & 1. Ioan. 5. *Ibi tres vnum sunt*, at illud *Vnum* substantiue se tenet, indicatque naturam: hæc autem non multiplicatur: deducitur ex his multiplicari entia: at entia multiplicata erunt relatiua, & personalia, non essentialia. Non implicat vero, constat, nam persona vnaquæque est verum ens à parte rei: sed sunt tres personæ relatiuæ, ergo multiplicantur entia personalia, & relatiua. Asserere multiplicari entia ad intra simpliciter absque modificatione, ansam præberet dubitandi, vtrum multiplicatio caderet super essentiam: verum quia id implicat, hinc non est absolute dicendum multiplicari entia, nisi addita modificatione, *Respectiua*, vt multiplicentur entia, qnatenus *respectiua*; hincque Damasc. lib. 3. fid orth. c.5. *Tres Hypostases secundum veritatem entes asserimus*. Consimilis erat loquutio Magistri: *Entes* vero, non *Entia* appellant, ne propter *Entia videantur multiplicare Deitatem, sicut neutrum indicat naturam, masculinū vero personam*, vnde *Entes* masculine tenti multiplicant personas. Per *Entes*, ergo idem intelligunt, ac entia personalia, & respectiua.

Res an multiplicentur in diuinis.

3 De voce *res*, vtrum multiplicetur in diuinis, dicendo esse ibi plures res. Videtur quod non, & probatur, quia ex Concil. Lateran. prout habetur in c. damnamus de Summ. Trin. & fid. Cath. *Eadem res est Pater, Filius, & Spiritus sanctus*. Augustinus lib. 1. de doctr. Christ. c.5. inquit, *Trinitas vna quidem summa res, communisque omnibus fouentibus ea*. Item *Res* desnmitur à *Quidditate*, at hæc vnica est in diuinis. Dicendum nihilominus multiplicari nomen *Res* in diuinis, & probatur, quidquid est à parte rei, appellari solet *Res*, prout vsu contingit: in diuinis sunt personæ plures à parte rei, ergo à parte rei sūt plures *Res*. Argumentum est diui Anselmi, qui lib. de Incarn. Verbi c.3. ita loquitur, *Solemus vsu dicere rem quidquid aliquo modo dicimus esse aliquid: qui autem dicit de Deo Patrem, aut Filium, aliquid de eo dicit, & omnes sciunt in Deo Patrem non esse Filium, & Filium non esse Patrem*. Idemque c.1. ait, *Nemo Christianus confitetur Patrem, & Filiū secundū hæc duo principia esse vnā rem, sed duas*. Hilar. lib. 7. de Trinit. *Ego & Pater rerum nomina sunt*. Ac denique Augustinus 1. de doctr. Christ. c.5. *Res, quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus*. Ecce quomodo appellat *Res*, verum est tamen, quod consimili modificatione, vt supra vtēdum est; etenim *Res* sumitur respectiuè, & notionaliter non absolutè, & essentialiter: sic in terminis idem Anselm. de Incarn. c.3. *Hoc modo nil prohibet dicere duas personas Patrem, & Filiū esse duas res, si tamen intelligatur cuiusmodi sunt res; non enim sic sunt Pater, & Filius duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes*, hæc ille: per duas ergo res non intelligit Anselmus multiplicari essentiam, sed personas.

Quod

Quod c.1.superius etiam dixerat: *In duabus rebus intelligendas esse duas relationes.* & Theodoretus contra Sabell. fragm. vlt. *Propter subsistentias tres res eadem res est.* sic Theologi cōmuniter anterius citati, cum Alberto 1.par. q.49. num. 3. Durand.1.d. 25.q.2.Marsil.1.q.40.ar.3. cæterique recentiores,&c. sed sicut cōcedimus tres *Res* modo iam explicato,ita vtrū concedere valeamus tres *Relationes*? Respondendum est consequenter,etenim tres relationes absolutæ, & essentiales minimè conceduntur, propter vnitatē ipsius rei absolutè, & essētialiter tentæ, quæ est Essentia. Tres aūt realitates respectiuas concedamus propter multiplicationem rei sumptę respectiuę. Confirmatur, sicut enim à personis abstrahūtur tres personalitates, sic à tribus rebus respectiuis abstrahuntur tres respectiuæ realitates. Ad opposita ex Conc. Lateran.& Augustino solutio cōstat, quia loquūtur de *Re* sumpta essentialiter,& absolutè. Et ad rationem concesso antecedenti, distinguitur ad minorem, quiditas enim duplex est, absoluta,& respectiua: quidditas quidem absoluta vnica est,& talis non multiplicatur in diuinis: quidditas respectiua triplex est, sicut tres sunt personæ, quapropter multiplicabuntur quoque quiditates respectiuæ.

An multiplicentur Realitates.

4 De *Aliqui, Aliqua, Aliquid*, vtrū sint ibi tria *aliqua*, vel *aliqui*. Richar. de S.Victore lib.4.de Trin.cap.8. ait, *Cum nominantur tres personæ, absque dubio intelliguntur tres aliqui.* August. 7.de Trin.c.4.admittit *Tria quadam.* solutio *Aliquid*, vtique conuertitur cum Ente, valet enim consequentia est Ens, ergo aliquid, vnde infertur Deum esse aliquid, quia est verū Ens: hinc Ansel.de Incarn. c.3. *Qui de Deo Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum dicit, Aliquid dicit.* de hoc verò sic sūpto in singulari, non est controuersia. sed quæritur, vtrum sint tria aliqua ibi in plurali? In singulari quidem vnum est aliquid, Ratio, quia *Neutrū* indicat Naturam: vna est ibi Natura, ergo vnum Aliquid: Quia verò *Aliquis* est masculinum, & multiplicantur masculina, ideo conceduntur tres aliqui, atque hinc meritò Richardus aiebat: Tres personæ intelligūtur tres Aliqui. At quare Augustinus dixit in plurali, tria Aliqua in *Neutro*? Resp. intellexisse supposita, ita vt verè sint tria Aliqua supposita, quæ & ipsa sunt Neutra.

An Aliquid dicatur in diuinis.

5 Item occurrit *Vnitas*, vtrum multiplicetur in Diuinis penès personas, videtur quod non, quia indè sequeretur multiplicatio Essentiæ: Itē quænam erit ista vnitas multiplicāda: vel namq; erit specifica, vel numerica: non prima, aliàs essent tres Dij, sicut Petrus, Ioānes, Iacobus sunt tres homines sub natura humana specifica: non numerica, quia consimiliter essent tres numero Dij, seu tria indiuidua ipsæ diuinæ p̄sonæ, & cōsequēter in ipsa natura indiuidua, imò diuidua differentia, q̄ est contra Aug.7.Trin. c.8.dicentē: *Diuinitatem nō esse communem tribus personis tanquam tribus indiuiduis, quia alias essent tres Dij.* Nihilominus multiplicandę etiam veniunt vnitates: vna cum superiori addito, vnitates quidem non simpliciter ne multiplicemus vnitatem essentiæ, sed *vnitates personarum*: Probo omne ens est vnum: omnis res est vna vnitate trascendentali: Concessum est autem esse tres res, & tres entitates, siue tria entia respectiua, ergo habent tres vnitates respectiuas, licet vnam absolutam. Consensit D Thom.1.par. q.30.ar.3.cum ait, *In Trinitate esse verum numerum transcendentalem.* & Richard.1.d.24.ar.1.quæst 3 item Boet.lib.de Vnitate. *Vnitas est, qua vnaquaq; res est*: sed Relationes personales habent esse, ergo & habent suas formales vnitates. Insuper, vltra hæc confirmatur, numerus constat ex vnitatibus, sed personæ sunt plures numero; ergo habent suas plures vnitates. Denique vnum est id, quod est indiuisum à se, & diuisum à quocumq; alio: taliter se habet vnaquęq; persona, indiuisa quidem à se distincta à quacumque alia. Deniq; vnitas est passio entis: Relationes sunt entia,& sunt plures, ergo habent pleres vnitates. Ad primum autem respondetur negando sequelam, quia hoc est proprium Trinitatis, vt cum Vnitate

Vnitates esse tres, non est cōcedendum absolutè sed cum addito.

essentiæ fiet multiplicatio vnitatis personarum: item sola multiplicatio vnitatis essentialis multiplicat Deitatem, non autem vnitatis personalis. Ad secundum, in diuinis non datur species, neque genus: persona autem vocatur indiuiduum non quidem essentiæ, sed subsistentiæ: nam indiuiduũ essentiæ in diuinis est vnicum, quod est Deus, & hoc indiuiduum est omnino vnum: at indiuiduum subsistentiæ, seu notionale, vt triplex, & hoc multiplicatur: vnde Damasc. l. 3. de fid. Orth c. 4. *numero*, non natura differunt diuinæ *Hypostates*. Naziane. Orat. 35. *etiam* si numero differant, potentia tamen minimè inter se diffident; quo circa vnitas principio in binarium mota, in Trinitate consistit. Multiplicationem autē apertius confitetur Boet. lib. de vnitate, & vno: *omnis pluralitas ex vnitatibus est*. Et d. Thom. insuper 1. p. q. 30. art. 3. *Cum dicimus personæ sũt plures, significãtur illa persona, & indiuisio circa vnãquãque; earũ quia de ratione multitudinis est, quod ex vnitatibus constet*: Obiectionem autem recensitam de multiplicatione essentiæ, quæ videretur sequi ex multiplicatione vnitatũ præsẽtiẽtes patres, ita soluerunt etenim idẽ Boet. lib. de Trinit. ait, *tres vnitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsa sunt*. loquitur autem de essentia, vt non multiplicetur ad multiplicationem vnitatum relationum, & personarum: apertius loquitur Ecclesia in Trinitatis officio, *Sancta, & vna vnitas*. Loquitur vero de vnitate absoluta, & essentiali: Athan. in Symb. *vnũ Deũ in Trinate, & Trinitatẽ in vnitate cõfitemur* Ansel. Prosoleg. c. 23. *Quod autem est singulus quisque hoc est tota Trinitas, simul Pater, & Filius, & spiritus Sanctus: quoniam singulus quisque non est aliud, quam summe simplex vnitas, & summe vna simplicitas, quæ, nec multiplicari, neque aliud, & aliud esse potest*. Et Bernard ad Eugen. l. 5. de consider. *Tres, sed non ad praiudicium vnitatis: pluralitas in vnitate, & vnitas in pluralitate*. Sic Alex p. 1. q. 45. m. 2. d. Bonan. 1. d. 24. ar. 2. q. 1. Gregor. Durãd. in d. Richar. ibid. atque d. 2. art. 2. q. 1. & d. 19. art. 3. d. Tho. 1. p. q. 30. art. 3.

6 De *Veritate* an sint ibi tres veritates, sicut tres personæ diuinæ? videtur quod, non, ita Boetius lib. An Pater, Filius, & Spiritus Sanctus de Diuinitate prædicantur, ait enim ibi *Pater veritas est, Filius veritas est, Spiritus Sanctus veritas est, non tres veritates, sed vna veritas*: Bernard. in Cant. serm. 80. *Pater est verus: idest veritas: Filius est verus, idest veritas: Spiritus Sanctus est verus, idest veritas: & hi tres vnus verus, idest vna veritas*. & Augustin. de Trint. c. 2: lib. 7. *Pater, & Filius simul vna essentia, & magnitudo, & vna veritas*. Nihilominus, vt supra respondendum est, quod sumpta veritate absoluta, & essentiali, vna est veritas, qnia vnus est Dins verus, quã veritate vnica essentiali omnes personæ sunt vnus Deus verus: sumpta tamen trascendentali, relatiua, & notionali, & formali, sunt tres veritates: rationes petendæ sunt ex dictis de vnitate: & inter cæteras, vnumqnodque ens est verum, veritate consequente ente, veluti passione transcendentali: sunt ibi tres personalitates respectiuæ, quæ sunt vere entia realia ergo erunt ibi tres veritates personales. Item persona Patris, est formaliter ens, ergo formaliter verum distinguitur autem à persona Filij, & Spiritus Sancti per suam entitatiuam rationem formalem suique constitutiuam in esse Patris, ergo, & sua veritas, qua est Pater, erit alia ab vnitate, qua filius est Filius, & Spiritus est Spiritus Sanctus: hæ autem distinctiuæ veritates erunt vt sic numeratæ, & distinctiuæ personales consequentes relationes, vt constitutiuas eorum in esse personali, & respectiuo, licet in esse absoluto, sit vna veritas communis, & essentialis. Accedit quod Damasus Pap. 1. in profess. fid. aduersus hęres Apollinaris anathemati zauit *eũ qui non dixerit tres veras personas Patris, Filij, & Spiritus Sancti*. Quod autem veritas essentialis, & absoluta vnica sit, Anselmus docet in Proso. c. 23. *Verbum tuum sic est verum, quomodo tu verax; & idcirco est ipsa veritas sicut tu non alia*. En quomodo Verbum, seu Filius est eadem verita-

Veritates an multiplic.

te ve-

te verum,qua Deus,nempe essentia li:& adhunc sensum loquitur Boetius citatus dum ait,*Non tres veritates,sed vna veritas*& consimiliter Bernardus & Augustinus:ita citati Doctores,cū recentioribus,Vasq.1.p.d.122.cap.7. Suar.de Trin.lib. 3.cap.3. quæ enim de bonitate asserunt,hæc de veritate: & si Doctores aliqui contraire videantur, concordantur per distintionem de veritate essentiali, & notionali:absoluta,& respectiua. Obstabis vero,si sunt ibi tres veritates relatiuæ, ergo tres personalitates habebūt maiorem veritatem, quam habeat Deus.prob.veritas absoluta Dei, seu essentialis vnica est:relatiua triplex,at maior est triplex, quam vna, & simplex: Resp.fore maiorem extra siue, non intensiue; propter eaque Anselmus aiebat, *Verbum tuum sic est verū quomodo tu verax:& idcirco est ipsa veritas,sicut,tu,non alia,quam tu*,non quidem alia.*Intensiue.*

Bonitates an plures. 7 De bonitate an multiplicetur in personis bonitas trascendentalis. Negat Vasqu. 1. p.d.121.Ratio,quia diuina bonitas est integra ex relationibus,ergo relationes non possunt habere propriam bonitatem.Nihilominus loquendo de bonitate diuina, & absoluta ea vnica est omnium personarum: ratio, quia essentialia sunt communia,& tunc numero vnum, idemque,bonitas diuina est essentialis,quia communis, ergo est vnica in tribus:& hinc ad rationem dicitur nō multiplicari,immo cæteris per actiorem tribuere quia ipsa assentia *est pelagus diuinarum perfectionum ex Damasc.* Hinc Damasc.lib. 1. de fid.Orthod.cap.10 aiebat,*non ex tribus imperfectis vnam perfectam intelligemus sed in tribus perfectis vnam simplicem substantiam super perfectam, & ante perfectam*,& cap.11.*perfectas hypostases,personasque dicimus, vt nullam in diuina natura compositionem intelligamus.*Loquendo autem de bonitate trascendentali,& respectiua,plures sunt:De trascendentali patet, vt sup. bonitas est passio entis:ergo vnaquęque personalium relationum habebit suam trascendētalem bonitatem. De respectiua etiam probatur, etenim hypostases sunt relatiuę, ergo vnicuiq;correspondebit propria bonitas relatiua.Obstabis,nō adest penes Patres huiusmodi bonitati multiplicatio;Respond.primo, *argumentum ab authoritate negatiue non tenet*: nam plurima nō explicāt Patres, & tamen explicant ea,& admittunt Theologi: secūdo cōtinent ea tacito,& in virtute, nec enim necesse est singulariter explicari, cætera linquendo sapientioribus,& ingeniosioribus. Tertio reperitur qui exprimat,isque est Damascenus lib.1. de fid. Orth.c.10.inquiens, *Patrem, & filium distingui perfectionibus personalibus.* Ergo in diuinis multiplicantur perfectiones, non quidem absoluta, & essentialis. sed personales,respectiuæ,& trascendentales: ex hinc vero quæri posset an multiplicande sint perfectiones,& infinitates personarum: aliqui sustinentes relationes diuinas esse formaliter infinitas, responderent consequenter multiplicari ad multiplicationem personarum: cæterum Scotistæ negantes dicere perfectionem, negarēt quoq;multiplicari earū pfonales relatiuasp fectiones: qua propter in sententia eorū multiplicantur solummodo perfectiones,seu bonitates relatiuæ trascendentales. Verum autem,loquendo de perfectionibus attributorum,& modorum intrinsecorum,multiplicandæ veniant ipsorum infinitates formales,vtiq; penes Scotum tot erunt perfectiones, seu infinitates formales quot modi intrinseci,& attributa; tum quia attributa,modi sunt infinite,& formaliter modaliterque infinita:tum quia vnūquodque ipsorum suam habet peculiaremformalemque infinitatem. Ergo multiplicantur formaliter perfectiones,& infinitates; vnica tamen stante bonitate,perfectione,atque essentiali communique diuinæ essentiæ fundamentali infinitate, sicut Damascenus aiebat, *Vnam simplicem substantiam superfectam,& ante perfectā.*

8 De Æternitate an concedendę tres æternitates ad trinitatem personarum.Suarez lib.3.de Trin. cap.10. concedit tres durationes, non tres æternitates: ratio, quia duratio est *Æternitates an plures.*

præ-

prædicatum trascendens, proptereaque multiplicabile ad multiplicationem Trinitatis: æternitas non sic. Confirmatur, alias essent tres æterni, hoc vero negat Atanasius in Symb. *Vnus æternus, non tres æterni*. & August. l. 1. de doctr. Christ. cap. 5. *eadem tribus æternitas* ac Isidor. lib. 7. etimolog. cap. 1. *Ad totam pertinent Trinitatem propter vnam, & coæternam substantiam*. Nihilominus dicendum, quod sumpta æternitate absolute, essentialiter, & substantiue, vna est æternitas, non triplex, ratione vnius essentiæ: & ita procedunt testimonia allata: cæterum sumpta respectiuæ notionaliter, & adiectiuæ, multiplicandæ veniunt vt personæ: Ratio ex dictis, quia dantur in personis tres subsistētiæ personales, & respectiuæ, at vnaquæque subsistentia relatiua est æterna, ergo dantur tres æternitates relatiuę, idemque denique fatetur in de idem ibidem Suarez: docetque id ipsum idem Athanasius ibidem, *sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt*.

9 De *omnipotentia*, an multiplicetur, videtur ex eodem Athanasio non multiplicari; ipso dicente, *non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens* Verum à Concilio Lateranensi in cap. firmiter de summ. Trinit. & fid. cath diuinæ personæ appellantur *consubstantiales, & coomnipotentes*. Respondendum igitur, vt supra, substantiue, & absolute sumptum nomen *omnipotens* esse vnum: adiectiue autem, & relatiue multiplicari; quia vnaquæque persona est formaliter subsistens, ergo formaliter omnipotens, sunt autem tres personæ, ergo ad hunc sensum, tres omnipotentes: Athanasius vero loquitur, vt supra *substantiue*.

Dominus dominator an plures

10 De hac voce *Dominus* an multiplicetur, negat absolute ibi Suarez innixus Athanasio, *non tres Domini, sed vnus est Dominus*; eo magis, quia indicant vnam naturam. Verum ponderanda sunt hæc nomina, *Dominus, Dominus, Dominans*: loquendo de *Domino*, & *Dominatore* non multiplicantur, quia sequuntur vnitatem potestatis, & naturæ, & sic loquitur Atanasius: at loquendo de *Dominante* possunt multiplicari, quia respiciūt hypostatim, & subsistentiam personę. A simili arguo, Dum nāmque quæritur, verum Pater, & filius respectu Spiritus Sancti sint vnus spirator, an plures, respondet, præcipue Scotus 1. d. 23. q. 1. esse vnum spiritorem, & duos spirantes; ratio, *Spirator* se tenet substantiue, *Spirantes* adiectiue: at nō multiplicatur substantia in diuinis, sed multiplicantur personæ: sic à pari, *Dominus*, & *Dominator* se tenet substantiue, ideoque non multiplicatur: Dominantes autem, quia tenetur adiectiue hinc multiplicatur. Et ex his consimiliter loquendum de consimilibus, vt dicatur ūnus quidem *Creator* vnus *Gubenatur*, & sic de singulis, dum se tenent substantiue. Cæterum vbicunque potest cadere adiectiuum, possunt talia prædicata multiplicari respectiue.

11 Circa denique prædicata negatiua, an possint multiplicari, vtpote esse *increatū, immensū in materialē, incomprehensibilē, ineffabilē, immutabilē impassibilem, immortalem, inuisibilem*, & huiusmodi: videtur quod non: ait enim Athanas. de Trin. Dialog. 1. *Immortalis est hypostatis Patris: & immortalis hypostasis Filij, nec tamen sunt duæ immortalitatis*. Indeque, *ista hypostasis est incorruptibilitas, & tamen vna est incorruptibilitas*. & Concil. Hispal. 2. act. 113. *Immortalitas Patris cum Filio communis est*. De *Immutabilitate* loquens Isidorus lib. 7. cap. 1. concludit, *Ad totam pertinet Trinitatem propter vnam, & coæternā substantiam*. De alijs August. lib. 1. de doctrin. cap. 5. *Eadem tribus incommutabilitas, eadem maiestas*. Sicque de cæteris, ne videamus diuinam substantiam multiplicare. *Negatiua prædicata an multiplicentur.*

12 Verum pro omnibus, siue positiuis, siue negatiuis prædicatis Dei responsio cum distinctione tantoties data, retinēda est, vt sumpta prædicata talia absolute, & *substantiue*, nequaquam multiplicentur: sumpta notionaliter, personaliter, respectiue, & adiectiue, possint multiplicari: rationes patent ex dictis.

DISPV.

DISPVTTAIO SECVNDA

De Constitutione diuinarum personarum.

QVAESTIO I.

Vtrum persona constituatur per positiuum, an per duplicem negationem.

ARTIC. I.

Referuntur varia Doctorum placita.

Henrici sententia et Durandi. 1 Adest in primis sententia Durandi, & Henrici, asserentiũ personam,& naturã esse prorsus idẽ, distingui vero ex solo modo significandi,& concipiendi;ita vt considerata natura in abstracto, dicatur natura: considerata in concreto,dicatur persona. Hinc autẽ inferunt hanc prædicationem esse veram homo est humanitas: sic Durand.in 1.d.34.& Henric.in quodlib. 4.quæst.4.alique pauci.

Rationes 2 Fundamenta huius sententiæ, hæc sunt, primo suppositum fortis nil aliud est,quam compositum ex anima,& corpore: sed compositum ex anima,& corpore est homo,& humanitas, seu hæc singularis natura humana;ergo suppositum non differt nec quidquam addit ad naturam singularem.Secundo,homo, & natura hominis sunt prorsus idem: at homo est suppositum,natura est ipsa entitas singularis hominis,ergo idem.Tertio concretum,& abstractum sunt idem, differũtq; solũ in modo significãdi,ita in accidẽtibus,sicut in subãstijs:ergo homo,& humanitas differunt in solo modo significãd. Quarto Arist.7. meth.in ijs,quæ sunt per sè idest in substãtijs, idẽ est quod est cũ eo,cuius est at quod est significat naturã: cuius est significat suppositũ, ergo sunt prorsus idẽ suppositũ, & natura,& ex hinc infertur personalitatẽ, & suppositalitatem esse prorsus à natura inseparabilem, etenim identitas aliquorum est formalissima ratio inseparabilitatis eorum.

3 Adest ex opposito sententia famosa,& celebris, personalitatem addere supra naturam.Insuper dingui realiter à natura: & consequenter posse separari à natura.Sententia hęc est communis (loquitur autem de persona creata) vtraque namque schola tum Thomistarum,tum Scotistarum,ita sentit.Verum est tamen, quod discrepant in explicando hoc, quod addit supra naturam. *Sententia Thomistar.*

4 Vnde sententia Thomistarum est personam addere quid positiuum: ad quod inde consequatur independentia, & incommunicabilitas, quæ adæquate,& vltimo complent,& cõstituunt personã,ita Thomistæ in 3.p. q.4.ar.2.tũ antiquiores,tũ recentiores,vt Cae. Med.Sua.in met.disp.34. sect.4.& 1.de Trin.c.3.Vasq.1.p.d. 127. *Scotistarũ.*

127. Tumel. q. 40. ar. 4. d. 3. pluresque.

5 Inter eos etiā, qui addere quicquā positiuum concedunt sunt, qui aiunt positiuū illud esse materiam, referente D. Thom. quod lib. 2. art. 2. Sunt, & qui asserunt super addere accidentia, penes Durandum vbi sup. Alij modum quendam intrinsecum supra naturā, alij extrinsecum. hæc de positiuo.

6 Scotistarū vero sentētia aliquāto diuisa est. Ratioque diuisionis desumitur ex Scoto: & quidem quid senserit Scotus, alij nihil positiuum addere, nisi solam duplicem negationem supra naturam, tum actualis, tum aptitudinalis dependentiæ ad alienum suppositum: & hi sunt frequentiores, & communiter Scotistę, tum veteres tum recentiores ad locum tertij d. 1. quæst. 1. & alibi passim, vbi Scotus id recolit: Alij quid positiuum dicere de mente Scoti, inter quos, & Lychetus ibid. Nec desunt qui dicant Scotum fuisse problematicum, vt inter paucos Posnanus in 1. d. 23. dubit. 2.

Quid senserit Scotus.

7 De Scoto quidem ego duo asfero, primum est nil derminate, & vltimato sensisse de rē ista: secundum, quod pensatis, quæ in vtramque partem disputat, magis inclinat in sententiam duplicis negationis quam in sententiam positiui: quod aperte colligitur tum eo cap. 3. d. 1. quæst. 1. & d. 5. quæst. 2. tum ex quod lib. 19. tum ex alibi sæpe: licet oppositā etiam probabilem existimet. Quod vero nil absolute certo statuat, patet ex locis citatis, tum vero passim in suis scriptis vbi loquens de persona, ferè semper ait, *Si tamen persona constituatur per duplicem negationem*, vel *sustinendo dicere duplicem negationem*, cuiusmodi loquutio est frequens in ipso.

Scotistarū laborali quā de parū vtilis.

8 Et hinc infero laborem Scotistarum esse superuacaneum intuenda hac sententia de negatiuo, quasi hæc sit præcisa mens Scoti: si namque Scotus hanc non assertiue defendit, vt quid tantopere laborant tueri autem eam obnixe quatenus ad eam magis Scotus inclinat, est morem gerere Scoto, solummodo veluti propenso ad eam, non autem veluti authori, & patrono, itaut opposita sit penes eum omnino improbabilis, cū vtraque penes ipsum sit probabilis, licet hæc probabilior. Et ex hinc ego non immorabor in confutatione responsionum aduersariorum ad rationes Scoti pro duplici negatione, dum namque Scotus non assertiue eam docet signum est, quod rationes, quas ipse Scotus adducit, neque concludunt penes ipsum Scotum, alias si cōcluderent, profecto assertiue, & definitiue eam tueretur. Afferam igitur rationes hinc inde, omnesque soluam vt vnicuiq; libeat dimicare pro vtraque parte.

9 Id autem adnotare necesse est, imposturam facere Scoto Suarium, ait enim Scoti sententiam de duplici negatione, esse eandem cum sententia Durandi, & Henrici, grauiter vero offenditur Scotus à Suario, vt solet; nec enim in eius doctrina versatus, de facili erumpit in iniurias Scoti: nec ab eo longe sunt plerique alij, præsertim recentiores. Distat autem admodum à Durando Scotus, etenim Durandus nullam admittit differentiam inter naturam, & suppositum: indeque infertur, esse inseparabilem à natura personam: ac demum, Verbum assumendo naturam, assumpsisse personam ob identitatem amborum, vt sequ. artic. patebit: Scotus autem, licet dicat, nil addere positiuum, ait tamen subsistentiam illam negatiuam distingui realiter à natura: esse separabilem ab ea: ac demum, Verbum assumendo naturam, nullatenus assumpsisse personam: ecce quam distat à Durando Scotus.

Suarij impostura Scoto.

Durandi sententia non eadem cum sētētia Scoti.

AR-

ARTIC. II.

Confutatur Durandus, & Henricus: & expeditur tota ratio personæ.

Persona & natura non differunt sola ratione, sed realiter.

1 Henrici, & Durandi sententia recensita est omnino relinquenda, quatenus docent personā esse idem prorsus, ac naturam: Et in primis efficacissime cōfutatur ex mysterio Incarnationis, & probatur, Verbum assumpsit naturam singularem, non autem personatam, ergo natura, & persona non sunt idem. Antecedens est de fide, & habetur in Concil. Caledd. art. 3. & in cap. firmiter de summ. Tri. & fid. cath. atq; in symbolo Athanasij *Non confusione substantiæ, sed vnitate personæ*. Cum ergo non assumpserit personam, non erit vnum, & idem persona, & natura. Confirmatur, quādoquidem Nestorij hæresis fuit in Christo esse duo supposita, duásque personas. Item quæ sunt idem inter sè, separari non possunt ab inuicem, nec vnum ab alio, absque destructione alterius: at separatur natura à persona, ergo non sunt idem. minor est de fide quia Verbum assumpsit naturam absque persona. Insuper potest Deus naturam singularem, & atomā conseruare absque omni ratione suppositi, & personæ, cum propriæ, tum extraneæ, probatur, separauit naturā humanam à propria personalitate, ergo, & separare poterit eam à personalitate aliena: talis autē diuisio clare indicat distinctionē realem. Cōfirmatur, nulla maior ratio distinctionis realis aliquorum, quam separabilitas eorum, at stat separatio à personalitate propria, & stare poterit separatio etiam à personalitate aliena, ergo distinguuntur realiter. quomodo igitur distingui poterunt sola ratione? Rursus in septima Synodo generali act. 3. habetur hæreticos lapsos fuisse circa mysterium Incarnationis, eo quia existimabant naturam, & suppositum esse prorsus idem: inde vero aliqui inferebant in Christo esse vnā naturam, quia vnica erat persona, quæ persona cum fieret eadem cum natura, ex suppositione ipsorum, ad vnitatem ipsius personæ sequebatur vnitas naturæ: aliqui autem asserebāt duas personas, eo quod dum sunt duę naturæ, dumque aiebant naturas, & supposita esse idem, inferebāt inde in Christo duas personas. Præterea in Concil. Tolet. 2. in 2. tom. Concil. statuitur *naturam, & subsistentiam non esse idem*. Aliquid ergo subsistentia addit supra naturam. Et denique ratione physica arguitur, suppositum est id, quod generat, quod generatur, & quod in vniuersum operatur: vnde axioma, *actiones sunt suppositorum*: licet vero etiam ipsi singulari naturæ competāt aliquę operationes, vt animæ separatæ, quæ intelligit, & vult, nihilominus actiones aliæ non competūt, naturæ humanæ atomæ, nec. n. ipsa ambulat, aut scribit, aut generat aut huiusmodi. Confirmatur, quoniam ad hæc duo requiruntur, tum ratio agendi, tum conditio agentis: illa inest naturæ, hæc supposito, ergo suppositum non differt sola ratione, non in solo modo significandi à natura, sed vere, & realiter.

Soluuntur rationes Dur.

2 Ad opposita in contrarium, ad primum falsum antecedens, vltra enim compositum, insurgit personalitas, & suppositalitas, & hæc potest non consurgere ad compositum: vnde compositum haberi potest ex sola forma cum materia, & singularitate, essetque verum compositum, etiā si non resultaret inde suppositalitas, & personalitas: quamuis autem sine suppositalitate non esset completū compositum deficiente vltimo terminante nihilominus esset verum compositum. Ad secundum si per ly *homo* intelligatur suppositum, falsa maior, distinguuntur enim realiter suppositum, & natura. Ad tertium consimiliter, si *homo* se tenet suppositaliter, falsum quod differant in solo modo significandi tanquam abstractum, & concretum: si autem se teneat indiui-

dualiter pro natura sola singularitate afferta, concedatur: at nō sic sumitur in casu nostro. Ad quartū, Aristot. nō cognouit differētiam inter naturā, & suppositū, ideo existimauit esse idē: ea autē innotuit per fidē innouationis.

Persona supra naturam addit quid reale.

3 Ex hinc infertur suppositum, & personam addere supra naturam aliquid reale. Quale vero sit hoc reale, vtrum positiuum, an negatiuum habebitur infra. Probatur assumptū, quandoquidem natura de sè est communicabilis, at personalitas, & suppositalitas est incommunicabilis, ergo addit aliquid ad naturā. Itē natura est dependens, persona est indedēdēs, natura est terminabilis, persona est terminus talis terminabilitatis. Naturā deniq; omnes fatentur esse quid positiuū, at de psonalitate id plerīq; negāt. Insuper natura de se tota est positiua persona vero iuxta aliquos pro materiali est positiua at, pro formali negatiua, itaut partim sit positiua, partim negatiua, alij vero censent esse de toto per negatiuam, à primo ergo ad vltimum, aliquid addit reale est contra Radamq ui p. 3. contr. 1. concl. 3. opin. opposita negat addere quid reale. Verum quis negare poterit duplicem illā negationem esse quid à parte rei, & reale: vere. n. à parte rei suppositū est incōunicabiles, ergo suppositū addit hanc duplicē negationē, quæ. eil realis forte loquitur de reali positiuo

Natura contractio ad singularitatem & personalitatem

4 Hoc autem, quod addit, est vltimato contrahens naturam ad subsistentiam: talis vero contractio facit, vt natura nequeat amplius communicari, & dependere, in[...]cat enim naturam personatam in sensu reduplicatiuo dependere. Natura quidem specifica duplici contractione contrahitur, primo contrahitur ad singularitatē, secūdo ad psonalitatē primo modo fit natura atoma induidua, hęc est singularis communicabilis tamen secundo autem modo fit suppositata & personata: & omnino incommunicabilis: atque terminata veluti linea à puncto: vnde fit, vt non eodem sit singularis, & persona, non eodem singularizata, & personata, ex Scot. tum in 2. d. 1, q uæst. 1. tum d. 3. quæst. vlt. Et ob hoc toti naturæ perfectæ, & completæ duplex competit esse, alterum, quod est esse existentiæ, & alterum subsistentiæ: primum conuenit ei, quatenus est extra causas suas, existēter à parte rei: secūdū, quatenus habet vltimum terminum, & cōplementū sui esse, quod est esse subsistentiæ, personationis, & suppositationis: per primum di citur natura singularizata, dependens, & communicabilis, per secondum dicitur natura independens, incommunicabilis, atque personata.

Natura an & quomodo cōpetat per sè subsistere

5 Dices, ergo natura nō per sè subsistit, probatur, quia subsistentiam expectat à persona. Item, ergo natura non erit substātia, probatur, substantiæ competit per sè stare ex prædicam: de substantia: at natura singularis nō per sè subsistit, subsistit autem per personalitatem. Respondetur ad primū, naturam per se existere, & id per propriam existentiam: subsistere autem per subsistentiam personalitatis, quod si vim facias *in per sè subsistere* dicendum, naturam non per sè primo subsistere, sed subsistere per sè consequenter, siue subsistere per sè quarto modo perseitatis, ratione causæ, & effectus, ratio, quia per sè subsistere, sumptum pro incommunicabiliter existere, est effectus personalitatis, & à persona talis per sè subsistentia in communicabilis redundat in naturam quatenus personatam. Naturæ ergo, vt natura, competit persè existere, & id de sè; seu per sè, qua atoma, singularis, & extra causas est: vt vero personata est, competit ei per sè existere personalitate.

Substantia, quomodo cōpetit per se stare.

6 Ad secundum, *per sè stare* positum ab Aristot. idem ibi significat, ac nulli subiecto in hærere: & ita verum etit naturam per se stare, ea quidem ratione, qua inhærere ei repugnet, veluti accidens subiecto: & vt sic per sè stat, quia non inhæret: attamen hoc per sè stare non tollit dependentiam ad terminari ad suppositum in ratione complendi totum ordinem, & cursum naturæ, cuius cursus vltimato terminatur ad personam, qualis vero sit differentia inter vtramque dependentiam, tum accidentis ad subiectū, tum naturæ ad personam, pectat ad materiā de incarnat. de quo in 3. d. 1.

7 Se

Natura, & suppositum, distinguuntur sicut res modus rei.

7 Se habet suppositum ad naturam, vt incindens, & inclusum, ex par te tamen vnius foluis: quãdoquidem suppositum includit naturam; est namqne fortes suppositum includens humanam naturam, vice tamen versa non tenet, nec enim suppositum concluditur necessario à natura, cum possit absque supposito stare natura. Dices, suppositnm distinguitur realiter à natura, ergo non in includit naturam. Respond. negando conseq uẽs, datur autem instantia de toto, & partibus, siquidẽ totum distinguitur realiter à partibus, & tamen includit par tes intrinsece in sui natura. Quomodo ergo distinguetur sppotum à natura? Dictum est iam distingui realiter: modo addimus, non distingui tanquam rem, & rem, seu tanquam duas res, non enim suppositum Sortis est vna res, & natura einsdem Sortis, est alia res, sed distingunntur tanquam res, & modus rei: itant natura sit res, personalitas autem sit modus: modus vero iste est, non est modus intrinsecus, sed extrinsecus, proptereaque distinguitur realiter à sua rè: quod sit extrinsecus, iam patuit, quia separabilis est personalitas à natura. Ex quo autem natura est separabilis à supposito, potens existere absque eo non non sequitur, vt vice versa suppositũ sit separabile, possitque existere sine natura, quia modus rei non potest existere sine ipsa re.

Negatio cõmunicabilitatis in persona est admittenda in omni sententia.

8 In quacnnque sententia, siue persona dicat positinnm, siue non admittenda est in ea negatio communicabilitatis, *vt quod*, & *vt quo*, sine dependentiæ ad alienum suppositum. Quotuplex vro sit ista negatio, per quam constituatur in esse personæ, Scotus ait esse duplicem, alteram actnalis dependentiæ, & alteram aptitudinalis. Subditque necessarias esse ambas negationes, itaut vna non sufficiat absque altera. Et quidem persona non constitnitur per solam negationem actualis dependentiæ, alias anima rationalis esset persona, probatur, anima separata non dependet actnaliter à corpore, dum est seinncta à corpore, & tamen non est persona, quia adhuc est iterato corpori communicabilis, *vt quo*, igitnr solius actna lis dependentiæ negatio non sufficit ad personam. Nec etiam sufficit solius, aptitudinalis dependentiæ negatio, datur instantia, quia natura substentificata à Verbo nullam habet aptitudinalem dependentiam ad alienum creatum suppositum, ergo negatio insuper hæc nec sufficit: igitur axigitur vtrumque, tum negatio actualis, tum aptitudinalis dependentiæ; ergo persona consurgit ex negatione vtriusque dependentiæ.

Dependẽtia actualis aptitudinalis, potentialis

9 Hæc procedunt loquendo de persona creata, etenim personæ increatæ erit aliquid addendum. Et quidem dum sumus in negatione dependentiæ, seu commnnicabilitatis, distinguendum est de triplici dependentia: alia namq; est depẽdentia actualis, alia aptitudinalis, alia potentialis: sicut ex opposito triplex dabitur triplicis negatio dependentiæ, vt dicemus. Loquendo quidem de dependentia actuali, ea reperitur in accidẽte actualiter dependente ad subiectnm, cui in hæret, dependentia aptitudinalis reperitur in accidente separato, qnod tamen aptitudinem habet ad inhærendum subiecto. Dependentia denique potentialis reperitur inter ea, inter quæ nulla est repugnantia, vt per aliquam externam potentiam possint vniri, vt lapis potest per potentiam creatam, siue increatam poni sursum. Opposita ad hæc sunt negatio actualis aptitudinalis dependentiæ, & potentialis: negatio actualis, vtpotè si superficies esset expoliata omni colore, esset in ea negatio actualis dependẽtiæ coloris ad eam: siue dum accidens reperienr separatum à subiecto, est in eo negatio actualis dependentiæ ad subiectum, negatio aptitudinalis dependentiæ est in lapide existente deorsnm, in quo tamen est negatio aptitudinalis dependentiæ ad sursum, quia inclinationem habet oppositam ad deorsum; sine natura vnita Verbo, vel proprio supposito, negationem habet aptitudinalis dependentiæ ad alienum creatum, creatum suppositium, & demum negatio dependentiæ potentialis est verbi gratia in homine, cui repugnat

 irra-

irrationalitas, ob quod per nullam potentiam poterit fieri in sensu composito irrationalis: Angelus quoque habet talem negationẽ in quo adest negatio potentialitatis ad esse coloratum, album &c. hæc penes Scotum in quodl. 19 art. 3.

Indepẽdẽtia actualis, aptitudinalis, & potentialis.

10 Hæc ad pesonam applicanda veniunt, at diuersimode: Et quidem in omni persona, siue creata, siue increata reperitur negatio dependentiæ, & communicabilitatis, at cum differentia: loquendo namque de persona creata, in ipsa reperitur duplex independentia, actualis, & aptitudinalis: loquendo de increata, est in ea triplex independentia actualis, aptitudinalis, & potentialis. Non reperitur in persona creata independentia potentialis, ait Scotus, quoniam omnis creata persona est in potentia obedientiali ad Deum, ac propterea vnaquæque dependere potest ad Verbum: Reperitur vero in persona increata talis indepẽdentia, ratio, quoniam persona diuina ad nullam aliam potest de pendere. Dependentiam quidem potentialem habet natura creata ad Verbum, non tamen dependentiam aptitudinalem, inquit Scotus. At dices, non dependet aptitudinaliter ad Verbum, ergo dependentia eius, seu vnio actualis erit violenta, probatur conseq. quia negata dependentia aptitudinali, negatur naturalis inclinatio: negata autem naturali inclinatione sequitur violẽtia. Respondetur quod cum negatione dependentiæ aptitudinalis stat potentia obedientialis, Scoti autem verba sunt, *licet non sit aptitudo talis naturæ ad dependendum, est tamen aptitudo obedientia*, quod fit vt stante perfecta potentia obedientiali cesset violentia in actuali dependentia, quę tamen violentia adesset si negata aptitudine, & inclanatione naturali, negaretur quoque perfecta potentia obedientialis: & hinc iure sequitur vt vt habeat dependentiam potentialẽ ipsa natura, ipsaque persona creata, quoniam quidquid est in creatura, totum est in perfecta obedientiali potentia ad Creatorem. Hæc ex Scoto, & Scotistis communiter.

Scotus ait personam posse assumi, et quomodo, ex sui?

11 Verum non parua se se offert difficultas circa hoc dictum Scoti, aientis personam creatam habere dependẽtiam potentialem ad Verbum: Igitur hinc sequitur, personam dependere, posse communicari: non esse independentem, non esse vltimum naturæ complemẽtum, & terminum: constat vero personam, suppositum, & subsistentiam esse in omni sententia incommunicabilem, *vt quo*, & *vt quod*. Dices, communicari forte alio modo præter hos; verum assignandus esset iste alter modus: quod si dicatur esse modum terminationis solius absque tamen informatione, *vt quo*, & absque diuisione in plura inferiora, *vt quod*: continuo occurritur personam esse terminum omnino vltimum tum sui, tum naturæ, quo fit, vt minime terminari egent ab aliena persona vt quid ergo Scotus personam ait sic depẽdere, & posse cõmunicari, quod pręcipue habet in impugnatione sentẽtię depositiuo, inquiẽs, ꝙ si persona dicit quid positiuũ, ergo persona esset asſũptibilis à Verbo, quia omnis entitas creata positiua est in perfecta potentia obedientiali ad Verbum, dependetque dependentia potentiali ad Deum.

12 Neminem Scotistarum legi, qui hanc mouerit difficultatem, omnes enim impugnationem pretactum vt sic referunt, sicut, & illud de duplici, atque triplici indepentia personæ creatæ, atque increatæ.

Scotus non negat personam esse in assumptibilem.

13 Sententia mea est, nequaquam Scotũ velle docere posse ꝑsonã assumi, comunicari, atque dependere: nõ enim in hoc distat ab alijs; quod vero ita sit, apertissime semper docuit personam esse omnino in assumptibilem independentem, & incommunicabilem. Ita dilucide in 3. d. 5. quæst. 2. vbi ex professo quærit, *Vtrum persona creata fuerit assumpta, vel potuerit assumi*: resoluitque negatiue, inquiẽdo, contradictoria inde sequi, etenim dependeret simul, & non dependeret: dependeretquidem ea ratione, qua assumeretur, non dependeret autem, ea ratione, qua est persona, personæ enim non competit dependere]. Ita in eod. 3. d. 2. quæst. 1. & in 2. d. 1. q. 1.

atque

atque in 1. fere per materiam totam de Trinitate. Talis quoque est sensus Esspositorum in eodem loco tertij d. 5. quæst. 2. vbi Fauentinus negat personam posse assumi etiam à persona diuina. Tataretus ibidem implicat, inquit, contradictionem, suppositum diuinum assumere personam creatam in sensu composito. Ad stipulatur Aretinus ibi, & d. 1. quæst. 1. atque Lychetus, cæterique, non ergo Scoti sensus fuit voluisse inferre personam posse assumi.

Cur Scotus ait personã posse assumi.

14 At si ita est, cur ergo ita loquitur, inferendo ex sententia depositiuo, quod Verbum assumpsisset etiam personam, asserẽs omnem entitatem positiuam posse dependere, & posse assumi à Verbo? Respondet. cum rationis Scoti non fundari super persona, vt persona est, iam enim docuit personam non posse assumi: sed fundari super persona, quatenus est entitas positiua, & creata: verum quia omnis entitas creata, siue omnis creatura est in perfecta potentia obẽdientiali ad Creatorem, hinc, occasionem desumendo, arguit, debere quoque personam assumi, quia ipsa est creatura, omnis autem creatura habet dependentiam obedientialem ad Creatorem: hac ergo occasione mouetur, vt ita arguat, non autem docere intentat personam, qua persona, posse assumi. Respondetur insuper loqui Scotum arguendo, non asserendo, vt patet, assumit enim illud contra sententiam de positiuo.

Instantia.

15 Sed dices, omnis creatura est in perfecta potẽtia obediẽtiali ad Creatorẽ, ergo etiã persona, qua psona dependebit, & poterit assumi. Item suppositum, & ita non erit in potentia obedientiali ad Verbum, sicque creatura aliqua eximetur à debita obediẽtia ad Verbum.

Potentia obedientialis circa quanam in creatura.

16 Respõdetur omnem quidem creaturam, etiam personam esse in perfecta potentia obediẽtiali ad Verbum, attamen non ijs, quæ implicant contradictionem: implicat vero contradictionem, personam posse assumi; de contradictione iam patet, etenim dependeret simul, & non dependeret yt est dictum. Homo insuper est in perfecta potentia obediẽtiali ad Deũ ita lapis, ita cuncta, attamen implicat hominem esse irrationalem: lapidem esse intellectiuum: Spiritum esse corporeum, & sic de singulis. Quousque ergo extendetur perfecta potentia obedientialis? extendetur solum per limites, & metam rationis: cæterum quæ sunt contra metam rationis non extenditur potentia obedientialis, non enim Deus vult irrationabilia, sed rationi prorsus consentanea: admodum vero est consonum rationi personam nequaquam posse assumi, & dependere.

Deus vult rationi consentanea.

ARTIC. III.

Propria sententia.

Quid autem nobis sit sentiendum, dicam: Et primo recolimus, Scoti qualis nam fuerit mens, & sententia, vt vidimus. Constito vero ex antedictis, vel fuisse ex alijs problematicũ vel vtramque sententiam, vt probabilem, ad stipulatum fuisse: vel in vnã magis, quam in aliam inclinasse, ex hinc nos vtramque defendemus, oppositaque hinc inde soluemus argumenta. Veniam dabunt Scotistæ etenim optime Scotus nouit, argumẽta nulla pro alterutra parte cõcludere, imo de facili esse solubilia: ducor ad hoc quoniã nulli parti firmiter ipse adhæret apprime callens, quæstionem in vtrãq; esse partem agitabilem: quo fit, vt si eius, quam Scotistæ communiter sustinent de mente Scoti, argumẽta dissoluam, non iniuriosus Scoto censebor, minusque Scotistis ipsis offensus ero, siquidem Scotus ipsemet plene soluere norat suamet, quas de negatiuo attulit rationes: quodquidẽ facillime præstari poterit etiam à Scotista ex eademmet doctrina Scoti, vt patebit: ob quod etiam ipse Scotus licet sententiæ tali propensus fuerit, non tamen, vt patet firmiter adhæsit. Replicas vero adnectere responsionibus mihi videtur inutile: quapropter

nec

nec in ipsis, (contra morem) immomorabor, sunt namque de facili solubiles replicæ omnes Scotistarum adnexæ responsionibus Thomistarum, quidquid Scotistæ aliqui tantopere elaborantas, in oppositum sentiat.

ARTIC. IV.

Afferuntur, & soluutur rationes probātes personam dicere solam negationem.

ARguitur autem primo, si persona dicit entitatem positiuam, ergo Verbum assumpsit humanam personam: hoc est falsum, ergo dicit solum duplicem negationē: probatur sequela. totum Verbum assumpsit quod erat in natura humana, at persona, est quid positiuū, ergo vltra naturam assumpsit etiam, & personam: Vel formetur ratio sic, si personalitas dicit quid positiuum, ergo in natura erat entitas aliqua positiua in assumptibilis à Verbo: consequens autem est falsum, probatur, quia omnis entitas positiua creaturæ est in perfecta potentia obedientiali respectu personæ diuinæ. Confirmatur si personæ, veluti entitati positiuæ, repugnaret assumi à Verbo, vtique esset in humana natura entitas aliqua incurata, ita loquitur Damascen. lib. 3. cap. 25. *Quomodo est in assumptibile est incurabile*: ergo vt vitiatur hæc, dicendum erit dicere quid negatiuum.

2 Respondetur primo negando sequelam: ad probationem autem, quod omnis etitas positiua, etiam personalis, est in potentia obedientiali, vt assumatur à Verbo, negatur, actio, quia personæ repugnat assumi. Ad confirmationem distinguendum, etenim alia est entitas positiua naturalis, alia personalis, loquendo de prima intelligitur Damascenus, idemque cum assumpsit Verbum, & si hæc fuisset in assumptibilis, fuisset quoque incurabilis, vt loquitur Damasc. loquendo tamen de secunda, non sic: quare non opus fuit assumi.

Verbum assumpsit natur alia naturanon per sonalia.

3 Laborant Scotistæ in impugnandis his responsionibus: at salua pace eas non elidunt. Et quidem dū probant personalem illam entitatem positiuam debere assumi, inutiliter id nituntur demonstrare: etenim artic. præced. vidimus an persona possit assumi: vbi etiam aduertimus Scotum ipsum negare, posse assumi: vt quid ergo hic labor? Respōsio itē de distinctione eētitatis naturalis, & personalis euacuat argumentū, & plane demonstrat sententia Damasceni: quod confirmo, siquidem si Damascenus interrogaretur de quali nam loquitur, ait, *Quod est in assumptibile est incurabile*, vtrum loquatur de natura, an de persona, profecto responderet de natura, persona namque est in assumptibilis, igitur bene currit responsio de duplici illa entitate.

4 Obstari posset ex Fauentino, si persona non fuit assumpta, ergo persona remansit incurata, igitur non totus homo fuit redemptus, & à peccato curatus. vnde ipse infert in beata exēpli gratia, Virgine esse entitatē aliquam non redemptam, vtpotè per sonam. ita infert disput. 2. cap. 2. num. 10. vltra euasiones, quas ipse affert, & consutat responderent, aduersarij personam etiam totius humanæ speciei remansisse curatam, de tota enim specie loquimur, curatio autem eius non facta fuit per eiusmet assumptionem, sed per redundātiam curationis naturæ: cum ergo natura assumpta fuerit, & curata, ipsius curatio, & redemptio redundauit inde in personā: merito autem redundauit, quoniam, totus homo curandus erat, totaque humana natura redimenda; quod si sola natura remansisset curata, & non psona, nec tota natura, nec totus homo redimeretur, sed pars vna remaneret curata, pars altera incurata: at quod *quem Deus sanat, perfectè sanat*, ergo totus remāsit curatus. Verumquia curatio hæc psonæ nequibat fieri per assūptionē psonę, ideo curata remansit per assumptionem naturæ: at

Per sonaas fuerit curata.

at hæc fuit curata, & redempta formaliter, ergo curatio eius redundauit in personam, & sic remansit per redundantiam, non per assumptionem, curata persona. Respondeat vere Fauentinus ipse, cæterique Scotistæ ad argumentum prædictum; non enim militat magis cōtra entitatem positiuam, quam contra duplicem negationem; eodem namque modo argui potest aduersus eos dicendo, persona dicit duplicem negationem, quæro autem, aut duplex ista negatio fuit curata, aut minime: si primū, assignent per quid curatam, non per assumptionem, tum quia persona est in assumptibilis, tum quia negatio est nihil assumptio autem realis non terminatur ad nihil si secundum, ergo non tota natura, nec totus homo remansit curatus. Necesse est fateantur totam humanam speciem remansisse redemptam, ergo, & totam curatam, igitur curatam vndequaque, tum in natura, tum in persona & siue persona dicat quid positiuam, siue negatiuum, non est fatendam aliquam partem eius remansisse incuratam, alias non fuisset *copiosa apud eum redemptio*. Imo facilius se hinc expedirent. Aduersarius, quam Scotistæ, dum namque aiunt personam dicere positiuum, facilius admitterent curationem, quam qui aiunt dicere negatiuum, curatio namque non cadit super negatiuo, sed super positiuo: nec curatur quod non est, sed quod est.

Christus perfectus homo etiam non assumpta personalitate.

5 Obstat insuper idem Fauentinus, inde sequi, Verbum non fuisse perfectum hominem, probatur, non enim assumpsisset entitatem illam positiuam, quam persona diceret: ergo non fuisset perfectus homo, quod est contra Athanasium in Symb. *Perfectus Deus, perfectus homo*. Responderi primo posset adhuc esse perfectum hominem, quandoquidem nil sibi de esset, haberet namque naturam humanam: & quamuis non haberet personam humanam haberet tamen æquiualens, imo perfectius, nempe personalitatem diuinam. At linquo hæc, etenim bene impugnat hoc Fauentinus, quandoquidem inde non sequitur esse perfectum hominem, sed bene sequi naturam humanam eleuari ad gradum altiorem. per vnionem namque ad diuinum Verbum trahitur homo adesse Deum, mediante hypostatica assumptione: sicut si boui adderetur rationalitas, hæc non redderet bouem perfectiorē, sed traheret bonē ad speciem perfectiorem Hinc vero secundo respondetur, adhuc naturam esse pefectam in genere naturæ, semota personalitate; Ratio, quia personalitas non est de quidditate naturæ, alias essent duo hæc inuicem inseparabilia. Item ita se habet personalitas ad naturam, sicut punctus terminans ad lineam: punctus autem non est de essentia, & quidditate lineæ, alis linea cōponeretur essentialiter ex punctis: teminat vero pūctus lineam, ita, & personalitas terminat naturam. Insuper personalitas est modus extrinsecus naturæ, vt diximus; potest autem natura esse absque omni sibi extrinseco. Vrget Fauentinus, personalitas est entitas substantialis, non accidentalis, ergo pertinet ad substantiam. Respond. in primis esse accidens sumptum pro extraneo, in terminis Scoti, quod namque non est de intrinseca ratione alicuius, & pertiuet ad illud, vocatur à Scoto accidens pro extraneo: talis erit personalitas, licet non sit accidens per accidens, prout est vnum de quinque prę dicabilibus. Respondetur secundo esse modum substantialē, non autē ab solute, integrè, & complete de se sola, substantiam, etenim personalitas dicit in natura modum sic essendi, nempe incommunicabiliter existendi, non amplius dependendi, &c. non autē de sè sola est absolute natura humana substantialis, quia natura substantialis remanere potest, destructa hæc sua personalitate, siue hoc suo modo sic incommunicabiliter essendi Respondetur tertio modum hunc substantialem esse modum extrinsecum, vt diximus: quod si hæc vera sunt, sequitur vt extrinsece tantum se habeat ad naturam, sitque natura etiam perfecta absque ea in genere naturæ. Verum est tamen, quod desideratur in natura terminatio; at circa hoc bene dicendum est, naturam considerari, vel abso-

Personalitas an accidens.

Personalitas est modus substantialis.

absolute in genere naturæ, vt naturę: vel vt ordinata ad terminū suæ depē dentiæ: primo modo nequaquā perfectio eius essentialis pendet à supposito; nam perfecta est in genere naturæ absque eo: secundo tamen modo vtique expostulat terminum personalitatis; quæ merito censebitur vltima perfectio naturæ. Denique respondetur entitatē illam non esse de veritate naturæ, vt naturæ, sed sputare essentialiter ad personam, & suppositum.

6 Arguitur secundo principaliter ex Scoto, si personam dicit quid positiuum, ergo natura assumpta à Verbo careret illa entitate positiua: at hoc est inconueniens, probatur, duo enim sequerentur, aut alterum ipsorum: sequeretur nāque vel quod natura dimitteretur à Verbo, vel remaneret sine illa entitate creata positiua, sicut illam nusquam habuit: vel saltim sequeretur, quod Verbum dimittere non posset naturam, ait in ea crearet illam entitatem positiuam.

Natura esse potest absque omni personalitate.

7 Ex doctrina eisdem Scoti soluitur argumentum: Scotus namque de facili concederet, sicut & discipuli eius concedunt, posse naturam relinqui absque omni, tum creata, tum increata personalitate: & per hoc responsum est ad primam, & ad secundū alterum istorum esset verum, vel quod ex vi talis naturæ resultaret cōtinuo in ea sua personalitas, vel quod posset illam Deus creare, & adnectere naturæ, hæc omnia quidē rationabilia sunt: nec quidquā facessunt instantiæ.

Dimissa natura fiet personata emanante ex ead. nat.

8 Tertio arguitur, entitas illa positiua, aut est eadem cum natura, aut distincta realiter: nō eadem, quoniam vel Verbum ipsam tum natura assumpsisset, stante identitate: vel separari non posset à personalitate, quæ namque sunt realiter eadem separari ab inuicem non possunt: si distincta, ergo si separaretur à Verbo, non possit fieri personata. Respondetur esse distinctam: & ad sequelam dicitur, dimissa, verbi gratia natura à Verbo, fieri eam personatam personalitate emanāte ex eadē natura, non obstāte ꝙ distingueretur realiter à persona.

9 Quarto sequeretur posse naturam fieri actu existentem, hanc, & singularem, absque tamen personatione: quod videtur inconueniens: probatur antecedens, posset namque ab entitate, illa positiua se parari natura suadetur, quoniam omne prius absolutum, & distinctum realiter separari potest à suo posteriori: natura est prior personalitate, ergo illa separari poterit ab ista: tum etiam quia remansit natura absque personalitate propria; ergo poterat absque omni: id autem videtur inconueniens. Responsio facilis est, nullum fore inconueniēs naturam remanere posse actu existentem, absque omni personalitate: si ergo dimitteretur à Verbo, posset eam conseruare absque omni suppositalitate. Confirmatur ex eo, quod aduenit accidenti, etenim separari potest à Dei potentia, & existere absque ad subiectum inhærētiā, vt patet in Sacramento Altaris: Quod si tum substantiam singularem tum accidens, implicat esse absque personalitate, & subiecto, reddendo singula singulis, magis vtique implicabit, ita esse accidens, quam substantiam, quia *accidentis esse est in esse* substantia autem à *per se stando*, seu non alteri inhærendo, dicta est: & nihilominus Deus facit vt accidens existat absque subiecto, ergo multo magis facere poterit vt substantia existat absque personalitate.

10 Quinto, entitas illa positiua, aut est substantia, aut accidens: si substantia, ergo humanitati Verbi deest aliqua pars substantialis, vnde non esset perfecta, & completa substantia, nec Verbum assumpsisset integram, sed diminutam naturam: si accidens, ergo non erit persona, probatur, accidens est communicabile saltem, vt quod, tanquam forma subiecto: personalitati autem repugnat omnis cōmunicatio, vt *quo*, & *vt quod*. Sunt qui respondeant, vt Lychetus, nec esse accidens, nec substantiam, sed quid medium, seu esse aliquid substantiæ. Dicimus, & iam diximus, personalitatem esse modū substātiæ, seu modū quendam substantialem in sequētem naturam: non est absoluere negandum esse substantiam, sequeretur nāque

que personam esse formaliter accidens: quod esse falsum inde conuincitur, quandoquidem ratio suppositi, & personæ non tribuitur accidenti, sed substantiæ: non quidem accidenti, etenim accidens est aliquo modo cōmunicabile, vtpotè vt *quo*, persona autem, & suppositum nusquam: accidens dependet, persona est omnino independens; accidens potest assumi, vt de facto assumitur à subiecto, persona, & suppositum nequeunt assumi: non ergo personalitas erit accidens: igitur restat, vt sit substantia: Verum quia de sè sola non facit naturam integram, siue integrum hominem, cum exigatur singularis natura, hinc talis personalis substantia erit imperfecta partialis, & incompleta. At quia munus eius est terminare, hinc diximus appellari potius debere modum substantialem, quam absolute substantiam: modus quidem, etenim est modus suæ naturæ, siue modificat naturam, dando ei terminationem. Ex his vero ad argumentum dicimus negando aliquam entitatem substantialem deesse naturæ assumptæ, habet enim totum, quod est de veritate humanæ naturæ: concedimus tamen deesse sibi modum hunc taliter essendi: & ita verum est, quoniam non habet creatam personalitatem, siue modum illum personalem, quem habet mea, & Sortis natura.

Natura assumpta, an desit entitas aliqua positiua.

11 Sexto Verbum assumpsit totum id, quod plantauit in humana natura: ergo vel Deus non plantauit in natura entitatem hanc positiuam, vel si plantauit, assumpsit, & ita assumpsit personam. Respond. Verbum assumpsit id quidem, quod plantauit in Natura, non autem quod plantauit in persona: entitas hæc pertinet ad personam, quia est constitutiua personæ: at non assumpsit personam, ergo nec entitatē illam positiuam. En autē magis patet, quo præuenit Verbum personam, assumpsitque naturam ante aduentum, siue redundantiam personæ.

Entitas positiua, an spectet ad naturam, an ad personam.

12 Septimo, stante, quod dicat entitatem positiuam, inde sequitur non posse Deum assumere, verbi gratia, modo naturam Sortis, iam personatam propria personalitate; probatur, est. n. vnita secum, ergo vel nō posset assumere naturam, vel si assumeret, vtique eam assumeret cum eadem personalitate. Resp. dato casu, tūc destrueret personalitatem, siue separaret eam, & assumeret naturam expoliatam personalitate, id vero non implicat, dictum est enim distingui realiter, & posse inuicem separari. Differentia vero interueniret inter assumptionem hanc nouam, & illam factam in Incarnatione, quoniam personalitas naturæ tunc assumptæ fuit præuenta, personalitas autē ista noua quia, iā inesset naturæ, cederet, cessaret, separaret eā Deus à natura, siue destrueret.

Quid fieret de personalitate Sortis si eius assumeretur natura.

13 Fauentinus vltimo arguit, Persona definitur à Rithardo, quod sit *intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*. Sed existentia est idem, ac natura; incommunicabilis vero est idem, ac personæ: ergo persona non dicit positiuam existentiam, quia illa est naturę, dicet ergo negationem communicabilitatis. Respond. existentiam personæ non esse existentiam naturæ, vnde natura habet existentiā, persona subsistentiam, etiam positiuam. Arguit aduersus hoc adducendo duo inconuenientia: primum, sequeretur in eodem reperiri oppositos modos essendi, vtpotè communicabiliter, & incommunicabiliter: primum per existentiam: secundum per subsistentiam. Et alterum, quod simul in eodem esset existentia, & subsistentia, quod aduersatur Thomistis, adueniente namque subsistentia recedit existentia.

14 Verum hæc non obstant: & ad primum, non implicat reperiri oppositos simul modos essendi in eadem natura personata, quia distinguuntur realiter; quatenus enim natura est, communicabilis est: quatenus persona, prorsus incommunicabilis est. Hoc autem inconueniens non magis militat contra Thomistas, quam contra Scotistas: siue namque constituatur persona per positiuum, siue per negatiuum, in vtraque sententia asserendum erit in natura personata reperiri oppositos modos, communicabiliter, & incommunicabiliter existendi:

Opposition modi essendi, an in eodē.

& hinc solutum est inconueniens. Ad alterum, respondeant Thomistæ sic sustinentes; Cæterum Scotistæ sententiam illam non amplexantes de recessu existentiæ, dicerent remanere simul existentiam, & subsistentiam.

ARTIC. V.

Diluuntur argumenta probantia personam constitui per positiuum.

Negatio nõ potest competere alicui sine opposita affirmatione; declaratur.

1 QVæ pro sententia de entitate positiua pugnant argumenta, hæc sunt potiora. Et primo, negatio non potest competere subiecto, nisi per oppositam affirmationem: persona dicit duplicem communicabilitatis negationem, ergo dicet antecedenter affirmationē, & entitatem aliquam positiuam. Respondetur ex Scoto, negationem cõmunicabilitatis duplicem esse, aliam simpliciter, aliam secundum quid: prima excludit triplicem communicabilitatem, actualem, aptitudinalem, & potentialem: secunda excludit solum duplicem communicationem, actualem, & aptitudinalem: loquendo de prima, cõceditur assumptum; & ita est, quoniam personalitas diuina vltra talem negationem, dicit quoque entitatem positiuam, cum vere constituatur etiam ex positiuo: in eaque est triplex illa negatio communicabilitatis, vt art. 2. fuit explicatum; loquendo de secunda, nequaquam verum. Respondetur secundo quod aliud est loqui de repugnantia ad communicari, aliud de repugnantia ad posse communicari; exemplum primi, accidens separatum à subiecto iam non communicatur actu subiecto; sicut & superficiri carenti albedine, iam non communicatur actu albedo, ob quam negationem, dum adest negatio, repugnat communicatio; non quidem quod repugnet simpliciter, & in sensu diuiso, sed in sensu composito, quo etiam sensu currit illud Aristotelis, *Omne quod est, quando est, necesse est esse* pariformiter dum negatio communicationis, & dependentię inest, in sensu composito repugnat in esse; ita intelligitur hæc responsio Scoti ex quodlib. 19. exemplum secundi, negatio rationalitatis in homine dicit repugnantiam ad posse talem negationem homini communicari, per nullam namque potentiam potest competere homini, sicut ex opposito negatio communicationis inest accidenti in Sacramento Altaris, dum non communicatur suo subiecto. Hoc stante, loquendo de negatione repugnantiæ ad communicari, hæc præsupponit positiuum; & talis est persona diuina, cui omnino repugnat dependere, & communicari; loquendo autem de negatione communicationis, non necessario præsupponit entitatem positiuam; & talis est persona creata, cui dependere non repugnat ad suppositum diuinum, ait Scot. cum omnis creatura sit ad Deum in potentia obedientiali. Hinc loquendo de accidente separato, competit ei negatio dependentiæ actualis, at non per aliquid positiuũ, seu affirmationẽ; loquẽdo autẽ de irrationalitate, seu de negatione rationalitatis nõ potest cõpetere homini, nisi per oppositã entitatem positiuam. Vel sub terminis alijs, & reddit idem, at clarius: vel loquimur de negatione repugnantiæ, vel de negatione simpliciter; prima est, quæ non potest cõpetere alicui sine oppo sita affirmatione, & talis est negatio rationalitatis, ideo namque non potest homini competere, quia inest opposita forma, seu affirmatio: secunda est, quæ potest quidem inesse absque opposita forma, seu affirmatione, & ita negatio dependentiæ inest accidenti, at non per oppositam formam, siue affirmationem. Negatio repugnãtię reperitur in persona diuina: negatio simplex in persona humana.

Negatio multiplex.

2 Arguitur. Substantia ex Arist. in-

Persona, et natura ex Arist. omnino idem. in prædicam. subst. & quinto metaph. diuiditur in primam, & secundam: in Essentiam, & substantiam primam; at vtraque ex eodem constituitur per positiuum, non per negatiuum. Confirmatur, idem prorsus sunt persona, singulare, & indiuiduum: at hæc indicant quid positiuum, ergo & persona; antecedens est Aristotelis, qui nullū discrimen admittere inter hæc visus est. Respond. Aristotelem nullam admisisse differentiam, seu saltem non tantam, quantam Theologi, inter substantiam, & suppositum, seu personam quapropter docere intendit omnem substantiam, tum primam, tum secundam, tum singularem, tum indiuiduum tumque personam, eodem modo se habere in sua constitutione; vt sicue substantia, & natura singularis, atque indiuidua constituitur per positiuum, ita & constituatur persona, per quod responsum quoque remanet ad confirmationem.

Persona negatio non est nihil. 3 Arguitur, negata entitate positiua constituente personam sequitur personam esse nihil in rerum natura; probatur, Persona formaliter dicit duplicem negationem, non autem quid positiuum, ergo dicit nihil, est enim negatio nihil. Respond. negando conseq. Ad probat: falsū est negatio

Non omnis negatio nihil. nē omnem esse nihil: etenim deambulationis negatio in me sedente, & scribente non est nihil, sed quid reale; etenim verum est à parte rei quod nūc non ambulo. Negatio rudibilitatis in homine non est nihil, sed vera reale, quia vere realiter homo non est rudibilis, est ergo falsum omnem negationem esse nihil: ergo & personalitatis negatio non erit nihil, sed quid reale, cum à parte rei personæ competat duplex illa negatio; diximus vero artic. 2. reale illud non esse positiuum, sed negatiuum; priuatio namque in materia est quid reale, licet priuatiuum, ita & negatio in persona, licet negatiuum.

Natura dependentis, & independentis differentia. 4 Arguitur, si solam diceret negationem, ergo nulla esset differentia inter naturam expoliatam personalitate, & ipsam personam: prob. persona dicit illam negationem natura quoque dicit illam negationem probatur, quia non dicit quid positiuum, sicut nec positiuum dicit ipsa persona. Resp. negando consequ. & ad probat: dicendum, naturam nequaquam dicere illam negationem duplicis dependētiæ, immò dicit dependētiam, vel vnā, vel ambas: vnā quidē, nempe actualem ad Verbum, dum actu pendet ab eo, & aptitudinalem ad proprium suppositum, dum caret eo: quod si natura aliqua à nullo dependeret actu supposito, nec alieno, nec proprio, dependeret tamen aptitudinaliter ad suppositum proprium: dum vero dependeret, vtique distingueretur à persona, quæ nullatenus pendet.

5 Arguitur, dependet natura ad propriam personalitatem, siue actu, siue aptitudine: personalitas autem cū sit negatio, erit nihil, ergo dependabit ad nihil. Confirmatur, terminatur natura à personalitate, quæ est negatio, & nihil, ergo terminatur ad nihil. Insuper completur natura per personalitatē: at hæc, qua est negatio, est nihil, ergo cōpletur per nihil. Omnia facillime soluūtur, dictū est namq; falsum esse, negationē illam esse nihil; quod cum sit vere à parte rei quid reale, licet negatiuum, poterit vere, & realiter terminare, & complere dependentiam naturæ, subsistentia namque personalis, licet negatiua, non est nihil.

Persona creata quomodo consumpta in assūptione naturæ. 6 Arguitur, Concilia, Patresque aiunt, Verbum in assumptione naturæ, non quidem assumpsisse personalitatem, seu personam, sed potius eam consumpsisse: at consumptio non est negationis, seu negatiui, sed affirmationis, & positiui. Resp. loqui Patres, & Concilia non de consumptione positiua, hæc namque exquirit obiectum consumptibile positiuum. Loqui autē de cōsūptione negatiua, qua lis est personalitatis dicentis negationem; & sensus erit, Verbum consumpsit personalitatem creatam, id est, Verbum non assumpsit duplicem illam negationem.

Personalitatis creatæ suppletio, non est supplerio nihil 7 Arguitur, Verbum suppleuit personalitatem creatam: si autem personalitas hæc est negatio, ergo suppleuit nihil; vt igitur in rigore, & veri-

veritatê dicatur suppleſſe ; oportet dicat positiuam entitatem. Resp. vtiq. suppleuit, at supplementum stat in terminando; etenim natura, quæ terminari debuerat à propria personalitate, terminata fuit à Verbi suppositalitate. Cum ais, supplementum fieri debere per quid positiuum; dico, vtique persona Verbi constituitur etiam ex positiuo ; si vero inferas, id, quod suppletur, esse debere quid positiuũ, negatur illatio, personalitas enim creata, quæ suppletur, est quid negatiuum: in quo distinguitur à personalitate increata, quæ vltra negationem dependentiæ, dicit etiam positiuum.

Persona increata per positiuum, non creata.

8 Arguitur, persona increata constituitur per positiuum, ergo, & creata: probatur, tum quia persona creata est participatio quædam personæ increatæ; tum quia vniuocantur insimul in ratione personæ. Resp. negando consequ. & ad primum, minime sequitur; etenim inde sequeretur personam creatam esse increatam, independentem, infinitam, necesse esse; & huiusmodi, nam talis est persona diuina, cuius participatio, ex argumẽto, est persona creata. Ad secundum, minime vniuocantur ; & si vniuocatio interuenit , ea erit inadæquata , vt infra monstrabimus propria quæst. siquidem personæ creatæ competit duplicis communicationis negatio, increatæ triplex. Dices, à personalitate diuina, *omnis persona in cælo, & in terra nominatur, ergo.* Respon. ex inde colligi similitudinem aliquã interuenire inter personam diuinam, & humanam ; sicut & in multis alijs similitudo constat inter Deum , & creaturam ; at non inde inferri nec æqualitatem, nec perfectam vniuocationem; conueniunt namque vtraque personalitas in eo , quod vtraque est incommunicabilis, at disconueniunt in entitate etiã positiua, quã vltra incõmunicabilitatẽ dicit persona diuina, quam tamen negat humana.

Natura assumpta, an ens completum.

9 Arguitur, negata positiua entitate sequitur naturam assumptam à Christo Domino esse ita perfectam, & completam substantiam , sicut Persona Sortis, prob. naturæ, nil positiuum deest; Dices, deest negatio, quę inest personæ: Contra, negatio non pertinet ad complementum substantiæ, cum substantia sit ens positiuum. Resp. naturam in genere naturæ esse completissimam, nil enim sibi deest in tali genere : completionem autem talem fieri per sua positiua ; at in genere suppositi postulare duplicem negationem; cum ais, per negationem non posse compleri, concedo in genere naturæ , posse tamen compleri in genere personæ . Dices, si natura est completa, ergo ex ipsa, & Verbo non potest fieri vnum per sè; prob. non ex duobus entibus perfectis, & completis fit vnũ per sè, sed ex entibus incompletis, vt ex partibus: ex materia & forma; non autem ex duobus compositis habentibus iam esse totale, & & completum. Respondetur Suariũ hoc gratis inferre; & quidem iam diximus, naturam in genere solo naturæ esse ens cõpletum; cæterum, quia deest sibi duplex illa negatio, duplexq; incõmunicabilitas, per quã redditur natura per sè subsistẽs, & persona, hinc ẽa dicitur incõpleta, cuius tamẽ incompletio suppleta fuit à supposito Verbi hoc stante, poterit ex Verbo, & natura, vt natura est, fieri vnum, quia natura, vt natura non habet omne complementum , ad quod inclinatur ex intrinseco naturæ, quod esset propria personalitas; dum ergo est sic incompleta, fit ex Verbo & ipsa, vnum; quod quidem vnum fieri nequiret si ipsa esset iam propria personalitate suppositata, non enim ex duabus personis fit vna, siue vnum, cum persona non dependeat ad personam. Insuper cum loquitur de per sè vno , quæro quidnam est istud per sè vnum , aut vnum compositione, & hoc non, quia nec natura, nec Verbũ habent rationem materiæ, & formæ : actus, & potẽtię: nec Verbũ informatur à natura, nec vice versa: ergo gratis infert hinc compositionem. Dices Damascenus, ait, *Verbum esse compositum.* Respon.

Verbũ, an cõpositum.

Scotus in 3.d.1.q.1. ad primũ idem esse ibi *compositum*, ac *simul positum*, & ita verum est, quoniam Verbum cum natura est simul positum ; non autem sumitur ibi *compositum* rigorose, & physice, pro vnione plurium,

quo-

quorum alterum est actus, & potentia; materia, & forma; ergo aliud vnũ est expetendum, illud autem erit vnũ hypostatiee, seu vnio hypostatica.

Aqua pars diuisa quomodo sit suppositum.

10 Arguitur si natura dimitteretur à Verbo, fieret persona; impossibile autem videtur fieri personam, & non per aduentum alicuius entitatis positiuæ. Resp. fieri personam, at per aduentum solius duplicis negationis. Dices separetur pars aquæ ab aqua, pars separata fiet suppositum, dum per sè subsisteret seorsim à tota aqua at id non videtur absque aliquo nouo positiuo in hac parte aquæ. Resp. con similiter aduenire, vt per duplicem negationem euadat suppositum.

Negatiuũ, à terminus positiui.

11 Arguitur, potest ex Scot. in 3. d. 1. qu. 4. persona creata terminare naturam creatam; ergo personalitas dicit quid positiuum; prob. sequ. terminus relationis non debet esse minoris conditionis, & entitatis ipsa relatione: at vnio est relatio, & vtrumq; est quid reale positiuum, ergo & debebit personalitas terminans esse quid positiuum. Confirmatur, vnio est quid positiuum ergo & terminus erit quid positiuum, non enim potest positiuum dependere à negatiuo, quomodo namque negatio poterit esse terminus entis positiui? Ad hoc respondet quidam Scotista, Scotum ibi esse problematicũ; hoc vero dicit, vt negando, posse naturam creatam dependere à persona creata, se facile expedi at ab argumento, itaut in eius sensu, responsio sit, negatur personam creatam posse terminare naturam creatam; sic enim euaderet allata inconuenientia; ita Vulpes de Trin. disp. 63. art. 3. n. 20. Fauentinus respondet terminum talis dependentiæ fore duplicem, materialem, & formalem; primus erit natura singularis, eritque talis terminus ens positiuum; secundus erit personalitas, duplexque negatio, & terminus hic erit negatiuus; ex duobus autem his terminis partialibus integratur vnus totalis, qui cum non sit secundum se totum negatiuus, poterit esse terminus vnionis positiuæ, & realis, est nãque & terminus ipse totalis, ex parte positiuus. Responsio hæc placet cæteris Scotistis, & ita cõmuniter respõdent; Negare autem in sententia Scoti, posse personam creatam terminare dependentiam naturæ creatæ, est quid voluntarium, vt vis effugiatur argumenti: quamuis namque Scotus ibi dubitatiue, & pro vtraque parte disputet, nihilominus pars affirmatiua recipitur communiter à Scotistis, vt videre est in Expositoribus, licetque Scotistæ ipsi itidem problematice se habeant, inclinant tamen magis in sententiam affirmatiuam; ipseque Scotus in hanc eandem affirmatiuam potius inclinat, vt ipsemet loquitur in secunda positione de affirmatiua, & ad hunc sensum trahunt eũ Flauius, cæterique.

Vulpis responsio non placet.

Persona aliter in Essentia diuina aliter in natura creata.

12 Arguitur, Natura diuina est quid per se, & indepẽdẽter existẽs, & nihilominus additur ei personalis diuina, quæ est quid positiuum ex omnibus; ergo & naturæ humanæ talis fienda erit additio alicuius positiui; prob. conseq. minus dependet, seu magis subsistit natura diuina, quam creata, hæc enim est magis dependens, minusque subsistens, ergo hæc magis indiget: Resp. personas diuinas inesse Essentiæ diuinæ non ex indigentia Essentiæ diuinæ, ipsa namque est *pelagus omnium perfectionum*. Sed pullulare ex Essentia diuina non ex indigentia, sed ex infinita perfectione eiusdem Essentiæ diuinæ, est namque adeo perfecta, vt erumpat inde (vt ita loquar) in emanationes, & processiones diuinas; quapropter non pullulant inde personæ in Essentia, vt à personis sustentetur Essentia, sed pullulatio talis erit ex summa eius perfectione, proptereaque Essentia est ens omnino primum, & independens: at natura humana habet quidem indigentiam personalitatis humanæ, ideoque ex necessitate, & indigentia pullulat in ea personalitas, vt det complementũ, terminum eidem naturæ humanæ; quę quidem dici non possunt de diuina, vt sup. lib. 1. disp. 2. q. 8. ostendimus; ergo merito naturæ humanæ sub hac ratione conuenit, non diuinæ; Quod vero talis personalitatis creatę cõpletio fieri habeat per positiuum, id negatur.

13 Arguitur, suppositum, qua suppositum,

Suppositũ, à dicat perfectionem.

positum, dicit perfectionem; nulla autem negatio dicit perfectionem. Resp. suppositum dicere perfectionẽ pro connotato: pro formali autem est in controuersia positum, & adest sententia negatiua. Quomodo autem, vel verum, negatio dicere queat perfectionem, diximus to. 1. disp. 5. q. 1. a. 3.

Personalitas, an competat naturæ per principia intrinseca.

14 Arguitur, duplex ista negatio, vel competit naturæ per sua principia essentialia, & intrinseca; vel per entitatem aliquam positiuam: si primum, ergo omnis singularis natura, qua natura, erit ex sè, & ab intrinseco persona: si secundum, ergo habetur intentum. Resp. supponendo personalitatẽ pullulare ab intrinseco naturæ, vt est sæpius dictum. Hoc supposito, dum quæritur vtrum negatio competat naturæ per sua principia intrinseca, hoc quidem differens est à præsupposito, etenim aliud est quærere vtrum personalitas pullulet ab intrinseco naturæ; & aliud, vtrum competat naturæ per sua principia intrinseca: primum concedimus, & secundum negamus; vnde ad argumentum dicimus, neque competere naturæ per entitatem positiuam, neque per principia intrinseca, sed tantummodo competere ei extrinsece; ratio, tum quia personalitas non est de intrinseca ratione naturæ, alias natura de sè esset incommunicabilis: tum quia est separabilis à natura, &c. illud autem extrinsecum consistit in extrinseca terminatione per subsistentiam incommunicabilem, &c.

Persona est modus substantialis negatiuus.

15 Arguitur, substantia est ens positiuum, ergo persona non poterit constitui ex duplici negatione, alias, cum sit substantia, esset substantia ens negatiuum. Resp. aliud esse loquì de substantia, aliud de subsistentia: primũ erit ens positiuum, & talis est substãtia naturæ singularis. &c. Secundum vero non implicat esse quid negatiuũ, & tale erit personalitas, quæ est subsistentia. Dices, subsistentia hæc est etiã substantia, ergo quid positiuum. Resp. esse modum substantiæ, dictum fuit namque esse modum substantialem: quod autem modus rei, sit quid negatiuum, non implicat, ita vero se habebit persona ad naturam, veluti modus substantialis negatiuus ad naturam positiuam.

Persona est vnum per negatiuum

16 Arguitur, ex positiuo, & negatiuo non fit vnum per sè; persona est vnum per sè: ergo non erit quid negatiuum, vltra naturam positiuam; quomodo namque ex positiuo naturæ, & negatiuo personæ consurgere poterit per sè vnum. Respond. Ex positiuo, & negatiuo non fieri vnum per se positiuum, sed negatiuum, quia conclusio, seu compositio sequitur debiliorem partem; indeque sumet denominationem: est autem negatio pars debilior, quam affirmatio, ergo non obstante positiuo, & affirmatiuo naturæ, denominatio compositi pendebit à negatiuo, & ita erit vnum per sè negatiuum.

QVÆSTIO II.

Vtrum Diuinæ Personæ seipsis constituantur, & distinguantur.

1 Sensus quæstionis est, vtrum in diuinis personis sint aliqua duo, quæ sint eiusdem personæ constitutiua, ita tamen vt ea ad inuicem aliquo modo distinguantur, ad hoc, vt vnum possit habere versus alterum ordinem aliquem penes tertiam personam constituendam: & quia vna persona conuenit, & distinguitur ab altera, quæritur per quid conueniat, & per quid distinguatur: vtrum per aliquod particulare ipsorum constitutiuorum, an vero distinguantur per sonæ, & conueniant seipsis totaliter, & adæquate secundum seipsas totas. Fuit penes Scotum in 1. d. 26. quæst. 1. & penes D.Thom. 1. part. quæst. 32. artic. 2. Sententia Præpositiui, qui docenit non esse quærendum per quid distinguantur, sed se totis constitui, atque se totis distingui. Sequitur sententiam hanc Gregor. Arimin. 1. d. 26 & 27.

Præpositiuí sententia.

2 Caetanus 1. part. quæst. 40. art. 2. distinguit, quod de personis loqui possumus dupliciter, primo prout sunt à parte rei: & secundo prout concipiuntur ab intellectu: primo modo seipsis, constituuntur, & seipsis distinguuntur: secundo modo non distinguuntur seipsis, sed suis proprietatibus relatiuis. Consensit Molin. ibidem, & Vasquez 1. part. d. 150. cap. Ferrariens. 4. dontrag. Fundamenta vtriusque sententiæ afferentur infra.

Caetani sententia.

3 Sit nihilominus aduersus Præpositiuum hæc assertio. Personæ diuinæ non seipsis totaliter constituuntur & distinguuntur: inter cæteros probat id Scotus validissimis rationibus & primo, ea, quæ sunt primo diuersa in nullo conueniunt: ex opposito autem sic arguitur; quæ non sunt primo diuersa, in aliquo conueniunt, & in aliquo distinguuntur: at personæ non sunt primo diuersæ, ergo per aliquid conueniunt, & per aliquid distinguuntur; ergo non constituuntur, & distinguũtur se totis. Maior patet, quia implicat, vt primo diuersa in aliquo conueniant; & minor etiam patet, quia conueniunt in Essentia, & differunt in proprietate. Item principia distinguendi à priori sunt principia constituendi: sed proprietates sunt principia constituendi. Insuper in Patre reperitur generatio actiua, & spiratio actiua: in Filio reperitur generatio passiua, & spiratio actiua: at Pater, & Filius non distinguuntur penes spirationem actiuam, quia in ea cõueniũt, distinguuntur autem penes generationem actiuam, & passiuam, ergo nõ sẽ totis distinguuntur: reperitur quoque in iis identitas Essentiæ, ergo per Essentiam, & spirationem conueniunt, & per generationem distinguuntur. Præterea Augustin. 5. Trin. cap. 6. *Si Pater non esset ingenitus, nihil prohiberet esse Patrem*, nunc quidem Pater distinguitur à Filio, & per esse ingenitum, & per esse Patrem: si tamẽ non esset ingenitus, iam conueniret cum Filio, qui non est ingenitus; & non conueniret in esse Patris; ergo non se totis conueniunt, nec à se totis

Aduersus præpositiuũ Persona nõ se ipsis totaliter constituuntur, & totaliter distinguũtur

tis conueniunt, & distinguuntur, vel est Essentia, vel relatio; si Essentia, ergo per Essentiam simul conueniunt, & distinguuntur; primum est verum, secundum est falsum: si est relatio, ergo per relationem conueniunt, & distinguuntur, primum est falsum, & secundum est verum. Insuper si se totis, seu per idem conueniunt, & distinguuntur, sequitur, Patrem communicare Filio totam personam suam, & paternitatem, quod est contra Conc. Florent. dicens, *Pater omnia dedit Filio, præter esse ingenitum*; prob. consequent. iam in Patre non est aliquid, quo cũ Filio côueniat, distinctum ab eo, quo differat: sed communicat Filio Essentiam, ergo communicat, & paternitatem, & ita Filius esset Pater. Item Pater distinguitur à Spiritu sancto quatenus est Spirator, & à Filio quatenus est Pater, ergo non se toto distinguitur; item à Filio non distinguitur vt Spirator, quia ambo spirant sed vt Pater, ergo non se toto distinguitur. Denique in Concil. Lateran. ex cap. firmiter de Summ. Trin. & fid. Cathol. habetur, *Hæc sancta Trinitas secundum essentiam indiuidua; secundum proprietates personales discreta.* Hinc innotescit personas non esse distinctas se totis, sed solummodo secundum proprietates, at secundum Essentiam esse idem essentialiter. Confirmatur ex Ecclesia præfatione de Trinit. *in personis proprietas, & in Maiestate adoretur æqualitas*: distinguit vero Ecclesia proprietatem ab Essentiæ vnitate, & Trinitatis Maiestate.

Aduersus Caetani.

4 Secunda Assertio, personæ non solum quatenus à nobis concipiuntur verum quatenus habent esse à parte rei, nequaquam seipsis totis constituuntur, & distinguuntur. Hæc est aduersus Caetan. & contra Vasqu. Molin. & ex parte contra Suar. prob. Concilia docent personas constitui, & distingui proprietatibus relatiuis, at nequaquã docent id fieri per conceptionem nostri intellectus, sed aiunt id fieri vere à parte rei. Item Patres, & Concilia docent personas multiplicari per relationes, & non multiplicari per Essẽtiam: multiplicatio hæc verum fit rationis per intellectum, an à parte rei.

A parte rei non seipsis totis constituuntur, et distinguuntur.

Si à parte rei, ergo non seipsis totis distinguuntur, & conueniunt, sed distinguuntur per origines, conueniunt per Essentiam; si per intellectum, ergo numerus personarum, earumque multiplicatio, & distinctio non est à parte rei, & per consequens peribit Trinitas, Trinitatisq; misterium erit quid pendens à ratione, ac consequenter cessante opere intellectus concipientis, cessabit numerus, & distinctio personarum, & in summa Trinitatis misterium erit ens fictitium, & imaginatium. Insuper sententia hæc non est aliena à sententia Præpositiui, prob. non negaret Præpositiuus secundum nostrum modum concipiendi distingui ratione *quod est*, & *quo est*, in persona diuina, ergo coincidunt hæ duæ sententiæ: cum tamen ambæ à parte rei asserant non distingui, sed se totis personas côstitui, & se totis distingui. Item Patres Concilij non attendebant ad nostra figmenta, nec discutiebant verum secundum nostrum concipiendi modum hæc distinguantur, sed statuere intendebant vere à parte rei personas proprietatibus multiplicari, & distingui, & non mediante Essentia, quæ est vna in omnibus præcipue autem id, contra Sabellianos vnicam statuentes in Trinitate personam, vt ea ratione, qua sunt Deus, sint etiam vna persona Pater, Filius, & Spiritus sanctus: contra ipsos autem Augustinus, alijque Patres, Concilia, Scholastici laborare intendunt, vt doceant per vnicam Essentiam esse personas vnum Deum, & per tres proprietates esse tres personas. Id vero assequi potuissent, si solummodo quæstionem terminassent per nostrum modum concipiendi; nam tunc quæstio esset solummodo de nomine, siue de modo significandi, vt verbi gratia, essent tres, secũdum nostrum modum concipiendi, non autem essent tres à parte rei.

5 Aliqui ex prædictis Authoribus, & sequaces, addunt constitutionẽ personæ non esse realem à parte rei, sed rationis secundum nostrum modum concipiendi; id vero, vt effugiãt distinctionem formalem inter ipsa constituentia, inter Essentiam, & proprieta-

prietatem: sed viderint in quantas angustias deueniunt, vt facere videantur Trinitatis mysterium imaginarium: licet namque catholicè cum Ecclesia sentiant de ipso mysterio, modus tamen loquendi videtur fictitius, & imaginarius, dum à sola dicant pendere distinctionem, ratione: Cæterum Scotus cum suis facillime hos scopulos euadit dum distinctionem ibi apponit ex natura rei, quo fit, vt vere à parte rei, non ab intellectu concipiente, per aliud personæ conueniant, vtpote per Essentiam, & per aliud distinguantur, vtpote per proprietatē. Effugiunt Aduersarij, vt dicāt hunc nostrum concipiendi modum habere fundamentum in reipsa, quia inter vtrumque constitutiuum est distinctio fundamentalis, & virtualis: nihilominus inde sequitur personam à persona distingui solummodo virtualiter, & non actualiter. Item etiam ens rationis habet fundamentum à parte rei, quia figmentum, & Chimera non fit sine omni fundamento reali. Insuper qualis est distinctio inter proprietatem, & Essentiam talis est constitutio personæ: sed illa distinctio est virtualis, ergo constitutio est virtualis, ergo persona habet solum esse virtuale, non actuale. Et hinc Suar. de Trin. lib. 7. cap. 3. ait sententiam istam incidere in sententiam Gregorij, & consequenter Præpositiui idem etiam docent, Rad. Fauent.

Argumentis oppositis respondetur. 6 Argumenta Gregorii, & Præpositiui hæc sunt, Persona est æque simplex, ac Essentia: sed Essentia quia est simplex non habet *quod*, & *quo*, ergo nec persona: at illa constituitur seipsa, ergo & ista. Cōfir. ꝙ est simplex non habet aliquid, quo constituitur, & quo distinguitur, talis est ꝑsona, quia simplex. Secundo sequitur inde compositio in Persona, quia vnum haberet rationem actus, & formæ, aliud materiæ, & potentiæ; dum enim haber quod est, & quo est, vnum erit vt forma, alterum vt materia. Tertio persona, aut constituitur per semetipsā, aut ꝑ aliquid aliud. nō primū, quia nihil est productiuum sui ipsius: ſecundum, aut illud est ens rationis, aut reale: non primum, quia ex ente rationis non fit ens reale: non secundum, quia ibi adesset compositio; igitur non constituitur. Dixeris constitui per aliquid aliud a sè. cōtra, quod non est principium distinctiuum, non est principium constitutiuum: sed nō distinguitur per aliud à sè, ergo nec constituitur: Confirmatur, quia principia distinguendi sunt principia constituendi. Quarto abstractum, & concretum idem significant; igitur idem erit dicere paternitatem, ac Patrem; ergo dicere Patrem distingui paternitate, erit dicere Patrem distingui toto seipso. Quinto arguitur ex cap. firmiter, *Pater communicauit filio totam substantiam*; at si esset aliquid in Patre distinctum ab Essentia, iam non communicasset Filio totam suam substantiam.

7 Ad hæc respondetur, & ad primum, sumpta simplicitate prout opponitur compositioni, vtique persona est æque simplex, ac Essentia quia neutra componitur: cæterum Essentia est quid simpliciter simplex, theologice loquēdo quia non cōstituitur, vt persona, licet metaphysice nō sit simpliciter simplex, quia resolubilis in suos conceptus, at persona non est simpliciter simplex, quia plures continet cōceptus ex quibus constituitur: & propterea Essētia se ipsa tota primo à quocunque alio à se distinguitur, persona autē nō seipsa tota, sed solū paternitate. Ad Confirm. verū est de simpliciter simplici nō autē de simplici; illud quidē nō habet plura, ex quib. cōstet, sed est se ipso: primo hoc vero habet plura ex quibus constituatur. Ad secundū negatur, quia deficit ratio actus, & potētiæ, nec enim Essentia habet rationē materiæ, nec paternitas formæ. Ad tertium non constituitur per sè, sed per aliquid vltra se illud autem non est ēs rationis, sed reale vt Essētia, & origo: dum vero infert compositionem, negatur illatio: Cum dicis, illud aliud non est principium distinctiuum, immo sic, quia paternitate Pater distinguitur à Filio, & quo distinguitur, eo constituitur. Ad quartum vtique cōcretum, & abstractum significāt idem in rè, sed differunt in modo significādi; & abstractū significat formam so- *Essentia, et persona, an simplex.*

lum-

Abstractū & concretum, an idē significent, & eod. modo.

summodo, concretum vero significat formam, & suppositum habens eam, vt humanitas significat solummodo formā naturæ humanæ, at homo significat, & naturā, & suppositū in quo subsistit talis natura, vt Petrus, ita Paternitas significat id quo Pater cōstituitur, at Pater significat, & paternitatē, & suppositum habens eam: verum quia Pater includit duo, & paternitatē, & Essentiā, paternitas vero formaliter est præcise paternitas, ideo non est idē pręcise dicere paternitatē, & Patrē ac propterea, si paternitas se tota distinguitur, non tamen Pater distinguitur se toto, quia secundum paternitatem solam distinguitur, conuenit autem secundum Essentiam. Hoc etiam verum est considerando Patrem substantiue vt Magist. pro hypostasi, includit, namque plura, ex quibus constituitur hypostasis. Ad quintum iam Concilium idem se explicat, *dedisse quidem Patrem Filio totam substantiam, sed excepta paternitate*; Sicut eodem modo explicandum illud Christi Domini ad Patrem Ioannis 17. dicentis, *mea omnia tua sunt, & tua mea*: nempe mea omnia, inquit Filius, sed excepta filiatione, quia Pater nō est Filius: & tua mea, tua quidē essētialia, excepta paternitate. Insuper Concilium per substantiam non intendit paternitatem, sed ipsam Essentiam: iam enim paternitas est origo, & relatio, quæ est propria Patris, & non Filij, non enim est Pater Filius.

Pater quid non communicauit Filio.

QVAE-

QVÆSTIO III.

Vtrum Personæ constituantur per absoluta, an per respectiua.

ARTIC. I.

Affertur sentẽtia affirmãs constitui per absoluta.

Ripę sentẽtia cõstitui per absoluta.

1 FVit sententia Ioannis de Rip. penes Scot. in 1.d.26. q. 1.q. asserebat personas diuinas constitui per absoluta: dicebat autem Doctor iste quatuor reperiri in persona, nempe Essentiam, proprietatem absolutam, originem, & relationem: ut prima duo antecedunt tanquam constitutiua, ista duo subsequuntur ad personas iam constitutas per Essentiam, & proprietatem absolutam. Quod si diuinæ personæ nomina habent relatiua, ea quidem non sunt constitutiua, sed facientia innotescere personas, etenim propria nomina absoluta ignoramus. Fundamenta huius sententiæ præcipua hæc sunt.

2 1. Prouerb. 30. vbi Salomon de Deo quærens ait, *Quod nomen eius, & quod nomen Filij eius, si nosti.* Hinc autem arguitur, omnis quæstio vnum supponit, & aliud quærit ex 7. met. c. vlt. igitur quæstio Salomonis vnum quærens, aliud supponit: supponit vero nomẽ Filij, vt Filij, & Patris, vt Patris, nempe supponit alium esse Filiũ, & alium Patrem, ergo quærit nomen Filij, & Patris; at illud est respectiuũ, ergo hoc, quod quærit est absolutum, & ita constabunt ex absolutis.

3 2. Augustin. 7. Trin. *Omne, quod relatiue dicitur, est aliquid excepto relatiuo*, nempe est aliquid absolutum; ergo vltra relationem personæ constant ex absoluto.

4 3. Quod refertur non est posterius, nec simul natura cum relatione, sed est prius, istud autẽ erit necessario absolutum, nam quod præcedit relationem, est absolutum: at istud absolutum non est Essentia, probat. quod enim refertur realiter, distinguitur realiter à termino relationis. Essentia non distinguitur, ergo erit aliquod alterum absolutum.

5 4. Omnis relatio realis præsupponit extrema realiter distincta; ergo paternitas, & filiatio præsupponit Patrem, & Filium realiter distinctos, & consequenter absolutos. Confirmatur Relatio non refertur, sed est ratio referendi, igitur supponit paternitas suppositum Patris referibile ante relationem: at ante relationem non est; nisi absolutum.

6 5. Suppositum, originans est prius originato, at relatiuum inquantum relatiuum non est prius correlatiuo, ergo persona constituitur in esse suppositi per absolutum.

7 6. Terminus generationis per se nõ est relatio, sed absolutũ per sè subsistens, cui inde aduenit relatio; sed persona producta est terminus generationis per sè, ergo non relatio, ergo terminus erit per sè subsistens absolutũ

in generatione Filij. Maior ex Aristo. 5.phis.t.10, *Motum non esse ad relationem per sè, nisi per accidens*; Morus.n. respicit terminatiue absolutū persè.

8 7. Sequertur Spiritum san-ctum produci æque naturalirer, ac Filium, prob. omne relatiuum æque naturalirer respicir correlatiuum, ergo æque naturaliter Spiritus respicit spiraotē, sicut Filius Patrē; cum tamē vtraq, productio distinguatur per modum oaturæ, & libertaris.

9 8. Seqoeretur nullam in diuinis prodoctionem esse secundum substantiam, probat. personæ constituuntur per relatioa, ergo relatio, siue relatiuum est per sè teroiinus vtriusque productionis, & ita non dabitur generatio, cuius terminus est substantia.

10 9. Suppositum præsupponitur actiooi, ergo prius est persona Patris, quam generet, ergo in illo priori erit quid absolutum, anteced. patet, quia agere præsopponit esse, & actiones sunt suppositorū. prob. conseq. vel enim suppositum illud est ad sè, vel ad aliud: si priorum, habetur intentum: si secundum, ergo actio præsupponitur supposito, siue Filius præsupponitur generationi; esse enim ad aliud, est generari, & generare; at hoc præsupponit suppositum potens agere.

11 10. Si Pater cōstitueretur per paternitatem, sequeretor paternitatem esse de sè iocommunicabilem; hoc tamē est falsum: prob. falsitas, nā paternitas io communi est de sè communicabilis, qnia prædicatur de multis patribus in creaturis, spiratio etiā actiua commuoicabilis est, quia communicatur Patri, & Filio, prob. sequ. quidquid coostituit aliquid in esse primo, & in vnitate correspondente tali esse, est formaliter talis entitatis: at paternitas cōstituit Patrem in esse incommunicabili, ergo, & paternitas erit incommunicabilis: at oon est sic, vt est probatum, ergo non constituit Parrem in esse suppositi. Confirmatur rationale constituit hominem in entitate hominis, & in vnitate specifica eiusdem hominis, ideo est talis rationis, qualis homo; ergo & paternitas erit incommuoicabilis, si constituit parrem, in esse suppositi, pater enim est incommunicabilis.

12 11. Ab vltimis constitutiuis, & distinctiuis non potest abstrahi aliquid cōmone ipsis, alias nō essent primo diuersa: at à relationibus diuinis, vt paternitate, filiatione, spiratione abstrahi potest talis conceptus relationis communis, ergo non sunt primo personarum coostitutiua.

13 12. Sic relationes constituunt, ergo persona in diuinis non est vnum per sè, sed per accidens; prob. ex rebus diuersorum generuoi, vt accidentis, & substantiæ fit vnum per accidēs: talis est diuina Essentia, & relatio pe nes personas.

14 13. Ex tradita diffinitione persona à Boet. & Richar. nihil respectiuum ponitur, sed totum absolutum.

15 14. Augustin. 7. Trin. cap. 4. omnis res ad se, subsistit, quanto magis Deus: persona subsistit, ergo ad sè, & absolute subsistit.

16 15. Nedum Patris proprietas est paternitas, verum etiam ingenitum, innascibilitas, quia per eam distinguitur à cęteris personis productis; atque inspirabilitas distinguit etiam Patrem; & Filium à Spiritu sancto: at hæc sunt absoluta.

ARTIC. II.

Afferuntur argumenta probantia constitui per respectiua:

1 EX opposito arguitur constitui per respectiua. 1. Diuinæ Scripturę quādocūq; de diuinis loquū personis, semper nominant eas nominibus respectiois, proba. Matt. vltim. *Baptizātes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti.* Ioann. vltim. *Tres sunt, qui testimon. dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Itèm Saluator baptismum instituit non in nomine absoluto personarum, sed relatiuo, *Baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti*. Secundo non est censendum voluisse Christum occul-

occultare nomina absoluta personarũm, quando constituerentur, per absoluta, vt quid enim hoc? Dum vero expressit personas sub nominibus relatiuis, signum est docuisse constitui per relatiua, 3. Ecclesia non aliter eas nominat in Concilijs, quam nominibus relatiuis; proba. Concil. Tolet. 11. in confess. Fid. sic habet, *Hac ergo Sancta Trinitas, qua vnus, & verus Deus est, nec recedit à numero, nec capitur numero, in relatione enim personarum numerus cernitur, in diuinitatis vero substantia quid enumeratum sit non comprehenditur. Ergo hoc sole numerum insinuant, quod ad inuicē sunt, & in hoc numero carent, quę in se sunt.* Concil. Florent. in lit. vnion. ait, *Omnia, qua sunt Patris, Patrem Filio, gignendo, dedisse, prater esse Patrem* In eod. quoque Concil. Ioannes Theologus Latinæ Ecclesiæ, ex sess. 18. dixit *sola relatio apud omnes, tàm Gracos, quàm latinos Doctores diuina processione personas multiplicat, itaut non vlla alia ratione, quam vi relationis. Pater, à Filio, ac vna persona ab alia differat.* Quæ verba licet non sint definitiones Concilij, nihilominus sunt ad mentem Patrum Concilij, immò vtriusque tum Græcæ, tùm Latinæ Ecclesiæ, dum dixit, apud omnes Doctores, tàm Gręcos, quàm Latinos, &c. Alias si non fuissent ad mentem illorum Patrum, vtique debuisset redargui, si absque consensu tantorum, tùm Græcorum, tùm Latinorum Doctorum expenderet eorum sententiam.

2 Cõfirmatur ex axiomate, quod colligitur ex eod. Concil. quod *in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Cum autem distinctio, & oppositio non sit, nisi penes personas, sequitur, vt constituantur sola relatione. Demum in Concilijs cæteris, vbicunque agitur de personis, nominantur semper nominibus respectiuis, sicut etiam in symbolis Apostolorum, Nicæno, & Athanasij.

3 Quarto, est sententia insuper talis Sanctorum Patrum, tum Græcæ, tùm Latinæ Ecclesiæ; & quidem Anselm. de Incarn. cap. 3. & de procesf. Spiritus sancti, cap. 1. *personas, ait, solum distingui relationibus, neque in eis esse aliquid, quam communem Essentiã, & relationes, quibus ab inuicem distinguantur,* & cap. 3. elicit illud Theologicum axioma, *in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Iustinus in exposit. fid. relationib. originibusq; personas disting uit: idem Basil. l. 2. contra Eunom. Nissen. ad Abaad. Boet. de Trin. cap. 12. *Sola relatio multiplicat Trinitatem.* Hylar. 4. de Trin. *Nihil habet Filius, nisi natum; natiuitate autem est Filius,* Aug. li. 5. de Trin. c. 8. *Quidquid ad sè dicitur, prastantissima illa, & diuina substãtia substantialiter dici: quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relatiue.* Et alia ex ipsomet allatis sup. & afferenda infra. Idem Bernar. lib. 5. de consid. cap. 8. Fulgent. de fid. ad Petr. & communiter omnes.

4 Quinto, omnis entitas absoluta in diuinis est perfectio simpliciter. ergo Pater cõstitueretur aliqua absoluta proprietate; vel omnis alia persona, vtique vna perfectio simpliciter esset in vna persona, quæ non in alia; ac cessaret inter eas æqualitas. Sexto sequeretur Filium, ac Spiritum sanctum non fore consubstantiales Patri prob. quia non communicaret eis totam Essentiam, prob. absoluta illa entitas constitutiua esset pars ipsius Essentiæ, at partem illã sibi retinet Pater, veluti sui propriũ principiũ cõstitutiuũ, ergo deesset cõsubstantialitas.

5 Septimo multiplicatio entitatis absolutæ facit compositionem; quapropter esset diuina persona composita si constitueretur per absoluta. Octauo, insuper distingueretur realiter, non enim est intelligibile quod duæ proprietates absolutæ identificẽtur realiter, distinctio namque realis est solummodo per opposita. Nono, eadem numero natura non potest subsistere in pluribus simul suppositis absolutis absque eius diuisione, vt patet in natura creata: at diuina Essentia bene stat in pluribus suppositis relatiuis absque sui diuisione.

AR-

ARTIC. III.

Quale iudicium sit ferendum de vtraque opinione.

Iudicium Ban. Vasq. Suarij, & Scoti de sententia opposita.

1 QVale antem iudicium ferendũ sit de vtraque sentẽtia. De asserente quidem constitui per absoluta, aiunt Bãnes 1. par. qu. 40. art. 2. Molin. ibid. d. 2. & Vasquez d. 158. cap. 3. esse errorem in fide. Suarez de Trin. lib. 7. cap. 5. vt plurimum eam appellat erroneam; subdit vero, inquiens, *Sed fortasse non attingit illum gradum*. Non ergo audet Suarez illam nec hæreticam, nec in fide erroneam appellare, sed vt plurimum erroneam, immò de hoc dubitatiue loquitur, nec assertiue id dicit, concludendo; fortasse nec attingere illum erroneæ sententiæ gradum. Scotus aperte eam nec errorem in fide appellat, nec erroneam: nisi quod opposita communior est, & probabilior. Cæterum hæreticam non esse ex eo demonstrat, quia ipsa saluat omnia, quæ de fide saluanda sunt in hoc misterio Trinitatis, & rationes in oppositum non sunt tantæ soliditatis, vt nõ valeant solui, vt videbimus.

Nec hæretica, nec error in fide.

2 Nos cum Scoto, vniuersisque ipsius Discipulis, nec hæreticam, nec errorem in fide eam esse dicimus: ita antiquiores, ita, & nouissimi Scotistæ Accedit ad eos ipsemet Suarez, vt diximus. Nihilominus id vitari non potest, vt sit saltim temeraria, hisce præsertim temporibus; ratio, quia Torrenti opponitur Theologorum: temeritas vero est tot, tantisque opponi Sapientibus, tum Scholasticis, vt sanctis Thom. & Bonauent. cæterisque Alexand. Albet. Henric. Mayron. Gabr. Okamo, atque Scotistis omnibus, cum Scoto, tum vero Sanctis Patribus, quorum aliquorum doctrinã approbauit Ecclesia, vt patet in cap. Sancta Romana 15. dist. ergo ad minus erit temeraria.

Erronea, vel errori proxima.

3 Dicimus insuper, eam vel esse erroneam, vel saltim errori proximã. prob. fundamenta oppositæ sententię adeo sunt euidentia, tum ex scripturis tum ex Patribus, vt oppositum sentire videatur, vel infirmo, ac debilissimo inniti fundamento, vel minus vero, & multo minus rationabili. Opponitur insuper legitimo sensui scripturarum, qui vt videtur, talis est, vt constituantur per respectiuã, qoapropter erit proxima errori, si saltim non sit formaliter erronea.

Non hæretica ex Scoto.

4 Dicimus vltro, sententia, hæc non est hæretica. Probatur in primis, tum Scoti authoritate, tum vniuersorum Scotistarum; tum demum Suarij recensiti de schola Thomistarum; probatur etiam, non repugnat expresse fidei, ergo non est hæretica. probat antecedens Scotus, *Nihil est asserendum tanquam de fide, itaut oppositum sit hæresis; nisi quod traditur in scriptura, vel ab vniuersali declaratur Ecclesia, vel ex altero istorum sic tradito, vel declarato, necessario, & euidenter infertur; tale non videtur esse, inquit Scot. personas nullis proprietatibus absolutis distingui. Igitur, &c. Prima pars minoris videtur plana, quod scriptura nusquam hoc ita dedit, quia relationes affirmat, absolutas proprietates nusquam negat. Secunda pars patet, quia quęcunque tenenda circa articulos de Trinitate declarasse inuenitur, continentur in symbolo Apostolorum, vel Athanasij, vel Nicano, vt extra de Summ. Trin. et fid. cath. cap. firmiter, et cap. damnamus qua duo capitula edita fuerunt in Concil. Gener. sub Ionnoc. 3. vel extra de Summ. Trin. cap. fideli, & est hodie in 6. quod capitulum editum fuit in Conc. Lugdun. sub Gregor. X. non inueniuntur, plura scripta authentica declarationem Ecclesiæ circa artic. de Trin. continentia; nec in aliquo istorum declaratur personas per proprietates relatiuas constitui. patet intuenti. Tertia pars minoris probatur, quia rationes, quæ fiunt ad inferendum propositum ex tradito per scripturam, vel declarato per Ecclesiam, videntur,* inquit Scot. *esse solubiles, vt postea fiet. hæc Scot.* Concludit igitur ex tradito eius discursu

dum

dum Scotus inquit, quod non inueniuntur, saltem suo tempore, plura scripta authentica declarationem Ecclesiæ circa attic. de Trinit. continentia, sequitur, vt ipse eam non censeat fidei contraire, seu esse hæreticam.

Idem. 5 Pergit hoc idem probando idē Scot. *Inquiens, quidquid de Trinitate Sacra Scriptura tradidit, vel Ecclesia declarauit, vel Doctor authenticus manifeste asseruit, concedit hac conclusionem. primo concedit congrue diuinas personas nominibus relatiuis Patris, Filij, & Spiritus sancti exprimi; secundo concedit ibi vere relationes originis, quia concedit veram originationem vnius personæ ab alia, qua est generatio & ita persona generans est Pater; & persona genita est Filius; & processionem tertia persona ab dnab. & ita procedens est Spiritus sanctus, & spiratur voluntate casta, & sancta; sed non dicit scriptura, nec vniuersalis Ecclesia alicubi declarando quod persona solum his relationibus distinguuntur sicut nec dicit quod distinguuntur proprietatibus absolutis: nunc autem licet tenendum sit pro vero quicquid tradit auctoritas, non tamen est negandum esse verum quicquid ipsa non tradit: multa, inquit ille Christi secretarius Ioannes, opera, et signa fecit Iesus, qua non sunt scripta in libro hoc, Io: vlt. quia, addidit, existimo mundum non posse capere libros;. Logice etiam patet, quod locus ab auctoritate negatiue non tenet.* Hæc Sco. ex his ergo duobus capitibus ostendit Scot. sententiam hanc non esse hæreticam.

Scoti iudicium de hac sententia. 6 Hoc tamen nō obstante, quod Scotus non censeat hæreticam; nihilominus, nec laudat, nec defendit eam: licet soluere nitatur argumenta, quæ obstant contra eam: id vero agit non animo approbandi, aut tuendi, sed vt ostendat solummodo, eam non esse hæreticam, dum vel ad rationes in oppositum responderi posset, vel non constet aperte eam esse contra Concilia, & scripturas.

Scotum inclinare in hanc sententiam, est impostura. 7 Hinc etiam falsum est, quod aliqui asserunt Scotum inclinare in illam; etenim aperte ait, in 1. d. 26. quæst. vnic. §. *Contra istam op.* ait inquam, *quod non videtur stare cum fide*; quod probat ex citatis loc. Euangelis. & ex symbolis, adductis, atque ex cōmuni auctoritate Sanctorum. Addit insuper, quod sententia de respectiuis est magis communis, idipsum idem Scot. docet sæpissime in suis scriptis quandocunque occurrit mentionem fieri de constitutione personarum, præcipue in quodli. quæst. 4. in 1. d. 28. quæst. 3. & d. 2. in vltimis quæst. in 4. d. 3. quæst. 2. lit. H. agens de forma baptismatis, & ibid. in fin. ac passim in toto tract. de Trin. & vbicunque contigerit mentionem facere de personis.

8 Dices, in 3. d. 1. quæst. 1. lit. N. arguens quod Verbum non possit terminare dependentiam naturæ humanæ, quia est relatiuum, sed ad relatiuum nihil videtur posse vltimato dependere; Respondet non determinate, sed ambigue, dicendo, *si Persona est absoluta, absolutum terminat; si relatiua, terminat relatiuum*; Ergo ambiguus est Scotus de constitutione personarum. Tum etiam, quia præd. d. 26. l. primi pro vtraque disputat parte. *Obstatur ex Scoto aduersus Sco.*

Sed Respond. quod vbi mens alicuius Doctoris expresse constat, non est facienda vis in verbis, si alibi videatur aliter sentire: hoc autem est apertissimum apud Scot. quod semper personas nominat respectiuas vt diximus. Ad locum vero tertij, non fuit mens eius ambiguum esse, sed solum docere, argumentum solui posse dupliciviat sive tenendo de absolutis, nempe ad mentem aliorum; siue de respectiuis, ad mentē perpropriam, atq; communem Theologorum, quod vero in eam sententiam non iuerit, inde colligitur apertissime, quod in quodl. 19. lit. S. ad secundum, recolens idem argumentum, quod fecerat in tertio, respondet aperte Verbum esse relatiuum, licet non *pendeat natura ad Verbum, vt relatiuum, sed vt Verbum, vel vt subsistens*. Quo in loco non dicit amplius, dependere ad absolutum, si Verbum est absolutum, sed simpliciter, ait dependere ad Verbum relatiuum. Ille igitur vnicus locus, vel siquis alius, qui obstat, iam eliditur, & euacuatur per tot in oppositum loca de eod. Scoto. Ad illud etiam de d. 26 *Respōdetur*

iam

ARTIC. III.

Quale iudicium sit ferendum de vtraque opinione.

Iudicium Ban. Vasq. Suarij, & Scoti de sitentia opposita.

1 QVale antem iudicium ferendũ sit de vtraque sentẽtia. De afferente quidem con stitui per absoluta, aiunt Bãnes 1.par. qu.40.art.2. Molin.ibid. d.2. & Vasquez d.158. cap.3. esse errorem in fide. Suarez de Trin.lib.7.cap.5.vt plurimum eam appellat erroneam ; subdit vero , inquiens, *Sed fortasse non attingit illum gradum*. Non ergo audet Suarez illam nec hæreticam , nec in fide erroneam appellare, sed vt plurimum erroneam, immò de hoc dubitatiue loquitur , nec assertiue id dicit, concludendo ; fortasse nec attingere illum erroneæ sententiæ gradum. Scotus aperte eam nec errorem in fide appellat, nec erroneam: nisi quod opposita communior est, & probabilior. Cæterum hæreticam non esse ex eo demonstrat, quia ipsa saluat omnia, quæ de fide saluanda sunt in hoc misterio Trinitatis, & rationes in oppositum non sunt tantæ soliditatis, vt nõ valeant solui, vt videbimus.

Nec hæretica, nec error in fide.

2 Nos cum Scoto , vniuersisque ipsius Discipulis, nec hæreticam , nec errorem in fide eam esse dicimus: ita antiquiores, ita, & nouissimi Scotistæ Accedit ad eos ipsemet Suarez. vt diximus. Nihilominus id vitari non potest, vt sit saltim temeraria, hisce præsertim temporibus ; ratio, quia Torrenti opponitur Theologorum: temeritas vero est tot , tantisque opponi Sapientibus, tum Scholasticis, vt sanctis Thom.& Bonauent. cæterisque Alexand. Alber. Henric. Mayron. Gabr. Okamo, atque Scotistis omnibus, cum Scoto, tum vero Sanctis Patribus , quorum aliquorum doctrinã approbauit Ecclesia, vt patet in cap. Sancta Romana 15. dist. ergo ad minus erit temeraria.

Erronea, vel errori proxima.

3 Dicimus insuper, eam vel esse erroneam, vel saltim errori proximã. Prob. fundamenta oppositæ sententię adeo sunt euidentia, tum ex scripturis tum ex Patribus, vt oppositum sentire videatur , vel infirmo, ac debilissimo inniti fundamento, vel minus vero, & multo minus rationabili. Opponitur insuper legitimo sensui scripturarum, qui vt videtur, talis est, vt con stituantur per respectiuã, quapropter erit proxima errori, si saltim non sit formaliter erronea.

Non hæretica ex Scoto.

4 Dicimus vltro, sententia, hæc non est hæretica. Probatur in primis, tum Scoti authoritate, tum vniuersorum Scotistarum; tum demum Suarij recensiti de schola Thomistarum. probatur etiam, non repugnat expresse fidei, ergo non est hæretica. probat antecedens Scotus , *Nihil est asserendum tanquam de fide , itaut oppositum sit hæresis; nisi quod traditur in scriptura, vel ab vniuersali declaratur Ecclesia, vel ex altero istorum sic tradito, vel declarato, necessario, & euidenter infertur; tale non videtur esse* , inquit Scot. *personas nullis proprietatibus absolutis distingui. Igitur, &c. Prima pars minoris videtur plana , quod scriptura nusquam hoc ita dedit, quia relationes affirmat, absolutas proprietates nusquam negat. Secunda pars patet, quia quęcunque tenenda circa articulos de Trinitate declarasse inuenitur , continentur in symbolo Apostolorum , vel Athanasij, vel Niceno, vt extra de Summ.Trin.et fid.cath.cap.firmiter, et cap. damnamus qua duo capitula edita fuerunt in Concil. Gener. sub Innoc. 3. vel extra de Summ.Trin. cap. fideli, & est hodie in 6. quod capitulum editum fuit in Conc. Lugdun. sub Gregor. X. non inueniuntur , plura scripta authentica declarationem Ecclesia circa artic. de Trin. continentia; nec in aliquo istorum declaratur personas per proprietates relatiuas constitui. patet intuenti. Tertia pars minoris probatur , quia rationes, qua sunt ad inferendum propositum ex tradito per scripturam, vel declarato per Ecclesiam, videntur,* inquit Scot. *esse solubiles, vt postea fiet.* hæc Scot. Concludit igitur ex tradito eius discursu

dum

dum Scotus inquit, quod non inueniuntur, saltem suo tempore, plura scripta authentica declarationem Ecclesiæ circa artic. de Trinit. continentia, sequitur, vt ipse eam non cēseat fidei contraire, seu esse hæreticam.

Idem. 5 Pergit hoc idem probando idē Scot. *Inquiens, quidquid de Trinitate Sacra Scriptura tradidit, vel Ecclesia declarauit, vel Doctor authenticus manifeste asseruit, concedit hac conclusionem. primo concedit congrue diuinas personas nominibus relatiuis Patris, Filij, & Spiritus sancti exprimi; secundo concedit ibi vere relationes originis, quia concedit veram originationem vnius personæ ab alia, quæ est generatio & ita persona generans est Pater; & persona genita est Filius; & processionem tertiæ personæ à duab. & ita procedens est Spiritus sanctus, & spiratur voluntate casta, & sancta; sed non dicit scriptura, nec vniuersalis Ecclesia alicubi declarando quod personæ solum his relationibus distinguuntur. sicut nec dicit quod distinguuntur proprietatibus absolutis; nunc autem licet tenendum sit pro vero quicquid tradit auctoritas, non tamen est negandum esse verum quicquid ipsa non tradit: multa, inquit ille Christi secretarius Ioannes, opera, et signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc, Io: vlt. quia, addidit, existimo mundum non posse capere libros; Logice etiam patet, quod locus ab auctoritate negatiue non tenet.* Hæc Sco. ex his ergo duobus capitibus ostendit Scot. sententiam hanc non esse hæreticam.

Scoti iudicium de hac sententia. 6 Hoc tamen nō obstante, quod Scotus non censeat hæreticam; nihilominus, nec laudat, nec defendit eam: licet soluere nitatur argumenta, quæ obstant contra eam: id vero agit non animo approbandi, aut tuendi, sed vt ostendat solummodo, eam non esse hæreticam, dum vel ad rationes in oppositum responderi posset, vel non constet aperte eam esse contra Concilia, & scripturas.

Scotum inclinare in hanc sententiam, est impostura. 7 Hinc etiam falsum est; quod aliqui asserunt Scotum inclinare in illam; etenim aperte ait, in 1. d. 26. quæst. vnic. §. *Contra istam op.* ait in quam, *quod non videtur stare cum fide*; quod probat ex citatis loc. Euangelis. & ex symbolis, adductis, atque ex cōmuni auctoritate Sanctorum. Addit insuper, quod sententia de respectiuis est magis communis, idipsum idem Scot. docet sæpissime in suis scriptis quandocunque occurrit mentionem fieri de constitutione personarum, præcipue in quodli. quæst. 4. in 1. d. 28. quæst. 3. & d. 2. in vltimis quæst. in 4. d. 3. quæst. 2. lit. H. agens de forma baptismatis, & ibid. in fin. ac passim in toto tract. de Trin. & vbicunque contigerit mentionem facere de personis.

8 Dices, in 3. d. 1. quæst. 1. lit. N. arguens quod Verbum non possit terminare dependentiam naturæ humanæ, quia est relatiuum, sed ad relatiuum nihil videtur posse vltimato dependere; Respondet non determinate, sed ambigue, dicendo, *si Persona est absoluta, absolutum terminat; si relatiua, terminat relatiuum*; Ergo ambiguus est Scotus de constitutione personarum. Tum etiam, quia præd. d. 26. l. primi pro vtraque disputat parte. *Obstatur ex Scoto aduersus Sco.*

Sed Respond. quod vbi mens alicuius Doctoris expresse constat, non est facienda vis in verbis, si alibi videatur aliter sentire: hoc autem est apertissimum apud Scot. quod semper personas nominat respectiuas vt diximus. Ad locum vero tertij, non fuit mens eius ambiguum esse, sed solum docere, argumentum solui posse duplici via: siue tenendo de absolutis, nempe ad mentem aliorum; siue de respectiuis, ad mentē peropriam, atq; communem Theologorum, quod vero in eam sententiam non iuerit, inde colligitur apertissime, quod in quodl. 19. lit. S. ad secundum, recolens idem argumentum, quod fecerat in tertio, respondet aperte Verbum esse relatiuum, licet non *pendeat natura ad Verbum, vt relatiuum, sed vt Verbum, vel vt subsistens*. Quo in loco non dicit amplius, dependere ad absolutum, si Verbum est absolutum, sed simpliciter, ait dependere ad Verbum relatiuum. Ille igitur vnicus locus, vel si quis alius, qui obstat, iam eliditur, & euacuatur per tot in oppositum loca de eod. Scoto. Ad illud etiam de d. 26 *Respōdetur*

iam

iam dictum est, solum ostendere, velle Scotum prædictam opinionem non esse hæreticam, non autem mens eius ibi fuit inclinare, vel tantillo in eam; cum oppositum assertiue doceat vbique in suis scriptis. Talis etiam est mens suorum interpretum, vt nullum viderim de hac Scoti mente dubitare.

Si non est hæretica opinio hac, saltem erit temeraria, & erronea

9 Dicimus item, quod licet hæretica non sit, nec error in fide, tamen veluti temeraria, & falsa est reijcienda, prob. vt talem ad minus damnant eam Theologi omnes: Item, fundamenta eius debilia sunt, vt constabit respondendo; Rursus, sententia opposita nititur solidioribus argumentis, ac medijs; Demum, quia solutiones, quas argumentis adaptat oppositæ sententiæ non eneruant ea, vt patebit; igitur merito est relinquenda, & abijcienda. Accedit, quod his præeise temporibus patet magis eius improbabilitas quatenus accedit tantus Theologorum numerus consurans eam: temporibus vero Scoti fortasse non erat adeo exagitata, & examinata, vt modo, ob quod eius improbabilitas non adeo forte manifesta erat tunc, vt modo.

Obstatur. 10 Dices sententia hæc saluat originationem personæ à persona, distinctionem earundem, ordinem inter personas, ergo est admittenda. Respo. hoc sufficere, vt ipsa liberari possit à *Respond.* nota hæresis; cæterum quia opponitur communi sensui Conciliorum, Patrum, & Scholasticorum, ideo erit, vel erronea, vel apertissime temeraria, propter quod est relinquenda, sicut eam relinquimus.

ARTIC IV.

Respondetur argumentis articuli primi,

1 AD primum de Salomone Respondet Torres ad 1. p. q. 40. art. 2. Salomonem non quærere de constitutiuo absoluto Verbi, sed quærere de nomine altero ipsius Filij, quod est nomen Verbi; siquidem ante Euangelium Ioannis erat occultũ nomen Verbi, quod tamen patere incepit inde ex Euagelio Ioannis. Sed arguitur contra responsionem, quia, aut nomen Verbi, & Filij significant idem, aut diuersa: si primum, ergo cognoscendo nomen Filij Salomon cognouit, & nomen Verbi; si diuersa, ergo nomen Verbi est proprium; Filij autem erit appellatiuum, & improprium. Sed diei posset ad hoc, quod sunt idem in rẽ substantialiter, differũt tamen aliqualiter in conceptu; quia Verbum est terminus conceptionis mentis, Filius vero generationis. At quidquid sit, iam est idem Filius, & Verbum, vt constat; etenim Filius est idem conceptus mentis productus, quæ productio vocatur generatio. Alij aliter impugnant, dicendo quod etiam ante tempus Ioannis erat notum Verbum, seu nomen Verbi; siquidem de Incarnatione dicitur; *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit:* vnde fit; vt etiam notum fuerit Salomoni; ita Herrhera in cap. d. 7. quæst. 3. ad argument. pro sec. sent. Verum alij obstant dicentes, verba illa non esse scripturæ, sed Ecclesiæ, vnde inferunt Salomoni notum esse non potuisse tale nomen, nondum enim suo tempore orta erat Christi Ecclesia, quæ talem antiphonam condidit post Domini incarnationem, tempore namque suo aderat Synagoga. Quicquid tamẽ sit

Torr. resp.

Impugn.

sit, illud videtur rationabilius, vt dicamus voluisse Salomonē significare ineffabilem Filij Dei generationem, itaut licet de illa sciamus appellari Filium, testante id scriptura per os Dauid Patris sui, psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; Nihilominus non possumus adæquate, & vt par est, assequi ta itæ generationis misterium iuxta illud Proph. *Generationem eius quis enarrabit?* Isa. 53. non ergo concluditur inde aliud habere nomen, siue absolutum, siue suppositi absoluti, constituti per absoluta, sed quod generatio actiua Patris, & passiua Filij sit prorsus adæquate, & exacte inexplicabilis, ineffabilis.

Omne quod relatiue dicitur est aliquid excepta relatione declar.

2 Ad secundum, *Omne, quod relatiue dicitur, est aliquid excepta relatione*: vtique verum: & ita persona, quæ Essentialiter est relatiua, includit Essentiam Diuinam, quæ est aliquid vltra relationem, quia est quid absolutum, & distinctum formaliter à relatione. propositio itidem illa vera est, siue relatio sit aduentitia, vt in creaturis, siue cōstitutiua, quia semper adest fundamentum absolutum: cæterum differunt, quia in creatura non est constitutiua, sed accidentalis, in diuinis est propria personæ, & constitutiua.

Quod refertur non est posterius relatio ne declar.

3 Ad tertium, de relatione adueniti a loquendo, ea præsupponit id quod refertur per eam, estque prius ea, & hæc omnino tanquam accidens, posterior eo; vt patet in creaturis, atque etiam in spiratione actiua aduenientè ad intra in Patre, & Filio post eorum esse integrum, & constitutum: at loquendo de relatione constitutiua, ea est censenda prior, ratio enim constitutiua est prior constituto, & vt sic constitutum est posterius ea, & ob id, tum ratione constitutionis relatiuæ, tum ratione posterioris, erit relatiuum.

4 Ad quartum, conceditur relationem realem exigere extrema realia realiterque distincta: cæterum non est necesse, vt omne tale sit absolutum, potest enim esse respectiuum, vnde negatur maior quoad partem secundam de absoluto. Ad Confirmationē, relatio non refertur, vt quod, etenim id est totale, & adæquatum relatiuū; erit tamen ratio referendi: itaque, tum ad argument. tum ad confirmat. relatio potest respicere absolutum, & respectiuum reddend ; singula singulis, si namque est accidentalis, vtique supponit in creaturis suppositum absolutum; si essentialis, & constitutiua, non supponit, sed facit ipsum relatiuum, nec supponit absolutum, nisi solam diuinam Essentiam.

5 Ad quintum originās est prius originato, solummodo prioritate originis, qualis est inter correlatiua: quæ prioritas stat cum ipsa correlatione: quapropter stat prioritas etiam in originante respectiuo, absque quod sit absolutum.

6 Ad sextum, terminus relationis accidentalis, loquendo de creaturis, vtique est quid absolutum: terminus relationis essentialis, & constitutiuæ est omnino respectiuum, vt in diuinis. Cum dicis, ad relationem non est motus, iam patet esse falsum de relationibus extrinsecus aduenientibus, etenim vnio extremorum, vt ignis & stuppæ, quæ nō est, nisi relatio, acquiritur per verum motum: de relationibus autem intrinsecus aduenientibus in creaturis, si ad illas non est motus primo, & per sè, est tamen secundario & per accidens, & hoc in creaturis; ratio quod non sit per sè, quia relatio hæc creaturarum est accidens; attamen si esset essentialis, & constitutiua, vtique ad illam esset per sè: in diuinis quidem relatio est constitutiua, vnde non mirum si possit esse terminus formalis per sè actionis, cum terminus totalis, & adæquatus sit ipsum relatiuum constitutum per actionem.

Terminus relationis an respectiuum, an absolutum.

Relatio vnde specifica tur.

7 Ad septimum, dicendum, relationem specificari, & modificari, ex fundamento, quale namque est fundamentum, talis est relatio: at generationis, & spirationis fundamenta, & principia non sunt eiusdem rationis, dum illa per modum est naturæ, ista voluntatis, & libera, hinc fit, vt non eodem modo se habeat spiratio, vt generatio; relationes enim proportionantur principijs, & fundamentis.

Relationis terminus, quid.

8 Ad octauum, terminus generationis est vtique substantia: & ita hic, nam terminus formalis, & *quo* generationis est diuina Essentia, de qua rè in propr. qu. licet terminus totalis & *quod*, sit suppositum relatiuũ. Dices, relatio est accidens, quomodo ergo esse poterit terminus generationis?

Relatio, an terminus generationis.

Respond. relationem accidentalem non posse esse talem terminum: at relationem per sè subsistentem, posse esse, quia est relatio per sè constitutiua suppositi substantialis: talis est in diuinis; eo maxime, quo diuinam habet pro fundamento substantiam, est enim relatio in essentia sicut suppositum in natura.

Actiones sunt suppositorum declar.

9 Ad nonũ, *actiones sũt supposito rum*, non est Aristot. sunt vero actiones semper singularium, quia vniuersalia non agunt, sed singularia: sunt vero actiones suppositorum veluti, *vltimate denominatorũ*; Vel actio est suppositi non *tanquam rationis agendi*, quia ea est natura, sed *tanquam conditio Agentis*. De qua rè amplior redibit sermo ex Scot. in 4. d. 12. q. 3. in solut. 2. Ad propositum, *Agere præsupponit esse*, concedo quod præsupponit esse simpliciter Diuinæ Essentiæ, nõ autẽ esse suppositi. Vel loquẽdo de actione aduectitia, vt spiratio actiua, præsupponit Patrẽ, & Filium in esse suppositi: de constitutiua autẽ, nõ præsupponit, sed facit suppositũ, quia mediante ea accipit esse, vt Pater mediãte generatione actiua. Dices, omne agere præsupponit potẽs agere; ergo ad generationẽ actiuã præsupponitur suppositũ absolutũ, quod possit agere. Respondet Scot. quodl. 4. quod in diuinis idem est agens, & potens agere: itaut dum agit, tunc est potens agere, nõ autẽ prius potẽs agere, & inde agere: & ita actione illa de genere actionis, sed relationis agit, & est potens agere: per eã vero cõstituitur suppositũ agens, & potens agere, in esse respectiuo. Supponitur tamen ipsa Diuina Essentia, & intellectus, atque memoria fecunda sub ratione solius principij quo, seu formalis.

Agere præsupponit esse; declar.

Quidditas omnis est communicabilis, decla.

10 Ad decimum, distinguimus, de paternitate quidem abstracta à creata, & diuina, ipsa vtique est communicabilis, vt probat argum. at de diuina, nequaquã, est enim de sè hæc & merito dum est alteri nullatenus communicabilis, sed incõmunicabilis reddit quoq; suppositũ, cui inest incõmunicabile. Dices õnis quidditas est cõmunicabilis, Resp. negando hoc; nã duplici quidditati cõpetit cõmunicabilitas, & nõ alteri, nẽpe illi, quæ dicit pfectionẽ simpliciter: & quidditati diuisibili in plura subiectibilia prima est diuina Essẽtia, cõmunicata pluribus diuinis suppositis absq; tamẽ diuisione sui: secunda est vniuersale prædicabile de pluribus cũ diuisione, humana nãq, natura prædicatur de Francisco, & Petro quibus communicatur: at paternitas diuina nec est perfectio simpliciter ex Scot. nec est diuisibilis; quapropter ipsa est incõmunicabilis, & constituit suppositũ relatiuum incõmunicabile,

Vltima distinctiua sũt primo diuersa, decl.

11 Ad vndecimum dicendum, quod vltima distinctiua sunt primo diuersa quoad aliquam realitatem contrahibilem per proprias eorum differentias specificas: non autem sunt primo diuersa quoad cõceptum aliquem communem prædicabilem de illis; etenim decem genera sunt primo diuersa, & tamen dicitur de eis conceptus entis in quid, ita in diuinis paternitas, filiatio, spiratio sunt primo diuersa, quantum ad realitatem, non quantum ad conceptibilitatem: patet primum, quia non datur in diuinis aliqua realitas contrahibilis per differentias specificas, seu quasi specificas, nam talis realitas esset potentialis ad contrahitur quidquid est in diuinis, totum est in vltima actualitate, quia totum est de sè hoc, & proinde nihil est determinabile, seu in potentia ad contrahi: probatur secundum, nam de paternitate, filiatione, & spiratione, prædicatur in quid, conceptus ipse communis relationis, cum sint ipsæ relationes.

12 Ad duodecimum respõsio patebit ex propria qu. in mat. de diuinis personis in sè, verũ ex relatione, & Essẽtia fiat vnum per sè, an per accidẽs.

Diffinitio persona traditur in cõmuni.

13 Ad tertium decimum, dicendum, diffinitionem personæ tradi in communi prout indifferens ad creatam, & increatam, & propterea non fieri

fieri mentionem, nec de absoluto, nec de respectiuo.

Subsistere quid importat. 14 Ad quartũ decimum, ait Sco. per *subsistere*, non intelligitur secundum Græcos aliquid ad se, & per cõsequens absolutum: sed iuxta Latinos pro vt subsistere indicat personam, quæ est ad aliud. Seu accipit August. subsistere non pro eo, quod est ad sè; sed pro eo, quod est de sè incommunicabile: primum est Essentia, secundum, personæ. Siue denique loquitur de subsistere essentiali, quod idem est, ac per sè esse, & independenter ab alio: si namque creata substantia per sè subsistit, quatenus non dependet ab accidente, quod tamen non per sè subsistit, quia dependet à substantia; quanto magis Essentia Dei ad se subsistet, quia à nullo dependet, cum sit à se Deus, & ens omnino independens.

15 Ad decimum quintum; proprietates illæ sunt negatiuæ, vt patet & patebit amplius agendo de Patre. Vel dicendum, esse proprietates negatiuas relatiuas, quatenus negant in Patre relationem passiuam generationis, & in Patre, ac Filio relationẽ passiuæ spirationis: & ita habemus, quod siue positiuæ sint, siue negatiuæ proprietates, ambæ sunt respectiuæ, illæ enim ponunt, istę tollunt relationes tales à filio, & Patre.

ARTIC. V.

Respondetur argumentis articuli secundi.

Officia sunt notiora personis. 1 IN hoc vltimo artic. ostendit Scot. rationes adstipulantes constitui per respectiua non esse omnino insolubiles, ac consequenter non esse hæreticam opinionem de absolutis: Ad primam vero ex scripturis respondet quod Christus Dominus congrue, & rationabiliter expressit personas nominibus relatiuis, tacito nomine absoluti, propter duo; primo, quia se adaptauit nostri ingenij imbecillitati, non enim eramus idonei, & capaces ad tanti misterij altitudinem capessendam, si personas nobis reuelasset sub ratione absoluti: dicit enim Isa 53. *Generationem eius, quis enarrabit?* & quis intelliget ad amussim, atque adæquate: contingit vero facilius nos concipere rem sub ordine relatiui, quam absoluti: exemplum affert Scot. si dicamus verbi gratia, hoc fecit Papa, hoc fecit Rex, Imperator, & huiusmodi: officia namque sunt notiora, quam ipsa persona: vnde non omnes personam vident siue Papæ, siue Regis, qua propter sub ratione absoluti ipsa eorum persona non omnibus nota est non enim omnes vidẽt personaliter Papam, aut Regem. & nihilominus omnibus notum est ad esse Papam, ad esse Regem. Ergo hinc fortasse Christus sub ratione respectiui fecit nobis innotescere personas, quam absoluti. Adde quia sunt notiora accidentia quam substãtia: *Accidentia notiora substantia.* officia, quam ipsa natura: licet vero in diuinis non sint accidentia; nihilominus sustinendo constitui per absoluta, vtique erunt intimiora, seu proximiora Essentiæ ipsa absoluta, quam respectiua, & Scotus admittit ibi accidens pro extraneo. licet neget accidens, per accidens.

Nominibus absolutis nõ exprimitur tantum de Trinitate, quantum, respectiuis. 2 Secundo id egit Christus, quia inquit Scot. nominibus absolutis non exprimitur tantum de misterio Trinitatis, quantum nominando personas nominibus respectiuis: probat: etenim per respectiua exprimitur origo vnius personæ ab alia: exprimitur personarum realis distinctio: & stante fide, exprimitur etiam vnitas Essentiæ in personis. patent omnia; etenim si est Pater, & Filius, ergo datur originatio vnius ab alio: si est ibi Spiratus, ergo datur Spirator, & spirantes; ecce originatio. Insuper si datur originatio, ergo datur realis distinctio, patet quia nihil producit seipsum. Stat etiam soliditas fidei, quæ docet vnitatem Essentiæ in trib. Hæc vero quomodo exprimi possunt nominibus absolutis? si namque nomen est absolutum, non inde

H 2

inde deducitur originatio, nec notio Patris, Filij, & Spiritus sancti: sicut si dico Petrum, Antonium, non illico cognosco Petrum, verbi gratia, esse patrem Antonij; sunt enim nomina hæc absoluta: id vero assequimur sciendo Petrum, & Antoniū no inibus circumferri Patris, & Filij respectiuis.

Christus cur non reuelauit, an constituantur per respectiua.

3 Ad secundum non vtique ignorauit Christus Dominus qualiter, & quomodo constituantur personæ, sed si per absoluta constituuntur, non ea expressit nobis, eramus enim, vt diximus, tanti misterij incapaces: siue quia magis exprimitur hoc misterium nominibus relatiuis. Dixerat autem aliquādo idem Christus Apostolis, Matt. 14. *Non enim potestis omnia portare modo.* Quod si dicas; quæ tunc non reuelauit Ecclesiæ, misteria, reuelauit inde, subdidit enim, *Sed cum venerit Spiritus veritatis ille vos docebit omnia*; ergo à pari docuisset iam Ecclesiam vsque modo de misterio sub ratione absoluti personarum. Sed Respond. vsque modo non reuelasse, saltem aperte, vt iam fuit discussum, & vt probat Sco. vtrum autem sit inde reuelaturus, id soli ipsi Deo est notum.

Ad Concil.

4 Ad Tertium, quod est de Concilijs, iam dictum fuit, in illis, sicut in canonibus, & scripturis, non reperiri nec determinatum de fide quod constituantur per respectiua, nec quod non constituta sint per absoluta, vt docuit Scot. Insuper Ecclesia, & Concilia sequuntur eundem modum loquendi ipsius Christi, tum etiam propter rationes nuper allatas de nostra incapacitate, &c. Cum insuper Florentinum docet *Patrem dedisse omnia Filio præter esse Patrem*, non inde infertur quod dederit ei etiam proprietatem absolutam, si constituerentur per absolutum; nam modo cum dicimus constitui per respectiuum, nec tamen asserimus dedisse ei esse ingenitum, & innascibile: ergo nec consimiliter dedisset proprietatem constitutiuam absolutā. Per esse vero Patrem, intelligit Conc. omnia, quæ sunt propria solius Patris, siue absoluta sint, siue respectiua. Hæc namque Pater nulli communicat: confert vero Filio. sicut & Spiritui sancto ea, quæ sunt essentialia, etenim essentialia sunt omnibus communia; at propria cuiusque, & non alterius, sunt ipsa notionalia.

Ad Patres.

5 Ad Concilia insuper, vltra dicta, & ad Patres eodem modo respondetur: etenim duo penes Patres, & Concilia præcipue habentur in hac quæst. nempe quod multiplicatio personarum fiat per relationem; & distinctio earundem habeatur insuper per relationem, ergo per relationem constituuntur. Consequentia hęc non est necessaria penes Scotū; siquidem relationem multiplicare, & distinguere personas Trinitatis potest prouenire, vel formaliter, vel originatiue: asserentes constitui per relationes, aiunt relationem multiplicare formaliter, & distinguere ex sui ratione formali, quia ipsa est formaliter constitutiua; asserentes vero cōstitui per absoluta non dicerent relationem multiplicare formaliter, quia multiplicatio formalis prouenit à ratione constitutiua formali, sed aiunt multiplicare originatiue, & consimiliter distinguere originatiue; quęadmodū in humanis Pater, & Filius distinguūtur per absoluta, tanquam per principia formalia, quia formaliter constituuntur per illa, at originatiue, & principiatiue multiplicantur, & distinguuntur per generationem actiuam, & passiuam.

Ad Damascenum.

6 Item cum docent Paternitatē esse propriam Patris, filiationem Filij, & spirationem Spiritus sancti, vt Damas. 3. de Trin. cap. 5. *Differentiam* inquiens; *personarum, in solis tribus proprietatibus, in causabili, & paternali: & causabili, & filiali; & causabili, & processibili recognoscimus*: (sumunt autem causam pro principio ipsi Grę ci, de qua rē in mat. de Patre) non perinde constat talibus proprietatibus essentialiter constitui, licet eæ sint proprietates ipsarum personarum: quomodo risibilitas, & quęcunque propria passio vtique est proprietas humanæ naturæ, & non alterius, & nihilominus non est principium essentiali-

cialiter constitutiuum naturæ hominis, sed pullulat à natura hominis: ita dicerent sustinentes constitui per absoluta, dicerent enim adhuc esse vnius cuiusque propria, & proprietates, attamen non quidem personarum primo constitutiuas, sed esse proprias consurgentes à persona, vel Essentia in secundo modo dicendi per se, sicut quęcunque propriæ affectiones vnius cuiusque naturæ.

Ad Anselm. 7 Ad axioma Anselmi, *Omnia sūt vnum vbi non obuiet relationis oppositio*, id intelligit. Scot. vt sit verum, vbi non obuiat oppositio, vel formaliter, vel cōcomitanter: primo modo opponitur relatiue relatio relationi, siue relatiuū relatiuo: secūdo modo opponitur suppositū per talē relationē referibile: & ita persona distinguetur à persona per relationem quidem concomitanter, non vero formaliter: atque cum hoc habetur quod relatio facit distingui, & opponi personas.

In diuinis omnia sunt vnum vbi non obuiat relat. oppo. declar. 8 Ad quintum negatur anteced. ratio, quia ad perfectionem simpliciter requiritur, vt sit entitas communicabilis: proprietas autem ista absoluta esset incommuncabilis, quia personalis.

Ad perfectionē simplicit. quid requiritur. 9 Ad sextum negatur seque. ad probat. non communicaret vtique entitatem absolutam subsistentem incommunicabiliter, seu entitatem absolutam personalem, ac notionalem, notionalia enim non communicantur & ideo Florentinum dixit, *Patrem omnia dedisse Filio, præter paternitatem*, seu præter proprietatem absolutam, seu respectiuam paternalem; attamen communicat ipsam entitatem absolutam essentialem, quæ de sè est tribus communicabilis, vt est Essentia, & hæc sufficit ad coæqualitatem, & cōsubstantialitatem. Cum dicis, Patrem sibi retinere partem, id falsum, tum quia eandem totam, licet non totaliter, diuinam Essentiam communicat alijs; tum quoque, quia proprietas paternitatis absoluta non spectaret, nec ad Filium, nec ad Spiritum sanctum, ideo eam totam, & totaliter possideret Pater, sicut filiationē, & spirationē totā, & totaliter possidet Filius, & Spiritus sāctus reddēdo singula singulis, cum sit propria, & nulli alteri competibilis. *Pater non communicando proprietatem, an dicatur sibi retinere partem.*

10 Ad septimum, non faceret compositionē; non est enim alterum per modum actus, & alterum per modum potentiæ, informantis, & informabilis: nec distingueretur realiter à diuina Essentia, sed formaliter, vt cæteræ absolutæ diuinæ perfectiones, & relationes: nec id est impossibile, quia iam attributa, & modi intrinseci sunt absoluta, & tamen identificantur realiter cum Essentia, & ita patet ad 8.

Natura cur potest, vel non potest esse in plurib. suppositis. 11 Ad nonum, ideo eadem natura non potest subsistere in pluribus suppositis, non quia supposita sunt absoluta, sed quia natura est limitata, & finita, vt natura creata: at natura diuina, quia infinita, ideo potest esse in pluribus, siue respectiua sint supposita, siue absoluta.

QVAE-

QVÆSTIO IV.

Vtrum abstractis relationibus remanerent Diuinæ Personæ.

Relationes plures in persona Patris.

1 IN Patris persona multas licet considerare relationes: quæ tametsi in ordine ad intellectũ concipientem multæ sint; nihilominus á parte rei nõ plures, sed vnica erunt, id vero colligitur ex Scoto: is autem quodlib. 4. lit. P. §. *Dico tamen*, hæc ita ordinat, vt possimus hæc ita ordinate considerare: nempe considerare possumus, hũc esse hac generatione generatiuum: hunc potentem hac generatione generare: hunc hac generatione generantem: hunc hac generatione iam generasse; & denique hunc hac generatione habere genitum sibi coexistentem. Hæc non pariformiter se habent; & quidem aliqua dicunt perfectionem, aliqua imperfectionem. Generatiuitas, siue aptitudo ad generandum dicit perfectionem quatenus est quid permanens, & non raptim transit: quatenus vero separatur ab actuali generatione vtique dicit imperfectionem. Item generatio dicit perfectionem, quatenus per eam fit communicatio naturæ substantialis: attamen dicit imperfectionem quatenus habet secum annexam mutationem, & transmutationem. Genuisse dicit perfectionem, quatenus terminata fuit generatio ad opus adeo perfectum, quale est communicatio, seu productio viuentis in similitudinem substantialis naturæ, at dicit imperfectionem quatenus iam transijt actus ille, & amplius non est: ac denique generatio dicit perfectionem, quatenus est communicatio substantialis naturæ. at dicit imperfectionem, quatenus ralis natura diuisibilis est, & non vna numero in suppositis, quibus communicatur.

Pater in creaturis.

2 Hæc omnia locum habent in Creaturis; ibi namque generatio, & potentia generãdi habent suas quidẽ pfectiones; attamẽ admixtas recẽsitis imperfectionibus. Adest insuper, & alia imperfectio, siquidem potentia generãdi distinguitur realiter ab actu generandi, & generatio ipsa actiua distinguitur realiter á Generante, & á potentia generandi, & possunt separari ab inuicem: est quoque ipsa paternitas accidens ipsi Generanti, separatur enim ab eo: & separatur ab ipsamet potentia generandi; quapropter, hæc, & similia non sunt idem, immo distincta; & nedum ratione, verum etiam realiter, vt patet.

In diuinis generatio absq. imperfectione.

3 In diuinis vero hæc admittẽda sunt, at semotis omnino imperfectionibus. Et in primis in Patre est generatiuitas, siue potentia generandi, de qua infra suo loco. Hæc vero est absque imperfectione, quia nusquam fuit separata ab actu: adest actualis generatio, vna cum potentia, quia vtraque fuit ab æterno, & vtraque coniuncta principio, & termino, non adest præteritum, quia generatio non transit, sed ex Greg. & August. vt infra, *Pater semper genuit, semper generat, & semper generabit*. Deest successi-

cessiuitas, & mutatio, quia in diuinis omnia sunt simul, & ab æterno, atque denique sunt omnia ibi absque imperfectione. Ex his infert Scot. quod omnia hæc in Patre sunt omnino vnum in rè, licet distinguantur penes nostrum modum concipiendi: itaut generatiuitas, generatio, & paternitas, siue relatio, sint omnino realiter idē. Ex quo etiam infertur quod non licet distinguere hic fundamentum, potentiam, generationem, & paternitatem, sicut in Creaturis currit, non autem in ipso Patre in diuinis.

Ordo penes intellectū, concipientē 4 Quamuis vero idem hæc omnia sint realiter, & formaliter in Patre ex Scot. & licet consequenter simul sint; nihilominus penes intellectum concipientem potest dari inter hæc ordo, prius namque concipimus generatiuitatem, seu potentiam generandi; inde actum gignendi: postremo relationem gignentis ad genitum. Nec ista conceptionis ordo est contra naturam, namque, *Qualis ordo seruatur vbi aliqua distinguuntur realiter, talis seruari debet vbi distinguuntur sola ratione*; at in creaturis, vbi hæc distinguuntur realiter, datur ordo prioris ad posterius, vt prior sit potentia, posterior generatio, ergo idemque eueniet in diuinis: ordo autē in diuinis non erit à parte rei, sicut nec distinctio à parte rei, sed penes intellectum, inquit Scot. ita concipiētem. Hinc vero eluditur argumentum Durandi, arguit autem in 1. d. 11. sic, forma hypostatica, generare, & paternitas sunt omnino idem, ergo non potest dari ordo inter ea: prob. conseq. quæ namque sunt idem omnino, inter

Duran. arguit. ea non est ordo, & sunt simul. Sed

Occurritur Respond. committi fallaciam ab abstractione præcisiua ad diuisiuam; licet enim à parte rei sint idem, & simul, tamen non implicat intellectum considerare ea, vt ratione distincta, & inter sè secundum prius, & posterius ratione ordinata.

Conceptu adæquato, non potest cōcipi vnū sine altero, licet cōceptu inadæquato. 5 Et hinc quoque fit, vt loquendo de conceptu adæquato, non possit intellectus concipere vnum sine alio: loquendo de conceptu inadæquato, possit quidem. Verum quia abstrahentium non est mendacium, potest concipi Pater sub vna ratione, & non sub alia. Supponimus vero nos loqui non de quacunq. relatione personarū, non enim loquimur de spiratione actiua, quæ est aduentitia Patri, & Filio, sed de essentiali, atq; constitutiua: & de ea quærimus vtrum abstractis relatib. à personis remaneant personæ iam in esse personæ. Singula hucusque habita, repetenda erunt quæst. sequenti art. 2.

6 Et hinc tandem respondendo ad quæst. dicimus, quod abstractis à personis relationibus non manerent ipsæ personæ. Explicatur assertio, vt vera sit de abstractione diuisiua, siue negatiua, vt vocant: ea autem est abstractio realis, à parte rei, quemadmodum abstrahitur accidens à subiecto, forma à materia separando eam. *Abstractis relationib. non remanerent personæ, ab stractione diuisa.* Et quidem si per impossibile abstraheretur à personis relatio constitutiua, non remaneret persona. Est Scot. vbi sup. & in Repor. in 1. d. 26. q. 3. atq; D. Tho. 1. p. q. 40. art. 3. prob. effectus formalis prouenit à causa formali; ergo ablata causa formali, aufertur effectus formalis: relationes sunt principia & rationes formales cōstituēdi personas: ergo ablatis relationib. non remanēt personæ. Dū oppositum, quod abstractis relationib. remaneāt, vtiq; dicetur personas nō esse formaliter relatiuas; prob. nihil cōstituitur essentialiter, aut essētialiter depēdet ab eo, quod nō est eius per sè causa, & pcipue si sit causa intrinseca, & essentialis: erg si essent à parte rei personæ abractis relationibus iam non constituerentur per respectiua, ergo personæ essent per absoluta, quod supra est improbatum.

7 Dicimus insuper quod abstractis per intellectum relationib. abstractione præcisiua adhuc remanent personæ. Prob. abstractio talis non est realis, ergo nihil officit, vt ea stante remaneant personæ. Cōfirmatur, & si concipiam hominem absq; animalitate, & rationalitate, nihil minus erit à parte rei homo, quia esse hominis non pendet ab Intellectu. *Remanerēt facta abstractione præcisiua.*

8 Vltro dicimus, abstrahendo à prima persona aliquem conceptum particularem, non implicat eam concipere *Potest abstrahi conceptus vnus ab alte ro in preso.*

tis per intellectum inadæquatè;

cipere sine secunda. prob. Rationes illæ in Patre sunt ordinatæ secundum prius, & posterius, ergo potest intellectus concipere Patrem, v.g. sub ratione generatiuitatis, seu potentiæ generandi, absque actuali generatione: at secunda persona habet esse per actualem generationem, ergo maneret prima penes intellectum sic concipientem, non intellecta secunda, hæc vero conceptio, & abstractio vocatur inadæquata, abstrahēdo vnum solummodo conceptum, & non alium. Et cōfirmatur, cōcipimus.n. Petrū potentem generare, absque actuali generatione, ex quo habemus Petrum, non concipiendo Filium: licet in hoc sit magna diuersitas, nam vere tunc cum Petro non est Filius, quia non est effectus coæuus suæ causæ, seu potentiæ generatiuæ creatæ, quæ requirit tempus & motum inter potentiā, & actū: at in diuinis sunt simul potentia, & actus, nihilominus potest intellectus præcisiue abstrahere vnum ab alio.

Impossibile est abstrahere adæquatè.

9 Insuper dicimus impossibile esse intellectum concipere conceptu integro, & adæquato personam Patris, absque quod cōcipiat personam Filij. Prob. impossibile est concipere vnum relatiuum absq; correlatiuo. Insuper Pater adæquatæ conceptus dicit nedum generatiuitatem, seu potentiam generandi, sed actualem etiam generationem: ergo impossibile est concipere sic primam, seu manere primam, sine conceptione secundæ.

10 Rursus, ait Scot. quod potest cōcipi prima persona sub ratione suppositi per sè subsistentis, & incōmunicabilis; quatenus abstracta ab absoluta & respectiua, prob. non repugnat hoc; siquidem concipere possumus substantiam in sè, abstractam à specie, & indiuiduo. Videmus item à longe aliquem venientem, cum tamen nesciamus cuius sit speciei, & quale indiuiduum, concipimus illud sub ratione entis.

Abstracta spiratione à Patre, & Filio, an remanerēt in esse.

11 Demum quæ diximus de abstractione negatiua non militant in relatione aduentitia, & non constituēte: vnde si per impossibile non esset spiratio in Patre, & Filio, vtique abstracta ab eis spiratione, abstractione negatiua, & diuisiua, remaneret nihilominus Pater, & Filius, patet quia nihil dependet essentialiter ab eo, quod non est de ratione intrinseca constitutiua eius, ac propterea spiratio vocatur relatio adueniens, nō constituēs; reperit enim vtramq; personam iam in esse suo constitutam. Dices, identificatur realiter spiratio actiua cum paternitate, & filiatione; ergo abstracta hac negatiue, non remaneret paternitas, & filiatio. Respond. conseq. sequi per locum *extrinsecum*, qui fundatur in identitate, non per locum *intrinsecum*, quia spiratio non est de intrinseca ratione Patris, & Filij. Vnde repugnantia manendi sine spiratione prouenitet ratione identitatis, nō autem ex eo, quod esset de ratione intrinseca constitutiua, cum non sit constitutiua.

QVÆSTIO V.

Vtrum relatio constituat Personam, vt relatio, an vt origo, vel proprietas.

ARTIC. I.

Referuntur aliorum placita, et confutantur:

Duplex sensus quæstionis.

1 Quæstionem istam, alioqui difficillimam; disputare possumus duob. modis, vel primo quatenus se habet à parte rei, vel quatenus concipitur à nostro intellectu, siue adæquate, siue inadæquate. Primo modo attenditur, quatenus veritas ipsa se habet à parte rei in constitutione personæ: secundo modo, quatenus possumus opere intellectus contemplari ipsam sub varia forma, varioque ordine constituendi personam; vtroque modo examinabimus eam ordinate autem incipiemus à primo, inde à secundo.

Sententia D. Bonau.

2 Quoad rem ipsam attinet, primo loco se se offert sententia D. Bon. ait vero in 1.d.26.ar.1. q.1. quod relatio potest considerari duobus modis, vel quatenus origo est, vel quatenus relatio est: primo modo cōstituit psonā: secundo modo distinguit. Hinc deducitur, vt proprietas personalis quatenus origo est, constituit, quatenus relatio est, distinguit. Deducitur etiam, vt Pater constituatur non per paternitatem, sed per generationem actiuam, quæ origo est: & Filius constituatur per generationem passiuam, non per filiationem: similiter Spiritus sanctus per spirationem passiuam, non per relationem, vt relatio est: quia origo, vt origo tū actiuæ, tū passiuæ generationis, & spirationis præcedit relationē, & sic generatio actiua, passiua, atque passiua spiratio præcedit omnium personarum relationē, reddendo singula singulis.

3 Confutat Scotus hanc sententiam in 1;d.28.quæst.3.sic, Quidquid constituit aliquid in suo esse formali, est forma eius: sed origo non est forma personæ diuinæ, ergo non est constitutiua eius, minor probat. origo est quasi via ad personam, ergo antecedit personam, ad quam est, tanquam via ad terminum: Item via generationis nō est forma geniti, nec generantis, sicut via ad terminum non est forma, nec termini, nec euntis ad terminum, ergo per originem non recipit esse formale persona. Adde, deberet persona iam prehabere esse anteeedenter, ad hoc vt origo esset eius forma. *Confutatur Scotus.*

4 Sententiam D. Bonauent. pie interpretatur Scotus, & bene: potest autem alterum ex duobus habere sensum: vel quod origo sit principium constituendi formaliter, vel principiatiue: Primo modo intellecta non potest currere, & militat improbatio facta: Secundo modo eā admittit Scotus, & ita est, quia vere persona constituitur principio originatiuo, siue origine actiua, & passiua, ad eum modū, *Scotus benigne interpratatur Bonau.*

quo duplex genus principij constitutiui, seu in creaturis causatiui distinguere solumus, formalis quidem, & effectiui, intrinseci, & extrinseci: erit origo personæ constitutiua non sub ratione principij formalis, inquit Scot. sed originatiui.

Sententia D.Thom. 5 Secundo loco se se offert sententia D. Thom. ipse autem 1.p.q.40. art.2. relationem considerat dupliciter, vno modo, vt proprietas est, alio *Confutat Scotus.* modo vt relatio est: primo modo constituit personam: secūdo modo distinguit; primo modo præcedit, secundo modo subsequitur personam. Sententiam hanc impugnat ibidem Scot. & primo sic: proprietas, & relatio sunt idem omnino, etiam formaliter, per D. Thom. à parte rei, ergo si constituit, vt proprietas, constituet etiam, vt relatio. Sequela tenet, quia iam supposuimus quæstionem pro nunc agitare eatenus, quatenus res se habet à parte rei: sed à parte rei sunt prorsus idē, quomodo ergo constituet, vt proprietas, & nō vt relatio: & quomodo distīguet, & referet, vt relatio, & nō vt proprietas. Itē licet intellectus possit distinguere proprietatē à relatione tamen in re ipsa nō constituent, & referent, ac distinguent, nisi quatenus sunt tales à parte rei: at à parte rei sunt prorsus idem. Insuper quatenus à parte rei proprietas, & relatio sunt vna res, quæro, entitas illa, vel est ad sè, vel ad alterum, vel se habet, vt neutra: non datur tertium, quia non datur medium inter absolutum, & respectiuum: si primum, ergo persona constituitur per absoluta, quod negat etiā D.Tho. si secūdū, ergo proprietas constituit, quatenus est relatio; igitur à primo ad vltimum sunt idem proprietas, & relatio, & si constituit, vt proprietas, constituet etiam vt relatio.

6 Caetanus, vt argumenta soluat Scoti considerat relationem dupliciter: vel vt conceptā, vel vt exercitā: *Caetanus respondet.* primo modo constituit: secundo modo distinguit. Sed obstatur contra responsionem: & quidem loquimur de relatione, vt est constitutiua, siue distinctiua non per opus intellectus, *Impugnatur.* sed à parte rei. Sic relatio vt concepta est prorsus vna, eademque formaliter cum relatione, vt exercita, nulla interueniente distinctione à parte rei: ergo est inutilis ista distinctio: ergo quidquid dicitur de relatione, vt concepta, dicitur etiam de relatione, vt exercita; sed vt cōcepta cōstituit, ergo cōstituit etiā, vt exercita, & cū distinguit, vt exercita distinguit etiā, vt cōcepta. Item relatio hęc vt cōcepta, vel est quid absolutum, vel quid respectiuum: si primum, ergo persona cōstituitur per absoluta; si secundum, ergo relatio, vt concepta, habebit munus veræ relationis, quod est distinguere, & referre.

7 Capreol. in 1. d.26. quæst.1. *Capre. Ferrariens. responsio.* Ferrariens. 4. contra gent. cap.26. pluresque è Thomistis relationem considerant, vel vt est forma hypostatica, vel vt est relatio; primo modo constituit, secundo modo distinguit: primo modo habet rationem absoluti, ideoque præcedere potest ipsam generationem: secundo modo habet vere rationē relationis, & vere distinguit, ratio horū est, quia licet diuina Essētia, forma hypostatica, & relatio sint *Impugnatur.* à parte rei idem, tamen secundum nostrum modum considerandi sunt diuersa: vnde primo loco habetur Essentia, qua mediāte persona est Deus: secundo loco habetur proprietas, qua persona constituitur in ratione personæ: & tertio habetur relatio; qua vna persona ab alia distinguitur, & ad aliam refertur. Modus hic redarguitur vt supra, & quidem omnia hæc à parte rei idem sunt, ergo si constituit vt proprietas, & forma hypostatica, constituet etiam vt relatio. Insuper, vt forma hypostatica est, vel est quid absolutū, vel respectiuū: nō primum, quia persona esset absoluta; ergo secundum, & sic constituet, vt relatio. Occurrunt, dicendo formam hypostaticam formaliter esse quid absolutum, attamen personas ipsas constitui relationibus, non quidem, vt relationes sunt reduplicatiue, sed specificatiue, idem constituit non vt relatio, sed vt quid absolutum; hoc dicunt ea ratione, qua diuinæ relationes sunt idem cum Essentia, quæ est quid absolutum. Sed contra primo, inde sequitur personam non esse respe-

pectiuam, sed absolutam, id sequitur, dum aiunt formam hypostaticam esse absolutam. Secundo, dicere relationẽ constituere personam non vt relatio est redupl catiue, sed specificatiue, idem est, ac dicere personam diuinam vt persona diuina est, non esse relatiuam: patet, forma, & ratio, qua persona in communi sententia est relatiua, est ipsa relatio, non quidem specificatiue, sed reduplicatiue tenta, ergo non constituit specificatiue. Item sensus, vt specificatiue constituat, est, penes eos, vt quatenus relatio est eadem cum Essentia, & Essentia est absoluta, ita quoque relatio constituat personam, vt formam hypostaticam absolutam: sed fallitur, nam relatio constituit, vt relatio reduplicatiue: & vt dist ncta ab omni ratione absoluti formaliter: alias si constituit vt absolutum, iam non constituet personam respectiuam sed absolutam: alia insuper est ratio formalis essentiæ, quæ est absoluta; alia relationis, quæ formaliter non est absoluta, distinguuntur enim formaliter, vel ergo persona non constituitur per relationem, vel si relatio constituit, vtique constituit, vt relatio est reduplicatiue, nedum specificatiue.

Bannes respondet. 8 Bannes, ita respondet, relationi competunt duo: esse *in*, & esse *ad*: esse *in*, constituit personam: esse *ad*, refert, & distinguit personam. Insuper personæ competunt duo, subsistentia, & incommunicabilitas; primum est de Essentia personæ; secundum est modus intrinsecus ipsius personæ; hoc stante, ait relationem constituere, personam Patris per esse *in*, quoad rationem subsistentiæ, quoad vero esse *ad*, constituit eam sub ratione incommunicabilitatis. Item sub ratione *in* constituit personam non quidem sub ratione incommunicabilis, immo ratio subsistentis in diuinis est communicabilis, omnia enim in diuinis sunt vnum; ratione vero *ad* constituit sub ratione incommunicabilis, & referibilis, ac distinguibilis, quia hæc habentur in diuinis per relationem.

Cõfutatur. 9 Aperte patet argumenta Scoti esse efficacissima, quia torquent adeo aduersariorum ingenia, vt in, varia abeant, & inutilia; Et in primis, facit Bannes personam Patris absolutam, dum sub ratione subsistentis contemplatur eam; sed quis ait hoc? Circa id etiam, quod dicit, quod subsistens in diuinis est absolutum, id verum est, penes ipsos etiam Thomistas, solum de subsistentia, seu existentia Deitatis, cæterum de subsistentia personali negat etiam D. Thom. Insuper velle, quod ea ratione habeat conditionem absoluti, qua identificatur cum Essentia; ratio hæc est admodum friuola: hoc enim modo etiam dicemus relationes esse quid absolutum, quia identificatur cum essentia absoluta; & sub hac ratione tolleremus de medio ipsas relationes, vt relationes sunt; verum quia licet sint eædem realiter cum Essentia, nihilominus retinent suam rationem respectiuam formalem, & distinctam formaliter; ideo persona etiam, vt subsistens non est absolutum, sed respectiuum personaliter. Item subsistentia, quæ tribuit esse *in*, aut est personalis, aut essentialis, & communia tribus; non secundũ, quia eam dat sola Essentia; ergo erit personalis, & consequenter erit incõmunicabilis; ergo male ais per esse *in* non tribui personæ incommunicabilitatem. Dices, esse *in*, tribuit personæ Patris subsistentiam indifferentem ad subsistentiam communem, siue essentialem, & personalem; Contra, Paternitas est personalitas, quæ de sui natura est talis, vt sit omnino incommunicabilis determinate, & definite, ergo non se habet indifferenter ad communicari, & non communicari; Præterea daretur personalitas communicabilis, repugnat vero personalitati communicari, vt *quo*, & vt *quod*. Denique paternitas, vt dicit esse *in*, aut est forma absoluta, aut relatiua; si absoluta, ergo constituit personam per absoluta; si respectiua, ergo idem est esse *in*, ac esse *ad*, & ita non variatur in conceptu relatiuo; quapropter si constituit per esse *in*, idem est, ac constituere per esse *ad*, & è conuerso.

9 Torres ad citatum locum D. Thom. relationem considerat, vel quatenus est apta nata referre, vel quatenus actu refert, & distinguit perso- *Torres respondet.*

Improb. personam Patris ab alia; primo modo constituit, non secundo: & quidem paternitas constituere videtur Patrē non quatenus actualiter refertur ad Filium, sed quatenus apta nata est referre Patrem ad Filium. Distinctio hæc, est metaphysica, & pendet ab intellectu: diximus autem quæstionē nunc decidere prout res se habetā parte rei: sed à parte rei idem est aptitudo referendi, & actualis relatio, etiam formaliter penes eos; ergo frustra distinguitur. Item illa aptitudo, vel est quid absolutum, vel respectiuū: si primum, ergo constituit personam per absoluta: si secundum, ergo est idem ac relatio. Pugnant etiam argumenta alia recensita contra cæteros modos.

10 Insuper Scotus confirmat suā sententiam exemplo albedinis; albedo namque, & habet in se esse specificum, & includit rationem generis; generis ratio est qualitas, species vero est talis, & talis qualitas, vt albedo hic deducitur, quidquid cōstituitur in esse albo pro albedinem vtiq; constituitur albedine, & vt albedo est, & vt qualitas est: licet namque per intellectum concipiamus sic, & sic, rationem generis, & speciei, nihilominus quidquid constituitur per albedinem in esse albi, constituitur etiam in esse qualitatis, seu qualitatiuo; igitur quid quid constituitur per relationem, vt proprietas est, constituitur quoque, vt relatio est; sicut albedo non potest quidquā cōstituere in esse albo, nisi simul cōstituat etiā in esse qualitatiuo.

11 Henricus quol. 9. quæst. 1. & 3 *Hen. resp.* taliter respondet ad quæst. vt relationem consideret quadrupliciter; generatio enim actiua Patris consideratur primo, vt est quasi aptitudinalis; secundo, vt est quasi potentialis: tertio quatenus est præsēs; quarto quatenus est præterita; ita quoque relatio considerari potest his quatuor modis, quatenus fundatur super generatione, vel aptitudinali, vel potentiali; vel vt præsens, vel vt præterita. Applicando ad relationem paternitatis constituere personam Patris, quatenus fundatur super generatione, vt est aptitudinalis quia hæc est prima ratio, sub qua possit considerari Pater generans: & adhunc modum, veluti ad primarium, & fundamentalem omnes tres cæteri modi insequuntur.

12 Contra hunc modum dicendi *Cōfutatur.* Henrici arguit Scotus, & primo. Prima persona non constituitur in suo esse per proprietatem minus perfectam, quam sit proprietas secundæ personæ; sed secunda persona per eū, non constituitur per proprietatem aptitudinalem, siue potentialem, sed per proprietatem actualem, seu per relationem filiationis actualem; ergo prima quoque persona constituenda est relatione paternitatis actuali, non potentiali, & aptitudinali, vt est generatiuitas. Maior patet, alias prima persona non esset æque perfecta, vt secunda. Confirmatur, generatiuitas dicit aptitudinem, & potentialitatem ad generandum ex parte Patris: ergo dicet potentialitatem generabilis ex parte Filii: talis autem potentialitas ex parte vtriusque dicit imperfectionem. Afferri posset effugium, potentialitatem dicentem separabilitatem ab actu generationis dicere imperfectionem: talis non est in diuinis. Contra, vtique potentialitas logica admittitur ibi, & hæc non dicit imperfectionem, vt in propria quæst. attigimus de potentia generandi Patris; at potentialitas physica remouetur inde, quia dicit imperfectionem; & hanc videtur admittere Henricus ex discursu aptitudinis, & potentialitatis; licet enim ita rem concipere possimus, tamen videntur hæc, saltim nomine inferre ordinem, tempus, successionem. Insuper arguitur, prima persona constituitur sub ratione actualissima; sicut persona secunda etiam constituitur sic sub ratione actualissima; ergo frustra quæritur ratio aptitudinis, & ratio potentialitatis, hæc namque distrahunt à ratione actualissima, potentia namque, & aptitudo antecedunt actualitatem de rigore, & natura terminorum, vt sic. Melius ergo est abstinere ab hoc modo loquendi, secundum Scotum, ne videamur ordinem temporis ponere in generatione diuina, & abstrahere à constitutione personæ primæ actualissima,

ma, æterna, & simultanea, cui simultaneæ, & actualissimæ constitutioni videtur repugnare aptitudo, & potentialitas Henrici.

Obstatur. 13 Dices, illud est primum constitutiuum Patris, quod primo respicit Patrem; sed generatiuitas primo respicit, prob. quia est fundamentum generationis. *Occurritur* Resp. Scot. quod Patris persona constituitur per illud, quo respicit personam secundam immediate; at respicit secundam sub ratione actuali, non aptitudinali, & potentiali; & propterea non constituitur sub relatione potentiali.

Quod non est de se incommunicabile non potest esse alteri ratio incommunicabilitatis. 14 Arguitur insuper principaliter contra Henriq. id, quod non est primo, & per se incommunicabile, non potest esse prima ratio incommunicabilitatis alicui; sed potentia, & aptitudo non est primo incommunicabilis, ergo non poterit esse Patri prima ratio constituendi ipsum in ratione personæ incommunicabilis. Maior patet, quia nemo dat quod non habet: & prob. min. potentialitas, & aptitudo non est prima entitas in genere subiecti apti nati, sed præsupponit ipsum subiectū, quod sit fundamentum, super quo fundetur talis aptitudo; si namque quærimus quare homo generat, si dicas, quia habet aptitudinem ad generandum; hæc non erit prima ratio fundamentalis, sed recurrendum ad anterius principium, quo demonstretur esse in eo animam, sensitiuam, vegetalem, rationalem, cæteraq; quibus originarie, & fundamentaliter constituatur talis, vt super ipsum insurgat inde aptitudo ad generandum; omnis enim aptitudo & potentialitas supponit subiectum aptum, & potentiale; igitur à pari non poterit aptitudo ad generandum esse prima ratio constituendi Patrem, sed supponit aliquid aliud, in quo fundetur talis aptitudo.

ARTIC. II.

Relatio constituit sub expressa forma relationis.

Relatio constituit sub præcisa forma relationis. 1 Reiectis opinionibus articuli præcedentis, accedimus ad decisionem quæstionis per assertiones; sit autem prima assertio. Relatio sub præcisa forma relationis in diuinis est constitutiua personæ Patris, & cuiuscunque personæ diuinæ. Est Scoti vbi sup. & communis. Probatur primo, Non constituit, vt proprietas; nō vt origo: non sub alijs rationibus, de quibus sup. ergo cōstituit sub formali ratione relationis. Antecedens est probatum artic. præced. Secundo, persona constituitur per id formaliter, per quod redditur formaliter incommunicabilis; sed per relationem formaliter est incommunicabilis. Tertio nihil potest repugnare vt per relationem constituatur, nisi quia est prior Filio ipse Pater: correlatiua autem debent esse simul; at hoc non repugnat, ergo per relationem constituitur, prob. min. potest vnum correlatiuum esse prius alio prioritate originis, & esse simul natura, talis enim est cōditio naturalis correlatiuorum ex Arist. c. de relat. vt sint simul natura, & prius, ac posterius origine: ergo poterit Pater relatione constitui, ob eam enim licet sit prior origine Filio, erit tamē simul natura cum eo. Quarto quidquid est in Patre, est Deitas, generatio actiua, spiratio actiua, & ingenitum, siue innascibilitas; sed non constituitur in esse personali formaliter Deitate, quia hæc est cōmunicabilis, personalitas incommunicabilis: non constituitur spiratione actiua, quia hæc est communis ipsi, & Filio, constitutiuum autem personæ debet esse proprium, & non commune; tum etiam quia spiratio actiua est relatio aduenticia Patri post eius esse, iam

iam conſtitutum: non conſtituitur poſitiue innaſcibilitate, quia hæc eſt quid negatiuũ, perſona autẽ poſitiua debet habere principiũ cõſtitutiuũ poſitiuũ: ergo à primo ad vltimũ remanet, vt cõſtituatur per relationẽ.

Pater ſi nõ generaret, adhuc diceretur ingenitus.

2 Obſtatur contra hanc vltimã rationem; ſi Pater non generaret Filium, adhuc eſſet ingenitus ex Auguſt. 5. de Trin. cap. 6. dicente quod ſi *Pater non genuiſſet, nihil prohiberet eum dici ingenitum*: ſed tunc non diceretur Pater, & nihilominus vere eſſet perſona, ergo conſtitueretur per ingenitum, ergo non per relationem. Reſpond. primo argumentum concludere ex hypotheſi: dato namque quod non genuiſſet iam non eſſet Pater. Reſpond. 2. quod ſi non genuiſſet, & eſſet perſona, vtique eſſet perſona non formaliter, & præciſe per ingenitum; quia ſi eſſet perſona poſitiua, haberet principium poſitiuum, cuiuſmodi non eſt ingenitum: igitur haberet eſſe poſitiuum per aliquam entitatem formaliter poſitiuam. Reſpond. 3. quod ſi perſona conſtitueretur per aliquid abſolutum, tunc prius eſſet ingenitus, quã Pater; etenim dato conſtitui per abſoluta, primum eſſet abſolutum, inde ſuper eſſe abſoluto fundaretur ratio ingeniti, & innaſcibilis, quia eſſet prima perſona, & denique adueniret ratio Patris per generationem. Reſpond. 4. quia de facto perſonæ conſtituuntur per reſpectiua, ideo primum, quod eſt formale conſtitutiuum Patris eſt relatio, ſeu generatio actiua: & quia Pater eſt perſona omnino prima, à ſe, & à nullo alio habens eſſe, ideo ad relationem ſui conſtitutiuam ſub ratione perſonæ omnino primæ ſequitur ingenitum, & innaſcibilitas; ingenitum ergo non præcedit paternitatem, ſed ſubſequitur ad eam. Nec ſubſequitur ad relationem, vt relatio abſoluta eſt, ſed ad relationem talem, quatenus eſt cõſtitutiua perſonæ omnino primę: vt prima nãq; perſona eſt, vtiq; ingenita eſt; & ideo ingenita eſt, quia prima eſt: igitur à primo ad vltimũ non innaſcibilitas, ſed relatio in Patre, & prima, & conſtitutiua eſt.

Patris formale conſtitutiui eſt relatio.

3 Secunda aſſertio. Concipiendo Patrem conceptu integro & adæquato, dicendum eſt, quod formale conſtitutiuum eius eſt relatio, eſt Scoti quol. 4 art. 3. Vt vero internum Scotus probet, aduertit in Patre, formam hypoſtaticam, generationem actiuam, & paternitatem eſſe vnum, & idem à parte rei. Aduertit etiam, inter eas non dari ordinem: hoc ſecũdum ſequitur ex primo; nam ordo ſupponit diſtinctionẽ inter ea, circa quæ eſt ordo: at ſunt idẽ, ergo non eſt ordo; primũ vero ꝓbatur; paternitas, generatio actiua, & generatiuitas sũt vna, eademque formalis, & ſingularis entitas: quid eſt namque in Patre paternitas, niſi generatio actiua? Quid eſt generatiuitas, ſiue potentia generandi, niſi ipſa actualis generatio? patet, nam in æternis eſſe, & poſſe idem ſunt: igitur omnia hæc ſunt vna actualiſſima relatio. Concipere hæc omnia quatenus idem ſunt, eſt cõcipere ea conceptu adæquato, & integro, patet, quia ſi conciperentur vt in ſequẽti aſſert: vt diſtincta, vtiq; cõciperẽtur inadæquate, & nõ integre: ergo cõcipiendo perſonã Patris cõceptu integro concipimus eã neceſſario, vt relatiuã. Cõfirmatur, quia omnia hæc ſunt relatio, & reſpectus, vt patet, nã generatiuitas indicat reſpectũ, & tendentiã, ſaltim aptitudinalẽ: paternitas eſt formaliter relatiua: generatio in diuinis eſt formaliter relatio, de his autem egimus ſupra q. 4.

4 Itẽ non poteſt cõcipi prima perſona cõceptu adæquato, & perfecto, niſi concipiãtur in ea forma hipoſtatica, generatio, & paternitas: at hæc in re idẽ sũt; & õia sũt formaliter reſpectus. Inſuper nõ ſolũ in rè, verũ etiã penes intellectũ, eatenus cõcipimus perſonã adæquate, quatenus cõcipimus eã relatiue, prob. quidquid eſt in perſona præter eſſentiã, totum eſt relatiuum, ergo adæquate cõcipimus per relatiuum. Prætera diſtinguimus perſonam à perſona adæquate non niſi per relatiua, ergo ſiue ratione conſtitutiui, ſiue ratione diſtinctiui ſpectes perſonam, non concipitur adæquate, niſi per relationem.

Conceptus adæquatus Patris qualis.

5 Tertia aſſertio, concipiendo

Conceptus inadæquatus Patris qualis. primam personam conceptu inadæquato, & non integro, prius concipimus eã sub ratione hypostasis, & personæ, quam sub ratione generantis, & Patris, est Scoti: qui licet eam non tradat in terminis, tradit tamen in re. prob. secundum nostrum modum imperfecte concipiendi res diuinas, concipimus eas in ordine ad id, quod aduenit in creaturis; sed in reb. creatis prius concipimus Patrem in esse suppositi, quam in esse generantis: & prius sub esse generantis, quam sub esse Patris, quia ista se habent ordinate in eis; ergo similiter concipiendo inadæquate personam Æterni Patris, prius concipimus sub esse hypostasis, & personæ: inde sub esse generantis; & tertio sub esse Patris: modus autem hic concipiendi est imperfectus. Aduertendum vero, dum concipimus sub esse hypostasis, & personæ, tunc forma hypostatica non concipitur, nec vt absoluta, nec vt respectiua, sed vt indifferens ad vtrũque.

Conceptio multorum, in Patre adæquate, et inadæquate 6 Idem intellectus inadæquate concipiendo, & imperfecte ea, quæ spectant ad personam Patris, vt Pater est, indifferenter ad creatum, & increatum, ita procedit; primo namque eo icipit ea m in esse suppositi: secundo sub ratione potentis generare: tertio quatenus actu generat: quarto quatenus iam genuit; & quinto quatenus per generationem habet genitum secum coexistens. Hæc singula sunt in sè, tum à parte rei, tum per intellectum separabilia: nam possum concipere suppositum, absque eo, quod sit potens ad generandum: & possum cõcipere illud sub ratione potentis generare, absque tamen eo, quod actu generet: & possum concipere generationem iam præterijsse: & non habere Patrem coexistentem vna cum ipso suum genitũ. Aliqua ex his inuoluunt imperfectionem: vt quod generatio transeat: quod genitum non coexistat generanti: quod generans, & genitum separẽtur ab inuicem: quod generatio fiat per motum, & mutationem: quod potentia generandi præcedat, & nõ sit statim coniuncta actui immò sit separata ab ea: hæc, & simi-lia dicunt imperfectionem in creaturis; sunt igitur hæc omnia secundum rationes proprias distincta: quod si separemus ab his ea, quæ dicunt imperfectionem, vt mutatio, & motus; præteritio: separatio potentię ab actu separatio geniti à genitore, & similia, & trãsferemus ea, quatenus dicũt perfectionem, ad diuina; vt quod generatio sit æterna; permanens; potentia semper coniuncta cum actu; Pater semper coexistens cum Filio, & huius modi; vtique possumus hæc omnia concipere in ipso Patre ordinate, cõcipiendo vnum post aliud, vt prius, sub esse hypostasis, inde generatiui, inde generantis, inde denique Patris; vtique conceptu inadæquato, & non integro, atque incompleto, concipiemus Patrem: ratio, quia non concipiemus eũ nisi singulatiter, secũdũ rationes singulas repertas in eo, modo secundũ vnã modo secũdũ aliã. Et hic modus accipitur à creaturis; est tamẽ modus concipiendi imperfecte, fitq; absque preiudicio diuinarum perfectionum. Quapropter licet hæc omnia in sè sint vnum & idem, ac propterea ratione vnius entitatis dicãtur concipi sub expressa forma relationis adæquate, tamen, quia sunt distincta secundũ nostrũ modũ cõcipiẽdi, ideo, modo concipiendo rationem vnam, modo aliam, dicimur concipere inadæquate, vt supra q. 4.

Conceptio inadæquata an in diuinis. 7 Obstatur, conceptio hæc inadæquata non habet fundamentum in rè, ergo falso sic concipimus. prob. antec. quia in Patre idem sunt forma hypostatica, & paternitas, & generatio actiua, falso igitur concipimus, vt distincta. Respond. concipi vt sic abstractione præcisiua, non diuisiua; illa enim fit per intellectum, abstrahentium autem non est mendacium: hæc fit à parte rei; non implicat vero intellectũ sic, & sic concipere: nõ quidẽ vt res ita sint, sed vt facilius, & distinctius concipiantur. Dices, talis distinctio non habet fundamentum in diuinis, ergo male concipitur. Respond. habere fundamentum in Creaturis, in quibus patet ordo, & distinctio horũ omnium, vt diximus: & ex creaturis abstrahimus, & ita contemplamur in diui-

diuinis, ſemotis tamen imperfectionibus, admittẽdo ſolam abſtractionem fiendam per intellectum in diuinis, nõ autem à parte rei vt ſupra q.4. nu.6. ad finem.

8 Obſtabis contra principale intentum. Ex Scoto in Report. lib.1. d. 26. quæſt. 2. vbi ait, *Dico ergo ad quæſt. quod repugnat forma relationis conſtituere*; nõ ergo in via Scoti relatio ſub expreſſa forma relationis conſtituit. Reſp. textum eſſe mendoſum, incuria Typograph. vnde dicere debet, *Non repugnat forma relationis conſtituere.* Et hæc eſt expreſſa mens Scoti, tum loc. cit. tum in ijſd. Report. per quinq; quæſt. vbi probat relationem conſtituere: & in illa quæſt. ſecunda refert, & remittit ſe ad quod prius dixerat, cum ergo mens Doctoris aliunde expreſſe conſtat, non eſt dubitandum ex hoc loco.

Obſtatur ex textu mendoſo Scoti, qui corrigitur.

ARTIC. III.

Soluuntur argumenta pugnãtia contra primum, & ſecundum artic.

1 ARguitur contra dicta, primo *Omne agere præſupponit eſſe* ergo actio, ſiue generatio Patris, ſiue relatio non poteſt eſſe prima ratio conſtitutiua Patris. Reſpond. omne agere præſupponit eſſe, vel abſolutum, vel reſpectiuum: vel eſſentiale, vel notionale, vel communicabile, vel incommunicabile, hinc actio Patris præſupponit quidem eſſe abſolutum, & communicabile, quod eſt Eſſẽtia diuina, & hoc ſufficit in diuinis. Reſpond. ſecundo; actio præſupponit eſſe, verũ de actione aduentitia, & accidentali, ſeu profectitia à ſuppoſito, ſeu natura operante: non autem de actione conſtitutiua ipſius operantis, cuiuſmodi eſt generatio, relatio. Reſpond. 3. actio præſupponit eſſe ſimpliciter diuinæ Eſſentię, non autem eſſe ſuppoſiti, & perſonæ.

Agere præſupponit eſſe declar.

2 Obſtatur, actio non ſolum præſupponit eſſe, ſed etiam præſupponit potens agere; ſi namque non anteiret ipſum potens agere, nunquam ageret; ſed potens agere non eſt niſi perſona Patris, ergo. Reſpond. potens agere duplex eſt, quo, & quod, vtique agere præſupponit principium, quo, & hoc eſt eſſentia, ſeu memoria fæcunda, non eſt autem neceſſe præſupponi principium potens, quod: niſi loquamur de actione aduentitia, & non conſtitutiua. Contra, agere præſupponit eſſe. Reſpond. præſuponit eſſe ſimpliciter diuinæ Eſſentiæ, non autem eſſe ſuppoſiti.

Actio præſupponit potens agere, declar.

3 Contra, omnis actio præſupponit ſuppoſitum, ergo relatio generationis actiuæ non conſtituit, ſed præſupponit ſuppoſitum Patris. prob. ma. *quia actiones ſunt ſuppoſitorum* ex Ariſtot. Reſpond. 1. quod non ſic habet Ariſtot. vnde hæc eſt ſemper vera *actio eſt ſingularium*, quia ſingulare eſt id, quod operatur; & quidem non eſt neceſſe, vt quod operatur ſit ſemper ſuppoſitum, ſiquidem etiam anima ſeparata ſingularis, & quæcũque forma per Dei potentiam ſeparata operatur; actiones igitur, ex Ariſtot. *ſunt ſingularium.* Reſpon. 2. quod actiones ſunt ſuppoſitorum, at *non ſolummodo ſuppoſitorum, ſed etiam ſingularium.* Reſpond. actiones ſunt ſuppoſitorom, tanquam *vltimate denominatorum.* Ad propoſitum vero dicimus, quod actio aduentitia, & accidentalis eſt ſuppoſiti quidem præſuppoſiti, & præexiſtentis; actio autem conſtitutiua non eſt ſuppoſiti antecedenter præſuppoſiti, ſed eſt ſuppoſiti conſtituibilis per eam. Actio ergo conſtitutiua eſt ſuppoſiti, nempe conſtituibilis; actio vero aduentitia eſt ſuppoſiti iam conſtituti; prima competit Patri in ſua generatione actiua.

Actiones ſunt ſuppoſitorum, declar.

4 Obſtatur, actio in diuinis non eſt pura relatio; ergo: Reſp. actionem productiuam eſſe meram relationem, & habitudinem, ſub ratione conſtitutiui, & referibilis: omne ergo præter

Actio in diuinis quid.

ſub-

substantiam in diuinis est relatio, siue sit actio, siue passio, siue productio actiua, siue passiua; ait enim Augustin. 5. Trin. cap. 5. *Omne quod est in Deo aut secundum substantiam dicitur, aut secundum relationem.*

Denominãs an præsupponere, debeat denominabile

5 Arguitur, omnis actio denominat Agens: sed denominans præsupponit subiectum denominabile; ergo generatio Patris supponit Patrē. Respond. denominationem accidentalem præsupponere denominabile, non essentialem: exemplum primi, risibile denominat hominem, ipsumq; supponit, tãquã subiectum: exẽplũ secũdi, rationale denominat hominẽ, at quia denominat denominatione essentiali, ideo non præsupponit, sed dat esse cõstitutiuũ, & essentiale homini: talis est generatio actiua constituens essentialiter, & essentialiter denominans ipsum Patrem.

QVÆSTIO VI.

Vtrum relationes personales sint formaliter infinitæ.

Sensus qu.

1 NOn est quæstio de perfectione, & infinitate idẽtica, siue reali, siue essentiali: cum enim omnia in diuinis sint idẽ, & vnum essentialiter, ratione Essentiæ, quæ sibi identificat omnia, inde fit, vt ratione Essentiæ infinitæ, dicãtur quoque identice esse infinitæ diuinæ relationes, est vero sensus vtrũ sint infinitæ, & perfectæ formaliter, ea ratione qua formaliter distinguũtur ab Essentia.

Relationes idẽtice sũt infinitæ.

2 Sit igitur prima assertio, diuinæ relationes identice spectatæ sunt sũme perfectę, & infinitæ. prob. identice spectatę sũt idẽ, ac Deus, ac diuina Essentia: sed Deus, & Essentia est infinita, ergo & relationes sunt infinitę. Item omnia, quę sunt in diuinis sũt Deus, quia sunt vnũ essentialiter, & realiter cũ Deo: Deus est infinitus ergo relationes, vt sic, sunt infinitę.

Animaduersio in plerosque Concionatores Scotistas.

3 Ex hoc occasionem sumimus animaduertendi in plerosque Scotistas; solent namque aliqui ex ipsis, vel reticere, vel negare personarum diuinarum infinitatem in sacris ad Populum concionibus: sicut solent quoque de meritis Christi Domini concionãdo, negare ea esse infinita, & id ratione, qua diuinę personarum relationes non sunt formaliter infinitę. Nihilominus quia sic loqui, & sic declamare, pręcipue ad rudes, ac simplices, & deuotionem minuit, & diuinarum personarum perfectioni atque Christi Domini meritis detrahit, & suę passionis derogat infinito valori; ideo loquendum ipsis est, vt cõmuniter alii atque dicendum, personalitates illas esse summe perfectas, summeque infinitas: Christique merita, & sanguinem esse infiniti valoris: Nec scholasticę speculationes poterunt eos ab huiusmodi piis, sanctisque loquẽdi modis retrahere etenim & verum dicunt, & ad pietatem inducunt cæteros sic loquẽdo; nam verum est merita Christi, siue ratione diuini suppositi infiniti, vt D. Thom siue ratione diuinæ acceptationis pro infinitis saluandis, si infiniti essent, vt loquitur Scotus, vtiq;

sunt infinita: Item diuinæ relationes identiee spectatæ sunt infinitæ, ergo poterunt æque bene infinitatem, cũ Christi meritis, tum diuinis hypostasibus tribuere, reddendo singula singulis; vnaquæque enim schola tum relationes, tum merita appellare debet infinita, licet non sit vna ambarum via: Pietatem etiam enutriunt, summæ enim pietatis exemplar est, asserere sanguinem illum prætiosissimum esse infiniti valoris; & sicut id est summæ pietatis, ita quoque in vna quaque Schola est summæ veritatis, cum vnaquæque doceat esse, tum relationes, tum merita, infinita: Thomistarum quidem, formaliter: Scotistarum identice, de Relationibus, & de Christi meritis ex diuina acceptatione.

Relationes diuinæ non formaliter infinitæ.

4 Secunda assertio, Relationes diuinæ personales formaliter spectatæ non sunt formaliter infinitę. Assertio hæc est aliena à pręcedẽti, quia ibi spectamus relationes idẽtice, in hac formaliter: ibi agitur de infinitate idẽtica, hic de infinitate formali: ibi conceditur illa: & hic ista negatur. Assertio Authorem habet Scotũ in quol. q 5. & in 1 d 8 q 3. 5. teneo opi. & q. 4. 5. ad secundum dub. Sequuntur Caetan. 1 p. q. 28 art. 2. & de ente & essent. cap 2 Capreol. 1. d. quæst. 1. ac citatur Durand. in 1. d 1. qu. 3. & Marsil. 1 q. 23. art. 3. Negat D. Thom. 1 p q 42. art. 4 & q. 27 art 2.

Non possũt esse plura infinita distincta realiter.

5 Fũdamẽta vero potiora huius sententiæ hæc sunt. Primo non possunt esse plura realiter distincta, & formaliter infinita: sed diuinæ origines realiter distinguuntur, ergo non possunt esse formaliter infinitæ. Probat. maio. : infinitum est illud, cui nihil deest perfectionis, & consequenter continet omnem perfectionem simpliciter in sè formaliter, & est formaliter tale secundum omnem perfectionem simpliciter: sed paternitas non continet formaliter in sè perfectionem, quam dicis, filiationis, & spirationis passiuæ quia distinguuntur realiter inuicem hæc omnia, ergo nullum istorum est formaliter infinitum Confirmatur, si cõtinet formaliter vna origo perfectionem alterius, ergo non sunt distinctæ realiter, quod namque non est formaliter alterum, non continet in sua ratione formali illud: sed per te origo vna continet formaliter perfectionem alterius; ergo relatio vna non distinguitur realiter ab altera.

Suarez respondet. Impugn.

6 Respondet Suar. 3. de Trin. c. 10. maiorem esse verã de infinito in genere entis simpliciter, non de infinito in genere relationis: illud enim nõ potest multiplicari, hoc sic; ideoque relationes formaliter infinitæ multiplicantur. Sed arguitur contra: quod in diuinis multiplicentur plures rationes formales formaliter infinitæ, id à nemine negatur, nec à Scoto, etenim etiam multiplicantur attributa, & hæc sũt formaliter infinita: vnde dantur plura infinita formaliter, licet sit vnicum essentiale infinitum totale, & completum, vt est Deus: at argumentum non militat contra hoc: sed probat, quod nõ possint esse plura infinita, quæ sint distincta realiter: & hoc quidem vrget; quia vnum realiter infinitum continet, & habet in sua ratione formali omnem perfectionem simpliciter; alias nõ esset realiter infinitum, nec esset vndequaque perfectum: ergo si relationes originis distinguuntur realiter, vt reuera est, vtique vna non continet nec habet perfectionem alterius, & consequenter vna non erit, nec altera, formaliter infinita Responsio Suarij concludit de distinctione formali, quia possunt esse plura formaliter infinita, quæ sint distincta, vel ratione, vel formaliter Quod autem ait, non posse esse plura infinita in genere entis, id verum est de pluralitate & distinctione reali: at hoc est contra ipsum, quia iam relationes distinguuntur realiter, & per ipsos sunt infinitę formaliter: quomodo ergo poterũt multiplicari cum distinguantur realiter; etenim argumentum probat quod ea quæ distinguuntur realiter, non possunt esse formaliter infinita, quia multiplicarentur, quod est contra rationem infiniti, & perfecti simpliciter.

7 **Probatur secundo principale**

inten-

Perfectio simpliciter est de sui natura communicabil.

intentum. Perfectio simpliciter est de sui natura communicabilis: sed nulla relatio originis vnius personæ constitutiua est alteri personæ communicabilis, ergo non est perfectio simpliciter, nec consequenter formaliter infinita. Probatur maior ex Anselm. 15. monol. *Perfectio simpliciter est, quæ est melior ipsa, quam non ipsa in quocunque*; igitur est communicabilis. Occurrit Suar. duplicem esse perfectionem, altera quæ est perfectio simpliciter simplex, & altera, quæ est perfectio relatiua, quæ quidem nõ est perfectio simpliciter simplex ob imperfectionem, cum non sit nec limitata, nec imperfecta; sed quatenus est alteri oppositæ relationi incompossibilis. Ad argumentum ait, concludere de perfectione primo modo considerata.

Idem respõdet, & confutatur.

Distinctio hæc, vel est inutilis, vel confirmat sententiam Scoti: & quidem si relatio, nec est perfectio simpliciter simplex, nec limitata, ergo coincidit cum Scoto, quod nec sit finita, nec infinita; non enim datur mediũ, quia omne, quod dicit perfectionem, vel dicit perfectionem simpliciter, & infinitam, vel limitatam, vel abstrahit à perfectione, & imperfectione: relatio per ipsum non dicit perfectionem limitatam: nec perfectionem simpliciter, ergo abstrahit à perfectione, & imperfectione. Item videtur inutilis distinctio in Deo: quia per ipsum, omne quod est in Deo est formaliter infinitum: quomodo igitur relatio non erit perfectio simpliciter. Insuper, ratio quare relatio non sit perfectio simpliciter per eum, est propter oppositionem, quam vna habet ad alteram ratione æqualis perfectionis, secundum ipsas incompossibiles origines: at ista est ratio Scoti, & hinc monetur ad negandum, dicere perfectionem, quia sunt incompossibiles in eadem persona, & in vna persona esset vna perfectio, quę non in alia, & sic essent in perfectione inæquales. Præterea, relatio non est perfectio simpliciter, ergo est perfectio limitata.

Perfectio simpliciter, est ratio identificandi, quodcũque compossibile.

8 Probatur tertio, perfectio simpliciter, & infinita, est ratio identificandi quodcunque compossibile in eodem supposito, & ratio prædicandi vnum de altero etiam in abstracto: at nulla relatio originis prædicatur in abstracto de altera; ergo nulla est formaliter infinita, minor prob. nam hæc est falsa formaliter in abstracto; generatio actiua est spiratio actiua: quia licet sint idem realiter in Patre, non tamen inuicem prædicantur in abstracto. Maior declaratione indiget, est autem hæc. Vbicunque reperitur ratio infinitatis, vel ex parte amborum extremorum vel ex parte alterius solummodo extremi, ibi valet prædicatio concreti de concreto, & abstracti de abstracto: quod si hoc desit, deficiet prædicatio in abstracto: Exemplum, hæc in concreto est vera, Deus est sapiens: est etiam vera in abstracto, Deitas est sapientia: ratio, quia ex parte amborum extremorum stat infinitas. Hæc insuper vera, Deitas est paternitas in abstrato, quia stat quoque infinitas, saltem ex parte vnius etremi, vt est Deitas. Hæc tamen est in abstracto falsa: generatio actiua est spiratio actiua, quia nullum illorũ est formaliter infinitum. Tota ratio discursus in eo sita est, quia perfecta, & formalis infinitas est ratio idẽtificandi sibi omnia compossibilia, & faciendi prædicationem de eis in abstrato. Causa istius est, quia alias sequeretur in Deo compositio; nam vt euitemus compositionem debemus recurrere ad perfectissimam, & omnimodam identitatem, at hanc identitatem facit ipsa infinitas: hinc vero deducitur: si infinitas est ratio perfectissimæ idẽtitatis, & ratio prædicationis vnius de altero etiam in abstracto; ergo vbi non ad est talis prædicatio in abstracto signum est, quod ibi non sit ipsa formalis infinitas: sed hæc est falsa in abstracto, generatio est spiratio ergo nec generatio, nec spiratio erit formaliter infinita, & sic de singulis.

Relationes, originis nõ sunt entia, quanta.

9 Probatur quarto, Relationes originis non sunt ens quantum quãtitate virtutis, ergo non sunt formaliter infinitæ. prob. anteced. omne ens quantum comparatum ad aliud,

vel est excedens, vel æquale, vel excessum: at relationes originis non ita se habent; & quidem vna non excedit alteram, alias vna esset perfectior altera: vna non exceditur ab alia, alias esset minus perfecta alia: nec sunt æquales, quia relatio generandi Patris non est in Filio & Spiritu sancto: nec relatio spirandi est in Spiritu sancto: vt ergo fugiamus hæc absurda dicimus ea abstrahere à perfectione & imperfectione. Argumentum hoc nititur confirmare Scotus ex doctrina, quam tradit de diuisione entis, docet autem, ens prima sui diuisione diuidi in ens quantum, & nõ quantum: per quantum autem intelligit quantum, seu quantitatem virtutis: per non quantum, intelligit ens abstrahens à perfectione, & virtute, sicut etiam ab imperfectione, & negatione virtutis. Ratio, quia sicut finitum, & infinitum est passio quantitatis molaris, ita finitas, & infinitas; perfectio limitata, & illimitata erit differentia ipsius quantitatis virtutis. Prius igitur quærendum est vtrũ aliquod ens dicat perfectionem, & inde erit exquirendum vtrum sua perfectio sit finita, vel infinita: quod si contingat non cadere aliquod ens sub ente dicente perfectionem, nec imperfectionem, nec etiam quærendum erit vtrum sit finitum, vel infinitum. Verum quia origines collocantur sub ente non quanto, hinc est, vt non dicant perfectionem: at quia ratio limitati, & finiti longe est à Deo, ideo nec dicit imperfectionem, nec finitatem, nec limitationem, sicut nec ex opposito perfectionem simpliciter aut infinitatem.

Entis prima diuisio in quantũ, & non quã tum.

10 Probat. quinto, sequeretur personas non esse æquales in perfectione; prob. duæ relationes dicentes perfectionem sunt maioris perfectionis, quam vna, ergo persona habens eas esset perfectior persona eas non habente; ergo Pater, & Filius essent perfectiores Spiritu sancto. prob. hæc vltim. consequ nam in Patre, & Filio adest duplex relatio generationis, & spirationis, in Spiritu sancto adest vnica relatio, quæ est ationis.

11 Prob. sexto, vni personę deesset aliqua perfectio, quæ esset in alia persona & hinc sequitur quod non essent æquales, sequela patet, dum in Patre non adest perfectio filiationis, & spirationis passiuæ: in Filio deesset perfectio generationis actiuæ, & spirationis passiuæ: & in Spiritu sancto deesset perfectio vtriusque generationis, & perfectio spirationis actiuæ.

12 Ad istas rationes variæ excogitatæ sunt responsiones. Prima autem est, perfectionem originis reperiam in vna persona formaliter, reperiri in alia æquiualenter: itaut æquiualeat illi: talis autem æquiualentia habet fundamentum in Essentia diuina: quæ cum sit eadem in omnibus personis, fit vt ratione ipsius, habendo eam formaliter, dicatur habere relationis perfectionem æquiualenter. Sed obstatur contra, & quidem iam suppositum fuit initio, quod nõ loquimur de relationibus in ordine ad diuinam Essentiam, quatenus idẽtice sunt idem cũ ea; vt sic enim omnis cessat disputatio; sed loquimur de relationibus spectatis secundum se formaliter: vt autem sic consideratæ non possunt continere æquiualenter perfectionem alterius, quia paternitas non est æquiualenter de sui ratione formali, filiatio, nec spiratio, nec vice versa, vt etiam ipsi concedunt. item si filiatio æquiualeret paternitati, iam Filius posset esse Pater, & posset generare, & Pater posset esse Filius, & generari: & Spiritus sanctus posset generare, & spirare: ergo inutilis est ista æquiualentia penes origines, non ratione essentiæ, sed gratia sui spectatas. non prout sunt idem cum Essentia, sed quatenus sic formaliter, siue ratione distinguitur ab Essentia.

Thomistarum responsio.

Impugn

13 Respondet Gab. 1. d. 7. quæst. 3. non implicare in vna persona reperiri perfectionem aliquam relatiuam, quæ non sit in alia, licet implicet reperiri pefectionẽ vnã absolutã, quæ non sit in alia. Verum nec responsio obstat, quoniam vere personæ essent inæquales, saltim in perfectione relatiua: & ita Pater, & Filius

Gabr. resp.

Impugnat.

lius habentes duas relationes perfectionales, essent perfectiores Spiritu sancto, habente solummodo vnam. Nec refugere ad æquiualentiam diuinæ Essentiæ iuuat, quia id est refugium miserorum; etenim non contemplamur virtutem relationum ratione Essentiæ, sed gratia relationum: non quidem prout sunt idem cum Essentia, sed prout distinguuntur ab Essentia.

Continentia eminentialis non in Deo ad intra.

14 Respondet Suar. perfectionem originis vnius personæ contineri eminenter in alia persona. Verum vtrum admittenda sit continentia hęc eminentialis in Deo ad intra: alibi est discussum in quæst. vtrum Verbum producatur ex cognitione personarum: pro nunc vero negandum est personam vnam continere eminenter perfectionem alterius, ratio, quia continentia eminentialis de rigore sermonis dicit excessum perfectionis, & eminentiæ supra rem contentam, itaut contineus sic, sit perfectius contento, & distinctum essentialiter ab eo; & vt sic, dicitur Deus eminenter continere perfectiones creaturarum; tum quia est perfectior illis, tum quoniam est essentialiter distinctus ab eis; at diuinæ personæ sunt æquales, non ergo dabitur continentia hæc eminentialis in eis; esset namque Pater perfectior Filio, & vterque Spiritu sancto, & viceuersa. Quod si continentiam eminentialem attendat penes Essentiam, itaut habendo essentiam dicatur persona habere ratione essentię eminenter perfectionem alterius, hoc erit recurrere ad effugium, vt supra, at non spectamus, vt diximus relationes prout sunt idem cum essentia, sed prout distinguuntur ab essentia.

Plura Bon. excedunt vnum quādo sūt aqualia

15 Vltimo prob. plura bona excedunt in bonitate vnicū bonū: maxime quādo illa plura bona sūt inter sè æqualia. Ergo, duæ verbi gratia, personæ, cum earum origines sint infinitæ, & realiter distinctæ, excedūt in perfectione vnicam Spiritus sancti personā. Nititur argumentum super distinctione reali illorum pluriū bonorum, vnde fit, vt non possint esse plura formaliter bona, quæ sint realiter distincta, & sint infinita formaliter: Confirmatur, quia illa plura bona facerēt aliquid maius, magisq; perfectum, quam esset illud vnicum bonum, seu illa vnica persona.

Deus cum creatura, an aliquid minus.

16 Obstaueris contra hoc, sequitur enim, quod Deus, & Creatura simul sumpta excederent ipsum Deum, quia simul sumpta facium aliquid maius, quam sit ipse solus Deus. Respond. esse disparem rationem, siquidem Deus, & creatura faciunt quidā aliquid maius extensiuè, nō tamen intēsiue; ratio, primi quia Deus nō est Creatura, & Creatura non est Deus; ergo addendo vnum ad aliud, non fit additio eiusdem ad seipsum, sed additio alicuius distincti essentialiter à semetipso, ergo faciunt quid maius extensiue, prout dixi in propria quæstiōne com. 1. disput. 10. quæst. 3. Ratio secundi, quoniam virtus, & perfectio quæ est in Creatura est perfectio contenta eminentialiter in Deo, & propterea Creatura in sua perfectione nihil addit perfectionis ipsi Deo: & eo magis, quo perfectio creaturæ est perfectio participata, & communicata sibi ab ipso Deo. At in casu diuinarum relationum, vna relatio non continet eminenter perfectionem alterius, quia talis continentia, vt est deductum, dicit excessum perfectionis supra rem contentam; ergo vere facerent aliquid maius, si essent infinitæ, & realiter distinctæ: & ita duæ origines excederent in perfectione originem vnam.

Relatio, vt indifferens, ad creatam & increatā nō dicit perfectionem, nec imperfectionem.

17 Tertia assertio, relatio prout indifferens ad creatam, & increatam nec dicit perfectionem, nec imperfectionem. prob. si dicit perfectionē de sè ergo omnis relatio contenta sub ea dicet perfectionem, & in quo cunque supposito dicet perfectionē, & ita prout in suppositis diuinis, dicet perfectionem, si dicit imperfectionem de sè, ergo similiter in quocunq; supposito, siue creato, siue increato dicet imperfectionē; & ita relationes originis in diuinis erunt imperfectę, sicut sunt finitæ, limitatæ, & imper-

imperfectæ relationes creatæ. Item relatio dicens perfectionem, vel imperfectionem competit enti quanto: ergo ante descensum ad ens quantum, nec erit finita, nec infinita, nec dicet perfectionem, nec imperfectionem.

Relatio creata dicit perfectionē & imperfectionem.

18 Quarta assertio, relatio creata dicit perfectionem. prob. relatio creata est consequens ens quantum, ergo habet suam virtualem perfectionem. Item relatio tanta est, quanta est virtus fundamenti, & subiecti: sed creatura dicit perfectionem, ergo & relatio fundata in creatura dicit tantam, & cōsimilem perfectionem. Insuper relatio Domini, Superioris, Gubernatoris, Magistri, boni, pulchri honesti, sapientis, & consimilium, vtique perfectior est relatione serui, subditi, discipuli, praui, turpis, inhonesti, insipientis; ergo penes creaturam relatio dicit in suo genere perfectionem: Tanta autem erit, & diuersa, quantum, & quale erit fundamentum, & ratio fundandi.

Relatio creata cur dicat perfectionem, nō autem increata diuinarum personarum.

19 Sed quæres, cur relationes creatæ dicunt perfectionem, non autem increatæ: Respond. diuinæ origines, ideo abstrahunt à perfectione, & imperfectione, quia personæ diuinæ sunt æquales in perfectione: at si origo diceret perfectionem tolleretur æqualitas, & vna persona esset perfectior, vel minus perfecta altera, vt est deductum; sed tale obstaculum non reperitur in Creaturis, quia iam constat, vnam Creaturam esse perfectiorem, & alteram imperfectiorem, igitur dum non sunt vndequaque æquales, præcipue species rerum, quæ *sunt sicut numeri*, & habentes sicut excessum, & excedēs, merito relatio earum dicet perfectionem, & imperfectionem, reddendo singula singulis. Hæc etiam est sententia Scoti loc. cit.

Relationes diuinæ perfectæ bonitate eius.

20 Quinta Assertio relatio increata, seu diuinæ origines sunt perfectæ, & bonæ, perfectione, & bonitate entis: prob. bonitas hæc est passio cuiuscunque entis, ergo non est deneganda relationi. Item hæc bonitas consistit in eo, vt compleat propriam cuiusque naturam, reddendo totum id, quod competit naturæ, & excludendo defectum ipsius naturæ, vt inde consurgat in suo genere perfecta vniuscuiusque natura: sed diuinis originibus nihil deest in sua natura originis, & relationis, ergo est perfecta, & bona ipsa relatio bonitate transcendentali, & bonitate naturæ. Hæc est communis doctrina etiam Scotistarum. Vulpes autem de Trinit. d 58. art. 9. negat talem bonitatem; tum quia, ait bonitatem hanc competere enti in recto, relationes autem sunt entia in obliquo; tum etiam, quia bonitas entis, inquit, est idem ac bonitas quantitatiua: sed non habent hanc, ergo nec illam. Sed ad primum resp. bonitatem talem competere omni enti, tum in recto, tum in obliquo; licet perfectius illi, quam isti, quia illud est perfectius isto, ideo appellatur bonitas ista, bonitas trascendentalis, quia trascendit, & descendit ad omnia habentia esse, siue in recto siue in obliquo. Ad secundum respond. esse idem non adæquate, sed inadæquate, quia bonitas quantitatiua addit vlteriorem perfectionis gradum supra bonitatem transcendentalem. Item distinguuntur, quia valet quidem prædicatio, est bonitas quantitatiua, ergo transcendentalis: sed non è contra. Dices, Scotus in fin. videtur negare hanc bonitatem relationi. Respond. loquitur dubitatiue, vt ibi patet.

21 Quærendum esset, Vtrum Relationes istæ personarum diuinarum sint æquales inter se: at habebitur infra Dispnt. de æqualitate Personarum part. 2. art. 4. *Vulp negat sed immerito.*

ARTIC. II.

Occurritur argumentis sẽtentiæ opposita.

Incomprehensibile an, & qualiter infinitum.

1 ADuersus dicta occurritur partim rationibus confectis à Scoto contra seipsum, partim ab Adne sarijs. Arguitur autem primo, diuina origo filij, siue diuina generatio est ab intellectu creato incomprehensibilis, ergo est formaliter infinita: antecedens patet Isa. 53. *Generationem eius, quis enarrabit.* Duplici responsione occurrit Scotus, vbi sup. primo autem ait, id esse infinitũ, quod est incomprehensibile ex sui propria, & intrinseca incomprehensibilitate: quod vero est incomprehensibile ratione alterius de se incomprehensibilis, non est necesse, vt sit formaliter infinitum: relationes autem sunt incomprehensibiles ratione diuinæ Essentiæ, quæ ratione suæ infinitatis est incomprehensibilis ab intellectu creato. Verum quia contra hoc obstare videtur Ambrosius, qui de fide ad Gratianum, ait, *Mihi impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum sed Angelorum, & supra Cherubim, & Seraphim, & supra omnem sensum est.* quod confirmat ex Paulo dicente, *Pax Christi quæ exuperat omnem sensum.* Igitur diuina generatio secundum sè est omnino incomprehensibilis. Ideo respondet Scotus secundo, & ait, quod omne, quod est comprehensibile ab intellectu creato, vtique est finitum: & hinc deducit, quod omne quod est incomprehensibile ab eo, non est finitum: ad propositum vero, ait, diuinam Filij originem esse quidem incomprehensibilem, at inde sufficit inferre, quod non sit finita: inferre vero, quod sit infinita, non est necesse secundum se formaliter, quia, inquit, non est, eius quantum. Additur tertia responsio, esse secundum se incomprehensibilem, vtiq; negatiue, non contrarie & positiue: illud quidem, quia non est finita: hoc vero, quia non est infinita.

Actio adæquata principio, et termino infinito est necessario infinita, declaratur.

2 Secundo arguitur, actio adæquata principio, & termino infinito, est necessario infinita: generatio diuina est adæquata memoriæ fecundę, tanquam principio infinito: & Verbo diuino, diuinæque Essentiæ, quæ est terminus formalis infinitus. Respondet Scotus adæquationem istam esse adæquationem proportionis, siue proportionalem non quantitatiuam, & perfectionalem: prima adæquatio requiritur in omni actione, etiam creata; nam actio debet proportionari principio, & termino producendo per eam, alias nihil produceretur: at quod adæquetur actio creata, vel increata, adæquatione perfectionali non est necesse: & quidem actio creata non est tantæ perfectionis, quanta est principium, & terminus, nam generans, & genitum creatum est perfectius actione generatiua: sufficit igitur adæquatio proportionis quæ consistit in eo, vt per eam attingatur terminus. Et hæc in diuinis habet locum, et diuina generationis origo adæquetur adæquatione proportionis, non autem infinitæ formaliter perfectionis: at non propter hoc erit minus perfecta principio, & termino, vt in creaturis sed nec imperfecta, nec perfecta: sufficit vero esse perfectam, & infinitam realiter, & identice cum Essentia.

Ratio subsistendi est ratio perfectissime essendi decla.

3 Tertio arguitur, ratio subsistendi est ratio perfectissime essendi: sed diuina origo est ratio perfectissime subsistendi personæ diuinæ, ergo & perfectissime, & infinite essendi. Respondet Scot. subsistere duo dicit, & quidem dicit esse per sè, communicabiliter secundum esse absolutum: dicit etiam esse per sè, sed incommunicabiliter, & relatiuum: loquendo de primo, vtique dicit perfectionem simpliciter, & est quid infinitum: id autem est diuina Essentia: loquendo de secundo, id est personalitas & origo: at hæc non dicit quid infinite perfectum, sed ab-

abstrahit ab imperfecto, & perfecto.

Infinitas intellectus diuini alia ab infinitate relationum

4 Quarto arguitur, intellectus diuinus non alia ratione est infinitus, nisi quia identificatur cum Essentia diuina; ergo diuinæ origines erunt infinitæ, quia identificantur cum diuina Essentia. Respondet Scotus diuino intellectui duplicem competere infinitatem: aliam quidem radicalem, & aliam formalem: primam habet ab Essentia: & secunda est propria sui formaliter, tanquam modus intrinsecus sui: igitur vtraque infinitate est infinitus: at diuinæ origines carent propria infinitate formali, & modali, & fruuntur solummodo infinitate radicali Essentiæ, qua mediante, dum identificantur cum Essentia, sunt sic identice infinitæ.

5 Vltra Scoti argumenta, liceat rursus arguere, omne ens est bonum, ergo propria perfectio, & bonitas non est neganda diuinis relationibus. Responsio patet ex articul. præcedent. in vltima assertione.

Relationes, sūt adorādæ vnde.

6 Item diuinæ personarum relationes sunt adorandæ adoratione, latriæ, vt canit in præfatione Trinitatis Ecclesia, *In personis proprietas, & in Maiestate adoretur æqualitas*; ergo sunt infinite perfectæ. Respon. adorationem competere eis ratione diuinæ Essentiæ, propter quam sunt idem, ac ipse Deus.

Relationes sunt amabiles, vnde

7 Insuper diuinæ personæ sunt summe amabiles, & fruibiles, sunt enim obiectum beatificæ fruitionis, ergo infinite perfectæ. Respond. sunt amabiles, & fruibiles ratione Essentiæ, relatio enim est amabilis, & acceptabilis, & honorabilis ratione sui fundamenti, quia ab eo habet esse, & amabilitatē; pullulat enim ab Essentia, tanquam à fundamento.

QVÆ.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Relationes diuinæ, attributa, & modi intrinseci, sint de intrinseca ratione diuinæ Essentiæ, & è contra.

ARTIC. I.

Respondetur ad quæstionem ex Scholasticis.

1 SEntentia fuit antiquorum nonnullorum, pluriumque Recentiorum Essentiam esse de intrinseca ratione diuinarũ Relationũ, ac viceuersa, Relationes esse de intrinseca ratione Essẽtię: sicut etiã attributa inuicem cum Essentia, esse de sua intrinseca ratione, & è contra. Fundamentum eorum est omnimoda identitas essentialis ex parte vtriusque: vnde inferebant, quod sicut se habet conceptus entis de sè in ordine ad inferiora, ita se haberet Essentia in ordine ad attributa, & relationes: ens autem est de intrinseca ratione inferiorum, igitur & Essentia de intrinseca ratione relationum, & attributorum. Rationes afferentur infra, & examinabuntur. Vnde Caetan. 1. part. quæst. 27 art. 2. Bannes quæst. 28. art 2. aiunt, esse de intrinseca ratione relatiuorum, & è conuerso. Torres vero qu. 28. art. 2. disp. 2. Molin. ibid dist 4. & Sua lib. 1. de essent. Dei cap. 11. & 4. de Trinit. cap. 5. aiunt esse de essentia relatiuorum non viceuersa.

2 Cæterum primo dicimus, relatio nõ de est intrinseca ratione diuinæ Essentię Est Scoti, Scotistarum communis, quam & sequuntur. Sua. de Trinit. lib. 4. cap. 5 6 Molin. 1. p. quæst. 28. art. 2 disp. 6. Becan. quæst. 5. cap. 9. de Trinit. pluriun. que aliorum aduersus plerosque Thomistas, inter quos citari solet Caetanus 1. p. quæst. 27. art 2. Vtrum vero Caetanus loquatur consequenter dicetur infra. Est etiam Henric. quolib. 5. quæst 6. AEgid in 1. d. 34. art. 2. Argent. ibidem, Ferrariens. 2. contrag. cap. 9. *Relatio nõ, est de intrinseca ratione diuinæ Essentia.*

3 Modo autem probatur assertio, primo id, quod non ingreditur in definitionem alicuius non est de intrinseca ratione illius: at relatio non ingreditur in descriptionem Essentiæ, ergo nec erit de essentia illius: probatur minor, si Essentia posset definiri seu describi, ita quidem describeretur, *Essentia est entitas realis, existens, absoluta, qua in diuinis qualibet persona est Deus.* Ita colligitur ex Scoto quodlib 1. ex hac tamen qualicunque descriptione, non habetur relationem ingredi in descriptionẽ Essentiæ. Declaratur amplius etenim cum Essentia sit quid absolutum, ergo relatio non ingreditur in rationem formalem eius. Hinc vero formatur ratio. Nulla relatio est de intrinseca ratione constitutiua absoluti: Essentia est quid absolutũ, ergo *Quod non ingreditur in definitionẽ alterius, nõ est de intrinseca ratione illius.*

relatio non est de intrinseca ratione eius. Maior de se patet, quandoquidem prædicamenta sunt adeo inter se diuersa, vt vnum non sit de intrinseca ratione alterius: nec enim substantia est de ratione accidentis, nec accidens de ratione substantiæ: nec vnum accidens de ratione intrinseca alterius: quod si accidens ingreditur in descriptionem, vel substantiæ, vel alterius accidentis, id non erit per se; sed tanquam per additamentum, vt loquuntur logici: & consimiliter dum prædicamenta diuiduntur quoque in absoluta, & respectiua sequitur, vt nec absolutum sit de intrinseca ratione respectiui, nec respectiuum absoluti: his stantibus, licet Deus nō sit, qua ratione est infinitus, inclusus in genere, sed sit extra genus, nihilominus spectando rationem absoluti, & respectiui transcēdentaliter, sequitur ex dictis, vt relatio, qua relatio, & qua respectus est, cuius totum esse est ad aliud, minime sit de ratione intrinseca Essentiæ, qua absolutum ens est.

4 Secundo de ratione diuinarū relationum est, vt sint constitutiuæ, & distinctiuæ realiter in diuinis ad intra: at id nullo pacto potest conuenire relationi, dicendo ipsam esse de ratione essentiæ, ergo. Assumptum patet, quia relationes constituunt personas, ipsasque inuicem distinguunt realiter, & multiplicant, & probatur minor, primo quoad constitutionē, secundo quoad distinctionē, & tertio quoad multiplicationē.

5 Quoad constitutionē arguitur sic, absolutū, vt absolutū nō constituitur ex respectiuo, qua respectiuū, seu qua respectus est: Essentia est formaliter ens absolutum: maior probatur alias absolutum, vel non esset absolutum, vel absolutum, vt absolutum esset respectiuum primo, & per se: implicat vero quidquam esse primo & per se absolutum, & respectiuum: Dixi primo, & per se: etenim in creaturis Sortes est per se absolutum, per accidens vero respectiuum ea ratione qua est Pater, vel Dominus: quod autem quidquam sit primo, & per se absolutum, & respectiuum id implicat: igitur Essentia esset essentialiter absoluta, & respectiua.

6 Quoad distinctionem vero arguitur: relationes sunt, quæ distinguunt in diuinis Essentia non distinguit, ergo non sunt de ratione Essentiæ. Pater distinguitur realiter a Filio, & Spiritu s. & ē cōtra: ergo distinguitur per Essentiam realiter, igitur non est eadem Essētia in trib. sequitur intentum, si relatio est ratione Essentiæ, etenim si relatio est ratio distinguendi. erit quoque Essentia principium distinguendi: dum namque homo distinguitur à lapide, igitur totū id, quod est de ratione hominis distinguetur à lapide: at animal, & rationale sunt de essentia hominis, ergo distinguetur tum homo, tum animal, tū rationale ab ipso lapide igitur valebit etiam dicere rationale distinguitur à lapide, ergo & homo distinguitur à lapide, quoniam dum ratio formalis alicuius est ratio distinguendi ab alio, vtique, & id, quod includit per se in sui essentia rationem talem, distīguetur ab illo: si etiam diffinitio est ratio formalis distinguēdi vnum ab alio, et quoque ipsmet diffinitū distinctū ab eo: ergo si relatio est principiū distinguendi personas erit quoq; Essentia distincta in personis, stante quod relatio ingrediatur in rationem formalem, seu in Essentiæ diffinitionem. *Relationes sunt ratio distinguendi in diuinis, non Essentia.*

7 Quoad multiplicationem autem facilius arguitur; Relatio est, quæ multiplicat personas: relationes sunt plures Essentia vna, ergo nō est de ratione Essentiæ relatio. Rursus Trinitas, vna, & trina est: est vero vna ratione vnius Essentiæ: trina ratione triū personarū: dato autem relationes esse de ratione Essētiæ, iā Trinitas esset solūmodo trina, & non vna, deficiēte vnitate Essentiæ, ob quam est vna. Itē in c. firmiter de Sum. Trin. & Fid. cath. dicitur, *Hæc sancta Trinitas secundū cōmunē essentiā indiuisa, & secūdū personales proprietates discreta.* *Relatio multiplicat personas.*

8 Accedit Concilium Toletan. 11. in confess. fid. vbi habetur, *Cum dicitur Deus, non ad aliquid dicitur.* & August. 7. de Trinit. cap. 1. 2. docet, *Essentiam diuinam esse absolu-*

tam, nec in suo essentiali conceptu inclu-dere relationem: & omne quod relatiue dicitur est aliquid excepto relatiuo.

Nullum incommunicabile est de intrinseca ratione communicabilis.

9 Insuper arguitur inde sequi Essentiam generare, & generari, quod est contrarium Concilio Lateran. in cap.: *Damnamus* de Summ. Trinit. Item nullum incommunicabile est de intrinseca ratione communicabilis: iam relationes diuinæ sunt incommunicabiles, paternitas namque non communicatur Filio, & Spiritui sancto, nec spiratio passiua, & generatio passiua Filij communicatur Patri, cũ vnaquæque sit propria cuiusque personæ: spiratio insuper actiua, & si sit in Patre, & Filio, tamen non communicatur Spiritui sancto: at Essentia est prorsus personis omnibus communicabilis. Accedit, quod diuina natura appellatur quid essentiale, nempe cõmune, relatio appellatur quid notionale, & personale, quia non cõmunis. Rursus, sequeretur Patrem differre à Filio, & Spiritu sancto, non solum inquantum Patre, sed inquantum Deum, prob. quia dum paternitas est de quiditate Essentiæ si differt per paternitatem differt etiam per Essentiam.

Nullum posterius est de intrinseca ratione prioris.

10 Denique in via Scoti arguitur, nullum posterius est de intrinseca ratione prioris: relationes ex eod. sũt posteriores natura ad Essentiam, ergo non sunt de eius ratione. Antecedens patet, prius namque; vt prius est, iam præintelligitur constitutum essentialiter ante suum posterius, ergo posterius, vt sic, non est de ratione prioris. Amplius hoc patebit in secunda assertione. Item Deitas in ratione Deitatis habet esse completum ante paternitatem, filiationem, & spirationem, ergo relationes non sunt de Essentia Deitatis. Loquor de Deitate absolutè, non autem de Deo, vt Trino.

Pater non cõmunicat Filio partẽ substantiæ, sed totam diuinã Essentiam.

11 Adest, & vltima efficacissima ratio, Pater generando Filium communicat ei Essentiam, & non paternitatem, ergo relatio non est de ratione Essentiæ: da oppositum, quod sit de ratione, ergo sequitur, vt communicando Essentiam det etiam ei esse Patrem, & paternitatem, ergo Filius erit Pater. Rursus sequeretur Patrem generando nõ cõmunicare Filio totã Essentiã, prob. relatio est de intrinseca ratione Essentiæ; ergo communicando Essentiam deberet communicare, & paternitatem: at non communicat paternitatem, ergo vel non communicat ei totam Essentiam, vel communicat ei esse ingenitum: at docet Concil. Lateranẽ. ipse quod Pater non communicat Filio partem substãtiæ, sed totam substantiam: ergo vel Essentiam solummodo, si non est de eius ratione relatio, vel Essẽtiam cum ipsa paternitate. Sequeretur demum confusio in ipsismet diuinis personis, prob. iam relatio est de ratione Essentiæ, ergo de ratione Essentiæ est paternitas, filiatio, & spiratio, ergo tunc persona habens Essentiam habetet quoque formaliter, & denominatione essentiali, atque intrinseca omnes personalitates, & ita vna persona esset alia, quia verbi gratia, dum Essentia est in Patre, esset quoque in eo, nedum per circumincessionem, verũ & formaliter relatio filiationis, & passiuæ spirationis: & nedum denominatione extrinseca, sed essentiali, & intrinseca, quia dum relationes sunt de ratione intrinseca Essentiæ, habendo Essentiam, tanquam essentiale, & intrinsecum, haberet quoque vnaquæque persona relationes omnes personales in seipsa, tanquam essentialiter, & intrinsece: indeque eueniret, vt nec distinguerentur realiter, sicque tolleretur Trinitas, vna cum inconuenientibus alijs, ergo relatio non est de ratione Essentiæ intrinseca. Insuper, Essentia non esset communis tribus, prob. quia relationes, quæ essent de quiditate, non sunt communes, sed vnaquæque est particularis personæ propria, ergo Essentia esset, v.g. propria Patris, &c.

Attributa non sunt de intrinseca ratione Essentiæ.

12 Dicimus secundo, nec attributa, sunt de intrinseca ratione diuinæ Essentiæ. Est Scoti in 1.d.8. quæst. 4.& 2.& quodlib. 16. ac sæpissime in suis scriptis: probat vero ex Damasc. qui lib. 1. fid. orth. cap. 4. ait, *Si iustum, si bonum, si quid tale dixeris, non naturam Dei, sed quæ circa naturam.* Item ex August. 15. de Trinit. cap. 6. *Si dicam aeternus, immortalis, iustus, bonus,*

 beatus,

beatus, Spiritus: horum omnium nouiſſimum, quod poſui, videtur ſignificare ſubſtantiam, cætera vero huius ſubſtantiæ qualitates. Item attributa ſunt poſterius natura ipſa Eſſentia, ergo non ſunt de conceptu intrinſeco Eſſentiæ: à ſimili patet in Creaturis, vbi paſſio, & proprietas rei ſit poſterior natura ipſo ſubiecto, licet identificetur realiter cum eo, non eſt tamẽ de ratione intrinſeca conſtitutiua ſubiecti; & ſic currit ratio, quę prius de relationibus quin potius ipſa attributa emanant ab ipſa Eſſentia; eſt enim radix, & pelagus omnium perfectionum ex Damaſc. Concluſio procedit, etiam de modis intrinſecis.

Eſſentia nõ eſt de intrinſeca ratione relationis.

13 Dicimus tertio, Nec Eſſentia eſt de ratione intrinſeca relationis; eſt eiuſdem Scoti, Molin. atque Durandi in 1. d. 33. quæſt. 1. & Gregor. ibid. quæſt. 2. probatur, Relatio paternitatis eſt in ſolo Patre; relatio filiationis in ſolo Filio; & relatio ſpirationis paſſiuæ in ſolo Spiritu ſancto: at Eſſentia eſt in omnibus perſonis, ergo Eſſentia non eſt de ratione relationis: impoſſibile quidem eſt, vt dum vnum eſt proprium alicuius, non ſit etiam proprium illius id, quod eſt de ratione intrinſeca eius: ſi igitur Eſſentia eſt de ratione paternitatis, & paternitas eſt propria Patris, vtique Eſſentia eſſet in ſolo Patre, eſſetque propria ſolius Patris, & non communis omnibus. Item Pater diſtinguitur per paternitatem à cæteris, non autem per Eſſentiam; at ſi Eſſentia eſt de ratione paternitatis ſequitur, vt diſtinguatur etiam per Eſſentiam: ſi namque Sortes diſtinguitur ab Equo per humanitatem, ergo diſtinguitur etiam per rationalitatem, quia rationalitas eſt de intrinſeca ratione humanitatis, Demum relatio non dicit perfectionem, ſicut nec imperfectionem de ſe, in ſententia Scoti, & Caetani; igitur Eſſentia non erit de eſſentia relationis; conſequens tenet, alias neceſſe eſſet dicere relationes eſſe formaliter infinitas, ſicut eſt formaliter infinita Eſſentia: qualis namque eſt ratio formalis alicuius, tale erit illud, cuius eſt ratio formalis: Eſſentia eſt formaliter infinita, ergo ſi eſt de ratione formali relationis, ipſa quoque relatio erit formaliter infinita. Aſſertio eſt contra Suar. ibid. cap. 7. alioſque, quos citat.

14 Aduerſarij effugiunt, dicendo includi in conceptu adæquato, non autem inadæquato diuinæ Eſſentiæ; ratio, quia intellectus noſter inadæquate, & imperfecte concipit naturam, & attributa, ideoque diſtinctionem aliqualem ibi admittit, quæ tamen eſt rationis: Deus autem, qui omnia diſtinctiſſime percipit, nullam ibi diſtinctionem apponit, ac propterea vnum eſt de ratione alterius.

Vbi vnum includit aliud, ibi eſt aliqua diſtinctio.

15 Sed contra, ſi Deus nullam ibi apponit diſtinctionem, ergo vnum non eſt incluſiuum alterius in ſua quiditate; probatur, Vbi vnum includit alterum, neceſſe eſt, vt ibi ſit aliqualis diſtinctio, ſiue ex natura rei, ſiue formalis, ſiue rationis: at Deus per eos concipit abſque vlla diſtinctione, ergo vnum non eſt de ratione alterius, nec vnum habebit rationem includentis, & alterum rationem incluſi: Aſſumptum patet, quoniam definitum includit definitionem, tanquã de Eſſentia ſui; totũ includit partes, veluti de Eſſẽtia eius, & tamẽ totum eſt includens non incluſum; & definitio eſt incluſa, ac definitum eſt includens, propterea que formaliſtæ inter definitionem, & definitum admittunt diſtinctionem ex natura rei. Item negata tali diſtinctione ab intellectu diuino adæquate concipiente, ſequeretur, quod idem eſſet de intrinſeca ratione ſui ipſius, ſeu idem eſſet conſtitutiuum, & cauſatiuum ſui ipſius, nã nõ adeſt diſtinctio per cõceptionẽ adæquatã, ergo includens haberet rationẽ incluſi, & incluſũ haberet rationẽ includẽtis: at hæc duo nõ poſſunt eſſe prorſus idẽ, alia namq; eſt ratio conſtituentis, & incluſi, alia includẽtis, & cõſtituti, vt ſic, ſpectãdo rationes iſtas præciſe in ſuis conceptibus formalibus; ſolũmodo nãq; eſt perfecta, & vndeqnaq; idẽtitas eiuſdem ad ſeipsũ, inter q̃, nec realis, nec formalis, nec ex natura rei cadit diſtinctio; vnde eſt, vt intellectus adæquate concipiens, concipiat hæc, veluti aliquo modo diſtincta, ſub rationibus præ-

præcisis includentis, & inclusi.

Relatio, & attributa nō sunt accidēt. in decler.

16 Quinto dicimus, licet relatio, & attributa non sint de ratione formali; seu de quiditate Essentiæ, non tamen propter hoc erunt accidentia, nisi sumpto accidente pro *extraneo*, vt loquitur Scotus. Declaratur, omnia, quæ sunt in Deo, sunt identice substātia, quia *quidquid est in Deo, est ipse Deus*, at aliunde spectata formaliter, habent rationem formalem distinctam formaliter: Et quidem Augustinus ait, *Omne, quod relatiue dicitur, est aliquid excepto relatiuo*, igitur habemus in Deo absolutum, & relatiuum: alterum vero illorum non est alterum, ex August. scilicet formaliter, quia absolutum, vt sic, non est, vt sic, relatiuū formaliter, licet sint idem realiter, & identice. Verum quia ratio accidentis descripti à Porphyrio c. de *Accidente* non potest militare in diuinis, tum quia accidens porphyrianum est separabile, tum quia distinctum essentialiter, in Deo autem nil reperitur separabile, nihilq; distinctum essentialiter, sed omnia sunt vnum essentialiter, ideo accidens, sic sumptum, pro accidenti communi, prout est vnum de quinque prædicabilibus, non est in Deo, quapropter, nec, vt sic, modi intrinseci, & attributa erunt accidens in Deo. Verum, quia tum hæc, tum vero relationes, non sunt de intrinsece ratione quiditatiue constitutiua Essentiæ, ideo appellantur à Scoto accidens pro *extraneo*, quoniam extraneantur ab essentiali ratione constitutiua ipsius Essentiæ, dum non sunt de quiditate ipsius Essentiæ.

ARTIC. II.

Confirmatur ex Patribus doctrina articuli præcedentis.

1 EX Patribus vero apertissime confirmantur præcedenti articulo recensita, & præsertim quæ diximus in quinta assertione, quod attributa non sint de intrinseca ratione Essentiæ, quin potius esse, veluti accidentia, sumpto accidenti pro *extraneo* non autem prout est vnum de quinq; prædicabilibus.

Accidentia in diuinis, an ex patribus.

2 Locus in primis est Cyrilli Alexandrini, qui lib. 11. Thes. ur. ita ait, *Quamuis nihil accidat substantiæ Dei, tamen cogit nos, nō nunquam, quæ sī accidentia dicere, & mente, acciden tium modo concipere, & multa in Essentia Dei, quasi accidentia conspici.* Inde vero concludens, inquit, *Non omnia, ergo, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur substantiam significant; reliquum est igitur, vt voce, modoque dicendi, accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus.* Hoc vero est accidens illud sumptum pro *extraneo* à Scoto.

3 Damascenus lib. 1. de fide Orthod. cap. 4. sic scribit, *Quæcunque per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea, quæ sunt circa naturam, insinuant; nam, & si bonum, si iustum, si sapiens, si quiduis aliud dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea, quæ circa naturam.* Hæc autem verba explicans ibi Clicthoueus inquit, *Eorum, quæ hoc pacto, idest, affirmatiue Deo ascribimus, nonnulla, id, quod circa naturam Dei est, designant, communemque proprietatem Deitatis, vt bonum ipsum, iustum, ac sapientem nominantes, significamus, ipsi bonitatem iustitiam, ac sapientiam, non quidē accidentatiam sed substantialem adesse*, Vsque modo sumit accidens pro communi, seu pro accidente porphyriano

riano, vt est vnum de quinque prædicabilibus, vt sic namque non sunt ibi accidentia: pergit vero in c. 12. in fine concludens, *Bonum, iustũ, sanctũ, & id genus alia naturam consequuntur, non autem substantiam ostendunt*. Hic vero sumitur accidens Scotisticum, sumptum pro *extraneo*; atque dum ait, *naturam consequuntur*, dat intelligere non esse attributa de quiditate naturæ, etenim quod est de quiditate alicuius, non consequitur ad id, immò præcedit illud, quia ratio constitutiua semper, vt sic, intelligitur præcedere constitutum, quemadmodum causa penes creaturas, præcedit effectum; dum itidem subdit, *Non autem substantiam ostendunt*, id amplius confirmat, dũ ea, veluti accidentia sumpta pro *extraneo*, distinguit ab ipsa natura.

Ratio constitutiua agentius præcedit illud. 4 Nyssenus lib. de sancta Trinit. prope fin. ait, *Bonum, iustum, & similia nomina intelligi circa naturam Dei & qui illorum, & naturæ rationem reddit, ac definitionem, nõ eandem reddere vtrorumque rationem. Quorum autem ratio, definitione diuersa, eorum quoque natura differens est. Igitur aliquid aliud quidem Essentia, cuius nondum oratio index excogitata, atque inuenta est: alia vero nominum, quæ circa eam proferuntur, quæ vel ex efficacia, atque actione aliqua, vel dignitate inuenta sunt, significatio*. Item libro, *Quod non sit putãdum tres dici Deos*, ita scribit, *Omne nomen, si e ab humana consuetudine adinuentum, siue à scripturis traditum fuerit, aliquid denotandi vim habere dicimus eorum, quæ circa diuinam naturam esse intelliguntur. ipsius vero naturæ non continere significationem*. Notanda hæc verba vltima, dum namque ait, *Ipsius naturæ non continere significationem*, indicat non esse prorsus eadem cum natura, nec esse de intrinseca ratione naturæ, eo magis, quò ait, *Circa diuinam naturam esse intelliguntur*, quod si circa naturam sunt, ergo nõ sunt de intrinseca ratione naturæ, quæ namq; sunt de intrinseca ratione alicuius rei, dicuntur esse circa illud, sed intra illud, sicut intra dicitur esse ratio formalis constitutiua, ac propterea appellatur ratio intrinseca, seu intrinsecè constitutiua, vt animalitas, & rationalitas non dicuntur esse circa hominem, sed intra hominem, quia sunt de intrinseca ratione hominis; risibilitas, tamen dicitur esse circa hominem, quia non constituit intrinsecè hominem, sed est accidens proprium, emanans ab homine, stans circa hominem, sicut accidens stat circa suũ subiectũ. Subdit vero inde Nyssenus *Ex hoc itaque demonstratur, quod non ipsa diuina natura per aliquod eorum nominum denotetur, sed aliquid eorum quæ ei adiuncta sunt, per ea, quæ dicuntur, indicetur. Dicimus enim, verbi gratia. Numen esse potens, &c. quæ tamen significatio non illud significat, quod natura iuxta Essentiam est*. Aperte loquitur Nyssenus, non esse de intrinseca ratione naturæ.

5 Basilius lib. 1. contra Eunom. *Quo pacto*, inquit, *non deridendus si creandi virtutem, substantiam esse dicat; si prouidentiam rursus substantiam; eodem modo præscientiam, & omnem itidem operationem; substantiam putet*. Nazianzenus Orat. 38. Deum, ait, à nobis cognosci *Non ex ijs, quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum*. Sensus est, nõ posse à nobis cognosci de Deo conceptus proprios ex proprijs, vt esse Trinum, modum generandi, spirandi &c. quæ requirunt lumen fidei, sed aliunde inuestigamus, vt potè per operationem suæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, & huiusmodi, hæc vero appellat, *circa ipsum*.

6 Iustinus lib. de Reprehens. respons. à Gentib. datæ, ait, *Voluntatem inesse Essentiæ, & ex Essentia prodire; Essentiam verò non inesse, nec prodire ex voluntate*. Hoc loco plane ostendit voluntatem non esse de quiditate Essentiæ, ait enim, voluntatẽ ex Essentia prodire, non autem Essentiam à voluntate. Subditque, *Velle est actio voluntatis, quæque est inter vim, & actionem distinctio, eadem est inter velle, & voluntatem*. Insuper inquit, *Deus omnia, quæ facit, non Essentia facit, sed voluntate*.

7 Isidorus 7. Ethymolog. cap. 1. *Deum, inquit, nõ esse essentialiter, quod relatiue ad quamcunque personam est*.

8 An-

Obstatur ex Anselm.

8 Anselmus autem in terminis quasi eorum decidit Monolog.cap.14 inquiens, *De relatiuis nulli dubium, quia nullum eorum substantiale est illi, de quo relatiue dicitur. Quare si quid de summa natura dicitur relatiue, non est eius significatum.*

9 Adducunt aduersarij eundem Anselmum, veluti sententem attributa esse de Essentia; ait enim lib.Monolog.cap.15. *Si quaeratur quid sit ipsa summa natura, quid verius respondetur, quam iustitia?* Respondetur autem minime sensum hunc trahi ex Anselmo; loquitur autem in sensu identico, non formali; nec enim inde trahitur, iustitiam esse de quiditate Essentiae, sed ostenditur esse idem cum Essentia, & de identitate, quidem reali, non formali. Obstant, dicentes, ad interrogationem per *quid est*, verius respondeti in sensu quiditatiuo, & formali, quam identico, & reali; ergo iustitia erit de quiditate Essentiae. Respondetur, intentum Anselmi esse, ostēdere, quod iustitia, ac omnia, quae sunt in Deo, sunt Deus, idque intendebat ad firmandam fidem de vnitate Dei; quo stante, bene ad interrogationem per *quid est*, respondetur in sensu quiditatiuo, & formali, nempe, quia iustitia Dei est formaliter, & quiditatiue Deus, quia est essentialiter Deus, quamuis non sit de quiditate Essentiae; quo etiam stante, recurrit prior responsio, vt loquatur in sensu identico, & praedicatione identica, omnia enim quae sunt in Deo, sunt idem Deus.

10 Cōfirmatur responsio ex Bernardo, is namque lib.5. de consideratione ait, *Si bonum, si beatum, si magnum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris in hoc verbo instauratur, quod est; Est nempe, hoc est ei esse, quod haec omnia esse; & si centum talia addas, non recessisti ab esse.* Idem quoque Sermone 80. in Cant. inquit, *Nec enim aliūde bonus, quam vnde magnus nec aliunde iustus, aut sapiens, quam vnde magnus, & bonus: nec aliunde denique simul haec omnia est, quam vnde Deus.* Accedit Augustinus qui lib.5.de Trinit.cap.4. sic loquitur; *Si virtutes, quae sunt in animo humano, non separantur ab inuicem, quanto magis in illa incommutabili, aeternaque substātia, incōparabiliter simpliciori, quam est animus humanus, haec ita se habent; humano quippe animo non hoc est esse, quod est fortem esse, aut prudentem, aut iustum, aut temperatum; potest enim animus esse, & nullam istarum habere virtutum; Deo autem hoc est, quod est fortem esse, aut sapientem esse; & si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significatur.*

Obstatur ex August. & Bernard. Occurritur

11 Ex his vero, tum Bernardi, tum Augustini locis, pro Scotistis primo aduertendum, posse haec afferri ad tollendam distinctionem formalem. Verum aduertatur, Patres loqui in sensu identico, & reali, non formali, dum namque, ait August. *Deo autem hoc est esse, quod fortem esse, &c.* Seu dum dicit Bernardus, *Hoc est ei esse, quod haec omnia esse*, loquuntur de identitate reali non formali. Secundo dum aiunt, *Hoc est ei esse. &c. Deo autem hoc est esse, &c.* Ly *hoc* stat fundamentaliter, non formaliter, vt dum dicitur, *Eo esse sapientem, quo Deus*, ly *eo* stat fundamentaliter, quoniam Deitas est ratio fundamentalis, qua cuncta in Deo sunt Deus, cū tamen Deitas, vt sic, distinguatur aliunde formaliter.

Ex Ansel.

12 Obstatur ex eodem Anselmo; is namque cap.4. de Incarnation. ait, *Quia cū omne subiectum, sine accidenti, aut esse, aut intelligi possit, Deus sine potestate, nec esse, nec intelligi potest: si vero Dei potestas substantialis est, aut pars eius Essentiae, aut est id ipsum, quod est tota eius Essentia; pars non est, quia quod partē habet, aut actu intellectu est diuisibile, quod omnino extraneū est à Deo; idem igitur est esse Dei, & potestas eius.* Ex hinc arguunt, primo, ait Sanctus Doctor, quod Deus non potest intelligi, sine potestate; ergo est de intrinseca ratione Essentiae. Secundo, arguendo inquit, *Aut potestas est pars Essentiae, aut tota Essentia*. Sed pars est de quiditate totius, ergo. Ad primum, Deus non quidem intelligi potest sine potestate, abstractione diuisiua, nusquam enim separari poterit haec, caeteraeque perfectiones à Deo, sunt nāque idem, cum Deo, at loquen-

quando de abstractione præcisiua, facta per intellectum, potest, eo magis, quo distinguuntur formaliter ab Essentia. Item intentum Anselmi erat docere, omnia in Deo esse Deum, non enim quæstionem agitabat in terminis Scholasticis, sed fidem firmabat, docendo vnitatem Dei. Ad secundum, iam ostendit non esse partem, ob rationem suam adductam, quia, *quod habet partes, dissolubile est*; Dum autem concludit *idem esse Deum, & potestatem eius*, non hinc elicitur esse de quiditate Essentiæ, sed loquitur in sensu identico, non formali.

Ex Athan.

13 Obstatur ex Athanas. orat. contra Gregal. Sabell. vbi ait, *Vniuersa plenitudo, & integritas Deitatis est Pater, vt Pater; & Filius, vt Filius; & similiter de Spiritu sancto.* Idemque serm. 4. Contra Arian. inquit, *Ipsam proprietatem Patris, Essentiam Filij constituere.* Ergo relatio Paternitatis est constitutiua Essentiæ. Ad primum respond. aliud esse loqui de Deo, vt Deus est, in genere absoluti: aliud est loqui de Deo, vt est Trinus: Athanasius loquitur secundo modo, quia verè Deus, vt Trinus constituitur ex Patre, Filio, & Spiritu sancto. Ad secundum, non est prædicatio formalis, sed causalis, quia Pater generat Filium: pro Essentia autem intelligit personam, seu esse Filij.

ARTIC. III.

Soluuntur argumenta obstantia contra artic. primum.

Deus est Pater, Trinitas in quonam modo sunt, per sè.

1 ARguitur aduersus dicta. Prædicationes istæ sunt per sè, nempe, Deus est Pater: Deus est Trinitas; Deitas est Pater; ergo relationes sunt de quiditate Essentiæ. Respondetur, esse quidem per sè, sed non in primo modo dicendi per sè, sed in secundo; ratio est allata, quia Personarum Trinitas; generatio, & processio intelliguntur habere esse post esse absolutum diuinæ Essentiæ, vnde est, vt notionalia nō sint de quiditate essentialium, sicut nec relatio est de quiditate absoluti.

Deus inquantum Deus est trinus, quomodo exponitur.

13 Arguitur, Deus inquantum Deus; est Trinus, & est Trinitas, ergo est de quiditate diuinæ Essentiæ. Respond. si ly *inquantum* stet reduplicatiue, negatur; si stet specificatiue, conceditur. Ratio est, quæ supra, quia nulla relatio, qualis est generatio, & spiratio, constitutiua Trinitatis, nulla, inquam relatio est de quiditate absoluti. At quia Trinitas est vere Deus, & Deus est vere Trinus, ideo verissima est *specificatiue.*

Pater est Essentia, & Essentia est Pater, qualiter intelligitur.

14 Obstatur, hæc est vera, Pater est Essentia; igitur, & ista erit etiam vera Essentia est Pater: ergo paternitas erit de quidditate, & ratione intrinseca Deitatis, & Essentiæ. Resp. primam propositionem esse veram formaliter, quia est in primo modo dicendi per sè, Deitas namque est de intrinseca ratione constitutiua personæ diuinæ: secundam vero non esse per sè, quia paternitas non est de ratione Essentiæ, vnde Essentia est Pater, non est prædicatio formalis, sed identica, identificat enim sibi paternitatem, Deitas. Dices, Aristoteles non admisit prædicationem identicam, quæ non esset formalis. Respond. Aristoteles non nouit modum hunc prædicandi in diuinis; vnde concludendum, illam non esse prædicationem formalem, sed identicam, quia Deitas, & Pater sunt vnum, & idem essentialiter, alias concedendo eam in sensu formali, idem esset, ac dicere Essentia generat, etenim, Deitas, siue Essentia est Pater, idem est, ac dicere Essentia generat, quod non conceditur: igitur datur prædicatio identica, quæ tamen non sit formalis, loquendo Theologice, licet non philosophice. Dices Scotus negat hanc esse veram, Pater est Essentia, ergo, &c. Difficultas ista in vita Scoti tractata fuit sup. disput. 1. quæst. 10. num. 20. & 21. ac ibi soluta.

Essentia est Pater, an prædicatio accidentalis

15 Arguitur, Essentia est Pater, non est prædicatio formalis, siue Essen-

ſentialis, ergo erit accidentalis; ab eſt vero accidens à diuinis! ergo erit eſſentialis. Reſpond. vt prius non eſſe formalem, nec eſſentialem, ſed identicam. Aiunt alij eſſe prædicationem ſubſtantialem, quia omnia in diuinis ſunt idem cum Eſſentia. Ad illud de accidentali reſpondet, nec eſſe eſſentialem, nec accidentalem, ſed ſubſtantialem. Sic Becanus. Verum ex Scotiſtis ſumpto accidenti pro extraneo, quatenus importat prædicatum extraneatum, ſeu quatenus non eſt de intrinſeca ratione eius, cuius eſt, vtique relationes, & attributa dicerêtur habere ſic rationem accidentis, præſertim ex Damaſc. & Auguſtino receptis, & vt ſic dicerent eſſe prædicationem accidentalem: non autem ſumendo accidens, prout eſt vnum de quinque prædicabilibus, vt ſic namque prædicatio accidentalis non eſt, & accidens hoc modo ſumptum abeſt à diuinis, qualis ergo prædicatio erit? Vtique identica, non formalis.

16 Cætera, quæ amplius obſtare poſſent, petenda ſunt, & ſoluenda ex quæſt. de diſtinctione formali attributorum.

17 Aduerſus tertiam aſſertionem inſurgit Suarez, Diuinitas eſt de Eſſentia Patris, ergo eſt etiam de Eſſentia paternitatis; probatur conſequẽs; quia in diuinis; ita cõparatur abſtractum, & concretum, vt nihil eſſentialiter includat vnum, quod non includat alterum: at Pater includit in ſui ratione conſtitutiua Eſſentiam, ergo & relatio. Secundo qualibet relatio diuina eſt Deus; ergo includit in ſuo formali conceptu Eſſentiam diuinam.

Cõcretum, & abſtractum includunt Eſſentiam, at nõ eodem modo.

18 Ad primum negatur conſequens, quia committitur fallacia arguendo à concreto ad abſtractum: Ad probationem dicendum in diuinis concretum, & abſtractum includere quidem, ſeu cõplecti Eſſentiam, at nõ eodem modo, id vero contingit, vel formaliter, vel identice: primum competit concreto Perſonæ, de cuius ratione intrinſeca formaliter conſtitutiua eſt Eſſentia: ſecundum conuenit abſtracto, qualis eſt relatio, quæ ſolum identice includit Eſſentiam.

19 Ad ſecundum reſpondetur cõſimiliter, quęlibet relatio eſt Deus, an ſufficit, vt id ſit verum idẽtice, nec enim neceſſe eſt, vt Eſſentia ſit de ratione formali relationis ad hoc, vt relatio ſit relatio diuina, ſufficit vero identitas realis, & eſſentialis cum Deitate, manente tamen diſtinctione formali, quæ non obeſt diuinitati.

Relatio omnis eſt Deus, delar.

20 Obſtatur, Deus eſt ens per Eſſentiam, non per participationem: at ſi attributa non eſſent de quiditate diuinæ Eſſentiæ, iam Deus, verbi gratia eſſet ſapiens, virtus, & bonus per participationem, & non à sè. Reſpond. negando ſequelam, quæ quidem tunc locum haberet, quando ſapientia diſtingueretur realiter, eſſetque alterius naturæ à diuina Eſſentia, at quia ſunt idem realiter, hinc non ſequitur eſſe ſapientem per participationem. Exemplum de creatura, quæ appellatur vtique ens per participationem, Deus autem ens per Eſſentiam, quia Deus habet eſſe à sè, creatura autem à Deo, & diſtinguitur eſſentialiter à Deo. Reſpondetur ſecundo, explicando quid ſit eſſe ens per Eſſentiam, & per participationem: nam eſſe ens per Eſſentiam eſt *eſſe de sè hunc*, ſeù *eſſe de sè hic*; atque *exiſtentiam eſſe de quiditate eius*: huiuſmodi eſt Deus, cũ ſuis perfectionibus, ac relationibus, quidquid namque eſt in Deo, totum eſt de sè hoc, atque exiſtentia eius eſt de quiditate ſua, vt primo tomo demonſtrauimus diſput. 3. quæſt. 8. eſſe vero ens per participationem eſt *non eſſe de ſe hoc*, neque *eius exiſtentiam eſſe de quiditate eius*, & huiuſmodi eſt omnis creatura, quo habito, etiam attributa erunt de sè hæc, atque Eſſentia erit de sè hæc: cum namque ſint vnum, & idem omnia, quæ ſunt ad intra, abſolute eſt dicendum, Eſſentiam, Deitatem, Deumque totum eſſe de sè hunc.

Ens per eſſentiam, & per participationem quid?

21 Arguitur, Eſſentia eſt illimitata, & infinita, ergo in ſui intrinſeca ratione infundit omnem perfectionẽ, ergo & attributa erunt de ratione intrinſeca diuinæ Eſſentiæ. Conceſſo antecedẽti negatur cõſeq. ſufficit nãq; continere eas formaliter dum formaliter ibi ſunt, ſufficitque includere illas identice, dum ſunt ſimul idẽ realiter

M 22 Ob-

Infinitum, an quæ continet sint de eius quiditate.

22 Obstatur; si non continet eas, intrinsece, tanquam de quiditate, ergo non erit Essentia infinita, & illimitata, sed limitata, & finita. Respond. negatur consequentia, non enim ad infinitatem, & illimitationem Essentiæ requiritur, vt omnia, quæ continet, sint de eius quiditate, alias *Paternitas* esset de quiditate Essentiæ, vnde sequeretur vera esse istam, *Essentia est Pater formaliter, Essentia generat, &c.* Quapropter ad eius infinitatem, & illimitationem sufficit continere, eo modo, quo possibile est; continere autem, tanquam de quiditate, non reputatur possibile, nullum namque posterius est de quiditate prioris Essent a quidem prima est, veluti fundamentum, & radix, attributa autem, modi intrinseci, & relationes, veluti posteriores pullulant ab ea.

Essentia est sapiens, an essentialis, an substantialis, an accidentalis.

23 Obijcitur, Essentia est sapiens bona, iusta, & huiusmodi; quero autē, vel prædicatio ista est essentialis, vel accidentalis; non accidentalis, quia in diuinis non est accidens; ergo essentialis, & consequenter de Essentia. Respond. non esse essentialem, neç accidentalem, sed esse prædicationem substantialem. Respond. 2. esse accidētalem sensu superius prętacto, sumendo prædicationem accidentalē, prout contra distinctā à prædicatione essentiali, sumpto accidenti non, prout est vnum de quinque prædicabilibus: sed sumpto accidenti pro extraneo, quatenus extraneatur à quidditate constitutiua rei: Dices, omnis prædicatio vel est essentialis, vel accidentalis, ergo falsa responsio, quod sit prædicatio substantialis. Respond. dari tertiū membrum, loquendo Theologice, quod membrum non cognouit Aristoteles; penes namque purum philosophum non datur alterum membrum extra illa, at datur penes Theologos, & ista est prædicatio substantialis.

Prædicatur formaliter, ergo est de quiditate, an valeat.

24 Arguitur, Essentia non est formaliter sapiens, nisi mediante sapientia; ergo attributum est de quidditate Essentiæ. Respond. negando consequentiam, non enim est necesse, vt omne, quod prædicatur formaliter de subiecto sit de quiditate subiecti; nam risibilitas prædicatur formaliter de homine, dum est formaliter risibilis, & tamen non est de quidditate hominis, sed passio eius: ita licet sapientia formaliter prædicetur de Essentia, quia est formaliter sapiens, tamen non est de quidditate eius. Quæ namque prædicantur formaliter in primo modo dicendi per sè, ea sunt de quidditate, at attributa prædicantur in secundo modo, Insuper Essentia de sè est sapiens, & bona radicaliter, & fundamentaliter, cum ab ea, tanquam à radice pullulent attributa. Item respond. Essentiam considerari, vel vt Essentia est, vel, vt sapiens, & bona est, reduplicatiue: primo modo non est de eius quiditate, secundo sic; sicut risibilitas non est de quiditate hominis, vt homo est, sed vt risibilis est reduplicatiue.

Omnis perfectio simpliciter est de quiddita te Essentiæ, an vera.

25 Obstatur, omnis perfectio simpliciter est de quidditate Essentiæ; attributa, & relationes sunt perfectiones simpliciter. Respond. negando anteced. Ad minorem autem, ad id de relationibus, iam constitit in artic. 1. Item perfectiones quidem simpliciter sunt ipse Deus, & prædicando dicuntur de Deo, at non in eodem modo dicendi per sè, cum attributa, cæteraque perfectiones simpliciter, quæ non sunt conceptus quidditatiui, & essentiales, prædicentur in secundo modo dicendi per sè.

Essentia, antequam intelligatur pullulare sapientia, & bonitas an sapiens, an insipiens, an bona, an mala.

26 Obijcitur, Essentia antequam intelligantur pullulare sapientia, & bonitas, aut est sapiens, aut insipiens, aut bona, aut mala: non mala, non insipiens, vt patet, ergo bona, & sapiēs; ergo est primo, & quidditatiue sapiēs. Resp. in illo priori, nec concipitur, vt sapiens, nec vt non sapiens, nusquam vero concipitur, vt insipiēs, quod esset blasphemum: ita nec concipitur, vt bona, nec vt nō bona: nusquam tamen, vt mala, quod esset hæreticū, tūc igitur abstrahit ab vtroque, sicut humanitas in primo signo, antequam intelligatur pullulare risibilitas, nec cōcipitur, vt risibilis, nec vt nō risibilis, ratio quia prædicata hæc, & similia non sunt nata competere ei in illo primo signo: sed competunt posteà: & ideò dicebat Auer. quod *Equinitas est*

eſt tātum *Equinitas*, nempe in primo ſigno, ſpectando ſolam naturam ipſius Equi, antequam pullulent ab ea paſſiones. Quod ſi inferas, Eſſentia in primo ſigno nō eſt ſapiens, nec bona, ergo mala, negatur cōſeq. quia pro eo ſigno non eſt nata concipi, vt ſapiens & vt bona: ſicut non valet, equinitas in primo ſigno naturæ non eſt innhibilis, ergo eſt rudibilis, negatur, quia non apta nata pro tunc concipitur innhibilis. Hæc vero omnia fiunt abſtrahendo, & abſtractio hæc non eſt diuiſiua, quia non eſt à parte rei, nuſquā enim fuit Eſſentia ſine bonitate, & ſapientia, ſicut nuſquam fuit equinitas, & humanitas, ſine riſibilitate, & innhibilitate, ſed eſt abſtractio præciſiua, fienda per intellectum, qui ordinate cotemplando naturas rerum, prius cōſiderat, vnāquā alterū, prout cōpetit ipſi naturę, *Abſtrahentiū.n.ſic.nō eſt mēdaciū*. Eſt vero tunc eſſentia bona, & ſapiens radicaliter, dicendum inſuper, quod melius eſt dicere, Eſſentia in illo priori non intelligitur ſapiens, quam dicere non eſt ſapiens, quia iſta eſt abſtractio diuiſiua, illa præciſiua.

Relationes attributa, modi intrinſeci non eodem modo ſe habēt in Deo cū Eſſentia, & prædicatis quiditatiuis.

27 Obiiciaueris relationes, modi intrinſeci, & attributa ſunt de integritate, & completiua perfectione Dei, ergo ſunt de quidditate Dei, alias Deus, Deitas, Eſſentia, vel ſine relatione, vel abſq; aliquo attributo claudicaret, & eſſet minus integra, & imperfecta. Reſp. quod ſi aliquid iſtorū deficeret in Deo, vtique eſſet imperfectus ipſe Deus, immò nec eſſet Deus: ſed inferre inde, quod omnia hæc ſint de quidditate Dei, eſt falſum, ſufficit enim, vt neceſſario requirantur ad ipſum Deum quia Deus eſt ſimpliciter & vndequaq; perfectus, & eſt, *quo maius cogitari non poteſt*, ex Anſelm. ſicut vtiq; ad hominem neceſſario requiritur animalitas, rationalitas, riſibilitas beatificabilitas, & huiuſmodi, at non omnia ex his ſunt de quidditate hominis, cum aliqua ſint de Eſſentia, aliqua veluti paſſiones, ita attributa, modi intrinſeci, & relationes ſunt neceſſaria in Deo, & vndequaq; compleat ipſum Deum, at non omnia eodē modo ſe habent in ipſo Deo, alia namq; ſunt de quiditate, alia non, reddendo ſingula ſingulis.

Melius eſt habere omnem perfectionē quiditatiue, declar.

28 Arguitur, melius eſt habere in sè omnē perfectionē quiditatiue, & formaliter, quam nō quiditatiue: probat. quia modus ille eſt abſolute perfectior, ergo quidditate continet perfectiones. Reſp. aſſumptū intelligendū eſſe, cæteris paribus ita vt, ea, quæ ſunt de quiditate, melius eſt habere tanquā de Eſſentia, & quiditate, quā non de quiditate: & ea, quæ non ſunt de quiditate, melius eſt habere, tanquam non de quiditate, quam de quiditate, taliter autem ſe habent diuinæ perfectiones, & relationes. Reſ ſecūdo, melius eſt Filio eſſe Patri coæqualē, quā ipſo Patre maiorē, quia illud ſibi competit, hoc nō competit; ita melius eſt. attributa non eſſe de quiditate, quam de quiditate, quoniā hoc eis competit, illud non cōpetit.

Eſſe à sè, et ab alio, quid.

29 Arguitur, quodlibet attributum eſt ens à sè, ergo includit eſſentialiter Eſſentiam diuinam, ergo Eſſētia eſt de quiditate attributi. Reſp. declarādo quidnā ſit eſſe à sè: id vero pro nunc contingere poteſt altero ex duobus modis; etenim eſſe à sè idem primo eſt, ac non depēdere ab alio, & ſecundo non habere eſſe vllo modo ab alio: eſſe enim ab alio contingit, vel per verā dependentiā, quæ cōſiſtit in vera cauſalitate, quo modo creatura dicitur habere eſſe à Deo per veram dependentiam, verāque cauſalitatem ab eo: vel ſecundo contingit non per dependentiā, nec per veram cauſationem, ſed per emanationem: oppoſitum huius contingit, quando aliquid habet eſſe, non tamen per dependentiam, & cauſalitatem, nec etiam per emanationem. Applicando dicimus Eſſentiam eſſe vtroq; modo ens à sè, tum quia à nullo depēdet in cauſando, tum etiā neq; in emanando, à nullo enim cauſatur, & à nullo emanat, imò cuncta emanant ab ea, tum ad extra, tum ad intra: Attributa vero quāuis nō depēdeāt per verā cauſalitatē ab Eſſentia, nam diſtinguerētur realiter ſicut realiter diſtiguitur cauſa à cauſato: nihilominus, habent eſſe ab eadem Eſſentia, quoniam pullulant, & emanant ex ea. Ad argumentō autē, cum dicitur, attributum eſſe ens à sè, cō-

ceditur in primo sēsu, eatenus enim est à sè, quatenus non habet esse per physicam causalitatem, importantē veram dependētiam causati ad causam, & distinctionem realem, attamē non est verum in secundo sensu, quia pullulat ab Essentia diuina, ipsa namque est radix diuinarum perfectionum.

Actus purus, an sit ratio includēdi omnes perfectiones.

30 Arguitur Essentia est actus purus, ergo includit in sua quiditate omnem perfectionem attributalem. Ita vice versa argui potest de attributis, etenim quodlibet attributum, atq; modus intrinsecus est actus purus, ergo includit in sua quidditate omne, quod est actus purus, & ita attributum includet Essentiam, attributum includet attributum, & modus intrinsecus omnem modum intrinsecum. Respond. negādo omnes sequelas, non enim actus purus est ratio includendi in sua quiditate cęteras perfectiones simpliciter, sed esse actum purum, duo dicit in præsentiarum, primo excludit compositionem, quia actus simplex nulli est cōponibilis, ideoque non cadit cōpositio in Deo: & secundo identificat sibi cęteras perfectiones simpliciter, vnde ex eo, quod vnumquodq; istorum est actus purus, concluditur sola identitas, non autē quod sit de quiditate, & intrinseca ratione formali.

31 Arguitur sicut se habet cōceptus ētis ad res omnes, de quib. prædicatur, ita se habet Essentia ad omnia, quæ sunt ad intra: at conceptus entis est de quiditate omnium, ergo & essentia erit de quiditate, & intrinseca ratione attributorum. Respon. negādo paritatē: conceditur.n. de conceptu entis ad sua inferiora, negatur vero de cōceptu Essētiæ ad attributa. Linquo pro nunc ea, quæ formalistæ docent de ente in ordine ad vltimas differentias, passiones, potentias, & huiusmodi, quæ non faciunt ad præsens.

Essentia, vt est ens diuinum, est de quiditate omnis entis diuini, sine sapientia diuina, vt diuinę.

32 Replicabis, Attributa sunt quid diuinum, sunt enim perfectiones diuinę, quiditatiue, & formaliter, ergo Essentia erit de quiditate eorū. Resp. Essentiam cōsiderari posse, vel prçcise sub conceptu Essentię, vt Essentia est: vel quatenus est Ens diuinum: primo modo non est de quiditate, secundo autem modo erit de quiditate; & sic conceptus Entis diuini, vt diuini, prædicatur in quid, & essentialiter de attributis diuinis, eritque de intrinseca ratione cuiuscunque, quod appellatur diuinum. Et ita stat conceptus aliquis superior prædicabilis in quid de attributis diuinis, similia diximus tom. 1. disp. 20 q. 4. ar. 7. n. 4. & præcipue locum habet doctrina hæc penes distinctionem formalem Scotistarum: & ita Essētia erit de quiditate sapientiæ, bonitatis, & huiusmodi, non quidem, vt sapientia absoluta, & vt bonitas absoluta est, sed quatenus est sapientia diuina, & bonitas diuina, vt diuina reduplicatiue, & in esse diuino.

QVAE-

QVÆSTIO VIII.

Vtrum ex Essentia, & relatione fiat vnum per sè, & fiat compositio in persona.

Vnitatis plures gradus.

1 AD inuestigãdam vnitatem resultantem ex Essentia, & relatione in ordine ad diuinas personas, recolimus multiplicem gradũ vnitatis. Alia namque est vnitas aggregationis, resultans ex pluribus in vnum collectis; quorum tamen vnũ non habet rationem actus, aut potentiæ respectu alterius, vt aceruus lapidum. Alia est vnitas ordinis, aliquid addens supra aggregationem, nempe ordinem vnius ad alterum, vti est vnitas exercitus, vnitas vniuersi in ordine consistens. Alia est vnitas per accidens, & hæc vltra ordinem, addit informationem respectu alterius, vt accidens respectu subiecti: Alia est vnitas per sè, & hæc insuper addit informationẽ: at distinguitur ab vnitate per accidens, quia vnum per accidens contingit in entibus alterius generis, vt substantia, & accidẽs, ex quibus resultat vnum per accidens, vnum vero per sè coalescit ex entibus substãtialibus eiusdemq; generis, vt forma substãtialis, & materia. Alia demũ est vnitas simplicitatis: & hæc excludit omnem compositionem, sicut, & componibilitatem: ratio namque summę simplicitatis omnem tollit de medio compositionem. Dimissis duab. primis vnitatibus de tribus alijs discurrimus.

Vnum per sè, & vnũ per accidẽs vbi?

Arguitur pro parte, vtraque.

2 Hoc præhabito quæri potest, an persona diuina ex Essentia, & relatione coalescens, possit appellari ens per sè vnum: & videtur quod non, immo, quod appellanda veniat ens per accidens: probat. Vnum per accidens coalescit ex rebus diuersorum generum: Persona coalescit ex Essentia, quę est substantia: & relatione, quæ est accidens, ergo est vnum per accidens. Item ex opposito probatur esse vnum per sè, nam per sè vnum est, quod coalescit ex entibus eiusdem generis: at omnia in diuinis transeunt in diuinam Essentiam, quæ est substantia; ipsa enim identificat sibi omnia. Demum probatur non constitui ex relatione, & Essentia, nec per sè vnum, nec per accidens, probat. ad vtramque vnitatem, & perseitatem requiritur, vt vnum se habeat respectu alterius, veluti actus, & potentia: veluti materia, & forma: veluti subiectum, & accidens: veluti informabile, & forma, reddendo singula singulis: à persona autem diuina longe est materia, & forma: actuabile, & actus: ergo nusquam erit ibi vnum, siue per sè, siue per accidens. Item ex his infertur, nullatenus constitui aliquo modo vnum; quia ex Aristotel. omne ens est vnum, vel per sè vel per accidens, & nulla datur apud eum alia perseitas: at nulla ex his vnitatibus, videtur persona esse per sè vnum, ergo.

3 Di-

Ex Essentia, & relatione, non fit vnũ per accidens.

3 Dicimus tamen primo, ex Essentia, & relatione non fit vnum per accidens: probatur; vnum per accidens dicit distinctionem essentialem eorum, ex quibus coalescit vnum per accidens; sunt enim alterius generis & prædicamenti, vt substantia, & accidens: at in diuinis non reperitur distinctio hæc essentialis, cum in diuinis omnia sint vnum ratione Essentiæ, vnum, inquam, essentialiter. Insuper accidens, quod dat vltimatam denominationem vni per accidens est separabile à subiecto: in diuinis autem non adest talis separabilitas. Denique vnitas hæc per accidens est valde imperfecta, & sicut accidentia non sunt entia; sed entis entia ex Aristotel. ita Personæ diuinæ. Essent entis entia, & imperfectissima entia. Remouenda est ergo à diuinis ista vnitas per accidens.

Persona est vnum per sè, semotis imperfectionibus.

4 Dicimus secundo, Persona consurgens ex Essentia, & relatione est vnum per sè, semotis imperfectionibus. Prima pars sequitur ex dictis: non est vnum per accidens, ergo est vnum per sè; non enim datur alia vnitas in hoc genere. probatur secunda pars; nam informare, & informari; actuare, & actuari; perficere, & perfici, dicunt imperfectionem, longe est autem omnis imperfectio à Deo. Quod vero sit per sè vnum: probatur; hoc vnum reperitur in prædicamento substantiæ: licet vero Deus non sit in prædicamento, tamen diuinæ personæ sunt vera substantia: & infinita, ac perfectissima substantia; sunt enim Deus, qui est substantia, immò ex Augustin. & Boet. est *super substantia*. Quæ enim sunt in Deo transeunt ratione infinitatis, in perfectissimã identitatẽ Diuinæ Essentiæ, quæ est diuina substantia. Ac deniq; sicut cõparando vnũ per accidens, & vnũ per sé, perfectius est vnũ per sè, quã vnũ per accidés; ita in diuinis si aliqua ex his vnitatibus est admittẽda, vtiq; admittenda erit, q̃ est perfectior est autẽ perfectior vnitas per sè. Accedit, quod vnũ per accidés, est vnũ depẽdés dicit.n. depẽdentiã accidẽtis à subiecto: vnũ per sè, dicit independẽtiã, & per sè subsistentiã, quod dicit perfectionem: sunt vero Diuinæ personæ independentes, & per sè subsistentes; ergo merito competit, demptis imperfectionibus vnitas per sè.

Obstatur ex Scot. Resp.

5 Dices, negat Scotus ex Essentia, & relatione resultare per sè vnum in 1. dist. octaua quæst. quarta liter. L. Respondetur intelligi attendendo imperfectiones, quas dicit per sè vnum, vt actus, & potentiæ materiæ, & formæ, vt est dictũ: & semetipsum tacite declarat in 2. d. 13. quæst. prima ante liter. D. *vt euitetur compositio*, Cœterum demendo imperfectiones non implicat, vt diximus.

Persona est vnum vnitate constitutionis nõ compositionis.

6 Et hinc fit, vt Persona, vocetur quidem constitutum, non autem compositum; seu vnum constititutione, non autem vnum compositione; seu vnum vnitate constitutionis, non autem vnitate compositionis.

Persona est vnum per sè vnitate simplicitatis.

7 Dicimus tertio, ex Essentia & relatione resultare vnum per sè, vnitate simplicitatis. Probatur nulla resultat compositio ex Essentia & relatione; ergo persona ex his constituta est vnum simplex, seu vnum per sè, vnitate simplicitatis. Item Essentia non sè habet, vt materia, relatio non se habet, vt forma: illa non se habet, vt potentia, hæc non se habet, vt actus: igitur ex his non consurgit vnum vnitate compositionis: at vere ex his consurgit per sè vnum, igitur consurgit vnum vnitate simplicitatis; probatur consequentia, vbi enim adest vnitas, quæ non sit compositionis, ibi aderit vnitas simplicitatis; opponuntur enim & dempto vno, ponitur alterum.

Cur ex Essentia, & relatione non fiat vnum cõpositione.

8 Dicimus quarto, Ratio, quare ex Essentia, & relatione non fiat vnum compositione, itant Persona non sit composita: ea est, quia essentia non habet rationem materiæ nec quasi materiæ; nec ratio-

rationem potentiæ : nec informabilis, aut perfectibilis : nec relatio habet rationem formæ, aut actus, aut perfectiui vel informatiui. Probatur in creatu is ideo habetur vera ratio compositi, siue per se, siue per accidens, quia vnum se habet, vt actus, alterum, vt potentia : vnum, vt materia, alterum, vt forma: at hæc longe sunt à diuinis. Item ideo in creaturis fit cōpositio ex materia, & forma quia materia nō est forma, & forma non est materia, sed sūt distinctæ realiter : at Essentia, & relatio sunt idem realiter. Insuper quia materia est finita, non identificat sibi formam, & è conuerso, meritoque materia e pectat perfectionem formæ, & forma indiget ipsa materia : at Essentia diuina est infinita, ideoque ratione infinitatis identificat sibi relationem: & dum sunt vnum essentialiter, non est dicendum, vnum carere essentialiter perfectione alterius; infinitas ergo est ratio negationis compositionis. Docet Scot. 1. dist. quinta, quæst. secunda; §. tertio prin. ipaliter. Denique relatio est quidem actus, sed non actus informans Essentiam, sed actus subsistens, & suppositalis; licet, vt *quo*, quia eo mediante subsistit persona : at subsistenti repugnat informare.

Relatio est actus: decl.

Relatio quo modo est in Essentia.

9 Hinc vero deducitur, relationem esse in Essentia, non tanquam actum in potentia, nec tanquam formam in materia, sed tanquam subsistens in natura: Nec est dicendum relationem determinare, siue modificare Essentiam, quia talis determinatio repugnat entitati infinitæ, cuiusmodi est Essētia; etenim Essentia est de sè hæc, & singularis, in vltima actualitate, & perfectione existens de sè; quapropter non expectat perfici aliunde, immò ipsa est fundamentum omnis perfectionis. Nec est relatio in Essentia, tanquam in fundamento potentiali informabili, propter eandem rationem. Et si Scotus concedat esse in ea, tanquam in fundamento, id dicit, abstractis imperfectionibus. Eatenus vero habet rationem fundamenti, quatenus est radix relationis, & omnium, quæ pullulant ab ea, vnde est quidem fundamentum radicale, non potentiale. Confirmat Damascen. lib. 1. capit. 5. & lib. 2. cap. 6. inquiens, *Relatio non determinat naturam, sed hypostasim*. Vnde concluditur non esse actum naturæ, & Essentiæ, sed hypostasis.

Essentia est fundamentum: decla.

10 Obstatur contra dicta. Primo. Non potest intelligi ex duobus fieri vnum, nisi alterum se habeat per modum actus, & formæ, alterum per modum materiæ, & potentiæ. Secundo, relatio distinguit, Essentia non distinguit; ergo illa est quasi actus, Essentia veluti potentia. Tertio, vbi est aliquid, quod communicatur, & aliquid, cui communicatur, vnum se habet, vt forma, alterum, vt materia : at relatio communicatur Essentiæ, ergo Essentia est, vt materia, relatio, vt forma. Quarto Aristoteles non admisit medium inter vnum per sè, & per accidens; ergo erit verè per sè vnum compositum persona, si non vnum per accidens.

Obstatur.

11 Respondeo ad primum, quandocunque illa duo, ex quibus fit vnum, sunt realiter distincta, conceditur vtique, quod ex his duobus non potest fieri vnum, nisi habeant rationem actus, & potentiæ, vt patet in composito physico, vbi materia distinguitur realiter à forma, ideoque vere formant compositum: vbi vero illa duo sunt vnum essentialiter, & realiter, non est necesse habere rationem materiæ, & formæ: sic se habent Essentia, & relatio ratione infinitatis radicalis identificantis sibi realiter relationem. Dices, distinguuntur formaliter, Essentia, & relatio, ergo faciunt compositionem. Consequens est negatum in quæst. de distinctione formali attributorū, quia distinctio formalis non obstat simplicitati, vt ibi.

Non potest ex duobus fieri vnum nisi alterū se habeat, vt actus, alterum, vt potentia declar.

12 Ad secundum negatur consequentia, sequitur enim vt sit actus eius, quod distinguit: at relatio distinguit personas, & non Essentiam, ergo

Relatio est actus personæ, non Essentiæ.

ergo est actus personæ, & non Essentiæ.

Aristoteles non cognouit vnitatem istam.

13 Ad tertium, vera est maior, vbi vtrumque distinguitur realiter: Essentia, & relatio sunt idem: ad minorē, quomodo poterit relatio communicari Essentiæ, si relatio pullulat ab *Essentia*: immò potius Essentia cómmunicatur supposito per relationem.

14 Ad quartum Aristoteles nō cognouit vnitatem istam, de qua loquimur. Item loquebatur de creaturis, de quibus verificatur compositio, & vnitas per se, & per accidens.

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

De Circuminsessione.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Personæ Diuinæ sint in inuicem per Circuminsessionem.

ARTIC. I.

Probatur personas esse in inuicem, & affertur Ethymologia, & descriptio Circuminsessionis.

Hæretici Transfuatãtes aiebant Filium esse in Patre tãquam vas minus inuasse maiori.

1 FVerunt qui ex hæreticis negabant personas esse in inuicem per circuminsessionem. Et quidem dum Christum dicentẽ audiebant Ioa. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est:* exponentes aiebant, *Filium intrare in Patrem, atque esse in Patre, vt vas in vase.* Hos Augustinus appellat *Transfuasantes*, seu *Metangismonitas*, quasi *Filius tanquam vas minus, intrare in Patrem, tanquam in vas maius*. Ariani quoquè alia via incedentes aiebant eo modo Filium esse in Patre, quo creaturæ sunt in Deo: iuxta art. 17. *in ipso viuimus, mouemur, & sumus*. Arguebant autẽ, Filius est minor Patre ergo nõ poterat capere Patrẽ. Itẽ dũ minor est Patre, quomodo poterit vndequaq; replere Patrẽ?

2 Primos de transfuasatione confutat Atana. Orat. 4. contra Arianos, inquiens, *Nec enim, vt illi arbitrantur vicissim in sè transfuasantur, à & ait, Ego in Patre, & Pater in me est; quasi vasa inania alter in alterum refusus*. Hilarius quoque lib. 7. de Trinit. *Filius in Patre non per transfusionem, refusionemque mutuam, sed per viuentis naturæ perfectam natiuitatem.* *Confut. ab Athan.*

3 Errorem alterum redarguit, & improbat Cyrillus lib. 3. Thes. cap. 1 inquiens, *Nos gratia; & participatione in Deo viuimus, & mouemur, & sumus; Filius vero secundum naturam; quasi à fonte semper viuo, ex substantia Patris emanans:* & infra. *Non ergo, vt nos, in Deo viuit, & est, sed naturaliter ipse vita est, et in Patre naturaliter est, vnum cum ipso secundum identitatem Essentiæ.* *Ariani confutantur à Cyrill.*

4 Cæterum, quod attinet ad ipsum mysterium, apertè cõstat ex ore Christi Domini Personarum cir- *Circumin. sessio ex scripturis*

 cum-

cuminsessio: & quidem citato loco Ioa. *Operibus, ait, credite, vt cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* & 14. *Qui vidit me, videt & Patrē, quomodo tu dicis ostende nobis Patrem? nonne creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est; Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor, Pater autem in me manens, ipse facit opera;* ac 13. *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso.* Et in veteri Testame. vbi Isa. 26. dicitur, *Sperastis in Domino Deo forti;* Habetur in Hebræo, & Græca interpretatione Aquilæ, *Cōfidit in Domino, quia in Domino Dominus, qui firmauit sæcula.*

Probat. ex Patribus.

5 Ex Patribus autem Ambrosius explicans illud 2. Corint. 5. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* inquit, *Non sicut fuit in Prophetis, sic intelligi potest fuisse in Filio. Filius .n. naturaliter natus est Patris Dei, vnde dicit, quia Pater in me est, & ego in Patre, Pater .n. per id intel igitur esse in Filio, quid vna eorū sit substantia, vbi .n. est vnitas, vbi nulla est differentia, ac per hoc inuicē sunt; quia, & imago, & similitudo eorū vna est, &c.* Concludendo vero, ait, *Recte igitur dicitur, Deus erat in Christo, hoc est Pater in Filio.* Anselmus Monolog. c. 57. *Iucundum est intueri in Patre, & Filio, & vtriusque Spiritu, quomodo sint in se inuicē tanta æqualitate, vt nullum alium excedat.* Damascen. lib. 1. Fidei Ortho. cap. 10. *Has tres Hypostases in se inuicem astruimus, vt non multitudinem, & quandam Deorum turbam inducamus. Per tres quidem Hypostases, incompositum, & inconfusum per consubstantialem vero, & immanentiam in se inuicem hypostaseon, & identitatis, & voluntatis, & operationis, & virtutis, & potestatis, & motus, (vt sic dicam) inseparabilitatem, & vnum esse Deum deprehendimus.* Demum Athanas. Epist. ad Serapion. *Vbicunque Pater dicitur, vna est cum eo, & ipsius Verbum, & in Filio Spiritus: si autem Filius nominatur, in Filio est Pater; nec Spiritus est extra Verbum.* Et infra, *Vt enim Filius, qui in Patre est, & Pater vicissim, qui in eo est, creatura non est, sed ex propria substātia sui Patris; ita quoque Spiritum, qui est in Filio, & vicissim Filium in eo, nefas est creaturis coniungere, aut separare à Verbo, & imperfectam Trinitatem constituere.* Atque Nyssenus in vita Greg. Thaumat. in regul fid. *Neque vero deest vnquam Filius in Patre, nec in Filio Spiritus: sed immutabilis, & inalterabilis eadem semper Trinitas est.* Et Demum Martinus Turonensis in confess. fid. *Spiritus vnus in duobus, & vterque in ipsum, Pater in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu sancto.*

Circuminsessionis ethymol. & connotatū.

6 Talis etiam est communis assensus, Scholasticorum in 1. d. 19. vbi D. Bonauent. Scot. Alurent. Carthus. Capreol. &c. cum D. Thom. 1. part q. 42. &c.

7 Circa Ethymologiam, mysterium hoc circumfertur duplici appellatione: ab Alijs namque appellatur *Circumincessio*: ab alijs *Circuminsessio* per C, & S. Et quidem Dionysius appellat Circuminsessionem; ita enim scribit de diuin. nomin cap. 2. *Primarum, principaliumque personarum, si ita dicendum est, aliarum in alijs omnino coniuncta, & nulla cum parte confusa mansio, & sedes.* &c e quomodo à *sede* appellat eam, *Circuminsessionem.* Scholastici autem modo appellant *circuminsessionem*, modo *Circumincessionem.* Cæterum quid significet, quodue sit eius connotatum, declarat Damasc. lib. 1. fid. Ortho. cap. 19. inquiens, *Immanentia, & stabilitas hypostaseon inuicem est: nam ipsæ inseparatæ, & inabscedētes sunt ab inuicem, inconfusam habentes inuicem circuitionē, nō quod commisceantur, aut cōfundātur, sed quod inuicē inhabitētur.* Hęc est ergo ex Dionysio, & Damasceno, ethymologia huius mysterij.

8 Habito iam reperiri mysterium Circuminsessionis, habitaque eius ethymologia, desideratur subsequenter eius definitio: sic autem describi solet à Scoto, & sentēciarijs.

Circuminsessio quid.

9 Circuminsessio est intima præsentialitas vnius personæ in altera, cum distinctione reali personali, & identitate Naturæ. Ita Scotus in 1. d. 19. quæst. 2. ibi sententiarij: atque D. Thom. 1. part. quæst. 42. art 5 Habita autē pro nunc, Circuminsessio-

nis

nis deſcriptione, explicandæ remanent conditiones ipſius circuminſeſſionis.

Circuminſeſſionis conditiones. 10 Multæ verò eſſe ſolent, & prima, vt exiſtes in exiſtente ſit ſubſiſtens, ideſt perſona incommunicabilis. Secundo exigitur identitas Eſſentiæ ſeu naturæ. Tertio diſtinctio ſubſiſtentium; atque quarto mutua, intimaque præſentialitas vnius ad alterum; quibus quidem explosis conditionibus deſtruitur circuminſeſſio; Ratione ſiquidem primæ euenit, vt diuina attributa inter ſe, & in Eſſentia, atque Eſſentia in attributis, immò Eſſentia in perſonis; non habeant eſſe per circuminceſſionem, ratio, quia non ſunt hęc omnia, ſubſiſtentia perſonalia, cum ex ſuis rationibus ſint communicabilia. Ratione etiam diſtinctionis realis habetur id ipſum, vt nec attributa, nec Eſſentia: immò nec perſona in ſemetipſa ſit hoc modo per circuminſeſſionem, ratio, quia Eſſentia, & attributa non diſtinguuntur realiter inuicem, nec à perſonis; nec vna perſona diſtinguitur realiter à ſeipſa. Ratione inſuper identitatis naturæ euenit, vt ſi duo corpora per Dei potentiam collocentur in eodem loco, non dicantur eſſe in inuicem per circuminſeſſionem, ratio quia ſunt alterius, atque diſtinctæ naturæ: & ratione denique intimæ, mutuæque præſentialitatis accidit, vt nos in Deo non ſimus per circuminſeſſionem, licet namq; Deus ſit nobis intimè præſens per immenſitatem, atque per intimum illapſum, nihilominus adeſt naturæ diuerſitas inter nos, & ipſum Deum.

Obſtatur. 11 Dices etiam nos ſumus Deo præſentes, ergo ſtat mutua præſentialitas. Reſpondetur non ſufficere hoc, cum requiratur naturæ identitas. Reſpondetur ſecundo, quod licet nos etiam Deo ſimus præſentes, tamen id non accidit ex immenſitate

Reſpon. noſtra, neque ex noſtra intimitate actiua, quoniam non ſumus immenſi, & vbique, ſicut & Deus eſt nobis intimè præſens per immenſitatem, ergo principalius præſentialitas iſta attenditur ex parte Dei, & hinc eſt, vt Apoſtolus dixerit *Non longe eſt ab vnoquoque noſtrum*, quaſi dixerit, fundamentum originarium præſentialitatis expetendum eſſe ex parte Dei; Tum denique, quia nos non ſumus in Deo per intimum illapſum, non enim illabimur in Deũ, nec namque Deus indiget cuiuſque noſtrum. Hinc ex dictis deduci breuiter poterit deſcriptio circũinceſſionis, dicendo *Circuminſeſſio eſt perſona in perſona realiter diſtincta, intima, atque mutua præſentialitas cum identitate naturæ.*

ARTIC. II.

Quænam ſit ratio, propter quam vna perſona ſit in alia per Circuminſeſſionem.

1 QVoad modum autem rem iſtam explicandi adeſt controuerſia, & lis, & quidem in præſentiarum oritur inter nos, & Dur. in 1. d. 19. atque Henr. in ſumm. artic. 1. & quolib. 6. quæſt. 5. qui pænes Scotum cit. loc. contendit perſonam eſſe in perſona non ſecundum ſe totam primo, ſed ſecundum partem, ea autem pars erit Diuina Eſſentia, ſicut namque Eſſentia vna reperitur in tribus, & Eſſentia ex Henrico eſt pars conſtitutiua perſonæ, ideo infert perſonã eſſe in perſona mediante parte; Vt autem id explicet, ſupponit aliquod eſſe primo in aliquo, contingere dupliciter, vel primo ſecundum ſe totum, vel ſecundum partem; primo modo vinum eſt in amphora, totum quidem in tota amphora, ſecundo modo contingit inſuper dupliciter, vel quia pars ſit aliquod eius, in quo eſt, vel ſecundo, quia nihil ſit eius, in quo ipſa ſit: exemplum ſecundi, vt pes auis ſit in laqueo, qui tamen pes nihil ſit laquei; exemplum primi ſi eſſet monſtrum habens duo corpora, & duo capita, duos tamen ſolummodo pedes, tunc corpus vnum *Opinio Duran. et Henric.*

esset in altero, mediante parte, quæ esset aliquid ipsius, pes namque est aliquid vtriusque corporis monstruosi, ita applicando; Pater est in Filio, mediante parte, quæ est aliquid Patris, & Filij, nempè mediãte Essentia, quæ eadem est in Patre, & Filio

2 Probat verò Henricus id ità euenire, & non per aliud, quam per Esśẽtiam, nec per realitatem aliquã, sed per solam Essentiam.

3 Primo autem sic, quod competit alicui primo secundum se totum, competit etiam cuilibet parti eius primo, sicut si competit terræ esse primo in centro secundum se totam, competit etiam esse primo secundum partem, & secundum omnem eius partem, igitur si toti Patri competit primo esse in Filio, competit etiam omni parti Patris, & ita Pater erit in Filio, & secundum essentiam, & secundum paternitatem, igitur sicut Pater Deitate est Deus, & paternitate est Pater, ita Filius Deitate erit Deus & paternitate Filius, quod tamen est absurdum.

4 Secundo ex opposita sententia sequitur idem continere simul, & contineri, ambire, & ambiri: probatur, quia si pater in Filio, & Filius in Patre, ergo Filius prout est in Patre, continetur, & ambitur, atquè idem prout in eo est Pater continet, & ambit Patrem.

5 Tertio vbi adest fundamentũ realitatis, ibi adest relatio: sed in Filio verbi gratia, adest relationis fundamentum, quod est Essentia, ergo in eodem adest relatio, seu correlatio Patris, & ita sequitur in Filio esse paternitatem, ergo Filius paternitate, est Filius, sicut Essentia est Deus.

6 Hæc tamen sententia Henrici explોditur à Theologis communiter, & præcipuè à Scoto loc. citat. qui contra ipsum tribus arguit rationibus, probando, non solam Essentiam esse rationem essendi personam in persona, primo autem sic, Persona secundum se totam fundat relationem essendi *in*, ergo non sola Essentia est ratio essendi, *in*, consequens sequitur, & antecedens probatur: Persona correlatiua terminat secundum se totam, relationem sui correlatiui, ergo persona secundum se totam, fundat relationem relatiui, ergo relatio essendi *in* non fundatur in sola Essentia, sed in totalitate personæ. Secundo id, quod est in aliquo secundum partem, est in eo, eo modo, quo est ibi pars, sed per te, Pater est in Filio per solam Essentiam, ergo est in eo, eo modo, quo est Essentia, sed Essentia est in Filio formaliter, ergo paternitas erit in Filio formaliter, igitur Filius erit formaliter Filius paternitate, quia forma denominat subiectum, in quo est.

7 Respondet Henr. id sequi si Essentia esset ratio proxima essendi, *in*, verum quia est ratio remota, ideo non sequitur absurdum adductum.

8 Sed Scotus impugnat, deducendo, quod ex hac responsione ruit Henric in nostram sententiam velit, nolit; concedit siquidem non Essentiam solam esse rationem essendi *in*, sed vtrumquè, nempè Essentiam, & relationem, hoc autem est, quod docet Scotus Essentiam, & relationem esse rationem totalem, & adæquatam circuminsessionis.

9 Arguitur tertio si per Essentiam solam, persona subsistit in persona, ergo modus Essentiæ communicatur personæ, at hoc est impossibile, probatur, proprietas Essentiæ est esse communicabilem, proprietas personę est esse incommunicabilem, si igitur mediante sola Essentia persona est in persona, sequitur personã communicari personæ, & ita personam induere proprietatem Essentiæ, restat ergo solam essentiam esse rationem huiusce modi essendi, *in*.

10 Vt vero argumenta Henrici soluamus supponit Scotus Aliquid quandoque competere toti ratione partis primo, sicut patet in quinto, Physicorum, quod *homo sanatur, quia torax, vel pes primo sanatur*. Aliquid insuper competit æquè primo toti, sicut parti, & è conuerso, quod verissimum est in homogeneis, vt caliditas competens toti igni, competit etiam cuilibet parti, quælibet namquè pars ignis est primo calida, sicut quælibet pars aquæ est primo frigida;

Aliquid competere, alteri multipliciter.

gida; Aliquod deniquè adeo competit primo toti, vt nullo modo cōpetat eius parti, exemplum sit de risibilitate, quæ adeo est propria totius hominis, vt nullatenus prædicetur de parte hominis, & habere tres angulos, adeo est propriū totius triāguli, vt nullatenus cōpetat soli parti trianguli.

11 Hoc supposito respondetur ad primum non esse necesse, vt quod competit primo toti, competat cuilibet parti totius, quod præcipuè est verum in heterogeneis, igitur ad propositum, si Filius per Essentiam est Deus, quæ Essentia est etiam Essentia Patris, non tamen est necesse, vt mediante alia parte Patris, Filius sit Filius, nempè paternitate, nec Filius est Deus formaliter per paternitatem, sed per Deitatem, alias Filius nō distingueretur à Patre, licet nāq; sint idem essentialiter, tamen distinguuntur filiatione, & paternitate.

Quod competit primo toti, non competat cuilibet parti.

12 Respondetur etiam, quod dato, quod aliquid conueniat toti secundum vnam partem, non tamen est necesse conuenire secundum omnem partem, sicut intelligere cōpetit toti homini, & competit etiā parti principali hominis nempè animæ, non tamen est necesse, quod cōpetat alteri parti hominis, nempè corpori, manui, pedi, & similibus.

13 Dicimus ad tertium, id sequi si persona esset in persona, tanquam in continente, modus namque iste non est modus essendi per continētiam, sed per circuminsessionem.

14 Respondemus ad tertium concludere quidem, Essentiam Diuinam esse fundamentum talis modi essendi, *in*, non tamen esse rationem totalē, sed partialē, licet principalē.

15 Secunda Assertio, persona non subsistit in persona per solam Essentiam, nec per solam relationē, sed per vtrumque simul: probatur prima pars assertionis, quia sequeretur Patrē esse in semetipso per circūinsessionē: probatur, quia habet Essētiā in se ipso, ergo esset per circūinsessionē in seipso, id vero est falsissimū prob. quia talis modus essendi requirit distinctionē realē ex supradictis, nihil autē distinguitur realiter à semetipso, ergo, &c. Insuper Essentia est in Patre, & in vnaquaq; p̄sona, & Essentia sola per te est ratio circūinsessionis, ergo vnaquæq; persona est in seipsa per circuminsessionem.

Persona nō subsistit in persona per solam Essentiam, nec per solam relationem sed per vtrumque.

16 Probatur secunda pars: modus essendi, *in*, dicit relationem communem, atque eiusdem rationis in personis omnibus, sed relationes originis non sunt eiusdem rationis, ergo relatio originis de se sola non est adæquatum fundamentum talis modi essendi, *in*; Item si per impossibile vna persona Diuina non produceret alteram, sed remaneret sic distincta suppositaliter, atque idem essentialiter cum altera, tunc haberetur quidem circuminsessio, sed absque relatione producentis, & producti; patet quia essent idem essentialiter, & distinctæ personaliter, deficiente tamen relatione producentis, & producti, nihilominus vna esset in altera per circuminsessionem, ergo signum est relationem non sufficere; Denique si per impossibile Deus produceret alium distinctum Deum, non esset per circuminsessionem in alio Deo, quia negaretur identitas essentialis, & tamen reperiretur inter Deum, & Deum relatio producentis, & producti, ergo relatio sola non sufficit.

17 Ex his sequitur clara, & aperta, tertia nostræ assertionis pars, vt adæquata, & completa ratio circuminsessionis sit Essentia simul cum relatione. Quod declarat Scotus ipse exemplo deducto ex Phylosopho in 5. Metaph. cap. *Ad aliquid*, vbi ostenditur ad relationem similitudinis requiri vnitatem, & distinctionem vnitatem quidem qualitatis, nempe specificam, atque distinctionem extremorum referibilium inuicem; sic verò vnitas non est potissima ratio similitudinis, quia nihil refertur ad seipsum, cum nihil distinguatur à seipso; itā etiam extremorum distinctio non sufficit ad relationem, quoniam requiritur vnitas fundamenti, in quo conueniunt, vt sint similia, ità pariformiter ex vnitate Essentiæ, atque ex distinctione personali ori-

Adæquata ratio est Essentia, et relatio.

Ad relationem similitudinis quid requiritur.

tur circuminsessio.

Circuminsessio non habet exemplũ in creaturis.

18 Tertia assertio, Modus iste circuminsessionis non potest apto exemplo declarari deducto ex creaturis, probatur auctoritate Hilar. 5. de Trinit. vbi ait *Naturaliter intelligentia humana rationem huius dicti non capit, nec exemplum aliquod rebus diuinis comparatio humana præstabit,* hæc Hilarius, nihilominus fas esset vt cumque adducere exempla; Posset autem mysterium hoc aliquatenus exarari exemplis Scoti: sit autem primum deductum ex immensitate Diuina, qua Deus est intimè præsens nobis per immensitatem, atque simul etiam per cõseruationem, tollatur autem per intelligentiam præscindendo ipsam conseruationẽ, & remaneat immensitas tunc si nos cum Deo vnius essemus naturæ, sicut sumus inuicem distincti, haberetur aliquale exemplum circuminsessionis Insuper si anima esset in corpore sine informatione, vel si corpus gloriosum in vno glorioso, vel gloriosum in non glorioso, tunc quidem nullum istorum esset pars alterius, & vnumquodque eorum esset alteri præsens, esset etiam vnũ ab altero realiter distinctum, & siquidem adderetur vnitas naturæ haberetur exemplum circuminsessionis, vel tertio exemplificari potest de potentijs animæ, de quibus supponamus esse eiusdem naturæ cum anima, atque realiter easdem cum ipsa ex Scoto, & supponamus etiam cum D. Thom. esse inuicem realiter distinctas, tunc his suppositis haberetur intima præsentialitas, atquè circuminsessio ex vnitate, & distinctione.

Adducuntur autem exẽpla Scoti.

Modus circuminsessionis non continetur inter modos essendi in Arist.

19 Vltima Assertio. Modus iste circuminsessionis non continetur inter modos essendi. in, assignatus à Phylosopho 4. physicorum, de quibus etiam in logicis: Ratio est, quia in modis illis physicis contentum est aliquid continentis, vel continẽs est aliquid contenti; & ibi magis attenditur, & principalius extremorum identitas, quàm distinctio; At negatur in hoc mysterio omnis ratio partis, quia persona contenta non est pars continentis: cõcluditur igitur, personam esse in persona, non tanquam in continente, neque tanquam naturam in supposito, neque vllo modo ex recensitis à Phylosopho, sed tanquam subsistentem in subsistente, prout expressè docet Hilarius lib. 7. de Trinit. cap. 6.

ARTIC. III.

Soluuntur argumenta in oppositum.

1 Arguitur cõtra dicta, & primo omnis confusio remouenda est à diuinis, si autẽ psona est in persona ergo confusio in diuinis, quod est contra symbolum Athanasij; *Neque confundentes personas, neq. substantiam separantes*, probatur minor, quia sequeretur confusio Anaxagoræ, ipse namque docebat, quodlibet esse in quolibet, ex hoc tamen inquit, Phylosophus maxima oriebatur cõfusio.

2 Confirmatur. *Indiuisibile non distinguitur ab indiuisibili, nisi sit extra illud*, vt habet Phylosophus 6. ph. 1. cap. 1. ergo si persona est in persona, non poterit à persona distingui, nisi sit extra illã; probatur, quia persona est indiuisibilis, ergo non poterunt esse simul.

Anaxagoræ confusio non est hic.

3 Respondetur verè Anaxagoram introduxisse confusionem in Orbem quia dum docuit quodlibet esse in quolibet, id eueniebat, quia vnum erat in alio per partem, quando vnum erat pars alterius sicut imponit sibi Phylosophus, sed in casu nostro persona non est pars personę, & ideo persona non est in persona, sicut pars. quod confirmatur in sententia adducta Ambrosij dicentis, *Totus in Verbo Pater, & totus in Patre Filius*, ergo est secũdum se totum, & non secundum partem, ideoquè vitabitur confusio.

4 Ad confirmationem. Respon. negando illud axioma, non enim indiui-

Indiuisibile quomodo distinguitur, ab indiuisibili. diuisibile distinguitur ab indiuisibili, quia est extra illud, inquit Scotus; si tamen sensum velimus assequi Phylosophi, dicendum, quod ratio sua non est in proposito, distinctionem namque sumit ratione situs, ex cuius diuersitate distinguuntur indiuisibilia, attamen Diuinæ personæ non sunt in situ, neque loco, ergo remanent distinctæ, & inconfusæ, licet sint intimè præsentes. Item Aristoteles loquitur de distinctione indiuisibilis à posteriori, quæ fit per extraneitatem vnius ab alio, non à priori, nam à priori vnum indiuisibile distinguitur ab alio per suas intrinsecas rationes formales, etiam si sit coniunctum alteri.

Nulla compositio in personis per circuminsessionem. 5 Arguitur est persona in persona, ergo cõpositio inter personã, & persona probatur cõsequẽs, quæ sint se habent, vt vnum sit in altero, & sint realiter distincta, ea componuntur ad inuicem, sed personæ realiter distinguuntur, & sunt in se inuicem, ergo componuntur, maior probatur, quia ex August. lib. 2. de Ciuitate Dei, cap. 10. *Ideo simplex est Deus, quia est illud quod habet*, ergo cum persona distinguatur à persona non erit simplex, sed composita.

6 Respondetur distinctionem non esse rationem adæquatam compositionis eorum, quæ sunt in inuicem, sed requiri etiam, vt vnum se habeat, vt actus, & alterum, vt potentia, & vnum sit pars alterius, persona autem non est actus, nec pars personæ; ita etiam ex quo Essentia est pars personæ, seu quasi pars iuxtà loquutionem Henrici, non faciet compositionem, quia nec distinguitur realiter, nec informatur à persona.

7 Arguitur Filius est in Patre, ergo in Patre est filiatio, ergo consequenter Pater, erit filiatione Pater, probatur consequens secundum, quia forma denominat subiectum, in quo est; & confirmatur, quia Pater per Essentiam est Deus, sed per Essentiam inquam Filii est formaliter Deus, ergo per filiationem erit formaliter Pater.

Pater est Deus per Essentiam, Filij, at nõ vt Filij, 8 Respondet Scot. committi fallaciam æquiuocationis, arguendo à modo essendi, *in*, per modum formæ, ad modum essendi *in*, per circuminsessionem: Et cum dicit, Patrem esse Deum per Essentiam Filij, id falsum est in sensu reduplicatiuo, quia Pater nihil habet à Filio, Essẽtiam enim habet à se, non à Filio, licet in Patre sit eadem Essentia, quæ in Filio, vnde est Pater Deus per Essentiam, quam habet à sè, non per Essentiam habitam à Filio, quia eam habet à sè, non à Filio.

9 Arguitur est persona in persona, ergo Deus in Deo, igitur Deus distinguitur realiter à Deo, probatur consequens vltimum, quia persona distinguitur realiter à persona. Respondemus committi fallaciam consequentis commutando distributionem suppositi in naturam, in primo namque consequente Deus stat suppositaliter, quod idem est dicere, ac personam esse in persona, in secundo verò Deus se habet essentialiter, falsum est autem Deum distingui à Deo, cum sit vnus Deus, sicut falsa est illa consequentia, Deus genuit Deum, ergo alium Deum, de qua supra.

10 Arguitur, Pater est in Filio, Filius est in Patre, ergo Pater est in se ipso per circuminsessionem, probatur consequentia ex text. Phylosophi cap. 14 vbi ait Phylosophus, *Aer est in ignem, ignis est in Cælo, ergo aer est in Cælo.*

11 Ad argumentum istud ad quod prolixè respondet Scotus, breuiter respondemus recolligendo ea, quæ docet, & primo dicimus consequentiam recensitam vniuersaliter esse falsam in omnibus consimilibus, nisi addantur specificationes subsequentes, prima sit, vt illud sit in alio distincto à sè, gratia cuius, non tenet ista consequentia: ego sum similis Petro, igitur Petrus erit similis omni illi, quod est simile sibi, seu cui est ipse similis, igitur ego sum similis mihi ipsi, vel formetur sic, ego sum similis Petro, igitur ego sum similis omni illi, quod est simile Petro, sed ego sum similis Petro, igitur ego sum similis mihi ipsi, non valet consequentia, quia in minori deberet addi distincto à se, vt dicendo, igitur ego sum similis omni distincto à me, & ita sequitur, vt

ego

ego non sim similis mihi ipsi. Requiritur vltra, vt propositio fiat in procedendo, non in conuertendo, valet enim cõsequentia ista, Auus est prior Patre, ergo Pater prior Filio, ergo Auus prior Filio, non tamen ista, sicut Auus a Patre, ita Pater ad Auũ, sed Auus est prior Patre, ergo Pater est prior Auo. Tertio requiritur, vt mediũ sit limitatum, qua propter non valet ista consequentia, ego sum cum Deo, & Franciscus est cũ Deo, quia omnes sumus Deo præsentes, igitur ego sum præsens Francisco existenti in Gallia; Deus namque est medium illimitatũ, & immensum, ad propositum applicando non sequitur Patrem esse in Patre per circuminsessionem, quia Pater non est alius à se ipso.

12 Arguitur, id, quod exit ab aliquo, non manet in eo: Filius autem exiuit à Patre: ergo non est in Patre, antecedens patet, & probatur minor Ioann. 16. *Credidistis, quia ab eo exiui*, & inde: *In hoc credimus, quia à Deo existi*. Et 13. *à Deo exiuit, & ad Deum vadit*. Michęę 5. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis*. Loquitur autem de diuina sapientia ab æterno genita. Atque Ecclesiast. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita, &c.*

Exiens per motum localem non manet ibi.

13 Respõdetur, id quidem, quod per motum localem exit ab aliquo, non manet in eo, sicut dum ex hac aula exibo, non remanebo in ea: eo magis, quo idem corpus nõ potest simul esse naturaliter in pluribus locis: diuina autem sapientia genita non exiuit per localem motum à Patre, sed per generationem, exire namque à Patre, idem est, ac generari à Patre, eique consubstantialem esse, vt exponit Cyrillus lib. 11. in Ioann. cap. 9. Nazianzen. Orat. 49. de fide, Euthym. in Ioann. 19. Augustin. tract. 102. in Ioann. atque Hilar. lib. de Trinit. quapropter non est opus, vt sic exeũdo à Patre, remaneret extra Patrem. Confirmatur responsio, primo ratione, inde authoritate: Ratio est, quia intellectus noster producendo intellectionẽ, adhuc retinet eam, licet namque intellectio dicatur exire ab intellectu, ea ratione, qua producitur, exitus tamen ille, idem est, ac productio passiua, ipsa tamen intellectio non recipitur extra, sed remanet in eodem supposito intelligente: ita notitia genita à Patre, eatenus dicitur exire ab eo, quatenus producitur: cæterum remanet in eodem Patre, licet diuerso modo, ac remanet in nobis nostra intellectio, cum hæc informet intellectum nostrum, illa non informet Patrem: nostra sit verum accidens, distincta essentialiter à nobis, sapientia vero increata est vere substantia, idemque consubstantialiter, cum Patre. Authoritas autem est Ambrosij, qui lib. 1. ad Gratian. cap. 7. inquit, *Si vero generationis ipsius proprietatem requirimus, ex Deo exiuit; nam, cum in vsu nostro id sit exire, quod tum sit, & ex interioribus secretis prodire videatur, quod exire perhibetur; an gustis licet sermonibus proprietatem diuinæ generationis aduertamus, vt non ex loco aliquo videatur exisse, sed vt Deus ex Deo, Filius ex Patre*. Dices, idem Christus, ait, *Exiui à Patre, & veni in mundum*. Ergo stat exitus verus localis. Respondetur loqui de vtraque generatione, temporali quidem, & æternali: illa exprimitur, dum dicit, *Exiui à Patre*: ista, dum subtexuit, *Et veni in mundum*. Vtrumque etiam explicuit Michæas 5. *Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus eius ab initio in diebus æternitatis*. dum ait, *Egredietur Dominator in Israel*, exprimit temporalem: dum vero subdit: *Et egressus in diebus æternitatis*, exprimit generationem æternalem. Sic Hieronymus, & Theodoretus ad eum locum.

Exiui à Patre exponitur.

Exire, quid sit.

14 Arguitur, Circuminsessio importat habitudinem vnius personæ inexistentis in alia: quæro autem, aut talis habitudo est eiusdem rationis in omnibus personis, aut diuersa: non primum, quia dum Filius est in Patre, tanquam in principio generatiuo; & Spiritus sanctus in Patre, & Filio, veluti in principio spiratiuo, sequeretur Patrem quoque esse in Filio, tanquam in principio generatiuo & Patrem, ac Filium esse in Spiritu sancto, tanquam in principio spiratiuo, at hoc est falsum, non ergo importatur eadem habitudo, nec sunt vniformi-

formiter in inuicem Personæ diuinæ: igitur dabitur secundum, & ita habitudo erit diuersa: at indè sequitur destrui Circuminsessionem, quoniam ipsa fundatur: super vna, eademque Essentia, non super diuersa.

Circuminsessio, an importet eandem in omnibus habitudinem.

15 Ex Scot. Bonau. Henrico, cæterisque recensitis, vna cum Marsil. in 1.q.22. Suar. de Trin. lib. 4. cap. 16. elicitur, eandem prorsus esse habitudinem, vniformem, & non diuersam: Verum obstat argumentum, iam factum, quonam igitur pacto erit habitudo eadem, & nullo modo diuersa? alias sequentur absurda allata. Ad doctrinam communem est aliquid addendum, quod tamen in virtute citati Doctores continent, nec negarent: Et quidem Circuminsessio, vel spectatur ex parte Essentiæ; vel ex parte relationum; diximus autem antecedenti artic. mysterium hoc fundari super vtraque: spectãdo quidem Essentiam, eadẽ prorsus erit omnium habitudo, ratio, quia Essẽtia est prorsus eadem: spectando vero emanationes, non erit eadem; ratio, quia emanationes, relationesque non sunt eædem, Filius nãque est à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque, & Pater à nullo, sed à seipso: erit ergo, vt sic, diuersa habitudo, quia Filius est in Patre habente rationem principij generatiui: Spiritus sanctus est in vtroque habente rationem principii spiratiui: Pater autem, à nullo è torum producitur; ergo hinc non stat vniformitas, licet stet ratione Essentię, vt est dictum. Confirmatur responsio ex Hilario lib. 3. de Trin. dicẽte, *Pater in Filio, quia ex eo Filius; Filius in Patre, quia non aliunde, quod Filius: Vnig nitus in Ingenito, quia ab Ingenito Vnigenitus; ita in sè inuicem, quia, vt omnia in Ingenito perfecta sunt, ita omnia in Filio Vnigenito perfecta sunt*. Explicat vero Hilarius differentiam repertam in Circuminsessione ex parte emanationum prouenientem, & relationum, vt diximus.

16 Arguitur, de Filio dicitur, quod sit apud Patrem: ita Ioann. 1. *Et Verbum erat apud Deum*. At non est verum, quod Pater sit apud Filiũ; non enim de Patre id dicitur: Respondet Lyranus ly *apud* significare distinctionem personalem Patris à Filio. Iuxta hanc sententiam non magis Filius erit apud Patrem, quam apud Spiritum sanctum, Paterque consimiliter erit apud Filium, & Spiritum sanctum, cum omnes inuicem distinguãtur realiter. Ideoque aliquid vltra desideratur, vt connotet processionẽ, atq; consubstantialitatem. Et quidem Ioannes expressit vtrumque, dixit enim prius, *Apud Deum*, indè inferius subiunxit, *in sinu Patris*. per primum notatur distinctio personalis, & productio: per secundum consubstantialitas eius, cum Patre. Fulgentius de quodam Ariano refert, inquiens *Accepto cuiusdam byrro, et in manibus retento, dicebat, byrrum sic apud illum esse, vt in illo non esset: eodem modo Verbum esse apud Patrem, & non in Patre*. Ita impius arguebat Arianus, impugnans mysterium circuminsessionis: Verum confutat Fulgent. lib. 3. ad Monim. inquiens, quod si Ioannes dixit, esse *apud Patrem*, dixit quoque esse *in sinu Patris* per quod dabat intelligere, quod vltra processionem, & distinctionem à Patre, erat quoque per circuminsessionem in Patre, quod confirmat Sap. 2. *Dixerunt cogitantes apud se non recte*; cogitare autem apud sè, inquit Fulgent. idem est, ac cogitare intra se, nõ extra sè, vndè ait, Dominus Matt. 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus, vestris?* Et Matt. 25. *De corde exeunt cogitationes*. Expressius Lucas 7. *Pharisæus aiebat intra sè dicens*, & Matt. 9. *Quidam de scribis dixerunt intra sè*. Declaratur idem, cum namque Paulus Rom. 9. dixisset, *Numquid iniquitas apud Deum?* psalmo tamen 91. habetur, *Non est iniquitas in eo*; vnde colligitur idem importare *apud* in subiecta materia, circuminsessionis ac, *in*. Hoc ipsũ Philosophice conuincitur, ex quo nostra intellectio, licet terminetur extra, non tamen exit extra suppositum intelligens, licet diuersitas stet aliunde, vt diximus.

17 Arguitur, Circuminsessio est relatio, ergo adderetur altera relatio, quam personalis: illa autem, aut esset realis, aut rationis; non rationis, quia

Circuminsessio non est ens rationis, ergo realis, ergo vltra relationes personales datur, & altera hæc relatio realis.

18 Respond, quatenus habet fundamentum in diuina Essentia, esse relationem rationis, & hoc ne distinguamus realiter Essentiam à personis; quatenus vero fundatur in relationibus personalibus, erit realis. Ad inconueniens allatum, nullum resultat inconueniens, cum vltra relationes personales, reales, Scotus admittat relationes alias reales, vt potè æqualitatis, similitudinis, &c. De quibus suo loco: Relationes quidem originis ex non sunt plus, quam quatuor, & de his loquuntur Concilia, & Patres, aliæ verò multiplicari possunt ait: Scot. 1. d. 31. quæst. 1.

19 Arguitur, illud, in quo est aliquid, debet excedere illud; debetque esse maius, id vero minus; ergo vna persona minor, & altera maior. Respondetur in primis antecedens esse absolute falsũ: etenim totũ est in partibus, & partes sũt in toto, tamẽ nec totum excedit partes, nec partes totum. Item Anima est in toto corpore attamen, nec anima excedit corpus, nec corpus animam. Insuper in materia est forma, & tamen materia non excedit formam, alias daretur pars exuperans materiæ sine forma. Demum si punctus esset in puncto, nec excederet, nec excederetur punctus à puncto; ergo non est vniuersaliter verum. Respondetur secundo esse verum in loco, & locato: in continente, & contento, tanquam in vase, in parte respectu totius, etenim pars vna exceditur à toto, licet omnes simul non excedantur à toto; sic de cæteris modis Aristotelis, nõ autem hic.

DIS-

DISPVTATIO QVARTA.

De Aequalitate Përsonarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Diuinæ Personæ sint inter sè æquales.

Personarū, æqualitas.

1 Diuinas inter se personas esse æquales definitum fuit in Concil. Later. sub Innoc. 3. in cap. firmiter de Summ. Trinit. & fid. Cathol. in illis verbis, *firmiter credimus, &c.* & infra, *Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni.* Contra Arrium id negantem contra quem Patres, ac præcipue Atha. in symb. *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil maius, aut minus sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales.* D. Fulge. 1. de fid. ad Petr. c. 1. *Nemo aliū aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate; quia nec Filio, nec Spiritu sancto, quantum ad diuinæ naturæ vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior Pater est: nec Filij æternitas, atque immensitas, velut anterior aut maior Spiritus sancti immensitatem, æternitatemque, aut præcedere, aut excedere naturaliter potest.* Diuus quoque Paulus ad Philip. 2 de Christo ait, *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Conforme est illud Ioannis 5. *propterea magis eum quærebant Iudæi interficere, quia non solum soluebat Sabbatū, sed, & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*, quo in loco Chrisost. homil. 39 ait, *Si namque aliter sensisset Dominus*, nempe de sua æqualitate, *Et Iudæi sic perperam intellexissent, falsam eorundem correxisset opinionem, neque id Euangelista silentio premendum duxisset.* Cum ergo audierit Christus Iudæos de sè sensisse, esse Deum, & Patri æqualem, neque tamen id correxisset, merito, arguit inde Chrisostomus, ergo Christus est vere Filius Dei, atque secundum diuinitatem Patri suo æqualis, & denique August. lib. 2. contra Maxim. cap. 5. expendens prædicta verba Pauli, *Non rapinam arbitratus est, &c.* ait, *natura quippe fuerat illi æqualitas, nō rapina.* Et præterea, ratione Theologica probatur, quoniam eadem numero diuina Essentia, quæ est in Patre, est in cęteris personis: eadem infinitas, eadem sapientia, magnitudo, potentia, eædemque perfectiones absolutæ ad intra, itaut vna non sit altera sapientior, infinitior, sanctior, & sic de singulis. Eædem quoque sunt

coæternales, itaut vna, altera non sit prior, aut posterior: ac demum in ordine ad extra, quicquid vna operatur, operatur & altera, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*. Sunt namque opera ad extra indiuisa, igitur tum ad intra, tum ad extra; tum intensiue ad intra; tum extensiue ad extra sunt inter se ipsas æquales. Errores plures aduersus æqualitatem referentur infra, & confutabuntur, cum responsione ad obiecta hæreticorum.

Æqualitas personarũ penes tria. 2 Verum, hoc, distinctius aliquãto Scholasticè est percurrendum. Et quidem Augustinus, seu Fulgent. loc. cit. de fid. ad Petr. penes tria considerat diuinarum personarum æqualitatem, nempe penes æternitatem, penes magnitudinem, & penes potestatem; ait enim, *Nemo alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate*. Videamus autem quænam sit ratio fundamentalis ex his capitibus sumpta, ipsius æqualitatis.

Fundamentum æqualitatis quãtitas. 3 Et quidem Aristoteles fundamentum æqualitatis docuit esse quantitatem: ita in logicis cap. de quantitate. Loquens vero ibidem de quantitate, eam distinguit, alia namque est discreta, alia continua: hæc subdiuiditur in quantitatem permanentem, & successiuam. Applicando ad diuina, vtrum secundum has species contingat penes personas æqualitas?

Inter personas, an sit æqualitas discreta. 4 Loquendo de discreta, cuius altera species est numerus, nequaquã aderit ibi æqualitas: prob. siue spectemus numerum Trinitatis secundum nomen Trinitatis: siue singulariter de personis loquamur, non erit ibi secũdum numerum æqualitas, vt habebimus infra quæst. Demonstratur primum; siquidem numerus ternarius non est par, sed impar: non ergo diuidi poterit in duas partes æquales, quę tamen partes sint integræ: licet namque ternarius in duas secetur partes æquales, vtpote ex vno capite, in vnitatem cum dimidio, & ex altero, in alteram vnitatẽ cum dimidio; nihilominus clare constat diuisionem non æque fieri in partes æquales, adsunt enim illæ duæ partes non integræ, sed imidiatæ, quæ consequenter aliis vnitatibus integris non sunt coæquales: at Trinitas diuidi nequit in diuinis, in personam aliquam, quæ non sit æque integra, æque infinita, æque sapiens, ac perfecta sicut alia: ergo hinc ratione quantitatis discretæ non stabit, vt sic, æqualitas. Item probatur secundum, æqualitas discreta est æqualitas aliquorum in numero: ergo oportebit, verbi gratia esse plures Patres, plures Filios, pluresque Spiritus sanctos, eosque inæquali numero adhoc, vt sint ęquales, æqualitate discreta: est vero vnus Pater, vnus Filius, vnusque sanctus Spiritus. Dices penes hanc vnitatem vniuscuiusque cõtingere posse æqualitatem vnius ad alterum discrete: Responderi potest, quod vnitas non est numerus, est vero principium numeri, quapropter cessabit æqualitas, vt sic, numerica, siue discreta. Demũ in diuinis non est proprie numerus, quia non est numerus prædicamentalis ille personarum, sed trascendentalis, vt sup. dispu. 1. in propria quęst. de numero personarum: ergo neque aderit æqualitas ista discreta, vt Scotus habet in quodlib. 6. ar. 2. Dicimus nihilominus, esse etiam sic in numero singulari æquales, quia vnaquæque persona est vna, est enim vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus sanctus.

5 Loquendo de continua, vtrum saltem ratione eius sint æquales: continua in permanentem diuiditur, & successiuam: neutra istarum de se absolute spectata poterit esse fundamẽtum ęqualitatis in diuinis; prob. Deus non est in genere, ergo nec quãtitatis prædicamentum poterit fundare in Deo æqualitatem. Anteced. probatum remanet tom. 1. de simplicitate Dei. Item quicquid est in Deo ad intra est fixum, & permanẽs, *Ego Deus, & non mutor*. Insuper quantitas successiua est tempus: at Deus non mẽsuratur tempore. Demum mensura eius est æternitas. Hæc vero est omnino permanẽs. Cum ergo sit immutabilis, & inuariabilis Deus, non erit personarum æqualitas attendenda penes quantitatem continuam, & *An æquales in quantitate continua.*

& successiuam.

6 Verum quia vnicuique rei tribuitur propria duratio, propriaque mensura; sicut vero Angelis æuum, & rebus corruptibilibus tribuitur tempus pro mensura, ita Deo quoq; sua attribuenda est duratio, & mensura: cum autem non possit esse tempus, quia successiuum; nec æuum, quia ea est mensura Angeli; dabitur pro mensura, æternitas, quæ est permanens, de qua dictum est disput. de æternitate. Igitur hinc desumendum est fundamentum æqualitatis; personæ si quidem diuinæ omnes sunt ab æterno, nec vna prior est alia, aut posterior; igitur necesse est sint coæternæ, atque consequenter ratione mensuræ æternitatis erunt coæquales. In quo autē sita sit ratio, & natura æternitatis dictum remanet in prop. disp. Hæc de quantitate successiua, penes quam minime stabit æqualitas, sed loco eius stabit æternitas, ratione cuius stat personarum æqualitas, vnde Athanas. in symb. *Coæterna sibi sunt, & coæquales.*

An æquales ratione mensuræ æternitatis.

7 Loquendo de continua permanente, vtrum penes eam stabit æqualitas? Nec id; est ratio, quia Deus est immaterialis, spiritualis, & non quantus, nec diuisibilis, nec extensibilis, non ergo hinc personarum æqualitas. Verum quia huic continuę quantitati in corporibus correspondet quantitas alia in spiritibus, quam appellamus quantitatem perfectionis, merito hinc desumi poterit fundamentum æqualitatis. Assumptū probatur ex August. 6. de Trin. dicente, *in ijs, quæ non magna mole sunt, idē est maius esse, ac melius esse*; quantitati ergo molis in corporibus correspondet quantitas perfectionis, & virtutis in spiritibus. Ergo cum Deus quantitate careat molis, pollens quantitate perfectionali suæ infinitatis; hinc fit, vt personæ æquales sint quantitate virtutis: magnitudo igitur perfectionis, & virtutis erit fundamentum æqualitatis Trinitatis.

An æquales ratione quātitatis.

Quantitas qualis in Deo.

8 At licet vero quantitas, & magnitudo conuertantur; nihilominus in diuinis magnitudinem suscipimus, quantitatem abijcimus; ratio quia magnitudo propius, ac vicinius ostēdit personarum infinitatem virtutis, quam quantitas, eum de sè primo importet corpòris molem; translatitie tamen fertur ad significandam virtutem: cum ex opposito, magnitudo potius perfectionem indicet, quam molem: vnde August. 5. de Tri. cap. 1. *Deus est magnus sine quantitate, bonus sine qualitate*; igitur magnitudo erit fundamentum æqualitatis.

Magnitudo an in Deo.

9 Habemus hucusque personas æquales in æternitate; æquales, & in magnitudine, seu virtutis quantitate, quæ duo docuerat August. remanet videamus de tertio membro, nempe de potestate, de quo meminit idem August.

10 Primo autem loco supponimus fundamentum potestatis esse magnitudinem; Ratio, etenim quia duo habent eandem virtutem, ideo exercent, seu exercere possunt æquales nimiter potestatem: personæ habent eandem infinitam virtutem, igitur dū æquales sunt in magnitudine virtutis, æquales quoque erunt in exercitio potentiæ, atque potestatis. Id concessum ab omnibus ad extra; cum ad extra æque agat Pater, ac Filius, ac Spiritus sanctus, & ita erunt æquales in potestate.

An æquales in potestate.

11 Verum vero æqualitas hæc stet ad intra, circa productiones ad intra, itaue dum Pater generat, spirat, potens quoque sit Filius ad generandum & Spiritus sanctus ad generandum, atque spirandum? Quæstio hæc petit verum potentia generandi, & spirandi cadat sub attributo omnipotentiæ: quam quæstionem habebimus lib. 3. disp. 2. quæst. 12. ac etiam quale sit omnipotentiæ obiectum, & quo modo procedat discursus Maxim. hæret. contra quem agit ibid. August. siue verum potentia generandi, & spirandi cadat, sub attributo Omnipotentiæ, habebitur lib. 3. disput. 1. q. 10. art. 6.

Aequalitas potentiæ, an ad intra.

12 Solum circa potentiam, seu potestatem modo addimus, quod tertium æqualitatis membrum videtur superflue additum, & probatur, Magnitudo, & potestas, siue potentia, idem prorsus sunt, ergo superflue illud

Potestas quid addat supra magnitudinem, vel, an sint idem.

lud addit August. assumptum patet, siquidem virtus, & potentia, seu potestas idem sunt; ergo magnitudo virtutis, & potestas idem sunt. Respond. si fundamenta iter spectentur, vtique, idem prorsus sunt: secus formaliter; non quod alia sit formalitas potentiæ, alia magnitudinis; non enim distinguuntur formaliter: sed sensus est, quod potestas supra magnitudinem addit executionem, ideoque hinc distinguuntur. Vel dicendum, esse idem in actu primo, non in actu secundo; siquidem magnitudo dicit actum primum solummodo, potentia, & potestas addit actum secundum. Vel alias, idem sunt in actu signato, non idem in actu exercito; cum potestas addat executionem, & exercitiũ, supra magnitudinem. Denique potestas est expansio quædam, siue explicatio ipsiusmet virtutis, seu magnitudinis: & sub his rationibus sunt idẽ, vel distinctæ.

Magnitudo transit in Essentiam, Declar.

13 Dices ex August. 5. de Trin. cap. 10. Magnitudo transit in Essentiã; ait enim, *Idem est Deo esse, ac magnum esse*, quod si idem est, cum Essentia, quomodo poterit esse fundamentum æqualitatis; etenim non est Essentia æqualitatis fundamentum, sed fundamentum identitatis, vt statim dicemus; ergo, nec erit magnitudo, cũ trãseat in Essentiam. Resp. trãsit idẽtiee, & realiter, non autẽ modaliter; Aiunt alij, non transit formaliter: at non est apta loquutio, præcipue in via Scoti, immo omnium, quia magnitudo, & Essentia non distinguuntur formaliter: igitur melius dicendum, transire realiter, non modaliter, quoniam, cum sit modus intrinsecus Essentiæ distinguitur ab ea modaliter: sicut patet quoque in Creaturis, vbi propria virtus, ac perfectio essentialis transit identice, & realiter, quia est eadem cum natura, at non transit modaliter, cum remaneat finitas sub ratione finitatis, ita & in Deo infinitas magnitudinis remanet sub ratione infinitatis.

Assignatio, facta ab Augu. de capitib. æqualitatis, an adæquata.

14 Quæres, iam personæ sunt æquales iuxta tria capita recensita, secundum æternitatem, potestatem, & magnitudinem: Est quoque veterum, quod sunt æquales secundum cæteras ipsarumet personarum perfectiones, vtpote æquales in bonitate, sapientia, iustitia, intelligentia, amore, & huiusmodi: quare igitur Augustinus assignauit æqualitatem ex illis solum capitibus, & non etiam ex alijs? Respond. pro æqualitate circa cæteras diuinas perfectiones sufficere assignasse magnitudinem: ratio, quia hæc est fundamentum æqualitatis, tum sapientiæ, tum bonitatis, tum perfectionum cæterarum. Et quidem supposito in personis reperiri eandem perfectionis fundamentalis magnitudinem, vtique hinc deducitur esse æquales in omnibus, vnde est, vt assignauerit æqualitatem vniuersaliter, assignando magnitudinem: nam si quæras, quare sunt æquales in bonitate, sapientia, & cæteris, respondebitur, quia sunt æqualis infinitatis, æqualis virtutis, æqualisque magnitudinis, & hoc fundamento habito, facile cõspicitur esse in cæteris ęquales; ideo namque sapientia est æqualis bonitati, quia vtraque est infinita: igitur ideo personæ sunt in bonitate, & sapientia æquales, quia sunt magnitudinis, & perfectionis infinitæ.

Relationes æqualitatũ, an multiplicentur, & multiplicationem perfectionum.

15 Cum vero vnaquæque diuina perfectio propriam habeat magnitudinem, seu infinitatem, vtrum quot sunt perfectiones, tot sint ęqualitates, & fundamenta æqualitatum? Respondet Scot. affirmatiue, in 1. dist. 19. quæst. 1. & d. 31 quæst. 1. ac quodlib. 6. Ratio, quia sapientia habet relationem æqualitatis ad bonitatem: bonitas ad sapientiam: vtraque ad iustitiam: hæc viceuersa ad sapientiam, & bonitatẽ, & sic de singulis: ergo quot pfectiones tot ęqualitates; ęqualitas .n. est relatio. De fũdamẽtis vero, si loquamur de primario, atq; radicali ipsius ęqualitatis, seu æqualitatũ, vnum erit, idq; erit infinitas ipsa, seu magnitudo realis, atq; radicalis diuina, qua mediãte omnia ad intra sunt realiter, identiceque infinita: at loquendo de fundamento, vt dicam, proximo, seu formali, id multiplicabitur ad multiplicationem perfectionum, ratio quia sapientia habet suam magnitudinem

for-

formalem, ſeu infinitatem ; bonitas habet ſuam, & ſic de ſingulis; etenim ſapientia non eſt infinita formaliter propter infinitatem formalem bonitatis, immo ſicut bonitas, & ſapientia diſtinguuntur inter sè, ita diſtinguuntur inter sè earum infinitates formales: licet ſit vna omnium infinitas fundamentalis, identica, vt diximus, & realis: Verum eſt tamen, quod infinitates iſtæ erunt modales, modaliterque diſtinctæ, ſunt namque modi intrinſeci perfectionum diuinarum. Addendum vero relationes iſtas æqualitatum eſſe rationis, non reales, quia extrema, vtpote diuinæ perfectiones non ſunt diſtinctæ inter sè realiter. Obijcit Vaſq. inde ſequi eſſe plures relationes, quam quatuor, quia multiplicantur ad multiplicationem attributorum. Reſpon. relationes rationis poſſe multiplicari abſque contradictione.

Obſtatur.

Reſpond.

16 Aduerſus æqualitatem Perſonarum obſtari poteſt ex Auguſt. 6. de Trinit. cap. vltim, vbi ait, *Si imago perfecta eſt, æquatur ei, cuius eſt imago non illud ſuæ imagini.* Hinc deducitur Filio non æquari Patrem: etenim Filius eſt perfecta imago: at Auguſtinus ait, imaginem æquari ei cuius eſt imago: ergo Filius æquatur Patri, nõ Pater Filio. Reſpon. in imagine reperiri duplicem relationem, mutuam, & nõ mutuam: prima eſt communis, qua Pater æquatur Filio, & Filius Patri, vt patet ex dictis; ſecunda eſt ratione generationis, quæ in Patre eſt actiua, in Filio paſſiua: Pater generat, Filius non generat: Filius generatur, & Pater non generatur ; in hoc ergo ſtat diſquipatantia, & inæquantia Auguſtini.

Obſtatur.

Reſp.

In imagine relatio duplex.

17 Obſtabis ex eod. Auguſt. lib. 83. quæſt. 41. dicente, *Si omnia eſſent æqualia, non eſſent omnia.* Hinc deducitur æqualitaté deſtruere perfectionem Vniuerſi, ſi omnia entia eſſent æqualia : ergo non erit perfectionis in diuinis perſonas eſſe æquales.

Relatio æqualitatis, an dicat perfectioné

18 Sed reſpondetur ex Scot. d. 10. cit. relationem æqualitatis in diuinis non dicere perfectionem formaliter, ſicut nec ſunt formaliter infinitæ ex eodé relationes originis, vide inf. num. 29. Nihilominus, & ſi non ſint perfectiones ſimpliciter, tamen præſupponunt ſummam Eſſentiæ perfectionem, quæ ratione infinitatis eſt in tribus.

19 Item comparando æqualitatem inæqualitati, abſolute dicendum, eſſe meliorem æqualitatem inæqualitate ; ita enim ſcribit ad diſcipulum Auguſtin. in lib. de quant. *An æqualitatem inæqualitati iure præponis? nec quemquam æſtimo humano ſenſu præditum, cui non illud videatur.* Nihilominus comparando æqualitatem ad varia genera, & ſubiecta rerum, non eſt aſſerendum ſemper debere ineſſe æqualitatem, immò debebit quãdoq; ineſſe inæqualitas, meliorque erit inæqualitas, quam æqualitas, ibi præcipue, vbi eſt incõpoſſibilis, & incõpatibilis æqualitas; etenim ſi omnes ſpecies rerũ eſſent æquales in perfectione, & natura, iam Vniuerſum eſſet imperfectum, & careret plurimis rerum ſpeciebus ; ſi namque ſpecies Leonis eſſet æqualis ſpeciei, Ouis, & Ouis æqualis Lupo, Lupus Boui, Bos Aſino, Aſinus Homini, & ſic de ſigulis non tot rerum ſpecies eſſent in Vniuerſo, ſed vna: omnia namque, vel eſſent Bos, vel Leo, vel Pecus, vel Lupus, vel Aſinus, vel Homo: loquimur enim de æqualitate perfectionali ſpecificata: at *ſpecies ſunt ſicut numeri.* Ergo neceſſario eſt danda diſtinctio, & ordo, atque inæqualitas inter eas; æqualitas namque potius eſſet imperfectionis, & deſtrueret perfectionem Vniuerſi, quam perfectionis. Item ſi Puer eſſet æqualis Adoleſcenti; Adoleſcens Viro, Vir Seni, iam deeſſet iſta corporum inæqualitas, quæ quidem neceſſaria eſt Vniuerſo, ſicut neceſſarij ſunt diuerſi gradus ætatum, corporum, atque hominum; quemadmodum ſi omnes eſſent Viri, & deeſſent mulieres, quomodo multiplicaretur ſpecies, cum propagatio Vniuerſi requirat inæqualitatem ſexus, maris, & fœminæ ? Item deperiret, tam mira varietas elementorum, mixtorũ, plantarum, lapidum, cæterorumque, quibus perfectio Vniuerſi tantopere eniteſcit. Varietas denique Angelorum in tot Species, Choros, Ordines, ac

Aequalitas an perfectior inæqualitate.

Hyerarc-

Hyerarchias distinctorum, quam maxime demonstrat perfectionem Orbis super cælestis, alias data in eis æqualitate, deperiret tanta Angelorum varietas, ordo, ac distinctio: igitur ibi quidem danda est æqualitas, vbi est cōpossibilis: at in Orbe creaturatum non est compossibilis, vt vidimus, ergo melior erit inæqualitas. In diuinis vero ad intra vtique compossibilis est æqualitas, immo omnimode necessaria, prob. quia non potest esse nisi vnus Deus, cum vero fint ibi tres Personæ, necesse est fint æquales, vt ostendatur in eis vnitas Deitatis, magnitudinis, sapientiæ, bonitatis, ac cæterorum ad intra, cum summa charitate, amore, & concordia: alias si non essent æquales, iam non essent omnes vnus Deus, vel nō essent absolute essentialiterque Deus, sicque vel altera persona alteram vinceret, altera veluti inferior superaretur, nec concorditer viuerent, & consequēter nō essent personæ hic Deus; ratione namque vnius, eiusdemque Deitatis euenit, vt fint concordes, atque inter sè æquales, & fint omnes æquanimiter vnus, idemque Deus.

Ordo, an sē per stet, cū inæqualitate. 20 Dices, ordo requirit inæqualitatem: at inter personas est ordo originis. Respon. nec omnis ordo stat cum æqualitate, nec omnis stat, cum inæqualitate in Creaturis stat cum inæqualitate, vt patet, per tot genera, & species rerum, cum inæqualitate perfectionali, atque molari: In diuinis vero stat, cum summa, ac perfectissima æqualitate, quia vna, eademque numero natura reperitur in personis, vnaque virtus, magnitudo, potentia, & sic de cæteris perfectionibus, ratione cuius viuunt in omnimoda, ac perfectissima æqualitate. Obiectiones alias proponemus in fine.

Identitas, & similitudo ad intra. 21 Nedum vero inter Personas reperitur æqualitas, verum etiam idētitas essentialis, atque similitudo: itaut nedum reperiantur in eis relationes propriæ, quæ sunt originis, sed & relationes cōmunes, atq; trāseēdētales, identitatis, æqualitatis atq; similitudinis: hæ autem relationes merito appellantur communes, quia competunt omnibus, ait namque Aristot. quod, *Omne ens alteri comparatum, vel est idem, vel diuersum; vel simile, vel dissimile; vel æquale, vel inæquale:* Ergo pariformiter id dicendum de diuinis Personis, subsunt namque ipsæ quoque tali prædicationi.

Passiones in duplici genere, simplices, & disiunctæ. 22 Dices inde sequi, Personam vnamquamque simul esse alteri coæqualem, & inæqualē: similem, & dissimilem: idem, & diuersum: prob. siquidem passiones istæ quatenus sunt cōmunes competunt omni enti. Respo. passiones esse in duplici genere, aliæ namque appellantur passiones simplices, aliæ passiones disiunctæ: de primis, verum est prædicari omnes de omnibus: vt sūt vnum, verum, bonum: quæ cum sint passiones Entis, competūt omni enti, omne namque ens habet suam vnitatem, veritatem, bonitatem, trascendentalem: at de secundis, falsum prædicari omnes simul, sufficit autem prædicari disiunctim, ac propterea appellantur disiuncta; vnde est, vt non sit dicēdū, hoc ens est in sè æquale, & inæquale: simile, & dissimile; idē, & diuersum sibi, & in se ipso; sicut vere dicitur, hoc ens est sibi, & in se ipso, vnū, verum, bonū: ideoq; sumenda erit ea passio disiunctiue, quæ erit propria sibi. Vel secundo, eædem passiones disiunctæ non prædicantur in ordine ad idem subiectū, sed in ordine ad alterū, saltim loquēdo de duab. non enim est in rigore verum, quod idem est propriè simile sibi, æquale sibi, cum hæc requirant distinctionem extremorum realem, erit autem loquutio impropria: licet loquendo de identitate, sit verum; etenim idem est idem sibi, hic vero sufficit distinctio rationis, qua idem distinguitur ratione à seipso: eo magis, quo in creaturis repetitur distinctio, & suppositi, & naturæ numeralis, ac propterea non poterunt passiones disiunctæ similitudinis, & æqualitatis prædicari de seipso: quia tamen Personæ habent eandem numero Essentiam, potentiam, & magnitudinem, ac virtutem, hinc est, vt stet inter ipsas æqualitas, licet vero supposita creata æqualia sint penes suam naturam specificam, multo tamen perfectior erit æqualitas, atque iden-

Aequalitas, identitas, et similitudo increata perfectior, creata, & unde? titas, & similitudo Personarum diuinarum, cum sit penes eandem naturam numericam. In ordine ergo ad personas inuicem prædicatur solummodo altera pars passionis disiunctæ, vt identitas, æqualitas, similitudo, dicendo personam personæ esse eandem essentialiter, atque æqualem ac similem, quamuis in ordine eiusdem personæ diuinæ ad personā creatam prædicari debeat altera pars disiunctiue, est namque Persona diuina diuersa, inæqualis, & dissimilis personæ creatæ: & propterea Aristo. aiebat, omne ens alteri comparatum esse æquale, vel inæquale: idem, vel diuersum: simile, vel dissimile: in ordine quidem, & comparatione ad alterum, non autem in ordine ad sè.

Ydentitas; æqualitas: similitudo, in quibus; nam prædicamentis. 23 Eędē relationes cōmunes idētitatis, æqualitatis, & similitudinis possunt, vel strictum accipi, vel late: primo modo proprijs competunt generibus, & prædicamentis: itaut identitas prædicamento substantiæ: æqualitas quantitatis; & similitudo prædicamento conueniat qualitatis; siquidem teste Aristot. in his trib. prædicam. *Secundum substantiam est aliquid esse idem, vel diuersum: secundum quantitatem est esse æquale, vel inæquale; & secundum qualitatem est, simile, vel dissimile esse.* Cæterum spectando eas secundo modo, in omni genere, immò in rè extra genus, vt est Deus qui non est in prædicamento, reperiuntur, reddendo singula singulis suo modo. Et quidem loquendo de substātia, ea late sumpta, extenditur ad naturam cuiuscunque rei, omnis enim res, quæcunque sit, habet suam Essentiam, suum quid in genere suo, quod late appellatur substantia ipsius cuiuscunque rei. Loquendo de qualitate, pro ipsa late sumpta, intelligimus omnem differentiam, siue essentialem, siue accidentalem cuiuslibet rei; quomodo Aristotel. 5. met. cap. de qualit. differentiam essentialem appellat *qualitatem*, & Porphyr. differentiam essentialem docet *in quale quid prædicari*: sicut namque per qualitatem accidentalem dicimur accidentaliter qua'es, ita per essentialem dicimur quales essentialiter. Loquendo denique de quantitate, vbi impossibile est molarem quantitatem reperiri, reperitur saltim ibi quātitas perfectionalis, iuxta recensitum dictum August. *In his, quæ non magna mole sunt, idem est maius esse, ac melius esse.* Vnaquæque enim res, siue materialis, siue spiritualis, propriam habet perfectionem. Hinc vero infertur, quod sicut substantia, qualitas, & quantitas, hoc modo large sumpta, in omni rè reperitur, ita quoque relatio identitatis, æqualitatis, & similitudinis super his fundata, in omni rè suo modo inuenitur.

24 Fundamētū huius triplicis relationis duplex est: remotum vnum, alterum proximum. Remotum est res, & natura illius generis, cuius est relatio: vt fundamentum identitatis est substātia: æqualitatis, quantitas, siue molis, siue virtutis: similitudinis qualitas, siue accidētalis, vel quasi accidentalis siue essentialis. Proximū est vnitas talis rei: vnde *Illa sunt eadem, quorū substantia est vna*: illa æqualia, *quorum quantitas est vna*: illa similia, *quorum qualitas est vna*: hinc Aristot. 5. met. cap. de relatione aiebat, *idem, simile, & æquale fundantur super vnū.* Vnitas autem ista, vel erit specifica, vel numerica: prima reperitur in Creaturis, non secūda; cum vna numero, siue substantia, siue quantitas, siue qualitas non sit in plurib. est vero vna species in pluribus, at secunda est in diuinis, quia vna numero Essentia est in omnibus. *Fundamenta identitatis, qualitatis, similitudinis.*

25 Et hinc deducitur earūdem personarum identitas, similitudo, æqualitas. Primum ratione vnius naturæ, atque Essentiæ in omnibus: secundum ratione earundem perfectionum attributalium, & modorum intrinsecorum in omnibus, vt infinitatis, sapientiæ, & huiusmodi: & tertium ratione eiusdem magnitudinis, potentiæ, & virtutis in ijsdem. Patet ergo diuina personarum, identitas, similitudo, & æqualitas. Quid vero sit identitas. ęqualitas, similitudo, habebitur infra quæst. sequent. art. 2. *Identitas, æqualitas, similitudo ad intra vnde.*

26 Pro complemento harum relationum exquiritur quonam pacto possit æqualitas ab identitate distingui, & similitudine? Ratio dubitandi est, quia æqualitas est, modus intrinsecus vtriusque: estque eadem vtrique, igitur non poterit esse fundamentum relationis distinctæ ab ijs. Sed Respondetur, licet sit idem realiter, ac formaliter identitati, & similitudini, tamẽ distinguitur modaliter: & hoc sufficit, vt possit fundare relationem.

Identitas; et similitudo magis distinguitur inter sè, quam æqualitas ab his

27 Hinc vero infertur magis distingui identitatem, & similitudinẽ inter sè quam æqualitatem ab idẽtitate, & similitudine. Proba. identitas, & similitudo sunt relationes distinctæ formaliter: æqualitas distinguitur minus, quia solum modaliter: probatur quoque ratione fundamẽti vtriusque. quia substantia diuina, quæ est fundamentum identitatis, distinguitur formaliter à sapientia diuina, quæ est fundamentum similitudinis: ergo consequenter distinguentur etiam formaliter relatio identitatis, & similitudinis inter sè: non enim erit minor distinctio fundati, quam fundamenti. At Essentia, & infinitas, sicut sapientia, & infinitas, distiguuntur solum modaliter; cum sit modus infinitas; ergo æqualitas fundata super magnitudine infinitatis distinguetur solum modaliter.

Identitas, et similitudo non est perfecta; sine æqualitate.

28 Addendum autem, non posse identitatem esse perfectam sine æqualitate: sicut nec perfectam similitudinem, sine æqualitate: si nãque Petrus, & Ioannes essent albi, at nõ ex æquo, sed alter intẽsius, remissius alter, vtiq; haberẽt similitudinẽ, at imperfectã, quia absq; æqualitate, sed cũ inæqualitate, dũ alter esset altero albior: & si in diuinis Pater, per impossibile, haberet diuinitatẽ maiorem, & Filius minorem, esset aliqualis inter eos identitas, at non perfecta identitas, quia deesset æqualitas: nũc vero, quia est perfecta idẽtitas, ideo est in eis perfecta æqualitas, non ergo habetur perfecta identitas, siue perfecta similitudo, nisi adsit ibi æqualitas.

Aequalitas an perfectio simpliciter ex Scoto.

29 Quæres vtrum æqualitas sit perfectio simpliciter in via Scoti: ita videtur ab ipso in 1. d 19. quæst. 1. ad 2. & d. 26. quæst. 1. §. ad rat. prò sec. opin. probatque ex Augustino l. de quantit. an: sup. recensito. Nihilominus formaliter spectata æqualitas, licet melior sit inæqualitate, vt diximus, secundum sè: tamen ex communi sensu Scotistarum in via Scoti non dicit perfectionem simpliciter, ratio quia subsequitur ad personas: atque dicunt perfectionem simpliciter præcedunt eas, vt Essentia, modi intrinseci, attributa. Ad loca verò Scoti respondemus in d. 26 nil ex proprio marte concludere, dum ait dicere perfectionem formaliter, sed disputando incedere. In dist. vero 19. docet perfectionem dicere præexigitiue, & fundamentaliter, vt supra diximus in responsa ad argum. ex August.

Obstatur.

30 Obstatur, Aequalitas fundatur super commensuratione aliquorũ conuenientiũ in quantitate: at in diuinis, nec adest quãtitas, nec cõmensuratio, ergo nec æqualitas. Antecedens est, Philosopi in prędic. quãtitatis, inquiẽtis, *Propriũ est quãtitatis secũdũ eam, æquale, vel inæquale dici*. Itẽ omnis æqualitas supponit diuersitatem ipsorum ęqualium: nulla autem diuersitas in diuinis. Insuper vbi æqualitas, ibi finitas, quia finita sunt illa, quæ inuicem coæquantur, finiti enim ad infinitũ nulla est proportio: at quidquid est in Deo, est infinitum. Denique vbi æqualitas, ibi diuisibilitas, nam non coæquatur simplex simplici: nulla vero stat diuisibilitas in diuinis. Rursus persona habens plures proprietates non coæquatur personæ habenti minus, seu nõ tot proprietates: At Spiritus sanctus habet ynam proprietatem, vt spirationem passiuam: Filius duas, vt generationem passiuam, & spirationem actiuam: Pater autem tres, vt esse ingenitum, generationem actiuam, & spirationem actiuam, ergo, &c.

Aequalitat duo dicit.

31 Ad primum respondet Richard. in 1. d. 19 artic. 1. quæst. 1. illã quidem æqualitatem fundari super

com-

commensuratione, quæ consurgit ex conuenientia super quantitate vna, vnitate proportionis, vt contingit in creaturis: non autem illam, quæ fundatur super quantitate vna, vnitate numerali, cuiusmodi sunt diuinæ personæ, habentes vnam numero quantitatem virtutis; de hac enim loquitur Richardus. Respondet Alẽsis 1. part. quæst 47. Memb. 1. Ad tertium, quod æqualitas in creatis duo importat, nempe commensurationem primo; & priuationem excessus ex consequenti: in diuinis autem æqualitas non dicit commensurationem, sed priuationem excessus. Resp. D. Bonau. in 1. d 19. art. 1. qu. 1. æqualitatẽ duo dicere, cõterminationẽ, & priuationem excessus: illud est imperfectionis quia competit rebus finitis: hoc non, sed perfectionis, relinquatur illud, & transferatur hoc ad personas diuinas.

32 Ad secundum respondet idẽ Bonaue. sufficere distinctionem suppositorum, quæ est in diuinis.

33 Ad tertium, & quartum, ait ea locum habere in quantitate molis; quæ tamen non est in diuinis.

34 Ad vltimum responsio patebit ex q. sequenti.

35 Hæc de obiectionibus scholasticis: cæterum obiectiones hæreticorum obstantes aduersus æqualitatem habebuntur infra, & soluentur.

QVÆSTIO II.

Vtrum Identitas, æqualitas, & similitudo sint relationes reales inter Personas Diuinas.

ARTIC. I.

Affertur sententia negatiua.

Sententia D. Tho. ESt sentẽtia D. Th. relationes istas cõmunes æqualitatis similitudinis, & idẽtitatis non esse in diuinis relationes reales, sed rationis. I a in 1. part. quæst 4 2. art. 3. atque Durand. Marsil. ichar. in 1. d 31. cum cæteris discipulis D. Tho. probatur vero primo, nihil refertur relatione reali ad seipsum, alias distingueretur à seipso realiter. at Personæ ea ratione, qua sunt inuicem æquales ac similes. sũt prorsus idem, ergo relationes hæ non sunt reales. Maior patet: probatur minor, Personæ ratione Essentiæ adeo sunt idem, sicut quodcunque ens est idem sibi metipsi: habentque eandem prorsus magnitudinem: ergo relatio, quæ intercedit æqualitatis, identitatis, & similitudinis erit rationis.

2 Secundo relatio identitatis in Creaturis est relatio rationis: ergo similiter in diuinis.

3 Tertio si essent reales, vel essent ratione Essentiæ, vel ratione personæ: neutrum horum: probatur primum, quia Essentia est vna, & eadem in personis, idem autem non refertur realiter ad seipsum: non secundum, quia sequeretur relationes istas fundari super relationes originis, & ita relatio fundaret relationẽs quod non videtur verum, cum duo accidẽtia non sint in eodem subiecto loquendo de accidentibus eiusdem speciei: hinc vero super eadem persona esset relatio originis, & cõmunis, identitatis, æqualitatis, atque similitudinis

4 Quarto per relationẽ fundamẽtũ refertur ad terminũ, siue relatiuũ, ad correlatiuũ: sed p relationes istas vna persona non potest referri ad aliam: prob. personæ sunt similes, æquales, atque idem secundum Essentiam: at essentia non est ratio referendi, cum sit absoluta, & non distinguatur, ergo non sunt relationes reales.

5 Quinto sequeretur esse in Deo plures relationes reales, quam quatuor; immò plusquam viginti: eo maxime, quia dum diuinæ perfectiones distinguuntur formaliter ex Scot. vnaquæq; haberet relationem æqualitatis ad alteram, dum haberet vnaquæque suam magnitudinem. Relationes vero in diuinis reales non sunt plus, quam quatuor, vt generatio actiua, & passiua: spiratio actiua, & passiua.

6 Sexto magnitudo, infinitas, ac virtus transit in Essentiam, ergo non poterit esse fundamentũ distinctũ ab Essentia: at Essentia est vna, habetq; rationem vnius fundamenti, ergo & æqualitatis relatio erit vna.

7 Sep-

7 Septimo ſequeretur, relationes iſtas debere ſudari ſuper relationib. originis perſonalibus, id autem implicat, non enim relatio fundatur ſuper relatione ex 5. met. tit. 20.

8 Octauo æqualitas duorum, vel plurium eſt relatio commenſurationis quantitatis eorum: vnde eſt, vt debeant ipſæ quantitates commenſurari prius inter ſe, inde vero commenſurabuntur ipſa æqualia extrema relata: quapropter neceſſario debet multiplicari etiam ipſæmet quãtitates: at non multiplicantur magnitudines in perſonis. quomodo igitur poterit multiplicari relatio commenſurationis, ſiue æqualitatis. Confirmatur, ponat Deus eundem numero candorem in duobus, erunt vtique ſimiles vnico candore, & vna relatione ſimilitudinis.

9 Nono ex Auguſt. 5 Trin. cap. 7. *Aequalitas conuenit perſonis ſecundum ſubſtantiam*: at ſubſtantia eſt vna, vnde ergo oriri poterit plurificatio æqualitatum?

10 Denique, fundamenta ſunt, quæ primo referuntur: at nec Eſſentia, nec magnitudo refertur; nõ enim diſtinguuntur, nec multiplicantur; nec ſunt reſpectiua prob. anteced. duæ albedines, ſunt inter ſe ſimiles, & ex inde ſecũdario inſurgit relatio ſimilitudinis in extremis. Fundamenta inſuper ſunt, quæ primo diſtinguuntur, indeque inſurgit diſtinctio in extremis. at Eſſentia non diſtinguitur, nec magnitudo, ergo nec relationes communes. Fundamenta etiam ſunt, quæ primo opponuntur, & gratia eorum opponuntur extrema; at nec Eſſentia, nec magnitudo opponitur, prob. antec. etenim extrema referuntur ratione fundamentorum.

11 Accedit, quod Magiſter in 1. d. 31. ait, quod, *In his eſt appellatio tantum relatiua*, quaſi dicat relationes eſſe ſolummodo ſecundum modum loquendi reales, non vere à parte rei,

ARTIC. II.

Quid ſit identitas, æqualitas & ſimilitudo.

AD identitatem primo loco accedendo, quæritur breuiter, quid ſit Identitas. De natura quidem poſtulamus identitatis in ſè, & in abſtracto, non deſcendendo adhuc ad ſuas ſpecies: & quatenus deſeruire habet ad quæſtionem præſen

2 Identitatem aliqui deſcribunt vt dicant, *Identitas eſt vnitas aliquorum vel alicuius in ſubſtantia*. An vero apta ſit deſcriptio, videtur, quod minime. Et quidem circa id, quod dicitur, eſſe *vnitatem alicuius*, ex inde cõfutatur, quoniam idem nuſquam vnitum fuit ſibi ipſi: nuſquam enim Ego vnitus fui mihi ipſi, ſicut, & nuſquam ſeiunctus, & ſeparatus à memetipſo, ergo deſcriptio eſt nulla: prob. conſequens, quæ namq; vniũtur, aliquãdo fuerunt inuicẽ ſeparata, ſeu aliquando non fuerunt ſimul coniuncta, vt Anima, & Corpus: forma, & materia: accidens, & ſubiectum: igitur ad vnionem prærequiritur ſeparatio, ſeu præcedens non vnitio Dixi, *ſeparatio*, propter extrema actu exiſtentia, vt duo lapides exiſtentes, antecedenter ad eorum copulationẽ in cõſtructione domus: dixi, *ſeu præcedens non vnitio*, vt de Anima, & corpore, etenim anima non erat ante formationem corporis. Requiritur igitur ad vnitionem aliquorum, ſeparatio aliquaudo eorũ: at idẽ nuſquam ſeparatum fuit à ſeipſo, ergo male dicitur, *Identitatem eſſe vnitatem alicuius*. ea namque dicuntur vnita, quæ aliquando, vel fuerunt ſeparata, vel non vnita, at idem nuſquam fuit ſeparatũ à ſeipſo, ſeu non vnitum ſibi ipſi.

Identitas, quid, ex aliys.

Impugn

Vnitio quid requirat.

3 Item, prædicatio iſta, *identitas eſt vnitas*, non eſt vera formaliter, probatur, poteſt eſſe *Vnitas* conditio diſtrahens à propoſito identitati, ſicque deſtruet identitatem: demon-

Identitas eſt vnitas an prædicatio formalis

monstratur, quia Vnitas non infert necessario indistinctionem, & si infert, non infert omnem prorsus indistinctionem: at identitas infert necessario indistinctionem, & omnem prorsus indistinctionem, *de sè simpliciter, & præcise considerata*. Probatur primum, vnitati primo, & per sè nō opponitur distinctio, sed multitudo, etenim hæc sunt relatiua immediate opposita, nempe *Vnum, & multa*; at identitati non opponitur primo, & per sè multitudo, sed distinctio; hæc namque mutuo opponuntur, *Idem, & diuersum, seu distinctum*; ergo prædicatio non valet, *identitas, est vnitas*. Dixi *primo, & per sè*, quoniam bene quidem ad identitatem opponitur pluralitas, & multitudo at non immediate nec primo, & per sè, sed secundario; destruitur namque identitas per plura capita, vtpotè per distinctionem, & multitudinem, &c. At primario, & per sè destruitur per distinctionem, inde vero per multitudinem. Ita Vnitas destruitur quoque per distinctionem & multitudinem at primo per multitudinē, hæc namq; immediate opponitur vnitati, inde per distinctionē. Ex his arguitur, non habent identitas, & vnitas eundem modum suo contrario opponendi ergo non sunt idem, nec valet ad inuicem prædicatio. Hæc quoad primam partem. Quoad secūdam vero probatur ab aliquibus sic, dicendo *Identitas* hoc nomen de sè, & in abstracto, indicat omne genus identitatis: at dicēdo *Vnitas*, non indicat omne genus vnitatis, ergo: probatur consequens, quia natura abstractionis, seu abstracti, talis est, vt complectatur omnem, ac totalem perfectionem repertam in suo genere, ergo idētitas, sic abstractiue sumpta hoc idem præstabit. Verum ratio hæc non conuincit, ita namque est abstracta *Vnitas*, sicut *Identitas*, ergo si identitas stat pro omni genere identitatis, stabit quoque vnitas pro quocunque genere vnitatis, quare probatio non concludit.

Vnitati quidnā primo, & per sè opponitur.

Abstracti natura qua lis?

Identitas, & vnitas, an idem.

4 Arguitur ergo aliunde, est intimior naturæ illi, quæ dicitur eadē, & vna, conceptus identitatis, quam conceptus vnitatis, ergo non sunt idem identitas, & vnitas. Antecedens est manifestum, & probatur ex ordine conceptuum identitatis, & vnitatis, hæ namque ordinate competunt subiecto, prius autem competit identitas, & posterius vnitas, vt ipsamet natura docet. Et probatur ex opposito identitatis, & vnitatis; oppositum illius est distinctio: huius vero est multitudo: at cōparata distinctione, & multitudine, prius naturæ (quæ tamen vtriusque sit capax) competet distinctio, inde multitudo, ergo & prior erit identitas, quam vnitas. Probatur assumptum; quandocunque aliqua vna natura recedere habet ab identitate, & vnitate, prius incipit à distinctione, pergendo inde ad diuisionem, & multitudinem: probatur, si namque non inciperet distingui, nec pergere inde posset ad multiplicari, & diuidi: ergo ipsemet naturæ ordo docet, priorem esse distinctionē quam diuisionem, & multitudinem. Confirmatur, si namque non distinguerētur, nec quidem diuidi possent a iqua, nec multiplicari. Item valet prædicatio ista, distinguūtur hæc essētialiter, ergo possūt diuidi; & multiplicari igitur distīctio est prior. Dicere, valet etiā ista, diuidūtur, & separātur hæc duo, ergo distinguūtur essētialiter; igitur poterit quoque esse prior diuisio quam distinctio. Respo. negando consequens, quia hæc est à posteriori; illa à priori; distīctio enim infert à priori diuisibilitatem, in subiecto tamen, cui inesse potest: diuisio autem infert distinctionem à posteriori. Et confirmatur, quoniam valet consequentia, est diuisio ergo distinctio, licet non è contra, distinctio, ergo diuisio. A primo ergo ad vltimum concluditur identitatem non esse vnitatem, quia illa est naturæ propinquior, & intimior, ista remotior.

5 Dicendum ergo, quid sit ex nostra sententia *identitas*. Vnde dicimus, *Identitas est relatio æquiparantiæ fundata super vnitate substātiæ*. Descriptio elicitur ex Scoto in quinto Metaph. quæst. 11. Identitatem esse re-

Identitatis vera descriptio.

Identitas est relatio

relationem, est de sè notum, & probatur, inter illa, quæ dicuntur sic idē intercedit habitudo, at habitudo est relatio Itē prob. ex opposito, oppositū idētitatis est distictio, at distictio est relatio, ergo, & opposita identitas: Distinct. quemesse relationem pro nunc supponimus ex infra dicēdis de *distinctione*. Dices, distinctio est potius destructio relationis, quā relat o, probatur, quoniam distinctio destruit relationem identitatis, quæ enim distinguuntur non sunt idem. Respond. saltem cogi ad confitendū, esse relationem *negatiuam*, tempe, negationem identitatis: & hoc pro nunc, cætera suo loco.

Relatio æquiparātiæ permeat omne genus.

6. Esse vero relationem æquiparātiæ probatur ex opposito, Eiusdem ad seipsum non est relatio disquiparantiæ, ergo æquiparantiæ. Dices, relatio æquiparantiæ spectat potius ad æqualitatem, seu ad relationem æqualitatis, quam ad relationem identitatis, ergo identitas non est relatio æquiparantiæ. Negatur assumptum, etenim Æquiparantia permeat omne genus, vt aut æquiparari possit substātia ad substantiam, & hinc habetur identitas, vel distinctio: æquiparari possit quantitas ad quantitatem, & inde habebitur æqualitas, vel inæqualitas: & deniq; æquiparari valeat qualitas ad qualitatem, indeque habebitur similitudo: qn, vel dissimilitudo & æquiparari possit relatio quæcunque ad relationem, siue intrinsecus, siue extrinsecus aduenientem, ac proinde habebitur inter eas talis habitudo. qualis inesse poterit: æquiparantia ergo permeat omne genus: & Confirmatur, idē namq; est æquiparare, ac cōparare, at cōparatio potest fieri in omni genere, imò specie, & numero, &c.

7 Quod tandem, relatio identitatis fundetur super *vnitate*, hinc elicitur, quia non potest fundari super opposito vnitatis, quod est multitudo: vnde arguitur, Multitudo opposita vnitati non potest esse fundamentum idētitatis, ergo esse poterit fūdametū ipsa vnitas: assūptū patet quoniā, idem non est multa, spectatū, secū dum idem: Dixi *secundum idem* quoniā Personæ diuinę sunt quidē multę personaliter, at secundum naturam Deitatis sunt vnum, & idem, cum sint vnus, & idem Deus: cum autem idem secundum idem non sit multa, neque identitas fundari poterit super multa: si non super multa, ergo super vnum, & per consequens fundabitur super vnitatē. Itē fundamētū identitatis duplex est, remotū, & proximū remotū est substātia; pximū vero vnitas substantiæ: quapropter dixit Aristot. 5. Metaph. c. de relat. *Idē, æquale, simile, fundātur super vnum*. Hinc autē magis constat definitio, vt sit *Relatio fundata super vnitate*.

Identitatis fundamentum.

8 Dices, non differt descriptio, hæc ab antecedenti, in antecedenti namque etiam apponebatur vnitas, dicendo, *Identitas est vnitas &c.* Respondeo differre: & quidem aliud, est idētitatem esse vnitatem, & aliud est, idētitatem fundari super vnitate, primum habetur in præcedenti, secundum habetur in præsenti descriptione. Immò differunt quam maximè isti modi loquendi, aliud namque est dicere, accidens fundatur super subiecto: respectus super absoluto: & secundæ intentiones fundantur in primis, & aliud est dicere, accidens esse subiectum: relatiuum esse absolutum: ac secundas intentiones esse primas: primum est verum, secundū falsum. Sic, identitas est vnitas, negatur ad sensum relatum: identitas fundatur in vnitate, conceditur.

Descriptio, hæc differt ab antecedenti.

9 Dices, idē est vnum, ergo identitas est vnitas. Concesso antecedēti, negatur consequens, ratio formalitatum est, quia abstractum non prædicatur de abstracto, nisi vel ambo, vel alterum ipsum sit formaliter, vel permissiue infinitum: cessat autem vtraque infinitas hic.

10 Dices, *eadem sunt illa, quorū substantia est vna*. Ergo identitas est vnitas: Negatur cōseq. quia arguitur à concretis ad abstracta: in illis enim stat idē esse vnū, at in istis non sequitur identitatem esse vnitatem.

11 Demum, quia non habemus terminos specialiores, quib. explicare valeamus apt us naturā idētitatis, vtimur termino, & adiumēto vnitatis cæterū si terminos explicatiores habe-

beremus, forte linqueremus ipsum terminum vnitatis, ob rationem allatam, quia vnitas supponit diuisionem, seu non vnionem vnitorum, idẽ vero nusquã fuit, vel diuisum à seipso, vel non vnitum sibi ipsi.

Identitas explicatur per vnitatẽ

12 At quia nescimus viciniori, siue intimiori termino identitatem explicare, vtimur vnitate. Ex hoc autem fit, vt explicemus identitatem à posteriori per ipsam vnitatem: Quod vero, ita sit, inde quoque colligimus, quoniam si aliqua iam diuisa redderent, verbi gratia, ad identitatem, oporteret ea transire per vnitatem, seu per vnionem, vel per vnitionem: vnitio namque viã sterneret ad identitatem, sicubi illa tali posset adipisci identitatem, & fieri idem. Immò ex vnitione de facto producitur idẽ, quandoquidem ex vnione materiæ, & formę resultat vnum, & idem, nempe compositum: ex vnione Animæ, & corporis resultat idem homo.

13 Cõparando insuper descriptiones datas ad inuicẽ, apparebit vtique aptior secũda, quã prima. Ostẽditur, in descriptione prima, *Idẽtitas est vnitas*, prędicatio ista nõ est formalis, sed causalis, patet, quia vnio, seu vnitio est via ad identitatẽ, vt diximus, ergo vnitas causat idẽtitatẽ, igitur est pdicatio non formalis, sed causalis: & ob hoc pdicatio ista nõ cõceditur, vndequaque, quia non conceditur in sensu formali, sed causali: at descriptio altera conceditur vndequaque, absolute namque est verum, *Identitas fundatur super vnitate.*

14 Quo fit, vt licet primam descriptionem admittamus, admittimus tamẽ eam in sensu *causali*, seu, in prædicatione *causali*, non in sensu; & prædicatione *formali*: cæterum, secũdam descriptionem admittimus absolute, & nulla ex parte negamus, nõ indigentem saluatione in sensu formali, vel causali, cum contenta sit vnitate fundamentali, seu causali.

Identitas omnis, an sit relatio.

15 Vtrum vero omnis identitas sit relatio, (dictum est namque identitatem esse relationem) est responsio negatiua, vnde identitas diuiditur in absolutam, & relatiuam; Ratio, quia in identitate sunt duo, nempe esse indistinctum à sè, & distinctum à quocunque alio: sicut in vnitate reperitur quoque esse indiuisum à sè, & diuisum à quocunque alio. Esse quidem indistinctum à sè, est quid absolutum, esse autẽ distinctum à quocũque alio, est relatiuum: At obstatur, indistinctio est negatio distinctionis, at distĩctio est relatio, ergo & indistinctio: probatur consequens, eadem namque est natura oppositorum, igitur si distinctio est relatio, ita & indistinctio. Respond. veramque esse relatiuam, at diuersimode; nam indistinctio à sè est relatiua fundamentaliter, distinctio autem à quocunque alio est relatiua formaliter: eatenus verò indistinctio à sè appellatur absoluta, quatenus non est relatiua formaliter.

16 Idẽtitas insuper, qua aliquid est idẽ sibi ipsi, est relatio rationis. Probatur, ad identitatem essentialem requiruntur extrema distincta realiter, vnde ob hoc tres diuinæ personę sunt idem essentialiter, earumque identitas non est rationis, sed realis, sumendo realem non pro identitate personali, sed prout distinguitur contra identitatẽ rationis: at idem numero non distinguitur numeraliter, & personaliter à seipso, ergo sua identitas erit rationis. Sicut aliunde identitas specifica, & generica non est rationis, sed realis: probatur, extrema sunt realia, & sunt realiter distincta: ergo identitas est realis.

17 Circa æqualitatem, & similitudinem fuit sententia Aureoli in 1. d. 31. art. 3. dicentis, hęc omnia esse quid negatiuum, non autem positiuũ, in diuinis. Ratio, quia æqualitas, & similitudo positiua requirunt distinctionem extremorum, etiam in illa quantitate, seu qualitate, secundum quam referenda sunt: at personæ non distinguuntur penes Essentiam, nec penes quãtitatẽ virtutis, nec circa perfectiones ipsius Essentiæ, igitur ęqualitas, & similitudo non erunt positiua in personis. Confirmat authoritate Fulgentij de fide ad Petr. cap. 1. *Nemo alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate; quia nec Filio, nec Spiritu sancto, quan-*

Aequalitas & similitudo ex Aureolo quid.

quantum ad naturæ diuinæ vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior Pater est; nec Filij æternitas, atque immensitas, velut anterior, aut maior, Spiritus sancti immensitatem, æternitatemque, aut excedere naturaliter potest. Ex quib. verbis explicari videtur æqualitas, & similitudo, solummodo per negationem, vt patet. Accedit Magister in 1.d.31, vbi inquit. *Quibusdam non indocte, videtur nomine æqualitatis, vel similitudinis, non aliquid poni, sed remoueri; vt ea ratione dicatur Filius æqualis Patri, quia nec maior est eo, nec minor, & hoc propter vnitatem Essentiæ. Ita & simi.lis dicitur, quia nec diuersus, nec alienus, nec in aliquo dissimilis, &c.* Insuper eadem videtur esse sententia Philosophi, 10. Meth. tit. 18. 19. *Aequale dicitur quasi per negationem minoris, & maioris.* Ex hinc infert Aureolus esse æqualem, & similem, non esse aliud, quam non esse inæqualem, & dissimilem.

Aequalitas non in sola negatione. 18 Verum à contrario dicimus æqualitatem, & similitudinem non consistere in sola negatione: vnde asserimus æqualitatem, & similitudinē esse vere quid positiuum. Ita vtraque sustinet consequenter, & quidem Scotistæ dum aiunt relationem æqualitatis, & similitudinis esse realem, fateri coguntur esse quid positiuum. Dum etiam Thomistę docent esse relationem rationis, id ipsum astruunt. Probatur quoque ex Philosopho 5. Metaph. cap. 15. dicente, *Eadem sunt, quorum substātia est vna. Similia vero, quorum qualitas est vna: Aequalia autem, quorum quantitas est vna.* Ecce quomodo Philosophus definit æqualitatem, & similitudinem per positiuū. Item fundamentum, vtriusque est quid positiuum; ergo æqualitas, & similitudo erunt relationes positiuæ. Antecedens patet, ex Aristotele, dum ęqualitati assignat pro fundamento, quantitatem: Similitudini pro fundamento qualitatem: sunt autem hæc quid positiuū: dum vero à diuinis cessat quantitas molis, & qualitas prædicamentalis adest, tamen loco earū, quantitas virtutis, & adsunt diuinæ perfectiones, quia *In ijs, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse.* Ex Augustin. 6. de Trin. cap. 8.

19 Ad rationem Aureoli respōsum fuit sup. sufficere distinctionem personarum, retenta identitate Naturæ, quantitatis virtutis, & perfectionum attributalium; nec enim necesse est in his quærere distinctionē realem. *Aequalitas pro formali est negatiua: pro materiali positiua.*

20 Ad Fulgentium, dicendum, æqualitatem, & similitudinem, pro formali quidem dicere negationem, nempe inæqualitatis, & dissimilitudinis: cæterum pro materiali, siue fundamētaliter, esse quid positiuū. Et in hoc etiam sensu accipiendus est Magister & Philosophus.

ARTIC. III.

Vtrum relatio distinctionis, & oppositionis personarum distinguatur à paternitate, filiatione, & spiratione.

1 Vtrum relatio distinctionis; & relatiuæ oppositionis personarum diuinarum sit relatio rationis, an vero ex natura rei; & an sit aliquid superadditum ad ipsas relationes originis, paternitatis, filiationis, ac spirationis. Thomistæ asserunt nō esse aliquid superadditum à parte rei. Probant autem ex D. Thoma, qui 1. part. quæst. 42. art. 1. ad 4. dicente, *Cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem, & filiationem, quia vtroque modo relatio multiplicaretur in infinitum: & ideo æqualitas, & similitudo in diuinis personis non est aliqua realis relatio distincta à relationib. personalib. sed in suo intellectu includit, & relationes distinguentes personas, et Essētiæ vnitatē.* Hinc vero arguitur, Relatio non potest esse fundamentum relationis, ergo paterni- *Sententia Thomist.*

tas non poterit esse fundamētū relationis distinctionis, seu oppositionis, ad Filiū; igitur relatio oppositionis, & distinctionis, nec est q d superadditū, nec q: i d distinctū à personalitatibus diuinis. Antecedens prob. si i ā.., relatio posset fūdare relationē, posset abiri in infinitum, quia sic de singulis relationib. posset argui, vt super vna fūdaretur altera in infinitū. Cōcludit vero ratio de relatione reali; huiusmodi autem essent tales relationes distinctionis, & oppositionis.

2 Posset aliunde argui secundo, Relationes originis distinguūtur seipsis, ergo non est opus al a relatione media distinctiua inter ipsas. Antecedens est Scoti in 1. d. 13 quæst. vnica. Tertio relationes originis opponuntur inuicem formaliter seipsis: ergo non debet mediate inter eas alia relatio. Quarto ex Anselm. *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*: ergo oppositio est adęquata ratio distinctionis, igitur non est quærenda alia relatio media inter personarum distinctiones, & oppositiones.

Relatio distinctionis, fūdatur super relationes originis. 3 His tamen non obstantibus, primo dicimus, super relationes originis paternitatis, filiationis, atque spirationis, fundatur relatio distinctionis, & oppositionis inter eas. Probatur, Origines distinguuntur ad inuicem, etenim paternitas distinguitur à filiatione, & spiratione, & è conuerso, ergo per relationem distinctionis distinguuntur, igitur relatio distinctionis fundatur super origines. Item relationes personales opponuntur inuicem, ergo mediante oppositione relatiua opponuntur, igitur mediante relatione oppositionis fundata super eas.

Relatio potest fundare relationem. Insuper, si quæ esset ratio, qua negandа esset talis relatio fundanda super Origines, ea esset, quoniam non potest relatio fundare relationem; at hoc est falsum, ergo non implicat: probatur falsitas, proportionalitas fundatur super duas proportiones, at tum proportiones, tum proportionalitas, sunt relationes reales. Item æquiparantia, & disquiparantia sunt relationes reales, & nihilominus

Proportionalitas fundatur super duas proportiones.

fundantur super communi relatione similitudinis. Rursus, in Creatura super relatione filiationis fundātur plures relationes, vt puta amoris, reuerētiæ, honorificentiæ, & obedientiæ, ad patrem: ita super relatione inferioris fundantur relationes plures ad superiorem, atque maiorem, vt putà, seruitutis, obedientiæ, reuerentiæ, humiliationis, dilectionis, & his similium. Igitur tum in naturalibus, tum in politicis constat relationem fundari posse super relat one: quodsi ratio hæc Aduersariorum non obstat, nec obstabit, vt super relationibus personalium Originum in diuinis fundari possint relationes distinctionis, & oppositionis.

Relatio distinctionis originū est à parte rei. 4 Dicimus secundò, relatio hæc distinctionis, & oppositionis est à parte rei. Probatur, Origines distinguūtur, & opponuntur vere à parte rei, ergo distinguuntur per distinctionis, & oppositionis relationem à parte rei. Item dà oppositum quod non sit à parte rei, & sequetur personas non vere disting .., & opponi à parte rei. Item non est à parte rei, ergo per intellectum, hinc autem infero, igitur relatio distinctionis, & relatiuæ oppositionis personarum erit ens rationis, ergo sequitur distinctionē, & oppositionem diuinarū personarum esse ens fictitiū, sicque confundemus Trinitatem, & tollemus è medio personarum distinctionem, & correlatiuam oppositionem.

Relatio distinctionis originū distinguitur formaliter, ab originibus. 5 Dicimus tertio, relatio distinctionis, & oppositionis distinguitur ex natura rei, siue formaliter a relationib. Originū siue à paternitate, filiatione & spiratione, probatur, relationes paternitatis, filiationis, & spirationis non sunt æqualis comparationis, quia sunt relationes disquiparantiæ at relationes oppositionis sunt relationes æqualis comparationis, siue æquiparantiæ, ergo sunt distinctæ à parte rei: sunt autem idem realiter, ergo distinctæ formaliter. Assumptum patet, etenim oppositum opposito opponitur, & viceuersa: in originibus autem termini sunt alterius rationis, vt patet. Itē omnes personalitates sunt inuicem distinctæ, ac

non.

non omnes, ſunt relatiue oppoſitæ, ergo relatio oppoſitionis diſtinguntur à relationibus perſonalitatum: aſſumptum probatur, quoniam paternitas, qua paternitas, & filiatio, vt filiatio, non opponitur relatiue ſpirationi, ſiue actiuæ, ſiue paſſiuæ, ſaltem paſſiuæ, quia cum actiua ſunt idem: vnde eſt, vt non referatur, & nihilominus diſtinguitur à paternitate, & filiatione, ergo ſignum eſt, relationem oppoſitionis diſtingui à paternitate, filiatione, & ſpiratione.

Origines sũt fundamenta relationis oppoſitionis.

6 Dicimus quarto, fũdamẽta relationis diſtinctionis, & relatiuę oppoſitionis sũt Origines, ſiue paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, & paſſiua: patet, quod à nõ poteſt eſſe Natura, ſiue Eſſẽtia, cum ſit potius fundamẽtũ, ratio identificationis eſſentialis perſonarum: ergo erunt perſonalitates: patet conſequens, etenim in diuinis quidquid eſt, vel eſt abſolutum, vel reſpectiuum: penes primum idẽtificantur, ergo diſtinguuntur penes ſecundum: igitur relatio diſtinctionis, & oppoſitionis fundatur ſuper illis.

Relationes, oppoſitionis per quid diſtinguãtur.

7 Dicimus quinto, Relationes diſtinctionis, & oppoſitionis diſtingui inuicem ex duplici capite: fundamentaliter quidem, & formaliter: primo modo diſtinguuntur penes paternitatem, filiationem, & ſpirationem, ſiue per potentiam generatiuam, & ſpiratiuam: formaliter tamen diſtinguuntur ſeipſis, ſuiſque intrinſecis rationibus formalibus. Vnde non eſt quærere per quid vlterius diſtinguantur formaliter, etenim ſi diſtinguerẽtur per alias relationes, quærerem de illis alijs relationibus per quid diſtinguerentur; ſi enim diſtinguerẽtur per alias, quærerem de illis alijs, vt prius, atque daremus proceſſum in infinitũ: quod ſi dicas diſtingui ſeipſis; ita & dico de illis, quod formaliter diſtinguuntur ſeipſis.

Relatio oppoſitionis, eſt eadem, cum origine.

8 Dicimus ſexto, Relatio diſtinctionis, & relatiuæ oppoſitionis eſt eadem realiter cum paternitate, filiatione, & ſpiratione. Probatur illa relatio eſt identificata realiter fundamento, cuius fundamentum non poteſt eſſe ſine termino, at paternitas, filiatio, & ſpiratio, tanquam fundamenta, non poſſunt eſſe ſine tali relatione diſtinctionis, & oppoſitionis, etenim perſonę neceſſario diſtinguuntur, & neceſſario referũtur, eo magis, quo conſtituuntur per reſpectiua; ergo eſt eadem cum ipſis realiter. Aſſumptum patet de relatione Creaturæ ad Creatorem, non enim eſſe poteſt creatura, abſque dependentia, & relatione ad Deum, proptereaque eſt eadem realiter talis relatio ipſi Creaturæ, vt probat Scot. in 2.d.1.q.5.lit.M. Hęc vero intelligenda veniunt, reddendo ſingula ſingulis: itaut vnaquæque origo, ſuam habeat relationẽ oppoſitionis, quæ relatio ſit eadem cum ea: ſicque relatio oppoſitionis paternitatis ſit eadem cum paternitate: relatio oppoſitionis filiationis ſit eadem, cum filiatione: & relatio diſtinctionis ſpirationis paſſiuę ſit eadem cum ipſa ſpiratione.

In relationibus, an proceſſus in infinitũ.

9 His habitis reſpondetur ad argumenta, & ad primum dicimus, negari proceſſum in infinitum in relationibus realibus, quarum vna fundari habeat ſupra aliam: qui tamen proceſſus concedi poſſet in relationibus rationis: vt Scotus habet tum in loco citato ſecundi, tum in quodlib. q.6. art.1. in fine.

Oppoſitio eſt adęquata ratio diſtinguendi, declar.

10 Ad ſecundum, & tertium reſpondetur iuxta quintam aſſertionem: etenim diſtinguuntur, & opponuntur quidem ſeipſis *formaliter*: at per relationes perſonales *fundamentaliter*.

11 Ad Anſelmum, vtique oppoſitio eſt adæquata ratio diſtinguendi; at id intelligitur, tum fundamentaliter, tum formaliter: primum ratione originum, & ſecundum ratione relationum diſtinctionis, & oppoſitionis formalis; ex his autem duobus adæquatur ratio totalis, at vnumquodq; ipſorum ſeorſim conſideratum, eſt ratio opponendi, illa fundamentaliter, hæc formaliter.

ARTIC. IV.

Statuitur relationes communes esse reales.

Relationis realis requisita. 1 EX opposito autem dicimus, Relationes æqualitatis, idẽtitatis, & similitudinis esse relationes reales. Ita Scot. in 1. d. 31. quæst. 1. & quodlib. 6. Herre. in 1. d. 13. quæst. vn. Rad. 1. p. quæst. 26. art. 1. cæterique discipuli Scoti. Primum verò fundamentum huius sententiæ fit: Ad relationem r. alem tria requiruntur, 1. vt *Relationes communes sunt reales.* extrema sint realia: 2. realiter distincta. 3. vt relatio inter ea oriatur ex natura extremorum, ex communi, ac recepta doctrina Philosophorum, & Theologorum: at Personæ omnes sunt ibi reales, realiter distinctæ inuicem: oriturque relatio æqualitatis ex natura earum, ergo erit æqualitas, sicut, & cæteræ, relatio realis.

Caietan. respond. 2 Caietanus, cum sequacibus respondet, non sufficere illa tria, sed vltro requiri, vt fundamentum multiplicetur in illis extremis, alias relatio non erit realis, at Essẽtia in personis non multiplicatur, ergo nec relatio æqualitatis, siue identitatis erit realis. Sed præfata responsio retunditur. *Impugn.* Relationes, quę fundantur in aliquo fundamento, quatenus vnum, non requirunt magis distinctionem in fundamento, ad hoc, vt sint reales, quam relationes, quæ fundantur in aliquo, non vt vnum: sed relationes originis fundantur in Essentia non, vt vna; ratio, quia vnitas, vt vnitas non est ratio proxime fundandi, & multiplicandi origines, sed aliũde desumitur multipl catio originum, vt à fæcunditate, intellectus, & voluntatis, quæ sunt alterius rationis: & nihilominus Essentia, quæ est fundamentum talium relationum non est plures, sed vna: ergo minus multiplicabitur fundamentum æqualitatis, quæ fundatur in Essentia vere, vt vna; probatur consequens etenim idẽtitas fũdatur in Essentia, vt vna, alias non esset inde in personis perfecta identitas. Idem de æqualitate, & similitudine, alias non esset perfecta similitudo, & æqualitas.

3 Caietanus respondet fundamẽtum relationum originis non esse Essentiam, sed actus notionales, quapropter licet non multiplicetur Essentia, multiplicantur tamẽ actus notionales: & hinc sumitur, vt relationes originis sint reales, multiplicantur namque earum fundamenta. Sed contra eum est solidissima impugnatio, & efficacissima. Actus notionales sunt formaliter relationes originis ex cõmuni sententia Scotistarum, & Thomistarum: quod si sũt formaliter idẽ, non vtique poterunt actus fundare relationes: probat. etenim idem fundaret seipsum, idemque fundaretur super seipso: fundamentum autem præexigi debet, & anteire ad fundatum ordine saltem naturæ: idem vero non est prius, & posterius seipso: fundamentum insuper distingui debet saltem natura à rè fundata, idem vero quomodo distinguitur à seipso, si actus notionales sunt prorsus idem cũ relationibus originis? Hoc stante quod fundamenta relationum originum non erunt actus notionales, sequitur, vt sit ipsa Essentia: et redit argumentum, quia si Essentia est fundamentum relationum originis, quæ tamen vnica est, & indistincta; vtique esse poterit pariformiter fundamentũ relationum communium absque sui distinctione. Immò ex maiori ratione id competet; quandoquidem relationes originis habent pro fundamento Essentiam, licet quidem vnam, nihilominus non vnitas, inquit Scotus, est in sensu composito ratio multiplicationis originum, quia ex sunt Essentia vna cum intellectu, & voluntate; quod si hic Essentia non multiplicatur, sed est vna, consimiliter nec multiplicandum erit fundamentum relationũ communium. Item sequeretur relationes originis non esse reales ex responsione Caet. prob. Essentia est earum fundamentum, cum non possint esse actus notionales, vt est dictum

ctum: at Essentia non multiplicatur, ergo nec origines erunt reales. Insuper, vel origo fundat ratione absoluti, vel ratione respectiui: non ratione respectiui, quia sunt idem origo, & relatio: ergo ratione absoluti: at id est Essentia: hæc vero est vna, ergo origines non erunt reales.

Ferra. respon. 4 Ferrariens. 4. contra Gent. c. 11. respondet aliter se habere relationes originis, & æqualitatis: originis relationes non habent fundamentum, quia sunt subsistentes, æqualitatis, identitatis, & similitudinis habent fundamentum, & hoc est Essentia, & addit Caiet. relationes originis ferre secum supposita, atque fundamenta, non autem relationes communes, quia supponunt fundamentum.

Impugnat. 5 Sed aduersus vtrumque arguitur, Relatio originis non supponit personam, & suppositum, sed facit eam, quia constituit eam, vt patet: igitur falsum quod dicunt secum ferre simul supposita, & fundamenta: loquuntur enim de suppositis, tanquam de relationum originis fundamentis. *Relatio originis nō supponit personam, sed constituit eam.* Et quidem effectus forma is ō præsupponitur causæ formali, iā supposita constituūtur, ablato nomine causæ à diuinis, p relationes. Item quomodo verum erit ferre secū supposita, veluti fundamenta? hinc namque sequitur, supposita diuina non constitui p. r relationes originis; patet per eos, dum aiunt supposita esse fundamenta: sequeretur quoque, personas antecedere relationes, ea ratione, qua fundamentum antecedere debet fundatum. Quod vero Ferrariensis ait, relationes originis non habere fundamentum, quia sunt per se subsistentes, quomodo id erit verum, dum relationes diuinæ fundātur in Essentia diuina? Vtique relationes illæ non sunt accidentales, sed constitutiuæ: non egent fundamento ratione primi, quia nullum ibi accidens, egent tamen aliunde. Et quidem duplex erit relationis fundamentum, proximum, & remotum: prius, & posterius: prius erit Essentia, posterius personatio, quia primo pullulat relatio ab Essentia, veluti à radice, & fundamento, inde vero subsistit talis relatio in personas eo magis, quo Essentia est omnino primum ibi, & radicale fundamentum omnium. Præterea persona constituitur ex Essentia, & relatione: at prior est Essentia: licet vero ambo simul constituant, tamen naturalis intelligentia percipit Essentiam sub ratione fundamenti primarij. Denique Essentia est primarium, & radicale fundamentum omnium ad intra: Cum autem persona non possit esse fundamentum, vt falso æstimant, nam fundamentum præcedit fundatū, persona non præcedit relationē, sed subsequitur, tanquā cōstitutū suū constituens, prouenit, vt fundamentum relationum originum sit Essentia, ita, sicut ipsa eadem erit fundamentum æqualitatis: sed non diuiditur, nec multiplicatur Essentia in personis, sed stante vna in omnibus, nihilominus relationes originis sunt vere reales; ergo stante vnitate eiusdem Essentiæ, veluti fundamenti relationum communium, absque multiplicatione fundamenti vere relationes communes erunt reales.

6 Atque demum ex responsione eorum, alterum istorum, vel ambo erunt concedenda; vel quidem Essentiam multiplicari in personis, adhoc, vt relationes originis sint reales, & personæ reales, atque Trinitas realis: vel si Essentiam non multiplices, iam origines non erunt reales, nec personæ à parte rei, nec Trinitas erit realis, sed omnia erunt entia rationis: totum sequitur ex responsione data, dum aiunt ad relationem realē, siue reales debere multiplicari fundamenta.

7 Probatur insuper, non sunt reales illę relationes, ergo ęqualitas, idētitas & similitudo personarū nō est realis, nec à parte rei reperitur identitas, & æqualitas personarum, consequentiæ euidenter sequūtur, igitur destruimus identitatem, & æqualitatem personarum: igitur identitas, & æqualitas, ac similitudo Patris cum Verbo, & Spiritu sancto erit fictitia, & intentionalis, dicunt enim esse relationes rationis, igitur non erit Patri Filius coæqualis, consubstantialis, consimilis. Vide in quantos ruunt sco-

scopulos huius relationis rationis sectatores: ex opposito autem quomodo facillime saluat Scotus identitatē; similitudinem, & coæqualitatem personarum dum vnū fundamentū, vnius Essentiæ, vniusque virtutis, perfectionis, ac magnitudinis infinitalis ponit in personis.

8 Respōdēt esse reales ratione fundamēti, esseque reales fundamentaliter, non formaliter à parte rei: fundamentaliter esse tales à parte rei, at formaliter per opus rationis. Sed contra hoc arguo deducendo ad maxima inconuenientia, & primo sequitur quod propositio ista, est falsa, Filius est Patri formaliter æqualis, & vterque Spiritui sancto formaliter.

Ex alijs impugnatur. 9 Item arguunt alij, Concilia, & Patres non dicunt Filium esse Patri æqualem, & consubstantialem solummodo fundamentaliter, nō enim faciunt hanc exclusiuam, & determinatiuam, sed aiunt esse vere, & realiter à parte rei, atq; perfectissime cōsu stătial; & coæqual: talis autē perfectissima id. titas, & coæqualitas non habetur per solam coæqualitatem, & identitatem sumptam fundamentaliter. Insuper quando contra Arrium determinant esse coæqualem, & consubstantialem, loquuntur non de coæqualitate, & identitate, seu consubstantialitate, sola fundamentali, sed de reali, & formali: at si æqualitas esset relatio rationis, iam nihil determinassent, nisi quod Filij æqualitas esset ens rationis, hoc autem prætendebat Arrius consubstantialitatē Filij nō esse forma iter à parte rei, sed esse quid fictitium, & ens rationis, pendens à solo nostro intellectu. Rursus quando Concilia & Patres id determinarunt, non vtique dicere intendebant coæqualitatē esse quid compositū ex reali, & intētionali, sed q; totaliter, & adæquate esset quid vere, & reale, ac formale à parte rei; in sententia autē istorum sequitur æqualitatem esse quid compositum ex reali; & intentionali: patet ex reali, quia vocant eā realem ratione fundamēti realis: patet ex intentionali, quia appellant eam intentionalem, & ens rationis, formaliter: at quando quæso Patres, & Concilia id excogitarunt? quin potius absolute docuerint esse perfectissimam. & consequenter esse vndequaq; realem ipsam æqualitatem Filij, tum fundamentalem, tum formalem.

10 Thomistæ in has incidūt angustias, solummodo, vt suam astruāt philosophiam de fundamēto posito philosophyco, quod oporteat fundamentum multiplicari ad multiplicationem extremorum: at hæc philosophia necessaria non est.

11 Probatur, Vnitas est fundamentum proximū identitatis, æqualitatis, similitudinis, vt dictum fuit præced. quæst. ergo non requiritur distinctio fundamenti: probat. consequen. Vnitas est ratio fundandi identitatem, & æqualitatem. ergo maior vnitas erit ratio fundādi maiorem identitatem: igitur maxima vnitas erit ratio fundādi maximam identitatem: sed in Essentia reperitur maxima vnitas, quia eadem numero est in personis ergo ipsa nō vt distincta, sed vt maxime vna fundabit identitatem, & æqualitatem Discursus confirmatur, vnitas generica est ratio fundandi identitatem genericam, quæ est minima identitas: vnitas specifica erit ratio fundandi idētitatem specificam, quæ est maior identitas: vnitas denique numerica erit ratio fundandi numericam idētitatem, quæ erit identitas maxima: sed inter personas non est identitas generica, aut specifica, cum non sint in genere, neque reperiantur plures Dij quasi sub vna specie: ergo aderit identitas essentialis, & coæqualitas, quæ postulabunt pro fundamento vnitatem omnimodam. Discursus concludit, & non potest nisi gratis oppugnari. Item perfectionem genericam participat Leo cum Homine, dum conuenit in animali cū eo: perfectionem specificam participat Petrus cum Ioanne, dum conuenit in specie humana cum eo: at perfectiorem vnionem haberet idem Petrus cum Ioanne, si haberet vnam numero naturam humanam cum

eo:igitur eo est perfectior vnio idētitas,& consubstantialitas, quo fundamentum est indistinctius, & magis vnum ergo eo Pater erit cæteris magis consubstantialis. & coæqualis,quo habebit fundamentum talis identitatis minus distinctum, immò omnino vnum: at vere est omnino vnum. Rursus duo quanta, vt duo ligna tripalmaria, sint ęqualia propter conuenientiam ad tres palmos quantitatis, propter quod habent in se conuenientiam æquam duo alia ligna, sint bipalmaria: hæc vtique habebunt maiorem vnionem, & conuenientiam per duos palmos, quia magis accedunt ad vnitatem magisque sunt vnum, illa quam illa tripalmaria Demus vero in duobus corporibus poni per Dei potentiam vnam, eādemque quātitatem vnius palmi, tunc erunt illa ligna omnino æqualia,& tali æqualitate, vt maior non possit dari, quia fundamento eodem prorsus numero erunt æqualia:& tamen fundamentum illud erit non multiplicatum, sed vnum numero. Demum cōsimiliter de similitudine duo sint habētes decē gradus albedinis hinc inde: erunt vtiq. similes, at similitudine admodū imperfecta, & remota: sint alij similes vt octo, hi vtique magis vnientur in albedine: sint alij,vt quinque,alij,vt duo,equidem augebuntur in participatione maiori per accessum ad simplicitatem speciei albedinis, quæ consistit in vnione maiori,ac maiori: demus denique in duobus eundem gradum albedinis per Dei potentiam, isti erunt maxima vnione albedinis similes, quia maior vnio non poterit dari. Ergo dabitur absque multiplicatione fundamenti maxima similitudo. At quis negabit similitudinē hanc esse vere realem.

12 Si dixeris similitudinē, siue æqualitatē, siue identitatē ex habito discursu non esse realē,ergo falsa erit propositio aristotelica, q posito fundamento, & termino consurgat relatio realis: Vtiq;ratio non capit, vt dicamus posita vnica albedine in duob. subiectis, nō cōsurgere similitudinē inter illa duo; siue inter duo corpora ęqualitatem, posita in eis eadē quantitate: siue posita eadem numero substantia, non consurgere identitatem: philosophia hæc non poterit nisi pugnandi ardore quoquomodo defensari, ex tot enim incōuenientib. quæ inde insurgunt, vt vidimus, eam omnino negamus: ac propterea plurimi ex Thomistis, cū Scoto consentiunt, est enim positio eius facillima ad saluandam æqualitatem, & consubstantialitatem contra Arrianos, realem, ve:am, & formalem.

13 De Diuo autē Th. cū sāctissimus, ac sapiētissimus Doctor sit, nō putarim negasse æqualitatē, identitatē, & similitudinem esse reales, ad sensum aliquorum, qui in tot scopulos impingunt: asserit namque Sanctissimus Doctor contra Arrianos, vere Personas esse sibi inuicem coæquales: sed ad aliū sensum loquutū æstimarim, dum ait, *Non esse reales*: nempe nemultiplicando relationes reales, censeamur multiplicare personas: seu censeamur admittere distinctionem realem Essentiæ, magnitudinis, & perfectionis diuinæ: vel si quid aliud: cæterum abstrahēdo ab his, & consimilibus inconuenientibus vere diceret Angelicus Præceptor, Personas esse rea.iter, & formaliter, (contra Arrinm) à parte rei, (non autem per fictionem intellectus,) cōsubstantiales, consimiles,& coæquales. Quod si possumus Præceptores maximos, ac Doctores nostros pie, & veraciter interpretari, cur ad distortas recurrimus philosophias, inde namque oriri solent iurgia inutilia.& scrupuli, & quandoque. dum ardore pugnandi nitimur, errores.

Interpretatio D. Th.

14 Dicimus secundo, Relationes communes identitatis, æqualitatis, similitudinis à relationibus originis in eadem persona formaliter distingui, esse autem idem realiter. Ita aperte Scotus de identitate in 1. d.31.quæst.1 liter F. de distinctione autem probatur, prædicantur de eis contra dictoria, ergo distinguuntur formaliter:prob a. teced. Relationes communes non constituunt personas, relationes originis constituunt,

Identitas æqualitas, similitudo, an distincta à relationibus originis.

dem-

dempta spiratione actiua Relationes communes non sunt propriæ alicuius personæ, sed communes. at relationes originis sunt propriæ, vt patet. Relationes communes præsupponunt personas, ideoque sunt posteriores personis, originis vero nequaquam sunt posteriores. Relationes communes habent pro fundamento vnitatem Essentiæ, magnitudinis, & perfectionis: originis habēt pro fundamento Essentiam cum fæcunditate intellectus, & voluntatis.

15 Quod vero sint idem realiter in eadem persona prob. tum authoritate Scoti supradicta, tum ratione: & quidem paternitas, & spiratio actiua in Patre sunt idem realiter, vt propria quæst. habebitur, ergo consimiliter relationes communes cum Paternitate. Item sequeretur compositio ex tali distinctione reali: Denique fieret multiplicatio rerum in Trinitate, cum absque ratione ponatur talis distinctio realis: vnde merito concludit Scotus omnes relationes illas esse vnam rem.

Obstatur. 16 Dices non sunt formaliter infinitæ, non sunt perfectiones simpliciter, ergo non habent vnde possint identificari realiter. assumptum est *Resp.* commune in via Scoti. Respon. negando consequent. siquidem ratio identificandi non prouenit ex relationibus formaliter, sed ex Essentia, quæ cum sit infinita identificat sibi omnes relationes, atque inde ex tali identitate cum Essentia, insurgit identitas realis inter eas, ob rationē, quia, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter sē*. Eoque magis est verum, quo non opponuntur relationes istę communes relationibus originis, ergo erunt idem realiter.

Relationes communes vnius personæ distinguūtur realiter à communibus alterius personæ. 17 Dicimus tertio, Relationes communes vnius personæ realiter distingui à relationibus sibi oppositis in altera persona, verbi gratia, identitas, æqualitas, & similitudo Patris realiter distinguitur ab æqualitate, identitate, & similitudine, quæ est in Filio, & Spiritu sancto. Est Scotistarum communis. probatur, *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*: at hic obuiat oppositio relatiua; probatur, æqualitas, identitas, similitudo reperta in vna persona refertur realiter, opponiturque realiter identitati, ęqualitati, similitudini alterius personæ. Item Personæ sunt oppositæ, ergo relationes earum sunt oppositæ. Insuper identitas, similitudo, æqualitas vniuscuiusque est eadem realiter cū persona, vt diximus: sed personæ distinguuntur inuicem realiter, ergo & relationes communes similiter realiter Denique identitatis relatio, atq; similitudinis, & æqualitatis, qua Pater est idem Filio, coęqualis, & similis, non est ratio referendi Patrem ad Spiritum sanctum sed solummodo ad Filium; nam alia relatione formali est similis Filio, alia Spiritui sancto, & viceuersa, dixi, formali, quæ vtique alia, & alia est in omnibus personis, non tamen alia fundamentali, quę vtique vnica, & eadem est in omnibus eis, ratione Essentię, & virtutis eiusdem Ex Scotistis docent eam Rad. sup. ar. 3. octaua conclus. & Smising. de Triui. d. 2. quæst. 3. nu. à 78. ad 81 Adde, distinctorum terminorum sunt relationes distinctæ, personæ sunt realiter distinctæ, & terminant has relationes inuicem communes, ergo & relationes erunt realiter distinctæ.

18 Dicimus quarto, Relationes communes multiplicari in vnaquaque persona: Multiplicatio autem erit talis, vt duæ sint in Patre, duæ in Filio: duæ in Spiritu sancto: in Patre quidem est relatio identitatis, æqualitatis, & similitudinis ad Filium, & ad Spiritum sanctum: In Filio erit eadem duplex ad Patrem, & Spiritum sanctum: atque in Spiritu sancto erit duplex alia in ordine ad Filium, & ad Patrem; vnaquæque enim Persona refertur ad duos terminos: quapropter vnaquæque in seipsa fundabit duplicem relationem. Ita Scot. 1. d 31. lit. L. *Relationes communes multiplicātur in vnaquaq. persona.*

19 Dices, duo accidentia eiusdē speciei non possunt esse simul in eodem subiecto, ergo non possunt geminari duæ relationes æqualitatis, identitatis, & similitudinis in Persona. Respon. accidentia respectiua iam *Accidentia duo, an in eod. subiecto.*

ſam de facto reperiri in ſubiecto eodem, vt duæ paternitates, duæ filiationes, plures dominationes, plures ſuperioritates ad plures ſubditos, ad plures ſeruo, ad plures Filios, ad plures genitores Patrem, & Matrem, in eodē Filio, in eodem Patre, in eodē Domino, in eodem Superiori. Aliter dicendē de accidentibus abſolutis.

Forma eiuſdem ratio. an poſſit multiplicari, ſine materia.

20 Contra, forma eiuſdem rationis non poteſt multiplicari ſine materia: æqualitas eſt eiuſdem rationis in perſonis, ergo non multiplicabitur, cum non ſit ibi materia. Reſpo. abſolute maiorem eſſe falſam; vt patebit in materia de Angelis, vbi ſpecies Angelica multiplicatur in ſuppoſitis ſine materia. Reſpondemus inſuper, ſufficere ad multiplicationem relationum communium, multiplicationē ſuppoſitorū perſonaliū, quibus multiplicatis multiplicantur ęqualitates, identitates, ſimilitudines.

Super vnico fundamento plures relationes.

21 Demum pro complemento, Non mirum, ſi ſuper vnico fundamento non multiplicato, ſundemus relationes plures communes, quoniam Eſſentia non multiplicata, eſt fundamentum, & radix multarum relationum originis: ergo eſſe poterit ſundamentum plurium relationum communium. Cauſa, & ratio huius (vltra hucuſque dicta) eſt eius infinitas: qua mediante ſicut eſt vna in pluribus ſuppoſitis, ita eſt vnum ſundamentum plurium relationum communium. Et in creaturis vnius Domini, vnius Patris, vnius Superioris, vnius conſanguinei, eſt fundamentalis ratio fundandi reſpectus plures ad plures ſeruos, plures Filios, pluresque ſubditos, amicos, conſanguineos, &c.

ARTIC. V.

Occurritur argumētis articuli primi.

Perſonę vnde conueniunt, & diſtinguuntur.

1 AD primum negatur conſeq. nam perſonæ, licet ſint idē eſſentialiter, diſtinguuntur tamen realiter, ex qua tamen diſtinctione reali euenit, vt non dicatur idem referri ad ſeipſum: ſi namque non diſtinguerentur realiter, remaneret intentum non poſſe inuicem intercedere relationem realem: vt plurimū namque eiuſdem ad ſeipſum eſt relatio, & diſtinctio rationis. Conueniunt ergo ratione magnitudinis & Eſſentiæ, & ſecundum hanc non referuntur realiter; diſtinguuntur tamen ratione perſonarum, & ſecundū hanc referuntur realiter.

Relatio idētitatis, an realis, an rationis.

2 Ad ſecundum negatur antecedens loquendo vniuerſaliter, niſi ſermo ſit de idētitate numerali eiuſdem ad ſeipſum. Et quidem identitas generica, qua homo cōuenit cū Leone: & ſpecifica qua Petrus conuenit, cum Ioanne, non eſt rationis, ſed realis: vere enim Leo, & homo eſt animal: Petrus, & Ioannes Homo: ac de vtriſq; à parte rei prædicatur vniuoce homo, & animal: igitur falſa ꝓpoſitio vniuerſim tēta. Habet tamen locum in identitate numerali ſui ad ſeipſum, Petrus namqe eſt idem numerice; tum ſecundum numericam naturam; tum ſecūdum numericum ſuppoſitum ad ſeipſum, quo fit, vt nō diſtinguatur realiter, ſed ratione à ſe ipſo: qualis vero eſt diſtinctio, talis erit relatio, at diſtinctio à ſeipſo eſt rationis, ergo relatio erit rationis. Leo vero ab homine, & Petrus à Ioanne diſtinguuntur realiter, & conueniunt in genere, & ſpecie, reddendo ſingula ſingulis, quo ſit, vt relatio diſtinctionis ſit realis: ſit etiam, vt relatio identitatis ſit realis: In diuinis autem, licet perſonæ vnā habeant naturam, quia tamen ſunt diſtinctæ perſonæ, hinc ſit vt identitas non ſit prorſus relatio rationis; ſequeretur id namque, ſi perſona nō diſtingueretur à perſona ſicut natura non diſtinguitur in perſonis: at quia ſtat vera vnitas naturæ, hinc erit vera identitatis relatio, non autem rationis, quia non ſunt prorſus idem inuicem perſonæ. ſicut Ioannes eſt prorſus idem ſibi, ſecundum naturam, & perſonam, ob quod idētitas eius ad ſeipſum eſt relatio ſolius rationis.

3 Ad tertium, est realis tum ratione Essentiæ, seu magnitudinis, tū ratione personæ: patet ex dictis artic. præced. Cum ais, Essentiam esse vnā, id non obstat ex dictis; sufficit namque personas non esse vnam, sed plures personas, easque realiter distinctas: vnde non sequitur idem realiter referri ad seipsum, etenim persona relata ad personam distinguitur à persona: non enim Essentia est, quę refertur, sed persona: stante autem identitate essentiali, stat distinctio personalis, ob quā persona refertur ad personam. Ad id, quod relationes hæ fundarentur super relationibus originis patebit ad septimum. Et ad id de duobus accidentibus eiusdem rationis, patet esse falsum; siquidem relationes communes sunt à relationibus originis distinctæ, vt præc. art. & alterius rationis. Ad illud autem, duo accidentia non posse esse in eodem subiecto patuit præced. ar. n. 19.

Relatio est ratio referendi, non Essentia.

4 Ad quartum, vtique Essentia non est ratio referendi relationes originis, siue non est ratio referendi personas per relationes originis, est quidem fundamentum, ex quo emanant origines: at personæ referuntur formaliter oppositione relatiua per origines: est tamē Essentia bene fundamentum cum sua magnitudine, vt referantur personæ relationib. communibus: hæ namque fundantur immediate super vnitate Essentiæ, magnitudinis, & perfectionis: relationes vero originis vltra Essentiam, quæ est fundamentum omniū radicale, habent insuper potentiam generandi, & spirandi, intellectum, & voluntatem, memoriam fœcundam, ac voluntatem fæcundam, in quibus amplius fundentur: at hæc proxima fundamenta non sunt causa relationis communis, licet ea præsupponant, vt dicemus.

Relationes quænam multiplicātur.

5 Ad quintum, loquendo de relationibus originis, istæ non sunt amplius quam quatuor; quia hæ sūt personales: & de his loquuntur Concilia, Patres, & concorditer Theologi: Cæterum, loquendo de alijs, eæ multiplicari possunt, ait Scot. tum art. præced. tum quæst. præced. multiplicatio vero fienda erit ad numerum, & metam perfectionum, atque attributorum, non in infinitum.

Magnitudo, infinitas, & virtus qualiter transit in Essentiā.

6 Ad sextam ex quæst. præced. patet, transire magnitudinem realiter, & identice, non formaliter, ac modaliter: quo fit, vt prout sic remanens distincta possit esse fundamentum æqualitatis. Respondetur insuper hoc nil obstare, etenim cum vnitate magnitudinis stat pluralitas personarum æqualium; sufficit namque stante vnitate fundamenti multiplicari extrema.

Relatio fūdatur super relatione.

7 Ad septimum nulla implicantia, relationem fundari supra relationem; etenim proportionalitas est relatio similitudinis, & tamen fundatur super duobus proportionibus ex Euclid. 5 Geometr. vt demonstrat Scot. in 4. d. 6 quæst. 10. & quodlib. 6 sicut enim se habent duo ad quatuor, ita quatuor ad octo: quæ relatio vocatur proportionalitas, itaut proportionalitas fundetur super duabus proportionibus, est enim inter duo ad quatuor, quatuor ad octo proportio dupla: inter duas quoque paternitates, inter duas dominationes, inter duas filiationes, & huiusmodi, reperitur similitudo, quę pro fundamēto habet duas paternitates, duas dominationes, duas filiationes. Hoc dictū sit gratia doctrinæ, ostēdēdo falsitatē assumpti. Cæterū respōdendo ad argumentum, supponit relationes communes fundari super relationibus originis, nequaquam; fundantur vero super magnitudine, atque vnitate perfectionis, & Essentiæ: verum est tamen eas præexigere origines, siue personas constitutas; quia relationes communes non constituunt personas, sed insurgunt in eis post constitutionē earū, præsupposito tamē fundamēto Essentiæ, ex qua emanant. Scot. quodlib. cit. sub dupl. H.

Aequalitas est ratio cōmēsurationis. Declar.

8 Ad octauum, concesso æqualitatem esse rationem commensurationis, saltem, perfectionalis, de hac enim modo loquimur, at non est necesse fundamentum huius commēsurationis multiplicari: bene id euenit in creaturis, vbi vna quantitas non est in duobus suppositis: at indiui-

diuinis vna, & eadem sufficit magnitudo sicut vna sufficit Essētia, ad multiplicādas relationes: sicut nāq; vna Essentia sufficit, nec multiplicatur multiplicatis personis, ita vna magnitudo, nec multiplicabitur, multiplicatis æqualitatibus, & personis.

9 Ad confirmationem, petit principiū, nam de eo contendimus: esset ergo alter alteri similis non eadem numerica, sed distincta numero similitudine, reddita vnicuique sua propria similitudine.

Aequalitas conuenit secundū substantiam: declar.

10 Ad nonum, concludit substantiam, essentiamque esse vnam, sicut vna quoque est magnitudo: at non infert æqualitatem esse vnam: Cum ais, æqualitas conuenit secundum substantiam: ly *secundum*, stat fundamentaliter: & loquendo de fundamento æqualitatis, vtique est vnum: at non valet inferre, ergo æqualitas est vna, quia super fundamento vno fundantur relationes plures, vt super Domino vno, relatio ad plures seruos: super Patre vno relatio ad plures Filios: loquendo ergo de ratione fundamentali æqualitatis, vtique est vna: loquendo autem de ratione formali referendi secundum æqualitatem, non est vna, sed plures.

Rationes referendi fundamētales, & formales.

11 Ad vltimum, fundamenta quidem sunt rationes primariæ, sed solummodo fundamentales, & virtua es referendi: at rationes formales sunt ipsæ æqualitates, similitudines & identitates: non enim duæ albedines sunt rationes formales, sed fundamentales similitudinis: & Franciscus est Petro similis, & æqualis, similitudine, atq; æqualitate formaliter, quia sunt respectus: quantitas tamen, & qualitas non erunt rationes formales, quoniam absolutum non est ratio referendi respectiua formaliter, per respectum namque referimur formaliter, per quantitatem, & qualitatem fundamentaliter, & virtualiter. Ad id de duab. albedinibus, quod sint similes, dicendum, quod sunt potius rationes fundādi similitudines in extremis albis, quam ipsæ sint inuicem similes: etenim ad hoc multiplicātur in subiectis albedines non, vt ipsæ fiant similes, sed vt per eas alia fiant similia: sunt vero albedines similes, fundamentaliter: sunt etiam similes in obliquo, quia competit extremis, vt sint in recto similia: cæterum in rigore non dicimus, *albedines similes*, nisi large, sed, *duo alba similia*.

Duæ albedines an, & quomodo similes.

Fundamenta debent primo distingui; declar.

12 Ad id de fundamentis, dicēdum fundamenta esse quidem rationem primariam fundamentalem, & virtualem similitudinis. Cum ais, ea debere primo distingui, id non est necesse absolute, sed locum habet solummodo in rebus creatis, vbi vna substātia, vna virtus, vna qualitas est in vno, nō in tribus, quapropter merito distinguuntur, ac multiplicantur, tum extrema, tum fundamenta: at in diuinis reperitur vna numero Essentia, virtus, & perfectio in tribus, indeque fit, vt non sit necesse distingui, & multiplicari fundamenta. Ex quo concludimus per accidens esse ad relationem realem multiplicari fundamenta, vt probauimus.

Ad Magist.

13 Ad Magistrum, sensus esse poterit, eum negasse esse reales eo modo, quo reales sunt relationes originis, quia hæ sunt constitutiuæ, illæ non sunt: quapropter dum non constituunt, differunt admodum ab hoc modo essendi reales.

ARTIC. VI.

Errores plures hæreticorū, circa æqualitatem personarum confutantur.

1 Circa Personarum æqualitatē, & similitudinem plurimi irrepserūt errores. Et quidem Arrius, Eunomius, pluresque, negabant Filiū esse Patri coæqualem: imò, & negabāt esse similem. Refert autem Theodoretus lib. 4. Fabular. hæretic. Eunomi-

nomium, & Aetiũ adauxisse blasphemiam Arij negantis æqualitatem, dũ aiebant illi, *Filium esse in omnibus dissimilem Patri*. Anomæi fatebantur quoque Filium esse dissimilem Patri, tanquam creaturam: penes Epiph. hæres.76. Semiariani negabant Filio æqualitatem, concedebant tamen cum Patre similitudinem: de quibus

Hæreses de Filio. Nazianzenus orat.29. ait, *sublato Homoresion, idest, vnius substantiæ vocabulo, similitudinem Genitoris posuerũt.* Vnde hi dicebãt Filium esse *Essẽtiam similem, non autem coessentialem.* Origenes in Ioan. tom. 13. vt refertur in eius vita, præmissa ipsius operibus cap.6. tit. de Spiritu sancto, inquiebat, *Patrem tanto superiorem esse Filio, ac Spiritu sancto, quanto hi superiores sũt Creaturis.* Valentinus asserebat, *Patrem esse eminentiorem personis cæteris*, quapropter Patrem appellabat *Essentiatorem*, Filium vero, & Spiritum sanctum, *Essentiatos*, apud Bellarmin. de Christo lib.1.cap.2. De eo etiam Genebrardus lib.2 de Trin. inquit dixisse, *Patrem solum esse immensæ substantiæ, Filium vero circumscriptibilem.* Clichthouæus in. er Damasc. lib.1. c. 11. aiebat, *Patrem esse principaliorem, ac perfectiorem cæteris personis, proptereaque personas esse inæquales perfectione relatiuè, licet ratione Essentiæ sint æquales.* Demum alio extremo laborabant aliqui, dicẽtes adeo Filium esse Patri similem, vt Pater, & Filius sint vna, eademque persona.

Idem. 2 De eodem Filio, referente Epiphanio hæres.71. aiebant Valentiniani, *Alium esse Vnigenitum, iuxta productionem, quem sane, & principiũ vocant; & alium Saluatorem, & alium Verbum Filium Vnigeniti, & alium Christum.* De Arianis refert Athanas. orat.5. cõtra Arianos, *Quidã ex discipulis Samosatensis, diuidẽtes Verbum à Filio, dicũt Filiũ quidem esse Christũ, Verbum autem alium.* Referẽte Theodoreto hæretic. fabular. lib.2. cap. penult. Marcellus quidam negauit Trinitatem personarum, dicebatque, *Extensionem quandam Diuinitatis venisse ad Christum, & eam vocabat Verbum*: & de Spiritu sancto aiebant, *Extensionem eiusdem diuinitatis venisse ad Apostolos, eamque appellabat Spiritum sanctum.* Porphyrius Gentilis negabat Verbum, eo quod *Nec sit pronunciatiuum, nec mentale.* Refert Theophylactus super Ioannis 1. Hinc vero *Alogiani*, sic vocati, quoniam negabãt Verbum, idem enim importat *Alogianus*, ac sine Verbo: propter quod respuebant Euangelium Ioannis agentis de Verbo, ne cogerentur, & ipsi fateri Verbũ: quos etiam refert Augustinus lib. de hæresibus hæres.30. Michael Seruetus Verbum aiebat esse, *Dispositionem, qua placitum est ei, arcanum voluntatis suæ nobis reuelare.* Quem sequitur Blandrata, Franciscus Dauidis, pluresque Transiluani, apud Bellarm. de Christo to.1. lib.1. cap.6. Nestoriani Verbum dicebant esse distinctum à persona Christi: Ex quibus Theodorus Mopsuest. inquiebat, *Talem factam fuisse vnionem Verbi ad Christum, qualem Apostolus dicit de Viro, & muliere, Ephes. 5. Erunt duo in carne vna.* Arius duo verba apponebat, alterum in Deo, alterum extra Deum: illud erat sapientia existens in Deo, hoc vero extraneum à substãtia Dei, & propterea aiebat esse creaturam: Dũ vero Ioan. c.1. loquitur de Verbo loqtur de Verbo extraneo à Deo: refert Athan. Epi. de senten. Dionys. Eunomius penes Cyrillum lib. 7. Thesaur. cap 4. & lib.1. in Ioann. cap. 4. de Verbo ait, *Verbum à scripturis dicitur, non quia ex Patre, secundum naturam sit, aut quia ipse Filius sit intrinsecum, atque insitum Patri Verbum, sed quia Patris Verbum audiens nobis enunciat, sicut sanctificatio dicitur, quia sanctificat.* Hæc, & plura spartim de inæqualitate Verbi, fere toto tractatu de Trinitate.

3 De Spiritu autem sancto, Saducæi omnino negabãt esse Spiritum sanctum, negabant enim omnem spiritum, siue creatum, siue increatum, Actor. 23. ergo consequenter negabant Spiritum sanctum: Macedonius, Spiritum sanctum esse aiebat, Ministrum Patris, & Filij, & propterea esse creaturam, vt ex Basilio epist.78. Augustin. hæres.52. Ariani negabant,

qui-

quidem diuinitatem Spiritus sancti, Macedoniani vero appellati sũt Pneumatomachi, idest, impugnatores Spiritus sancti. Airani, quorum Dux fuit quidam Airas, docebant, Spiritum sanctum esse inferiorem, tum substãtia, tum dignitate, & honore, Patre, & Filio, refert Nicephorus lib. 11. hist. trip. c. 30. Petrus Abailardus inquiebat esse Animam mundi, non tamen consubstantialem Patri, & Filio, & refert Bernard. epistol. 190. Apollinaris abnegans æqualitatem, dixit, *Patrem esse maximum; Spiritum sanctum magnum; Filium vero maiorem.* De quo Theodor. lib. 4. hæret. Fabul. Cum Arianis asserentibus esse creaturã, & creatum à Filio, conueniebant hæretici quidam dicti *Abstinẽtes*, sic autem dicebantur, quia non comedebant cum hominibus, apud Philastr. hæres. 38. Valentinus aiebat esse quendam Angelum, refert Athanas. epistol. ad Serap. Helchesaitæ fabulabantur Spiritum sanctum esse sororem Christi, fæmineo habitu incedentem: cuius statura corporis sit altitudine sex milliarium, latitudinem vero quatuor milliarium, & hoc idem asserebant de Christo: apud Epiphan. hæres. 53. Montanus delirat, se esse Spiritum sanctum, & Paracletum; quem imitatus Matthias Steimbach, dixit se etiã esse Spiritum sanctum, refert Cocc. l. 1. de Trini. art. 6. & Zuuing. cap. de Heret. Eunomius, & Aetius diuinitatem Spiritui sancto abnegantes, honorare nihilominus intendebant eũ, dicentes, quod licet sit creatura, est tamen, ante creaturas omnes à Filio conditus, refert Theodoret. lib. 4 hæret. Fab. insuper idem Eunomius addidit, esse ita facturam Filij, vt nullatenus ad eum creandum concurrerit Pater, refert Basil. lib. 2. contra Eunom. De Origene quid senserit, alibi diximus. Concludamus vero cum Boetio, is namque lib. de Trinit. scribit, *Eos differentia comitatur, qui vel augent, vel minuunt, vt Ariani, qui gradibus numerorum Trinitatẽ variãtes distrahunt, atque in pluralitatem deducunt.*

Hæreses prædictæ impugnantur 5 Aduersus autem prædictas hæreses pugnant Patres citati referentes hæreticorum deliria. Clara autẽ, & famosa est sententia illa Fulgentij de fide ad Petrum cap. 1. inquiens, *Nemo alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate, quia nec Filio, nec Spiritu sancto, quantum ad natura diuina vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior Pater est: nec Filij æternitas, atque immensitas velut anterior, aut maior, Spiritus sancti immensitatem, æternitatemq; aut præcedere, aut excedere naturaliter potest.* Aug. lib. 3. contra Maximinum c. 7. *Deus Pater æqualem sibi gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit; si nõ potuit, infirmus; si noluit inuidus.* Ita argumentatur sanctissimus Doctor ad ostendendam æqualitatem. Et rursus cap. 15. subdit, *Deus ergo cur non æqualem genuit Filium, cui nec anni necessarij fuerunt, nec omnipotentia defuit.* Arguit Augustinus quærendo cur non genuit æqualẽ? forte quia adhuc non erat aptæ, & cõuenientis ætatis ad generãdum, sicuti in hominibus paruulis euenit, vel ratione impubertatis, vel ineptæ annorum ætatis? nequaquam hoc, non enim annorum, ætatibus subiacet, qui fuit ab æterno, de quo, & Ioannes, *Antiquus dierum sedit*; vel forte quia impotens fuerit, veluti sæpe hominibus contingit non generare ob impotentiam? Nec hoc quia est omnipotens. Consonat ad hæc Basilius, qui lib. 4. contra Euno. ita scribit, *Si genitus minor est eo, qui genuit, non est culpa geniti, sed Genitoris imbecillitas.* Ergo imbecillem faciunt Patrem, (alioqui omnipotentem) ii, qui negant potuisse generare Filium æqualem. Idemq; Aug. lib. 83. qq. q. 50. ait, *Deus quem genuit, quoniã meliorem sẽ generare non potuit (nihil enim Deo melius) generare debuit æqualem: si enim voluit, & non potuit, infirmus, est: si potuit & non voluit, inuidus est; ex quo conficitur, æqualem genuisse Filium.* Hilarius l. 9. de Trin. *Filius tantus, quantus est Pater* Athanasius in symb. *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.*

4 Ioannes insuper æqualitatem testatur cap. 5. inquiens, *Quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum*

solue-

soluebat Sabbatum, sed etiam Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciēs Deo. Quo in loco Chrisostomus homil. 39. inquit, *Si aliter sensisset Dominus, & Iudæi sic perperā intellexissent, falsam eorūdem correxisset opinionem neque Euangelista id silentio, premendum duxisset.* Eundem sensum reddūt Cyrillus lib. 2. in Ioann. cap. 134. Hilar. lib. 7. de Trin. Athanas. orat. 3. contra Arian. Augustinus tract. 17. in Ioann. Basilius homil. 28. contra Sabellianos.

5 Paulus ad Philipp. 2. de Christo ait, *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Quem locum Augustinus exponens lib. 2. contra Maximin. cap. 5. ait, *Natura quippe fuerat illi æqualitas, non rapina.* Sensus Pauli est, Christum nequaquam furatum fuisse Patri æqualitatem, *Fur namque est possessor rei alienæ inuito Domino*: at Filio Dei competit ex natura esse Patri coæqualem: nec eam possidet inuito Patre, immò Pater Essentiam, diuinam sibi ex debito communicat, quia *de iure* debetur ei, cum Filius sit de iure Deus. Franciscus Dauidis existimat æqualitatem fuisse à Patre libere communicatam Filio. At contra arguitur, primo, quia generatio Filij est naturalis, cūque procedat per modum intellectus, & generatio sit opus naturæ, vtiq; naturaliter, nō libere communicatur natura, & consequēter æqualitas. Secūdo, quoniam dictum iam fuit generationis diuinæ principium non esse voluntatem, quæ quamuis concurrat complacenter, non tamen concurrit sub ratione principij eliciuui, de quo infra lib. 3. disp. 2. quæst. 9. Maximinus penes Augustinum lib. 2. aduersus Maximinum cap. 5. Erasmus supra 2. ad Philippens. & Anomæus quidam penes Athanasium Dialogo 1. de Trinit. inquiunt, sensum verborum Apostoli esse, nequaquam Christum sibi adscribere intendisse Patris æqualitatem, ne rapinam faceret, eam attribuendo sibi. At contra eum est, tam Augustinus citatus, inquiens, *Natura quippe fuerat illi æqualitas, non rapina*, tum cæteri Patres idipsum sentientes, præsertim Basilius homil. 28. contra Sabellianos. Item id patet ex ore eiusdem Christi apud Ioannem recensitum. Et præterea ex antecedentibus verbis eiusdem Pauli constat, aiebat namq; *Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est, &c.* per formam autem intelligitur, tum penes philosophos, tum penes Theologos, Essentia rei, nam *forma dat esse rei.* In terminis vero Chrysostomus homil. 2. supra 1. ad Hebr. ita loquitur, *forma declarat Essentiam, aut Essentiam simul, & similitudinem.* Basil. 5. contra Eunom. *Filius forma Dei semper existens, & imago Dei naturalis.* Atque Tertullianus lib. 5. contra Marcion. cap. 20. *In effigie Dei constitutus, non rapinam arbitratus est, &c.* Sic alij Patres.

6 Augustinus quoque æqualitatem aliunde confirmat, nam lib. 8. de Trin. in princip. ait, *Tantam esse æqualitatem in Trinitate, vt non solum Pater non sit maior Filio, quod attinet ad diuinitatē, sed nec Pater, et Filius simul maius aliquid sūt quā Spiritus sanctus, aut singula quæque persona qualibet trium, minus aliquid sit, quam ipsa Trinitas.* Ac Bernar. ep. 190. ad Innocent. *Totū est Pater, quod Pater & Filius, & Spiritus sanctus: Totum Filius, quod ipse, & Pater, & Spiritus sanctus: Totum Spiritus sanctus, quod ipse & Pater, & Filius; & totum, vnum, est totum, nec superabundans in tribus. nec imminutum in singulis; nec enim verum, summumque bonum, quod sunt, inter sè particulariter diuidunt, quod nec participaliter possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt.*

7 Accedit Concilium Toletanū sextum, in professione fidei. *In hac Trinitate tāta est vnitas substantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat.* & Toletanum 11. *Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet, cum vnaquaque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum tota tres personæ vnus Deus enunciantur.*

8 Singulariter vero pro Filio adest ratio deducta ex humanis, quod namque Filius in humanis non sit per omnia æqualis Patri, atque similis, id pro-

prouenit ex imperfectione virtutis generatiuæ, talis vero imperfectio nō reperitur in vi generatiua æterni Patris. Ratio hæc est Hilarij lib. de Synodis, ait enim, *Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus initium, tolle dolores, & omnem humanam necessitatem, omnis Filius secundum naturalem natiuitatem æqualis Patri est, quia est similitudo naturæ.*

ARTIC. VII.

Respondetur argumentis hæreticorum contra æqualitatem Filij.

1 AD destruendam æqualitatem Filij cum Patre varia Ariani effutiere: & primo aiebant Filium esse creaturam à Patre, ante omnia creatū: secundo creationē cæterarum rerū, Patrem demandasse Filio; tāquā inferiori, & tāquam personæ minoris dignitatis, & architectationis, quādoquidē ipsæ creaturæ nō poterant participes esse celsitudinis, & dignitatis Patris. Et tertio de Spiritu sācto aiebant, ipsum quoque esse creaturam, sed ante creaturas cæteras à Filio fabricatam, Refert Athanas. orat. 3. cōtra Arianos, inquiens, *Deum volētem creatitiam naturam producere, cum vidisset eam puritatis suæ, & architectationis participem esse non posse, condidit primus, & fecit vnus vnum, eumque appellauit suum Filium, et Verbū, vt eo condito, reliqua per eum condi possent.*

2 Mouebantur in primis ex loco Prou. 8. vbi diuina sapientia sic de seipsa loquitur, *Dominus creauit me principiū viæ suæ ad opera sua* Ve, *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua*, vt septuaginta Interpretes legunt vice lectionis Vulgatę dicentis *Dominus possedit me, &c.* Item Eccles. 24. *Ab initio, & ante secula creata sum.* Indeque, *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; & c. 1. *Prior omnium creata est sapientia*; ac infra, *Ipse creauit illam in Spiritu sancto, & effudit illam super omnia opera sua.*

3 Rursus ex modo loquendi, quo dicitur habere esse Filius Dei, dicitur nāq; ad Hebr. 3. *Considerate Apostolū, & Pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Verbum autem *facere* idem est, ac creare, siue terminatur ad creaturam, quia creatura est, quæ habet esse per factionē, sicut, & Act. 2. *Sciat omnis domus Israel, quia Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum.*

4 Insuper Filius dicitur subiectus esse Patri ergo inferior, ergo nō æqualis Patri: antecedens probatur ex Apostol. 1. Corint. 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.*

5 Præcipit Pater Filio, at par in parem non habet imperium, non ergo æqualis: probatur assumptum Io. 10. *Hoc mādatum accepi, à Patrē meo*; & 12. *Sicut ego Patris mei præcepta seruaui, &c.* 14 *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, Item 12. *Qui misit me, mandatum mihi dedit, quid dicam, aut quid loquar*, 6. *Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*. & 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei.* Paulus ad Philip. 2. *Factus obediens, vsque ad mortem.* Rom. 5. *Per vnius obeditionem iusti constituentur multi*, & ps. 39. *In capite libri scriptum est de mē, vt facerem volūtatem tuam.*

6 Ex responsione data à Christo Domino matri filiorum Zebedei petenti pro filijs dexterām, & sinistram, arguunt inæqualitatem: dicenti namque, *Dic vt hi duo Filij mei sedeant vnus ad dexteram, & alter ad sinistrā*, respondit *Sedere autem ad dexteram, meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Matt. 20. ergo est inæqualis Patri, si enim æqualis esset potentiæ, cū

Patre

Patre, iam, & ipse potuisset conferre dexteram, vel sinistram, vt Pater.

7 Præterea Matt. 24. fatetur de seipso Christus se ignorare diem Iudicij, ergo scientia eius non est æqualis sciētiæ Patris; ait enim interrogantibus discipulis, *Domine quando hæc erunt?* ait, inquam, *De die autē illa, & hora nemo scit, neque Angeli Cælorum, nisi solus Pater*. & Marc. 13. *Neque Filius, nisi Pater*.

8 Item sortitur, quandoque nomen *Ministri*, vt Eccles. 24. *In habitatione sancta coram ipso ministraui*. Et confirmatur ex Clemente constitut. Apostol. lib. 8. cap. 17. ait, *Vnigenitus Filius tuus Deus Iesus Christus in omnibus ministrauit tibi Deo ipsius, & Patri in vario opificio creaturarum* & cap. 12. *Tibi Deo suo, & Patri per omnia inseruiens, tum in varia creatione rerum, &c.* Quod si Filius ministrat, & inseruit Patri, minor est Patre. Et hinc Eunomius aiebat, *Vnigenitus quoniam à solo natus, & creatus, perfectissimus factus est minister*; Idēque habet Valentinus Gentilis Proth. 24. & Melanchthon lib. contra Stāncharum, appellans Filium *Patris ministrum*.

9 Accedit, quod, Clemens Alex. orat. ad Gent. Filium appellat *Instrumētum*, atque *Verbum esse instrumētum concinnum aptum, & sanctum*.

10 Eunomius penes Basil. lib. contra Eunom. ita arguit, Filius nec est quantus, nec qualis, ergo nec erit æqualis, nec similis Patri. Antecedens probat, quia in diuinis, nec est quantitas, nec qualitas, quæ sunt fundamenta æqualitatis, & similitudinis.

11 Aetius appellat Patrem *primum*: Filium *secundum*, Spiritum sanctum *tertium*: idque, ait, est sensus etiā Patrum, & Theologorum, ergo alter altero maior, quia primus, vt Pater, erit maior secundo, vt Filio: & Filius maior Spiritu sancto, tāquam tertio.

Creare facere possidere, quid in scripturis significet.

12 Ad primum, desumptum ex Verbo *creauit*, siue *creata sum* respondetur, idem importare ibi *creare*: ac *generare*, quo fit, vt Filius, qui est sapientia Patris, fuerit ab æterno generatus: vsurpat enim scriptura vnum pro altero: sic Cyrillus lib. 5. Thes. cap. 6. inquiens: *In vnum, genuit, & creauit, verba, sensum reducuntur, indifferenter vtique verbis nonnunquam vti scripturam, &c.* In terminis vero difficultatem solués Athanasius orat. 3. contra Arianos ait, *Ne igitur ex verbis controuersias captent, si sancti alicubi pro vocabulo gignere, creare subijciunt, cū in istiusmodi locis significatio non variet. Non enim dictiones naturā perimunt, sed potius natura dictiones ad sè trahit, & cōmutat.* Cōfirmat Hilarius lib. de Synod. inquiens, *Indemutabilem Patris naturam in creatione significat, & legitimam, ac propriam ex Deo Patre genitæ naturæ sua ostendit esse substantiam; atque ita perfectæ natiuitatis intelligentiam, creationis, & generationis attulit sermo, cum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est.* In Deuteronomio quoque adiungitur generatio cum creatione c. 32. *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Euaristus Papa epist. 1. ad Episcopos Aphr. vbi vulgata habet, *Qui creauit me requieuit, &c.* ipse legit, *Qui genuit me requieuit, &c.* Vt æternam Filij probet generationem. Nazianz. ora. 36. *Sapientia secundum inferiorem generationem creata, secundum autem primam illam incomprehensibilem, genita dicatur.* Et ad illud, quod *ipsam creauit de Spiritu sancto, & effudit illam, &c.* De Sapientiæ quoque dono intelligendum venit, quod creaturis infunditur à Spiritu sancto.

13 Consimiliter Verbum *possedit*, vt vulgata habet, significat generationem: simile habemus in creaturis, etenim Gen. 4. Eua dixit, *possedi hominem per Deum*, hæc autem verba protulit, dum genuit Cain. Item Deuteron. 32. Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit *te?*

14 Ad illud de *facere*, siue *factum* intelligitur de Christi humanitate, ita Athana. in compend. de Spirit. sanct. inquiens, *Eum creatum esse dicamus, quatenus homo sit factus.* Sic quoque Nyssenus lib. de fide ad Simplic. *Quemadmodum cum Verbum sit, propter nos caro factum est: & Deus cum sit, homo factus*

factus est; ita Creator cum sit, propter nos creatura factus est, quippe qui, cum caro res creata sit. Quemadmodum igitur per Prophetam dixit, sic, dicit Dominus, qui formauit me ex ventre seruum suum, ita etiam dixit illud per Salomonem, Dominus creauit me principium viarum suarũ ad opera sua. Ergo *factum, formatum*, sicut, & *creatum* refertur ad humanitatem. Obstabis, quia textus ait, *Ab initio, & ante secula*, at Verbnm non assumpsit ab æterno humanitatem, ergo non intelligitur de humanitate. Confirmatur, quia ait ipsam esse *initium viarũ Domini, primogenitam*, & *ante omnem creaturam*, at humanitas assumpta fuit multa post tempora. Respond. sistendo in hac interpretatione, appellari *primam*, & *principium viarum*, seu *ante omnia, &c.* primitate perfectionis, non temporis; etenim vnita fuit Verbo Diuino humanitas hęc, ob quod excellit, eminetque supra cunctas creaturas. Dnm vero *ante secula*, & ab *æterno* dicitur, id refertur ad æternum Incarnationis decretũ, itaut ab æterno fuerit, ordine quidẽ *intentionis*, licet in tempore, ordine *Executionis*. A primo autẽ ad vltimũ, verbũ *fecit* refertur ad Incarnationem: atque ob id dicitur, & *Homo factus est*, sicque currunt loca recensita in argumento: ad illud de cælis, *Excelsior cælis factus*, ostenditur per id, exaltatio eiusdem Christi, de quo Ephes. 4. *Ascendit super omnes cælos.*

Subiectio, quid importet.

15 Ad illud de *subiectione*, Alii referunt ad humanitatem, vt secundum eã dicatur subiectus, & propterea inferior Patre: & sic loquitur Athanas. in symb. *Æqualis Patri, secundum diuinitatem, minor Patre, secundum humanitatem.* Sic Basil. epist. 141. ad Cæsarian. Synodns Alexandr. epist. ad Cyrill. itemque Athanas. inquiens, *Subijcitur pro nobis suo Patri non natura Deitatis, sed forma seruilis*. Seruilis autem forma est humanitas, iuxta Paulum, *formam serui accipiens, & habitu inuentus, vt homo*. Ambrosius autem aliter explicat, 1. Corin. 15. inquiens, *Christus propter vnicam authoritatem Patris, Deum quidem se ostendit, sed de Deo, vt vnius principij sublimis, ineffabilis authoritas maneat; hoc est subijcere se Filium Patri.* Verũ quia oriri posset difficultas, quia esset inferior Patre in ipsamet Deitate, hinc Cyrillus Alexandr. lib. 10. Thesauri cap. 8. occurrens ait, *Subiectio non minorem Filium ostendit, sed identitatem Trinitatis demonstrat incommutabilem, quæ nunquam aliter se habebit, sed erit etiam in illo sæculo Pater per Filium omnia in omnibus.* Accedit Hilarius lib. de Synodis, *Vt sit Patri, & obsequio subiectus, & nomine: ita tamen, vt subiectio nominis proprietatem naturalis, atque indifferentis testetur Essentiæ.* Idẽ vero Hilarius cap. 27. differentiã apponit inter subiectionem Filii ad Patrem, & subiectionem creatnrarum ad Deum, ait namque, *subiectio Filij, naturæ proprietas est: subiectio autem cæterorum, creationis infirmitas est.* Ex quo sequitur, vt sistendo in diuinitate, subiectio non importet inferioritatem, siue minoritatem naturæ, sed ordinem productionis, & originis, demptis imperfectionibns; seu *authoritatem in Patre ratione principij*, vt loquitur Ambros. ita expressius, Atha. serm. de Deipara. *Pater quatenus, est Author Filij, Filium genitum sub se habet.* Quas imperfectiones, (alioqui repertas in subiectione creaturarum) remonet à Filio Epiph. inquiens. *Neq; iuxta defectum, nec iuxta diminutionem, nec iuxta necessitatem, nec iuxta cessationem, vt ipse desinat, subijcitur Patri, sed velut Filius genuinus Vnigenitus cum Patre regnans semper in vnam vnitatem* Hæres. 69. Nazianz. aliter loquitur, *Nec enim quidquam aliud est Christi subiectio, quã paternæ voluntatis impletio.* Ora. 36. itaut subiectionem referat ad Christum, qui ratione humanitatis, & voluntatis humanæ est inferior Patre, & minor Patre, atque subiectus ipsi Patri: subijcitur ergo secundum humanitatem.

16 Cõsimiliter ad illud de *Mandato, & Præcepto, &c.* In primis exponi solet de Christo, quoad humanitatem, qui, & dicat, *In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* ps. 39. ac Luc. 7. qua

Mandatum quid in Scripturis.

placita sunt ei facio semper, &c. & ita de humanitate intelligit Cyrillus, pluresque alij. Aperte autem id ostendit Christus Dominus Ioannis 6. dum ait, *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Per descensum vero intelligitur *Incarnatio*, iuxta loquutionem Ambrosii. *Ad nostra descendit, &c.* Idem autem Cyrillus hoc ipsum interpretatur de diuinitate, & loquẽs de *Mandato* non appellat *proprie* Mãdatum, sed *quasi* Mandatum, inquit enim, *Nam cum ipse sit viuum, atque subsistens Verbum Patris, necessario quæ sunt à Patre interpretatur, voluntatemque Patris in lucem protrahens, quasi mãdatum inde accepisse ait*, Notat vero Cyrillus esse *quasi mandatum*, quoniam inter patrem, & Filium stat consubstantialitas, & æqualitas, at mandatum proprie est inter superiorem, & inferiorem, inter Dominum, & famulum, ratione inæqualitatis, & vt sic in rigore sumptum mandatum non est in personis ad intra: at quia Filius à patre habet esse, ipsique, appropriatur esse notitiam declaratiuam patris, & est etiam ex Augustino, *Ars Patris*, hinc aliquo, licet improprio modo, Cyrillus appellat mandatum, inquiens, *Quasi mandatum*. confirmatur doctrina ex Anastasio Synaita lib. 1. de Rect. fid. Dogmat. *Dedit ei mandatum, nõ tanquam mancipio seruituti obnoxio, sed tanquam ii, qui secum est, compars naturæ, simulque Deus*. Ac denique Augustinus postquam, mandatum de humanitate exposuerat, exponens etiam de Diuinitate, ait, *Dicitur autẽ mandatum datum, quia non est à seipso, cui dicitur datum.* Tract. 54. in Ioan. quo modo loquendi vtuntur scholastici, quatenus Verbum omnia, quæ habet, habet à Patre, quia Filius non est à se, sed à Patre.

Sedere ad dexteram quid?

16 Ad illud de *Sedere ad dexteram, vel ad sinistram*, Augustin. lib. 1. de Trinit. cap. 12. refert ad humanitatem, inquiens, *Non est meum, idest, non humana potestate ista dò, sed si omnia, quæ habet Pater, mea sunt, & hoc vtique meum est, & cum Patre ista paraui*, Ita quoq; Cyrillus lib. 19. Thesaur. cap. 5. & Ambros. lib. 5. de Fide ad Grat. cap. 2. Vel referendo hoc ad diuinitatem, sẽsus sit, *Non est meum*, idest, gloriam quantumuis conferam simul ego cum patre, vt Augusti. ait, *Hoc vtiq; meum est, & cum Patre ista paraui. Et cũ Spiritu sancto*. quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, tamẽ quia Ego sum à patre, & habeo esse non à me, sed à patre per æternã generationem; hinc hæc etiam, licet Egomet operer, non tamen operor, nec cõfero à mè, sed à patre. Cui quadrat sensus verborum aliorum Christi eiusdem Ioann. 11. *Doctrina mea non est mea*, iuxta consimilem intelligentiam Scholasticorum, & Augusti. Redarguit insuper inde sedes calorum exquirentes causa consanguinitatis, & non meritorum, quin potius ait, *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, et soror est*, ob quod concludit interrogando, *potestis bibere calicem, quem Ego bibiturus sum?* Calicem sufferentiæ, & meritorum, iuxta Cyrillum, & Ambrosium citatos, & iuxta Hieronymum ibi, Chrisostomum homil. 66. in Matt. cæterosque.

De die Iudicij quomodo dicitur Filius Dei nescire.

17 Ad illud de *ignorantia diei Iudicij*. Nõ est sensus, vt nesciat, etenim *in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, inquit Paulus, *sed quod non expediat Apostulis, cæterisque reuelare, adhoc vt incerti de aduentu Iudicij, sic quotidie viuant, quasi eadem die iudicandi; scit ergo Filius sibi, sed non nobis, vt semper solliciti simus*. Ita Glosa ordinaria ad eum locum. Dicit ergo se nescire, nempe *Ad reuelandum*. Dissimulando se nescire: vel *non quidem nescire in seipso, sed in suo corpore mystico, quod est Ecclesia*: Sic Origen. tract. 30. in Matt. Gregor. in Registro lib. 8. q. 42. Chrisost. homil. 78. in Matt. & Augusti. lib. 1. de Trinit. c. 12. Dices, consimiliter argui posse, neque Patrem, neque Spiritum sanctum diem illum scire, etenim nec reuelant aliis, at de Patre fatentur Euãgelistæ, ipseque Filius, ipsum Patrem vere scire. Respon. ex Ioanne 18. Patrem omne judicium dedisse Filio, *Pater omne iudicium dedit Filio*, vnde ipse ex Paulo constitutus est à patre

Iu-

Iudex viuorum, & mortuorum : Ex hoc autem sequitur, vt reuelare aduentum iudicii spectet ad ipsum Filium ex commissione, & legatione Patris: hinc vero fit, vt dum reuelare commissum sit Filio, sicut commissũ est eidem iudicium facere, de Filio quidem dicendum veniat scire, vel ne scire ad reuelandum, etenim tale reuelandi, vel non reuelandi munus Pater commisit Filio. Vel denique adest scholastica, vt superius tradita expositio, Filium quidem nescire nempe *à sè*, quia dum totum, quod habet, habet à Patre, scientiam quoque habendo à Patre, nescire dicitur *à sè*, sed à Patre; & hinc Hilarius, *Filius, & Spiritus sanctus, quia non sunt à sè, de die illa nesciunt à sè* : *Pater autem quia est à sè, scit à sè*. penes Glo. ordin.

Filius ars Patris. 18 Ad id de *Ministrare* sensus est, vt quia Pater quæ cõdidit, sapientissime cõdidit, hinc sapiẽtia diuina sibi dicitur ministrare, nõ tãquam famula, aut serua, sed tanquã ratio, qua Pater ipse cũcta sapiẽtissime gubernat, & regit: sapientia autẽ genita est Filius: ipsiq; appropriate competit, sic agere ad extra, vnde ab Augustino vocatur Ars patris, & psal. 112. *fecit cælos in intellectu*. Hinc sapientiæ 9. dicitur

Ministrare quid. *Est tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ affuit tibi cum faceres orbem terræ, & ipsa nouit quid sit placitum coram oculis tuis.* Hæc autem de sapientia genita, quæ est Filius intelligit Felix 1. epi. ad Ben. Ad hoc spectãt ea omnia, quę ait de sè eadẽ diuina, & genita sapiẽtia Ecc. 24. *Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege, & giro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum : quando appendebat fundamenta terræ, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, cum eo eram cuncta componens, &c.* Ex quibus verbis duo deducuntur, primum, quod pater sapientissime condidit, & administrat Orbem terræ, dum sapiẽtia fatetur sibi ministrasse, nempe *omnia sapienter condidisse*, & secundum, quod ipsamet æterna sapiẽtia operabatur cum Patre, dum ait, *Cum eo eram cuncta componens*. Quod vero sapientia hæc eadem operata sit, & operetur, probatur ex Baruech 3. *Qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam pecudibus, & quadrupedibus; qui emittit lumẽ, et vadit, &c.* indeque subdit, *Hic est Deus noster*; Loquitur vero propheta de sapientia genita, quæ est Filius: quod elicitur ex sequentibus, cum ait, *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Is vero est Filius, qui per Incarnationem apparuit, & cum hominibus conuersatus fuit. Declarat id quoque Ioannes, dum loquens de Verbo ait, *Omnia per ipsum facta sunt*. & Sap. 7. *Omnium artifex sapientia docuit me*: propter quod Augustinus appellat Filium, Artem Patris, *Filius est Ars Patris*. Dices, facilius solueretur omnis modus, fieretque satis Aduersariis, si intelligeremus loca obiecta de humanitate, vt ipsa sit vera ministra Deitatis: At contra obiicitur, si namque ait, *Ab initio, & ante sæcula*, quomodo poterat humanitas ministrare, cum non fuerit ab æterno, nec ante sæcula?

19 Ad illud de *instrumento*, Scolastice loquendo intelligitur iuxta locutionem plurium Scotistarum, virtutem creandi esse, *authoritatiuè* in Patre, & *subauthoritatiue* in Filio. *Instrumentũ esse, quid.* Vel eatenus instrumenti nomen sortitur, quatenus non operatur à sè, sed à Patre, sicut instrumẽtum ab Artifice, tanquam à principali agente. Theophilactus autem in Ioann. 1. negat Filium se habere veluti *instrumentum*. Cyrillus ait, *Non puto posse aliquos ita insanire, vt audeant dicere, Deum verum organis, atque instrumẽtis aliquibus operationes suas ad extra mittere*. lib. 13. thes. cap. 1. & Damasc. lib. 4. de fid. Orthod. cap. 19 *Non veluti per instrumentum, aut seruum, sed vt per substantialem, & hypostaticam eius Verbum, & sapientiam, & virtutem, propterea quod in Patre, & Filio vna completur motio, &c.*

20 Ad illud de Eunomio, de quantitate, & qualitate, quæ sunt fundamẽta æqualitatis, & similitudinis, Respondetur, quod in diuinis, licet non sit quantitas molaris, adest tamẽ

quantitas virtutis, & hæc poterit, eſſe fundamentum æqualitatis perſonarum, cum ſit virtus vna, eademque infinita potentia in omnibus; ait enim Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 8. *In his, quæ non mole magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe*. Licet etiam non inſit qualitas de prædicamento qualitatis, adſunt tamen ibi diuinæ perfectiones ſapientię, iuſtitię, miſericordiæ, & huiuſmodi; cum vero ſint omnino eædem in omnibus, aderit ibi perfecta ſimilitudo. Reſponſionem confirmat Baſilius lib. 1. contra Eunom. inquiens, *Ego vero in hoc ipſo pono ſimilitudinem, quoniam ſicut Pater ab omni compoſitione liber eſt, ita Filius, ſimplex omnino, & incompoſitus: & ſimilitudinem non formarum qualitatis identitate, ſed ipſa ſubſtantia perſpici arbitror. nam quibuſcunque forma, vel figura adiacet, ijs identitate qualitatis ineſt formarum ſimilitudo: quæ vero, ſine forma, & ſine figura, natura eſt, reliquum eſt, vt ſimilitudinem in ſubſtantia ipſa, & æqualitatem non in menſura magnitudinis, ſed identitate virtutis poſſideat*. Accedit Auguſt. 5 de Trin. cap. 1. *Deus eſt magnus ſine quantitate, bonus ſine qualitate*. Actum autem fuit ſupra, ſcholaſtice de æqualitate.

Mittere, & mitti quid. 21 Ad illud de *Mittere, & mitti*, id non dicit inferioritatem, & inæqualitatem naturæ, ſed ordinem, & proceſſionem perſonæ miſſę à Mittente, de quo in mat. de Miſſione.

Ordo qualis in diuinis. 22 Ad illud quoque de ordine: adeſt ibi ordo originis, non temporis inter perſonas: nec ordo eſſentialis naturarum, quarum vna ſit perfectior altera, vt in Creaturis, eſt enim ibi vna in ſingulis natura. Hinc Richardus Victorinus lib. 5. de Trinit. cap. 7. *Nihil ibi prius tempore, nil tempore poſterius; ſed quod non poteſt eſſe prius temporaliter, poteſt eſſe prius cauſaliter, & eo ipſo naturaliter*. Dicendo autē *cauſaliter* loquitur more Græcorū: de quo li. 3. diſp. prima q. 8. clariuſque lib. cap. 7. *prius, & poſterius hoc loco intelligi volumus, non temporum ſucceſſione, ſed ordine naturæ*. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 18.

Primū, ſecūdum, tertium. *Filius natura nullo modo ſecundus, quoniam in vtroque eſt vna Deitas: ita eſt Spiritus ſanctus*: per hoc autem ſoluitur fallacia hæreticorum de *primo, ſecundo, & tertio*: idemque Baſilius ſcribit ibidem, inquiens, *Ad nihil aliud tendit ſubnumerationis doloſa inuentio, quam, vt profiteamur Deum primum, ſecundum, ac tertium, ſed nobis ſufficit à Deo præſcriptus ordo, quē qui confundit, non minus peccabit, quam peccat iſtorum impietas*. Iſidor. lib. 2. epiſt. 129. de Trin. loquens ait, *Nec prius, nec poſt, nec primum, & ſecundum, & tertium admittit*. Nec tamen ex hinc linquendus eſt loquendi modus Scholaſticorum, aiunt namq; Patrē eſſe perſonā primā: Filium ſecundā: & Spiritū ſanctū tertiā: Diſcrepant vero Catholici ab hęreticis, etenim hæretici apponunt primum, ſecundum, & tertium eo fine, vt diuidant diuinam naturam in perſonis: item vt tollant æqualitatem, & æternitatem, afferendo prius, & poſterius ſucceſſiuitate, & tempore: Catholici autem primam, ſecundā, & tertiā perſonā admittunt ratione ordinis originis, quia ſecunda perſona eſt à prima, & tertia à prima, & ſecunda, vna cum identitate, & coæternitate naturæ. De ordine vero in Diuinis actum fuit lib. 1. diſp. 4. per totam.

ARTIC. VIII.

Occurritur argumētis hæreticorum contra æqualitatem Spiritus ſancti.

1 ADuerſus autem æqualitatem Spiritus ſancti, ſic arguunt: Spiritus ſanctus non eſt igenitus, nec genitus, ergo eſt creatus; ergo inæqualis Patri. Non eſſe ingenitum cōſtat, cum id competat ſoli Patri: eſſe Genitū competit ſoli Filio, ergo ipſe

nec

nec genitus, nec ingenitus, ergo creatus.

2 Valentinus arguit esse Angelū referente Athanasio epi. ad Serap. idque probare nititur ex 1. Timoth. 5. ait enim Apostolus, *Testor corā Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis.* Ex hinc autem deducit Valentinus Spiritum sanctum esse Angelum, quia dum Spiritus sancti locus est post Filium, Apostolus post Filium enumerat Angelos, igitur Spiritus sanctus erit Angelus, at maior inter omnes Angelos. Confirmatur, Spiritus sanctus est qui loquitur per Prophetas in scripturis, at appellatur à Propheta Angelus, ergo est Angelus: minor probatur Zachar. 4. *Respondit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me.*

3 Arguitur authoritate Basilii, etenim homil. 17. in sanct. Baptism. sic inquit, *Neque igitur alienus est à gloria Dei Spiritus, ex ineffabiliori ineffabiliter prolatus: nec ipse Deus, sed Dei Spiritus est apud eum, qui & à Deo mittitur, & per Filiū nobis suppeditatur.* Notandum, quod inquit, *Nec ipse Deus, sed Dei Spiritus,* vbi negare videtur Spiritum sanctum esse Deum.

4 Roman. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* At qui postulat, & qui rogat, inferior est postulato, & rogato: item qui gemit, & plorat, corporeus est, quod si plorat, ergo creatura est.

5 Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* ergo etiam Spiritus sanctus erit per Verbum factus, eritque creatura; loquitur enim Ioannes de factione, & creatione ad extra.

6 Amos 4. *Ego Dominus formās tonitruum, & creans Spiritum.* Hinc deducitur Spiritum esse creaturam.

7 Aetius arguit, Pater est primus: Filius secundus: Spiritus sanctus est tertius in ordine Trinitatis, ergo stat inter eos inæqualitas. Confirmatur, quia Theologi aiunt, personam Patris esse primam, Filii secundam, Spiritus sancti tertiam.

8 Item Spiritus sanctus mittitur, ergo est inferior mittente.

9 Insuper Ioann. 16. *Non loquetur à semetipso.* Ergo inferior ad ipsū colloquente.

10 Respondetur ad primum eo modo, quo declarandum erit infra lib. 3. disp. 1. q. 4. præcipue à n. 5. ad 9.

11 Respondetur ad secundum, non sequi, Spiritum sanctum esse Angelum, ex eo, quod ponatur Angelus post Christum: sicut nec ex eo, quod nominatur persona aliqua humana, cum persona Dei, nec quidem sequitur personam alioqui humanam, esse Deum; habetur namque Luc. 18. *Iudex erat in quadam Ciuitate, qui nec Deum metuebat, nec hominem reuerebatur*; & Exod. 4. *Timuit autem populus Domini, & crediderunt Deo, & Moysi ministro eius.* Pariformiter non sequitur negari diuinitatem à Spiritu sancto, si dum aliquādo persona eius reticetur, fiat mentio de Angelo. Vltra quod non desunt loca, in quibus nulla facta mentione Angeli, fit aperta loquutio de Spiritu sancto, vt Aggæi 2. *Ego vobiscum sum, dicit Dominus omnipotens, & Spiritus meus in medio vestri consistit.* Isaiæ 45. *Et nūc Dominus misit me, & Spiritus eius, &c.* Ad illud vero de Propheta, verū est Spiritum sāctum esse Sacræ Scripturæ Authorem, nihilominus idem Spiritus sanctus vti solet Angelis, quos mittit ad reuelandum Prophetis, &c.

12 Ad Basilium respondetur, loqui de Deo *Notionaliter, seu personaliter* non *Essentialiter*, igitur ly *Deus* stat ibi personaliter pro persona Patris, vnde redditur sensus verus, quia persona Spiritus sancti non est persona Patris ob distinctionem realem: at sumpto *Deo* essentialiter, est vere Spiritus sanctus, idem Deus cum Patre.

13 Ad illud, quod *Spiritus postulat gemitibus, &c.* Respondet Lyranus per *Spiritum* intelligi Angelū, præcipue Custodem, quia Angelus custos orat pro nobis. Respondet Theophilactus, Oecumenius, & Chrisostomus per *Spiritum* intelligi Virum spiritualem, seu Sacerdotem, ac Ministrū Ecclesiæ, qui orat, & offert sacrificiū pro Populo, Augustinus tract. 6. in Ioann.

Spiritus quomodo postulat gemitibus ineнarab.

Ioann. & Anselm. per *Spiritum* intelligunt charitatem, quoniam ipsa gemit, & orat. Theodoretus intelligit, *gratiam Spiritus sancti*, *qua excitati oramus*, *petimus*, *&c.* Denique frequens est, & magis vsurpata expositio Gregorij lib. 2. Mor. c. 22. August. ep. 121. de orando Deum c. 15. Anse. &c. vt sensus sit, *Spiritus postulat pro nobis, &c.* idest, *postulare facit nos gemitibus inenarrabilibus*, sicut est illud Matt. 10. *Spiritus patris*, *qui loquitur in vobis*, idest, *qui loqui vos facit, &c.* Consimilia habet Origenes ad locum Pauli, & Nazianz. Orat. 2. de Filio.

14 Ad illud Ioannis respondetur primo ex Nazianz. orat. 37. siue 5. de Theologia, Basil. homil. 17. in 5. bapt. & lib. 3. contra Euno. atque Hila. 12. de Trin. Spiritum sanctum non comprehendi numero, & ordine rerum, quæ factæ sunt; ratio theologica est, quia factio tendit ad creaturas, at Spiritus sanctus dicitur productus, spiratus, non autem factus. Respond. secundo ex Vgone Cardin. ad locum Ioannis, quærit. n. cum Euāgelista dicat, *Omnia, nunquid includitur Spiritus sanctus?* & respondet, quod nō, *Quia sicut Pater*, *& Filius non sunt inter omnia, sed super omnia; ita Spiritus sanctus non est inter omnia, sed super omnia, sicut dicitur Gen. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas, quare non est factus inter omnia*, *sed factor omnium.* Vel respondetur tertio loquutionem Ioannis esse distributionē accommodam, vt loquuntur logici; sensus est, vt loquatur de eis, quibus cōpetit vera factio, atque creatio, hæc enim terminantur ad solas creaturas; cæterum non stat pro Patre, quoniam ipse est à sè, non productus ab vllo: non pro Verbo, quia per Verbum facta sunt omnia: nec quoq; stabit pro Spiritu sancto, quandoquidem ipse quoque est factor omnium, vnde psa. 32. dicitur, *Verbo Domini cæli firmati sunt*, *& Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Confirmatur ex eodē Naziāz. *Omnia quæcunque facta sunt*, *dicit Euangelista*, *non omnia simpliciter, nam ne ipse quidem Pater, nec omnia ea, quæ facta non sunt.*

Spiritus s. non factus, sed spiratus

Deus non inter omnia sed super omnia.

15 Ad illud de *Tonitruo & Spiritu*: per *Spiritum* ibi intelligunt *ventum*, Basil. 3. contra Eunom. Athana. ep. ad Serap. & dial. 3. de Trin. Theodor. Hieron. Ruper. in Amos 4.

Spiritus pro vento.

16 Ad illud de Actio circa primum, secundum, & tertium. Clara est responsio Basil. inquientis, *Filius natura nullo modo secundus*, *quoniam in vtroque est vna Deitas, ita, & Spiritus sanctus.* In terminis vere Sholatum, adest ibi prius, & posterius origine, non autem ordo essentialis naturarum, qui consistit in eo, vt natura vna sit specifice, seu generice perfectior altera, veluti natura Angelica perfectior natura corporea; natura hominis perfectior cunctis brutis, &c. cætera vide artic. præcedenti in responsione ad consimilem obiectionem de Filio, versus finem.

Ordo qualis in personis.

17 Ad illud de *Mittere* denotatur ibi ordo processionis vnius ab altero, non autem inæqualitatis, & maioritatis, siue minoritatis naturæ. De quo in mater. de *Missione*.

Mittere quid.

18 Consimiliter ad illud de *loquente* loqui enim, & *non à seipso*, est ostendere non habere esse à sè, sed à Patre, & Filio, non autem inæqualitatem naturæ.

Loqui non à sè ipso quid.

QVAE-

QVÆSTIO III.

Vtrum Pater, qua Pater, sit maior Filio, ex verbis Ioann. 14. *Pater maior me est.*

1 AD æqualitatem prædictam destruẽdã Filij cũ Patre, inter cętera, quę Ariani cõgerũt, de quibus præcedẽtib. magnam vim faciunt super loco Ioan. 14. inquiente Christo Domino de seipso *Pater maior me est*, quod si maior est Pater Filio, ergo Filius est minor, ergo inter eos inæqualitas.

2 Duplex occurrit loci huius expositio ex Patribus, altera tendens ad Filium, ratione æternæ generationis, & ad intra: altera tendens ad eundem Filium, ac solummodo ratione humanitatis, & ad extra. Vtramque primo loco afferemus, & inde feremus iudicium de eis.

Patres qui aiunt maiorem esse Patrem Filio, qualiter exponendi.

3 Quoad primam, plurimi aiunt Patres, esse Patrem æternum maiorẽ Filio, non quidem ratione diuinæ Naturæ, sed ratione principij, quatenus Pater ab æterno genuit ipsum Filium: sic in primis loquitur Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Thesaur. cap. 3. respondens ad obiectionem Eunomij, ait enim Cyrill. *Quamuis secundum rationem substantiæ Patris æqualis, & penitus similis sit, maior tamen ipse Pater est, qui eum generat, in hoc solummodo, quia ex eo Filius est, & sic principium Filij secundum originem Pater est.* Concludit ergo, licet non secundũ Deitatis naturã sit Pater Filio maior, nec Filius Patre minor, nihilominus Pater, qua Pater, maior est & Filius, qua Filius, minor erit. Athanasius Ora. 2. contra Arian. *Pater maior me est, nõ quidem magnitudine, aut ætate, sed quia ex illo ortum habet.* Hilar. lib. de Synodis, *Nulla ambiguitas est, maiorem esse Patrem, nulli potest dubium esse, Patrem honore, dignitate, claritate, maiestate, & ipso nomine Patris, maiorem esse, Filio testante, qui me misit, maior me est.* Basil. lib. contra Eunom. *Reliquum est, vt causa ratione maius hic capiatur; nam quoniam à Patre origo est Filij, hoc maior est Pater, quod causa est, atque origo.* Chrisostomus homil. 74. in Ioann. *Quod si quis maiorem Filio Patrem, inquantũ principium diceret; neque hoc contradicemus: non tamen hoc alterius Filium facit esse substantiæ.* Origenes hom. 2. in Varios. *præcedit Pater Verbum non natura, sed causa; Audi ipsum Filium dicentem, Pater maior me est, substantia eius causa est substantiæ meæ: Pater, inquit, præcedit Filium causaliter.* Hilarius lib. 11. de Trinit. *in eo, quod Pater maior me est; confessionem paternæ authoritatis intellige, sicut est illud, non potest Filius à se facere quidquam*, Idemque lib. 9. de Trini. *Maior vtique Pater est, dum Pater est; sed Filius, dum Filius, minor non est; natiuitas Filij Patrem constituit maiorem, minorem vero Filium esse, natiuitatis natura non patitur.* Damascenus lib. de duabus Christi voluntatibus, *Pater meus maior me est; Ego enim ex eo, & non post eum: nec ego à me ipso; Patremque hoc modo, honore afficit.* Augustinus q. 122. in vetus, & nouum Testam. *Differt in causalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio est, & in substantia minor non est Filius; authoritate tamen maior est Pater, ipso Domino testante,*

Pater

Pater maior me est. Anastasius lib. de rect. fid. Dogmat. *Maior secundũ quod Author, & causa.*

4 Accedit Nazianzenus orat. 35. siue 3. de Theol. inquiens, *Iam dicentibus nobis, Patrem, quantum ad causam, Filio maiorem esse, ipsi hanc propositionem assumant; atqui causa, natura sua ratione, maior est; postea que conclusionem hanc subnectant: ergo Pater maior natura: haud scio, seipsos ne potius, an eos, cum quibus disputant, captiosa hac argumentatione circumueniant.* Et rursus, *Verum ab eo, quod secundum rationem quandam dicitur ad id, quod simpliciter, captiose progreditur hac argumentatio, nam, cum Patrem causa natura maiorem Filio esse concedamus, ipsi hinc colligunt, natura maiorem esse: quod perinde est ac si dicentibus nobis, hic mortuus est homo colligerent ipsi, ergo homo.* Et orat. 36. siue 4. de Theol. quærit, *Quomodo conueniunt, quæ conuenire nequeunt? Idem enim, vt seipso maius sit sibique ipsi æquale, qui fieri possit? Nonne ergo perspicuum est, maioris vocem ad causam; æqualis autem ad naturam referendam esse?* Atque hoc ipsum confirmat sequentibus versibus lib. 3. de Spiritu sancto, inquiens.

Quod si de Nato, quod si de Pneumate, sacra
Pagina, scriptoresque pij quid forte loquantur,
Tanquam, quæ supero sint inferiora Parente,
Hoc tu quidquid erit, prudens sic accipe dictum,
Hinc etenim id demum monstratur, ducat vterque
A Patre quod causam, non autem vtriusque diremptum
Numen.

Vasq. explicatio de patrib.

5 Vasquez 1. p. Disp. 122. c. 5. nu. 15. ait, præfatos Patres non sentire Patrem esse, (modo explicato) maiorem, sed sẽsum eorum esse, docere, Patrem esse priorem, Filium vero posteriorem. Expositio tamen ista aperte contradicit Patribus ipsis, patet enim intuenti, loqui de maioritate; ac propterea aiunt, ratione naturæ esse æqualem Filio, ratione autem principij, siue causæ, more Græcorum, esse maiorem. Item confirmo ex prædicta loquutione Hilarii 9. de Trinit.

Non placet

ait. n. *Maior vtique Pater est, dum Pater est, sed Filius, dum Filius, minor nõ est.* Hinc autem arguo, inter Patrem, & Filiũ est prius, & posterius origine, & Pater est origine prior, Filius origine posterior, vt etiam Vasquez concedit, at Hilarius negat Filium esse minorẽ, ergo non loquitur de posteriori origine, alias negaret, Filiũ esse origine posteriorem, ergo dum concedit Patrem esse maiorem, loquitur de maioritate originis. Idemque Hilarius recensitus de Synodis, ait, *Nulli dubium potest esse, Patrem, honore, dignitate, claritate, maiestate, & ipso nomine Patris, maiorem esse, &c.* Hæc autem tot epitheta, vtique aliud indicant, quam originem. Talis quoque est interpretatio Bellarmini lib. 1. de Christo c. 16. Suarii lib. 2. de Trin. c. 4. & cæterorum. Loquuntur ergo Patres de maioritate in ratione principij, & originis, & hoc spectando Filium secundum æternam generationem Patris.

6 Vasquez idem subdit, nullum Patrum vti hoc modo loquendi, *Pater dignior, seu excellentior est Filio, vel maiorem, quam Filius, habet authoritatem.* At oppositum constat ex Patribus relatis, etenim Hilarius ait, *Nulli potest esse dubium, Patrem honore, dignitate, claritate, maiestate, & ipso nomine Patris, maiorem esse* & Augu. *Authoritate tamẽ maior est Pater*, atq; Anastasius, *Maior secundum quod author, & causa.* Cum cæteris relatis.

Patrum aliorum expositio.

7 Descendendo autem ad expositionem secundam plurimi Patres explicant de Filio ratione humanitatis, vt hac ratione sit maior Pater, ita in Symbolo Athanasius, *Æqualis Patri, secũdum Diuinitatem, minor Patre secũdũ humanitatẽ*, & lib. *de humana natura suscepta.* & Dialog. de Sanct. Trin. Nazian. Ora. 36. siue 4. de Theol. Chrisost. serm. de Trinit. Basilius

lius Apologia ad Cæsarianos, siue, epistol. 141. Ambrosf. lib. 2. de fide ad Gratian. Hieron. in Ecclesiast. cap. 6. Augustin. tract. 18. in Ioann. cap. 5. plurimique ad locum citatum Ioannis, &c.

Maior ratione humanitatis. 8. Quid vero de vtraque expositione sit sentiendum, Bellarminus loco cit. ait, *Quæ solutio non est omnino improbanda: tamen non cogimur eam sequi, cum possimus facilius, & probabilius exponere de Filio, ratione naturæ humanæ.* Suarez inquit, *Hæc autem à nobis dicta sint propter authoritatem dictorum Patrum, nam sensus literalis est, Christum Dominum id dixisse ratione suæ humanitatis, vt exponunt Ambrosius, Augustinus, &c.* Diuus Thomas hanc expositionem præfert præcedenti. Item Chrisostomus in hunc locum, Cyrillus lib. 2. Thesaur. cap. 3. & Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 7. meminerunt præcedentis expositionis, & nihilominus hanc secundam prætulerunt illi. Talisque est mos Scholasticorum.

9 Conuincitur autem duplici ratione; prima, quoniam verba Christi hæc sunt, *Vado ad eum, qui misit me, quia Pater maior me est.* Quæritur vero, quonam pacto Christus ibat ad Patrem, vtrum secundum Diuinitatẽ, an secundum humanitatem? non primum, quia est vbique, ergo secundũ; quod si ire ad Patrem in causa fuit, vt dixisset, *Pater maior me est*, sequitur, vt maioritas attendatur penes humanitatem. Secunda, quoniam si eatenus Pater est maior Filio, quatenus eius principium est, sic quoque dicendus esset Pater maior Spiritu sancto, quia eius Spirator est: ipseque Filius cẽseretur Spiritu sancto maior, quoniam, & ipse, eius cum Patre principium est: hoc vero vsque hunc nõ legimus, inquit Bellarminus, cuius est hæc ratio. *Probatur.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum Relationes ad intra sint in inuicem æquales, vel inæquales:

Æqualitas penes quid. VTrum vero inter Personarum relationes sit æqualitas, an inæqualitas, discutiendum est. In primis autem supponimus æqualitatem in diuinis attendi penes Essentiam, non penes Relationes. Ita Alexander 1. p. q. 46. mem. 1. ad argume. & memb. 4 ad 3. Magister in 1. d. 31. c. 1. atque dist. 20. c. fin. Albertus 1. p. q. 47. memb. 3. D. Thom. 1. p. q. 42. art. 4. ad 2. Henricus 2. p. art. 62. q. 3. vna cum recentiorib. Scholasticis. Assertio quoad primam partem remanet probata in præcedentibus, tum ex Scholasticis, tum ex Patribus, aduersus hæreticos.

2 Quoad secundam vero probat. nunc breuiter, & quidem Athanasius sermon. de Deipara, ait, *Hinc perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius perfectus Deus Spiritus sãctus, quoniã singuli nõ destituũtur plenitudine Deitatis, sed æqualitatẽ habent omniũ earũ proprietatum, quibus æqualiter, plenitudo diuinitatis intelligatur; quib. enim æqualis substantia est, diuersis interim* *Inæqualitas penes quid.*

proprietatibus, ea æqualia ex æqualitate Vsiæ nominantur. Notanda verba, *Diuersis interim proprietatib. &c.* Quib. ostendit, quod licet æqualitas stet penes Diuinitatem, nihilominus nō stat per relatiuas proprietates. Augustin. lib. 4. de Trinit. c. 6. sic scribit, *Quia Filius non ad Filium relatiue dicitur, sed ad Patrem: non secundum hoc, quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri, restat, vt secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur: Quidquid autem ad se dicitur, secūdum substantiam dicitur: restat ergo, vt secundum substantiam sit æqualis.* Pensanda sunt verba illa, *Non secundum hoc quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri:* Fatetur ergo æqualitatem non stare penes relationes. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. *Nec Filio, nec Spiritu sancto, quantum ad natura diuina vnitatem pertinet, aut anterior, aut maior Pater est, &c.* Notanda verba, *Quantum ad naturæ diuinæ vnitatem*, quo fit, vt ratione diuinæ naturæ statuat æqualitatem, non ratione Relationū. Basilius contra Eunom. *Reliquum est, vt causæ ratione, maius hic capiatur. nam quoniam à Patre origo est Filii, hoc maior est Pater, quod causa est, atque origo.* Idem Augustinus q. 122. in vet. & nou. Testament. *Differt in causalitatis gradu. quia omnis potentia à Patre in Filio est et in substantia minor non est Filius: authoritate tamen maior est Pater, ipso Domino testante, Pater maior me est.* Atque huc adduci possent cæteræ sententiæ Patrum Artic. praeceden. allatæ, quatenus maioritatem collocant in Patre, qua Pater est, licet non, qua Deus est; Ex quibus restat, vt concludamus æqualitatem attendi penes Essentiam, non penes relationes.

Sententia aliquorum relationes, nec esse æquales, nec inæquales.

3 Hoc præsupposito, accedemus ad punctū principalē, quærendo, Vtrū Relationes personarū inter sè comparatæ, sint inuicē æquales, an inæquales. In primis est sententia, Relationes tales nec esse æquales, nec inæquales; nec similes, neque dissimiles inter seipsas; videtur esse Diui Thomæ, etenim 1. p. q. 42. art. 4. ad 2. ait. *Æqualitas in diuinis, & similitudo secundum essentialia attenduntur, nec potest secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici.* Et q. 35. ar. 2. inquit, *Secundum relationes non attenditur in diuinis, neque inæqualitas, neque similitudo.* probatque in vtrisque locis ex Augustino. Est quoque sententia hæc Magistri sentent. ait enim, *Non ergo secundum quod Filius est genitus à Patre, æqualis, vel inæqualis est Patri: nec similis, vel dissimilis &c.* Et denique sententia hæc debet esse Scotistarum, ratio, quoniam docent cum Scoto, relationes diuinas, nec dicere perfectionem, nec imperfectionem: ergo nec erunt similes, nec dissimiles; nec æquales, nec inæquales sequela tenet, quia ex Augu. æqualitas perfectior est inæqualitate, ait enim lib. de Quantit. Anim. *Æqualitatem inæqualitati iure præponis, ita de similitudine, & dissimilitudine consequenter.*

Sententia Okam Aureol. Suar.

4 Sentiunt Aliqui esse æquales inter sè, atque similes. Ita Okam in 1. d. 19. q. 1. lit. O. & lit. V. tenet, *aliquam positiuam realitatem esse in vna persona, & non in alia*, Nec inde lædi æqualitatem, quoniam *vna* inquit, *magnitudo relatiua vnius personæ est ita perfecta sicut alia, nec distinctio magnitudinum repugnat æqualitati.* Aureolus quoque ead. distin. qu. 2. art. 3. inquit, *personalitatē Patris esse æque perfectā sicut personalitas Filij & Spiritus sancti.* Estque Suarij 3. de Trinit. cap. 10. dicentis, *personalitates habere æqualitatem; quia tam perfectum terminum, & fundamentum habet vna earum, sicut alia.* Debet quoque esse communis eorum, qui sustinent relationes dicere perfectionem: cum namque vna persona non sit perfectior altera, sequitur, vt sint quoque in personali seu relatiua perfectione æquales.

Ex Patrib. pluribus relationes sūt perfectione inæquales.

5 Patrum tamen aliquorum sententiam proponemus, supponendo vnum, quod in præsenti consideramus relationes præcisiue, & abstractiue à diuina Essentia. Item consideramus eas non quatenus relationes diuinæ sunt, sed absolute quatenus relationes, abstrahendo ab esse diuino. Et quidem necesse est sic abstractiue procedere, alias non ageremus cum Scholasticis, sed cōtra hæreticos, cum

tamen

tamen aduersus eos fit iam discussum: Ergo consideramus relationes non in concreto, seu pro connotato diuino, sed secundum se, vt relationes sunt in abstracto.

Loquuntur de relationib. abstrahendo ab esse diuino.

6 Hoc stante, & attenta tali precisione per intellectum, Patres aiunt primo, relationes paternitatis, & filiationis: esse inter se, intensiue, & in perfectione inæquales. Assertio est aperte tradita à Patribus recensitis in duobus articulis præcedentibus, exponendo illud Christi Ioa. 14. *Pater maior me est*. Et quidem apertissime loquitur Basilius citatus contra Eunom. dicens, *Reliquum est, vt causæ ratione, maius hic capiatur; ut quoniā à Patre origo est Filij, hoc maior est Pater quod causa est, & origo*. Chrisostomus homil. 74. in Ioann. *Quod si quis maiorem Filio Patrem, in quantum principium diceret, neque hoc contradiceremus*. Origenes homil. 2. in Varios, *præcedit Pater Verbum, non natura, sed causa*. Hilarius lib. 11. de Trin. *In eo, quod Pater maior me est, confessionem paternæ authoritatis intellige*. Apertius autem loquitur lib. de Synod. *Nulla*, inquit, *ambiguitas est, maiorem esse Patrem*; In terminis vero quæstionem decidens ait, *Nulli potest dubium esse, Patrem honore, dignitate, claritate, maiestate, & ipso nomine Patris, maiorem esse, Filio testante, qui me misit, maior me est*. En quomodo Patrem sub relatione Patris, facit maiorem Filio sub relatione Filij. Athanasius orat. 2. contra Arian. *Pater maior me est, non quidem magnitudine, aut ætate, sed quia ex illo ortum habet*. Idemque Hilarius 9. de Trinit. *Maior vtique Pater est, dum Pater est*. Damascenus lib. de duabus in Christo voluntatibus, *Pater meus maior me est; Ego enim ex eo, & non post eum; nec Ego à me ipso: Patremque hoc modo honore afficit*. Fatetur sanctus Doctor, Filium quoq; honorare Patrem, veluti maiorem, eatenus, quatenus habet esse ab eo. Augustinus qu. 122. in vet. & nouum Testam. *Authoritate maior est Pater*: Anastasius lib. de rect. fid. Dogmat. *Maior secundum quod Author, & causa*. Idem habet Nazianzenus ibi recensitus, cum pluribus alijs. Vt vero plura linquam, adducamus Athanasium apertissime quæstionem decidentem, is namque in quæstionibus anonymis q. 5. quærens, *Quid est Deus*, inter cætera hæc habet, *Omnia æqualiter habet Pater, Filius, & Spiritus sanctus, præter proprietates suas; proprium enim Patris est, ingenitum esse; Filij vero genitum, ac Spiritus sancti procedere*. Hinc vero arguitur, docet Athanasius, Patrē, Filium, & Spiritum sanctum esse per omnia æquales præter quā *in suis proprietatibus*, ergo erunt in illis inæquales; ergo relatio vnius erit perfectior relatione alterius, sicque probata stabit statuta conclusio ex Patribus.

7 Inter recensitas Patrum authoritates, validiores, apertioresque sunt, illa Hilarij, *Nulli dubium esse potest, Patrem honore, dignitate, claritate, maiestate, & ipso nomine Patris, maiorem esse*, Nā apertissime fatetur, quod adduximus. Illa Damasceni, *Patremque hoc modo, honore afficit*, nempe Filius dicendo, *Pater maior me est*: Et hæc vltima Athanasij, inquientis, *Personas in omnibus æquales esse*, prærterquam *in proprietatibus*, ergo sunt inæquales.

8 Ex cæteris autem Patribus inde elicitur, quoniam dicunt Patrem maiorem esse ratione causalitatis, (vt loquuntur Græci) vel principij, vel originis. Hinc vero formari potest ratio, causatio, vt causatio, principiatio, vt principiatio, actio, vt actio, formaliter tenta, sunt inæqualis dignitatis, & perfectionis, quia de se actio est nobilior passione; causatio, & principiatio actiua, siue ipsamet actio, est nobilior passione; ergo productio actiua erit nobilior productione passiua, vt sic: Abstrahimus autem à connotato, & consideramus hæc præcise in se: & hinc est, vt Patres Græci maiorem dicant esse Patrem, ratione quidem causæ, vt ipsi loquuntur, seu ratione principij, & originis, vt loquuntur Latini. Item nomen Patris, vt Patris, nobilius existimatur ab Hilario dicente; *Maior vtique Pater est, dum Pater est*. Idemque ait, *Patrem ipso nomine Patris, maiorem esse Filio*,

Et sub hac ratione Patres allati præferunt ipsum Patrem, abstrahendo tamen relationem paternitatis, Filiationis, & spirationis, ab esse diuino, quia hac ratione sunt æquales.

Ratione Essentia sunt æqualis per fectionis.

9 Hanc sententiam ex Scholasticis defendit Gregorius de Arimino in 1.d.19.q.vnic.art.1.§. *Hic dicitur*, vbi refert, & impugnat sententiã OKami, & Aureoli dicentium Paternitatem, & Filiationem esse distinctas perfectiones, & esse insuper inter sè æquales, siue æque perfectas: contendit enim Ariminensis, quod si sunt perfectiones distinctæ, erunt quoque inæquales in perfectione: *alias* inquit, *sequeretur, esse eiusdem rationis paternitatem, & filiationem; & ita essent duæ paternitates, vel duæ filiationes, non vna paternitas, nec vna filiatio.* Item Gabriel in 1.d.7.quæst.3. artic. 3. concedit, *Vnam personam carere perfectione alterius personæ*, si dicerent perfectionem. Albertinus Corollar. 6.q.5.to.1. inquit, *Quamuis vna persona careat formaliter perfectione alterius personæ, &c.* Fonseca 4. Metaph. cap.2.quæst.7.sect.7.§. *Ad argument*, ait, *Non solum non est incommodum fateri; aliquam perfectionem esse in vna persona, quæ non sit in alijs sed etiã necessarium.* Bannes etiam 1.part. qu. 28.dub.1.in respons. ad quartum, refert eandem respõsionem Gabrielis, afferens quoque Canum ad idem, Loquuntur autem citati Doctores de relationibus præcisiue, & in abstracto, non tamen in concreto, ratione Essentiæ, &c. Accedit apertissima loquutio Gregorii de Valentia, qui tom.1.disp.2.quæst.4.punct.1.§. *Respondendum est, nequaquam*; vbi cum antærius attulisset argumentum, quod si personæ diuinæ essent plures, sequeretur personam vnam carere perfectione alterius; Respondet inde, inquiens. *Distinguendum est, si enim intelligatur præcise, quatenus personæ opponuntur, & distinguuntur ab inuicem, omnino conceditur; sin vero intelligatur simpliciter, itant nullo modo vna persona habeat proprietatem; atque perfectionem alterius, negandum est; quamuis enim, vt vna persona ab altera distinguitur, non habeat perfectionem alterius, habet tamen, vt est vnum in Essentia cum illa.* Restat ergo probata assertio, & Patribus, & Scholasticis. Quod si sententia hæc derogare videbitur catholicæ veritati, ex nunc eam reuocamus, sufficiat namque attulisse sententias Patrum, & Scholasticorum: indiget vero sententia hæc declaratione repetita, vt loquantur de relationibus, abstrahẽdo ab esse diuino, etenim quatenus relationes diuinæ sunt, sunt omnino æquales intensiue, & perfectione.

10 Dicendum secundo, quod loquendo de inæqualitate extensiua, Relationes erunt quoque inæquales, *Extensiue.* Et in primis, probatur. plus numeraliter extẽsiue sunt duæ, quam vna: at in Spiritu sancto est vna notio: in Patre, & Filio sunt duæ, vt in Patre generatio actiua, & spiratio actiua; in Filio spiratio actiua, & generatio passiua. Item comparata hæc seorsim ex vno capite, & combinata, ex altero, stabit quoque inæqualitas, vt comparando paternitatem, & spirationem Patris actiuam, ad solã filiationem, illa erũt plura: vel comparãdo generationem passiuam Filij cum sua spiratione actiua, ad solam paternitatem, illa erunt plura, &c. Et sic de multiplici cõparatione factibili per intellectum; Hoc tactum fuit sup. quæst.1. huius dispu. & vberius tom.1.disput.10.quæst.3. à num, 3.ad 8. *Relationes extensiue inæquales.*

11 Dicendum tertio, quod loquendo de Relationibus in *concreto*, seu pro *connotato diuino*, quatenus sunt *relationes diuinæ*, seu quatenus sunt constitutiuæ personarum diuinarum, nulla reperitur inæqualitas intẽsiua, seu perfectionalis inter eas, sed sunt omnino æquales. Hoc probatum remanet, vt de fide, quæstionibus præcedent. contra hæreticos. Expedit nihilominus hoc in terminis confirmare aliquibus sententiis Patrum. Et quidem Cyrillus lib.2. Thesaur.cap.3. inquit, *Scriptura æqualitatem attestatur, nec vlla in Essentia Patris, & Filij, dissimilitudo, & differentia reperiatur.* Augustinus 5. de Trin. cap. 6. *Quia Filius non ad Filium relatiue dicitur, sed ad Patrem, non secundum* *Relationes in concreto intensiue æquales.*

dum hoc, quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri: Restat ergo, vt secundum id æqualis sit, quod ad sè dicitur. Quidquid autem ad sè dicitur, secundum substantiam dicitur, restat ergo, vt secundum substantiam sit æqualis. Augustinus ex hoc confirmat primam, & tertiam conclusionem. Anselmus in Proslog. cap. 23. *Quod autem est singulus quisque, hoc est tota Trinitas simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus; quoniam singulus quisque nō est aliud, quam summe simplex vnitas, & summe vna simplicitas, quæ nec multiplicari, nec aliud, & aliud esse potest.* Bernar. ep. 190. ad Innoc. *Totū est Pater, quod Pater & Filius, & Spiritus sāctus Totū Filius, quod ipse, et Pater, ex Spiritus sāctus Totum Spiritus sanctus, quod & ipse, & Pater, & Filius; & totum vnum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum, summumque bonum, quod sunt, inter sè particulariter diuidunt, quoniam nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt.* Et demum disertissimis verbis aperit hoc Richard. Victor. lib. 5. de Trinit. cap. 24. inquiens, *Inter hæc, aliquis fortassis humanum aliquid cogitans de diuinis personis, illam personam maioris dignitatis reputat, & cæteris excellentiorem iudicat, quæ à semetipsa habet totum, quod eam habere constat: sed absit, quod ibi credatur esse aliqua dignitatum distantia, vbi vere, & absque dubio est æqualitas summa.*

12 Ex hac conclusione conciliari possunt sententiæ Catholicorum recconsitæ, dum alij negant æqualitatem, alij admittunt, inter Relationes, etenim illi loquuntur de relationibus sumptis in abstracto, secundum sè, & præcise, vt relationes sunt; hi vero loquuntur de relationibus in concreto, & quatenus relationes diuinæ sunt, & constitutiuæ personarum diuinarum. Quo pacto loquitur Athanasius in Symb. *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius: nihil maius, aut minus, sed tota tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Primo sensu procedit prima assertio; secundo autem sensu militat tertia conclusio.

13 At aduersus primam assertionem obstari posset ex Scotistis, quod illa esset contra Scotum, quandoquidem Scotus negat relationes diuinas dicere perfectionem, non ergo erunt inæquales in perfectione. Respondetur, Scotum loqui in prædicto sensu, *cōcretiue*, & quatenus relationes diuinæ sunt, vt sic enim sūt æquales, quod vero hic sit sensus Scoti exinde constat, ex quo inferr, quod si paternitas v. g. diceret perfectionem, tunc aliqua perfectio, vtpura, paternitatis, esset in Patre, quæ tamen non esset in Filio, & Spiritu sancto, sicque personæ non essent æquales. Cæterum loquendo de relationibus abstractiue, & præcisiue, non negaret. Dices, per hoc non euitari prædictum inconueniens, quia etiam sumendo relationes præcisiue, adhuc vna perfectio esset in persona vna, quæ non in altera, ergo adhuc essēt personæ inæquales. Respondetur negando totum hoc quoniam arguitur cōmutando, *quale quid* in *hoc aliquid*, siue abstractum in concretum; quando namque statuitur inæqualitas in relationibus, non statuitur in personis, ideoque de relationibus solummodo est sermo in sè, non autem vt contractæ sunt ad diuinas personas, igitur male infertur inæqualitas in personis; infertur igitur inæqualitas in relationibus, non in relatis, nec in relatiuis, nec in personis. *Obiectio ex Scoto.* *Resp.*

14 Aduersus secundam conclusionem afferri posset Augustin. 8. de Trin. in princ. inquiens, *Nec Pater, & Filius simul maius aliquid sunt, quam Spiritus sanctus: aut singula quæque persona qualibet trium, minus aliquid sit, quam ipsa Trinitas.* At responsio constat ex tertia conclusione: non sunt quidem *intensiue*, & in *perfectione maius*, vt sic namque sunt æquales: at duas personas esse numero plures quam vnam, quis negabit? Et vt sic dabitur maius extensiue. De consimili egimus to. 1. disp. 10. q. 3. à num. 3. ad 8.

QVÆSTIO V.

Vtrum Relationes reales sint solummodo quatuor in diuinis.

Sententia Præpositiui Gabr. Ari. Suar. OKa. 1 Sententia fuit Præpositiui penes D.Thom.1.par. q.32.ar.2. Patrē vnica mediante relatione referri ad Filium, & Spiritum sāctum: quamuis Filius, & Spiritus sanctus relationibus duabus referantur ad ipsum. Idē tribuitur Gabrieli, qui in 1.d.27. q.1.docet paternitatem, & spirationem non esse plures relationes: atque in d.28.quæst.1. art 3. subdit, *De rigore sermonis non esse quatuor relationes*; quamuis aliquatenus sententiam hanc temperet, subiūgendo, *Esse in actu signato quatuor relationes.* Ad hoc idem rursus trahitur Gregorius de Arimino qui in 1.d.26.q.1.in quit, *Patrem referri ad Filium, & Spiritum sanctum relatione, quæ est vnica secundum rem, quæue in pluribus reperitur personis.* Apertius autem id asserunt OKam in 1.d.19. qu.1.& d. 27.q.1.atque Maior in 1.d.26.qu.1. dicentes, paternitatem, & spirationē actiuam non esse plures relationes. His accedit Suarez de Trinit. lib. 5. cap.7. inquiens, non esse improbabilem sententiam Gabrielis, & Gregorij asserentium, spirationem actiuam esse eandem relationem cum paternitate, & filiatione, itaut non sint quatuor, sed tres tantum relationes.

De Suario. 2 Circa Suarium, in eo, quod ait, non esse improbabile, quod dicunt Gabriel, & Gregorius, minime ei assentimur, immò improbabilissimum, & falsissimum id existimamus, & adeo falsum, vt negata quarta relatione, neganda foret processio Spiritus sancti, esset q; in diuinis sola productio Filii, & nō tertiæ personæ, vt probabimus. Circa reliquos vero constabit ex decursu quæstionis eorum amplior improbabilitas.

3 Hinc primo dicimus, In diuinis nullatenus est concedenda quaternitas rerum essētialiter distinctarum. *In diuinis non datur quaternitas rerum essentialiter distinctarum.* Hæc de fide est: probat. In diuinis omnia sunt vnum essentialiter, ergo in diuinis tres personæ sunt vnum essentialiter, ergo sunt tres vnum, & non quatuor essentialiter distincta. Item Essentia non multiplicatur in tribus; ergo non adest quaternitas rerum, & Essentiarum. Insuper pluralitas in diuinis sumenda est penes distinctionem Suppositorum, non autē Essentiæ, ergo sunt ibi tres subsistentes, ergo non est ibi quaternitas. Denique in Concil. Lateranensi determinatum fuit in diuinis esse solum tres realiter distinctas, non autem quaternitatem, contra Abba. Ioach. & habetur in cap. damnamus de Summ. Trinit. & Fid. Cathol. de hac autem voce, Res, egimus supra.

4 Secundo dicimus in diuinis sunt quatuor relationes reales, prob. *Sunt quatuor relatio nes reales.* omnes fere Theologi eas admittunt, vt D.Thom.1.part.quæst.28.art.4.& quæst.32.art.2.& 3.Scot.quolib.5.art. 2.§ *ex ista ratione*, aliique Theologi in 1.d.13. Herrher.1.dispu.8.quæst.4. idemque Suar. de Trinit. lib.5.cap.7. estque cōmunis penes eos, qui vltra distinctionē rationis admittunt distinctionē, vel modalē, vel virtualē, vel formalem inter spirationem actiuam, & generationem actiuam ex parte Patris

tris: Non tamen per hoc dicimus esse ibi quatuor res, vide sup. dispu. 1. q. 8. n. 3. etenim vox ista, Res, indicat quid absolutum, & communica[bi]le in diuinis, vt est Essentia: at Essentia vnica est: & ratione idẽtificationis cum ea, omnia ibi sunt vnum, ex loquutione Patrum, & Theologorum, ac consequenter non sunt quatuor res, sunt vero quatuor relationes. Istæ etiam sunt vere reales: patet, quia vere à parte rei Pater spirat, Filius spirat, ergo est vera à parte rei spiratio relatio realis.

Probatur. 5 Probatur vero principale intentum; paternitas, & spiratio actiua sunt duæ relationes reales: Generatio passiua, & spiratio passiua sũt aliæ duæ, ergo sunt quatuor relation[e]s reales. Probatur maior; relatio realis est ordo inter extrema realiter distincta: sed paternitas, & spiratio sunt ordines inter extrema realiter distincta, ergo sunt duæ; prob. min. generatio actiua est ordo ad Filium; spiratio actiua est ordo ad Spiritum sanctum: at Filius, & Spiritus sanctus realiter distinguuntur, ergo paternitas, & spiratio actiua sunt duæ relationes reales. Item alterius fundamenti, & termini est alia, & alia relatio realis: generatio actiua, & spiratio actiua habent aliud, & aliud fundamentum, & terminum: de fundamento prob. quia generatio fundatur super potentia generandi, ac memoria fæcunda: spiratio super voluntate fæcunda: generationis terminus est Filius, & spirationis Spiritus sanctus, ergo. Insuper si spiratio actiua non est quarta relatio, ergo Pater ad Spiritum sanctum non referretur v[l]lo modo, vel si referretur, id esset mediante paternitate, & hinc sequeretur Patrem esse Patrẽ Spiritus sãcti, prob. qualis est relatio tale est fũdamẽtũ, sed nõ refertur per spirationẽ quia per re ista nõ est relatio realis, quia non est relatio quarta; ergo dum Pater dicit relationem ad Spiritum sanctum, vtique diceret sub ratione Patris, ergo esset Pater Spiritus sancti, non enim potest relatio alicui competere sine fundamento: & ita Spiritus sanctus esset Filius, &c. Declaratur, Pater; & Filius referuntur ad Spiritũ sãctum, at non referũtur per relationem Patris, & Filii, ergo per spirationem: minor probatur, etenim ad Spiritum sanctum non dicit relationem Pater, vt Pater, sed vt spirator: nec Filius dicit re[l]ationẽ, vt Filius, sed vt spirator, ergo dabitur spiratio, veluti quarta relatio: assumptum patet, si namque ad Spiritum sanctum referretur Pater, vt Pater, ergo Spiritus sanctus diceret relationẽ ad Patrẽ, vt Filius, non vt Spiritus, patet, hoc quia correlatiuũ P[a]tris, vt Patris, nõ est Spiritus, vt Spiritus, sed vt Filius: si etiã relatio[n]ẽ diceret ad eum Filius, vt Filius, iam Spiritus sanctus nõ esset Spiritus, sed Pater, probatur, nam correlatiuum Fi[lii], vt Filii est Pater; dicit quidem Spiritus sanctus correlationem ad Patrem, vt Filium, at non tanquam ad Patrem, nec tamquam ad Filium reduplicatiue, sed ad Patrem, & Filium, tanquam ad Spiratorem. Denique spiratus dicit relationem ad spirantem: ergo datur spiratio, eaque non erit formaliter paternitas, nec filiatio. Accedit, quod negare spirationem, veluti quartam, & distinctam relationem, idem esset, ac negare processionem Spiritus sancti, & ad[m]ittere vnam solummodo productionem, nempe Filii, sequit[u]r, quoniam negato vno relatiuorum, negatur, & reliquum: ergo negata spiratione, negabitur Spirator, & spirantes ac consequenter negabitur ipsum correlatiuum spirat[i]: Confirmatur, negata spiratio[n]e actiua, negat[u]r, & passiua.

6 Tertio dicend[u]m Relationes reales originis non [e]sse minus, nec plus, quam quatuor. A[d] [t]ertio [t]res conti[n]et partes: [p]rima c[ũ], de relationibus originis: secunda, quod non sint minus, quam quatuor, & tertia, quod non sint plures. Loquendo de primis, intelligenda de eis solummodo venit assertio, posset namque sic obstari, Scotus admittit relationes idẽtitatis, æqualitatis, & similitudinis diuinarum personarum esse etiam reales, ergo relationes reales erunt plures, quam quatuor: Respondet Scotus, relationes quidem originis esse solummodo quatuor, & de istis loquuntur Concilia, & Patres; cæterum non implicat relationes alias rea-

Relationes originis; nec minus, nec plus, quam quatuor; cæteræ autem possunt esse plures.

reales posse multiplicari: de hoc autem agemus infra, disput. de Aequalitate Diuinarum personarum. Assertio igitur procedit de relationibus originis. Secunda pars est iam probata, dum namque probauimus esse admittendam spirationem actiuam, veluti distinctam, probatum remansit non esse relationes minus quam quatuor.

Nō plures quam quatuor.

7 Tertia autem pars remanet probanda, non esse, nempe plures, quam quatuor: probat. vero faciliter. Numerus productionū nō est, nisi duplex, alterius, & alterius rationis: ergo relationes nō sunt, nisi quatuor. Prob. consequens, vnicuique productioni, seu principio productiuo non correspondet, nisi duplex relatio; principio namque, & potentiæ generandi correspondet duplex relatio, generationis actiuæ, & passiuæ: principio, & potentiæ spiratiuæ non correspondet, nisi duplex relatio, spirationis actiuæ, & passiuæ, hinc vero insurgunt quatuor, & non plures relationes. Item dā oppositum, esse plures, & inde sequetur, primo fore adiungendas personas alias ad Trinitatem, penes quas cresceret numerus relationum supra quatuor: id autem esset destruere Trinitatem. Insuper, fore plures, quam quatuor, prouenire fortasse posset, quia spiratio actiua esset duplex, altera in Patre, altera in Filio: at hoc improbabimus lib. 3. disput. de Spiritu sancto, in propria quæstione. Denique termini producti non sunt, nisi duo, vnusquisque autem, tum producens, tum productus, geminam dicit relationem; patet, quia generans, & genitus dicunt duas relationes: spirans, & spiratus totidem dicunt relationes, ergo nō sunt, nisi quatuor relationes.

8 Sed obstatur, sunt quatuor relationes, ergo quatuor Res in diuinis. Argumentum est solutum in declaratione secundæ Conclusionis. Et an nomen rei multiplicetur in diuinis, visum fuit sup. disputat. 1. quæst. 8. num. 3.

Relationes plus quam quatuor.

9 Obstatur, identitas, similitudo, æqualitas in via Scot. sunt relationes reales: ergo additis his trib. supra illis quatuor, erūt septē relationes reales. Resp. est iā allata ex tertia assertione, solūmodo relationes originis esse quatuor, cæteræ multiplicari possunt, vt in propria quæstione.

10 Obstatur, adsunt relationes plures, vltra has, vt puta relatio Verbi, Imaginis, doni, consubstantialitatis, Circuminsessiōnis, Societatis, Relationes prioris, & posterioris secundum originem, Relationes distinctionis, & oppositionis, eæque tum disparatæ, tum relatiuæ, ergo valde multiplicantur supra numerum quatuor.

Relationes, plures vltra originis

11 Ad primum de Imagine, & Verbo, ista includuntur in Filio, & manant ex filiatione: immō ipsemet Filius est imago, & Verbum: atque hæc magis explicite explicant naturam ipsius Filij. Ad illud de dono, cōsimiliter dicendum, id magis explicite indicare personam Spiritus sancti, imò ipsemet Spiritus sanctus est donum. Identitas, æqualitas, similitudo, Circuminsessio, atque consubstantialitas, vna cum societate, & communione personarum, non putantur à plerisque relationes reales: nihilominus nil vetat multiplicari eas, esseque tot, quot enumerantur, solas namque relationes originis non plurificamus supra quatuor. Distinctio quoque, & oppositio multiplicantur, nec vetat eas plurificari ob eandem rationem. Vltra autem dicta, aliquæ ex his reducuntur ad alias, & sequuntur ex alijs: vt consubstantialitas, & Circuminsessio ex identitate essentiali; distinctio, & oppositio ex productionibus, quia nihil producit seipsum, sed quid distinctum: Relatio prioris, & posterioris ex ipso ordine productionum, vt illa per intellectum sit prior productione per voluntatem. Associatio ex similitudine, similia namque facillime associantur, dicente Eccles. 13. *Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximū sibi omnis caro ad similem sibi conuertetur sic & omnis homo simili sibi sociabitur.*

Quaternitas remouetur à Conc. declar.

12 Arguitur, Patres Concilij Lateranensis respuerunt quaternitatem in diuinis, ergo non quatuor dicendæ sunt

sunt relationes. Respondetur mentem Concilii fuisse determinare contra Abbatem Ioachinum in fauorem Magistri sententiarum, diuinam Essentiam non esse quartam rem, seu realiter distinctam à personis: ergo tenuit quaternitatem rerum realiter distinctarum: non autem mens eius fuit è medio tollere quartam spirationem actiuam.

Patres non omnia nominatim semper expresserunt, ex Scot.

13 Obstabis, iidem Patres Concilii nullam egerunt mentionem huius quartæ relationis, ergo non dabitur. Respondet Scotus in 1. dist. 26. quæst. 1. §. *Ad illa, quæ secundo modo,* Et dist. 28. quæst. 2. ad *Argument.* non semper, & vbique Patres recensuisse distinctim, & seorsim omnes personarum relationes, sed quandoque sub relatione vna, alias plures comprehendisse, vt ibi probat, ex Damasceno, nam aliquando sub nomine *Ingeniti*, aliquando sub nomine *Patris*, vel *Genitoris*, explicant totam naturam primæ personæ. Dicendum secundò, licet spirationem non expresserint in terminis, & nomine, explicauerunt nihilominus in re, quia dum aiunt Patrem, & Filium spirare Spiritum sanctum, consequenter docent referri spirationem actiua ad eundem. Dicendum tertiò, quod argumentum ab authoritate negatiue non tenet.

DISPVTATIO QVINTA,

De Notionibus Perſonarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum dentur Notiones, & quid ſit Notio?

Notionis nomen an in ſcript.

1 NOtionis nomen licet non reperiatur in Scriptura in ſua ipſius voce; reperitur tamen in ipſa rē. Penes ſanctos autem Doctores reperimus eam: & inprimis apud D. Baſil. qui epiſt 43. ita ſcribit, *Quia ergo neceßarium eſt diuinas perſonas, vt diſtinctas cognoſcere, ideo etiam neceſſe eſt, vt per quaſdam proprias notiones inconfuſas habeatur in Trinitate comparatio* Diuus etiam

Penes Patres.

Auguſtin 5. de Trin. cap. 6. ait, *Alia eſt notio, qua intelligitur genitor, alia, qua genitus.* Apud reliquos autem Patres antiquos reperitur res ipſa importata per notionē, ſed ſub alijs titulis; etenim Anſelm lib. 1. cap. 6. & 10. vocat *Proprietates*, vtiturque nominibus abſtractis paternitatis, filiationis, innaſcentiæ: Athanaſ. diſput. contra Arr. coram Probo vocat etiā *proprietates*. D. Hilar. lib. 6 de Trinit. appellat *Cognitionis proprietates*: inter cæteros vero expreſſo nomine, *notionis* inſinuant Baſil & Auguſt.

Notio quid ex Baſil.

2 Quid autem ſit ipſa notio colligi poteſt eius deſcriptio ex eodem Baſil. qui, inquit *Notionem eſſe cognoſcibile ſignum.* Et quidem notio ſumi ſolet, vel formaliter, vel obiectiue: prima eſt ipſamet formalis cognitio actuſque intellectus, quo quidquam noſcimus: ſecunda eſt ipſa res concepta, & cognita, ſeu obiectum cognitum. Verum non ſufficit eam cōtemplari primo modo, quin potius notio à Theologis ſumpta, ſe tenet obiectiue & de ipſa non formaliter, ſed obiectiue ſpectata conſiderant Scholaſtici. Cum autem ſumitur obiectiue, obiectum cognitum non erit abſolute cognoſcendum gratia ſui, ſed gratia alterius, itaut ex cognitione ſui deueniamus in cognitionem alterius, alias ſi cognitio figetur in ipſo ſolo, abſque relatione ad cognitionem alterius, iam non erit notio, ſed obiectum cognitum: exemplum ſit: contemplor D. Petrū, contemplor etiam claues D. Petri: vario tamen modo ſe habent in ordine ad intellectum meum; nam D. Petrus habet rationem obiecti cogniti, claues habent rationem notionis, ſeu rationem medij ad cognoſcendum à poſteriori D. Petrum: etenim hæc ſunt D. Petri ſtemmata, claues, iuxta ſibi traditam à Chriſto poteſtatem, *Et tibi dabo claues Regni*

Calo-

Calorum, ſicut Paulum cognoſcimus ex enſe, quem geſtat: Bartholomæum ex pelle ſibi abſtracta, Catharinam ex rotis. Franciſcum ex ſtigmatibus, & huiuſmodi : quæ quidem omnia vocantur notiones quia ſunt via, medium, & ſigna ad cognoſcendos hos omnes: ita in diuinis, dari debẽt ſigna quędam, vt vocat Baſil quibus diuinas cognoſcamus perſonas, eaq; ſigna communiter Theologi cum Baſil. & Auguſt. appellãt notiones, & hinc deſcribi ſolet, vt notio *ſit ſignũ, & ratio innoteſcendi, & diſtinguendi in diuinis vnam perſonam ab alia.*

Notiones qui negant.

3 Ex ijs, qui negant notiones, eſt Præpoſitiuus, & Grego. Arim. 1. d. 26. aſſerentes, *Notiones non in perſonis, ſed in noſtris conceptibus poſitas eſse:* quapropter non eſſe vtendum eis in abſtracto, ſed in concreto, vtpotè nõ eſſe dicendum, in diuinis eſt paternitas, filiatio, ſpiratio, ſed in diuinis eſt Pater, Filius, Spiritus ſanctus. Fundamentum eorum eſt, quia abſtractum denotat compoſitionem, quæ non eſt in diuinis. Nihilominus communis eſt, & Baſil. Auguſt ac cæterorum Scholaſticorum ſententia, dari veras, etiam nominibus abſtractis, notiones; ita cum Magiſtro, D. Bonau. Scot Rich. cæteriſq; ſententiarijs 1. d 26. ac D. Thom. 1. p. q. 32. 2. Alenſ. 1 p. q 68. mem 5. Ad fundamentum autem illorum negatur abſtractum, cũ cõcreto facere cõpoſitionem, homo namque, & humanitas non faciunt compoſitionem, ſed eſt ipſum omnino, idemq; reale, & formale importatum per vtrumque, ſola ſtante diſtinctione rationis, qua abſtractũ diſtinguitur à cõcreto. Ita paternitas cum Patre, filiatio cũ Filio, & ſpiratio cũ Spiritu ſancto: Adde, quod in diuinis adeſt ſumma ſimplicitas propter diuinæ Eſſentiæ infinitatem, ratione cuius omnia tranſeunt in perfectam identitatem diuinæ Eſſentiæ; inſuper intellectus creatus eſt ille, qui concipit rem ſub ratione compoſiti, & componibilis, apponendo compoſitionem, vbi non eſt, & hoc propter ſui, imbecillitatem, non potentis cognoſcere res, vti ſunt, Deus autem cognoſcit, vt ſunt, ideoque non cognoſcit, vt facientes compoſitionẽ. Accedit, quod quando in diuinis cõtingit multiplicitas conceptuum, ibi non compoſitio apponitur, ſed cõſtitutio, qua ratione perſonę non dicũtur cõpoſitæ, ſed cõſtitutæ, de qua rẽ ſuis locis to. 1. diſp. vlt. de Attributis.

Notiones an ſint relationes, & è contra.

4 Conſtito dari notiones, videndum vtrum omnes notiones in diuinis ſint relationes, & vtrum relationes conuertantur cum notionib. & quidem ita videtur dicendum, vere notiones cõuerti cum relationibus, & è contra, prob. Relationes faciunt perſonas diſtingui: at diſtinctiua perſonarum ſunt notiones earum. Item per notiones diſtinguũtur, ſeu cognoſcuntur diſtingui: at diſtinguuntur per relationes, ergo relationes ſunt notiones, & è cõtra. Attamẽ aduerſus hoc arguitur Relationes ſunt quatuor, vt generatio actiua, paſſiua, actiuaq; & paſſiua ſpiratio, ergo ſi relationes conuertuntur cum notionibus, vtiq; notiones erũt non quinq; ſed quatuor, at quinque ſunt, vt dicemus, vel forte plures, ergo non conuertuntur inuicem relationes, & notiones. Reſp. loquẽdo de notionibus poſitiuis. vtique eæ conuertuntur cum relationibus; & ita ſicut quatuor ſunt poſitiuæ relationes prędictæ, quatuor quoq; erunt poſitiuæ notiones : at loquendo de notione *negatiue* ſumpta, ea non conuertitur, quia relationes perſonales ſũt quid poſitiuũ, adeſt tamẽ in diuinis altera notio negatiua, q̃ eſt ingenitũ ſeu innaſcibilitas, vel improducti bilitas: hæc vero eſt õnino negatiua.

Innaſcibilitas, an ſit vere notio.

5 De hac inſuper quinta notione, quæ eſt, *Innaſcibilitas*, quæri ſolet, vtrum vere ſit conſtituenda, vt notio: ſiue ea poſitiua ſit, ſiue negatiua; iam autem conſtat, eſſe negatiuã. Cenſent aliqui partem negatiuam eſſe ſequẽdam; ratio, quia notio pertinet ad dignitatem negatio non dicit dignitatem. Hinc conuicti aliqui aiunt dicere poſitiuam proprietatem, vtpote, quia notio ſpectat ad perſonæ dignitatem. Si inſuper quæras, vtrum inſpirabilitas Patris, & Filij ſit notio, dicerent non eſſe notionem, quia non pertinet ad dignita-

tem: Quod si quæras, quare ingenitū sit notio, & non inspirabilitas, responderent, quia innascibilitas dicit dignitatem, inspirabilitas non dicit dignitatem Contra vtrumque arguitur, & primo contra primum, quia vere innascibilitas est negatio, vt ipsa nominis ratio indicat; negat.n. natiuitatem, ergo non dicit formaliter, & de sè positiuam proprietatem. Contra secundum instatur, quia si innascibilitas dicit dignitatem, ergo & inspirabilitas; non enim videtur maior ratio de illa, quam de ista; sunt enim ambæ negatiuæ, vel si illa negat dignitatem, negat & ista.

Notiones negatiuæ, an dicant dignitatem.

6 Respondetur igitur has negatiuas notiones formaliter non dicere dignitatem; ratio, quia formaliter sunt negationes: at negatio de sè nihil est; quod si non habet entitatem, ergo nec habet dignitatem fundamentum enim dignitatis est entitas: licet ratione cōnotati dicat dignitatem, connotant namque diuinas personas, quæ sunt Deus omni bonitate, omnique ratione entis perfecti, & infiniti, in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ, qui est, & summum bonum, quo maius considerari non potest, cōdecoratas: quapropter vt sic pertinent ad dignitatem. Vel ex Scoto respondetur, quod sufficit, vt non dicant indignitatem. Quod si idem Scot. ead. d. 28. quandoq; ait, eas dicere dignitatem, loquitur *negatiue*, id est. non dicunt *indignitatem*: eo vel maxime quia in sententia eius diuinæ relationes abstrahūt à finito, & infinito; & propterea si argnas, Relationes hæ, siue notiones istæ negatiuæ non dicunt formaliter dignitatem, ergo dicunt indignitatem, facilis est responsio ex cod. Sco. negando conseq. quia relationes, sicut, & notiones abstrahunt à finito, & infinito formaliter, ac propterea abstrahunt à dignitate, & indignitate. A primo autē ad vltimū, fundamentaliter specta ex dicūt dignitatē, quia connotant Patrem, & Filium: Patrē innascibilitās; etenim magna dignitas Patris est esse fontem Trinitatis, vt Patres loquuntur, esseque primā personam: magnaq; dignitas Patris, & Filij est, inspirabilitas, siue.n. considerentur, vt genitor, & genitus, siue, vt spirantes, & inspirati, seu inspirabiles, sunt nihilominus Deus, & habent secum adiunctam dignissimam diuinitatem, sed de his plura infra lib. 3. de Patre.

Notiones danda in diuinis.

7 His actis dicimus primo, in diuinis dandæ sunt necessario notiones, est sententia Sanctorum Doctorum Basil. August. ac Scholasticorū, vt sup probatur vero, si ne. andę sūt, ideo, quia notionis nomen abstractū obest diuinæ simplicitati: at ratio hæc inualida est, vt fuit ostensum. Itē magis compositio importanda esset per cōcretum, quam per abstractum, sicubi compositio posset interuenire: at in diuinis Præpositiuus admittit concreta vt Patrem, Filium, Spiritum sanctum, absq; tamen compositione. ergo multo magis admittere debet abstracta, & notiones.

Notiones propter innotescentiā & distinctionem.

8 Secundo dicimus, Ratio, ob quam admittendæ sunt notiones. est innotescentia, & distinctio personarum: Duo continet assertio hæc, vnū est innotescentia, alterum est distinctio de distinctione probatur hic, de innotescentia habitum fuit initio. Et quidem quoad distinctionem, est principium, tum philosophicum, tū August. 1 de Trin quod *nihil producit seipsum*, oportet enim producens distingui à producto, ergo Spiritus sanctus, & Filius non producunt seipsos sunt personæ productæ. ergo a iūde productæ: Spiritus sanctus à Patre & Filio, ergo distinguitur Spiritus à Patre, & Filio: producitur autem spiratione. hæc vero vnica est in Patre, & Filio, quia ambo producūt, igitur Spiritus sanctus distinguitur à Patre & Filio, & hoc mediante vtraq; spiratione. Item Filius non est à sè, quia nihil seipsum producit, ergo ab alio: at Filius, vt Filius nō est. nisi à Patre, & id non nisi generatione, ergo distinguitur à Patre, id vero fit mediāte vtraq; generatione. Denique, non datur processus in infinitum in entibus; ergo nec in diuinis personis, ergo deueniendum est ad vnam omnino

gino primam personam; cum autem sit prima, vtique non producetur ab alia, ergo ea erit ingenita, & improducta omnino à qua tamē aliæ omnes producentur, igitur habemus personam ingenitam, & ita habemus vltra vtramque generationem, atque vtramque spirationem, ipsam Patris vlteriorem notionē, quæ vocatur ingenitum: patet ergo distinctio; patuit quoque innotescentia ex nominis ethymologia initio.

QVÆSTIO II.

Quot sint Diuinæ Notiones.

1 VIso de Ethymologia Notionis; constito etiam dari Notiones, hinc quærimus Vtrum Notiones sint tātum quinque an plures.

Notiones quot. 2 Absolute dicimus quinq; sunt notiones diuinæ Est cōmunis Theologorū, vt sup. Ostendamus vero ordinem earum, indeq; patebit numerus earundem. Et quidem incipiendo à Patre, in i so reperitur ratio principij, est enim principiū Trinitatis: principiū vero esset id, quod non est ab alio, alias non esset principiū, neque primum; ergo si Pater est principium, igitur ipse nō est productus ab alio, ergo est à sè, ergo est improductus. ergo erit ingenitus: & hæc est prima notio Patris, nempe ingenitū. Hinc inferimus p nil aliud posse Patrē cognosci nō esse ab alio, nisi per innascibile & per ingenitum.. ices, cognosci non esse ab alio per paternitatem; contra, Nullus est Pater in humanis, qui non sit ab alio, vel quidem per generationem, omnes enim Patres sunt Filij Adæ, contenti in lūbis Adæ; vel per diuinam formationem, sicur Deus formauit Adam, qui est omnium Pater, igitur per esse Patrem non potest inferri non esse ab alio, seu non esse improductum, nam Adam primus omnium Pater non fuit improductus, sed à Deo productus; ergo æternum Patrem esse primam personam non cognoscimus *præcise & gratia formæ*, per esse Patrē sed per esse ingenitum. Habemus ergo hucusque notionem ingeniti. Dixi *gratia formæ*, nam gratia materiæ est prima persona per paternitatem, vt infra.

Singularū personarum singulę notiones. 3 Vnde quia Principio cōpetit, & non esse ab alio & competit esse à quo alius, ideo cū à Patre sit alius, nempe Filius, & id per generationē, merito hinc cognoscimus Patrem per paternitatem, & generationem actiuam. & ita generatio & paternitas, erit Patris secūda notio. Et quia ab eodem Patre, vna etiam cum Filio, est Spiritus sanctus, & id per spirationem, merito in Patre ponitur spiratio, quæ est alia notio, & ita in Patre erit triplex notio, duplex positiua, & vna negatiua; ingenitum, seu innascibilitas: generatio actiua, & actiua spiratio. At quia Filius est alius à Patre, & productus à Patre, & non nisi per generationem; merito ponenda est in Filio passiua generatio, & hæc est Filij, notio, & in ordine est quarta notio. Quia denique Spiritus sanctus est à Patre, & Filio, at per spirationem: ideo in Spiritu sancto est apponenda passiua spiratio, quæ est sua notio, & ita habebitur quinta notio. Dices erunt sex notiones, quia competit quoq; Filio sua spiratio, sicut competit Patri: Resp. spirationē actiuam non multiplicari in Patre, & Filio, sed esse vnam eādemq; in Patre & Filio, quia voluntas fæcunda, spiratio, siue actus spirandi est vnus, idem-

idemque in Patre, & Filio, ac propterea spiratio erit numero vna, & eadem: vnde est, vt eadem sit in vtroq; Et à primo ad vltimũ notiones erũt quinq; Ingenitũ, generatio a[illegible]iua, & passiua: spiratio actiua, quæ est in Patre, & Filio, & spiratio passiua, quę est in Spiritu sancto: in Spiritu quidẽ sancto est notio vna, vtpote passiua spiratio. In Filio duæ, vtpote passiua generatio & actiua spiratio: & in Patre tres vtpote innascibilitas, generatio actiua, & actiua spiratio.

Asserere notiones non esse quinq. est temerarium.

4 Secundo dicimus. quinq; sunt notiones in diuinis de facto: & oppositum in præsenti asserere determinate, non caret temeritate, inquit Herr. 1 p. d. 12. q. 2. §. *secũda concl.* Loquitur autẽ assertio de facto, & ex eo, quod constat; Ratio quia non licet contra communem sententiam Theologorum ire; tum etiam, quia oppositum, esse nunc, minus magisq; de facto, nõ constat. nec ex determinatione Ecclesiæ, nec ex definitione Concilij, nec ex dictis Sãctorum Patrum. nec ex ipsorum vnanimi consensu Theologorũ, ergo sine temeritate oppositum his temporib. non assereretur.

Vtrum possint esse sex

5 Tertio dicimus, nulla esset temeritas nec error asserere notiones esse sex, si id posset concludi ex dictis Sanctorum Patrum, atq; Catholicorum, & approbatorum Theologorũ. Conclusio est Scoti in 1. d. 28. quem vnanimiter defendunt Scotistæ. Hãc sententiã Rada appellat in *fide tutissimam* 1 p. contr. 15. ar. 3. & Herther. vbi sup. ait, *Non videtur carere temeritate asseueranter affirmare non posse esse in diuinis plures notiones, quam quinq;* Et Torr. 1. p q. 32. art. 3. inquit, *Si sancti imposuissent plura nomina ad significandas notiones, non esset inconueniens, immò esset necessarium dare plures notiones* Ratio asserti est, quia notiones non simul innotuerunt Scholasticis, sed paulatim deuenerunt ad quinq; & id ex dictis Sanctorum Patrum, ac cæterorum Theologorum: tum etiam quia tempore D. Ambrosij non erat nota *innascibilitas, & ingenitum:* & ita tunc penes Ambros. notiones erãt quatuor, & nõ quinq; tũ quoq; quia Aug fuit qui primo do-

Notiones, quot tempore Amb. & Ansel.

cuit duas in Patre notiones, ait enim 5. de Trin. c. 6. *Ideoq; alia notio est, qua intelligitur genitor, et alia qua ingenitus.* Anselm itid. non vtitur *spiratione* sed pro illa accepit *dignitatem communem Patri, & Filio*. Quod si Ambros. & Ansel. interrogasses tunc, an quinq; essent notiones minime quin que respondissent: id vero dixissent de facto in ordine ad tempora eorũ; quia tunc non plures quam illæ innotuisẽt eis: quod si insuper interrogati fuissent, vtrum parati fuissent cõcedere plures si forrasse essent possibiles; respondissent, paratissimos fuisse ad eas amplexãdas, si aliquãdo plures rationabiliter, & authentice innotuissent: ita discurrit Scot. qui quidem de facto quinq; admitit notiones, cum vniuersis Theologis: at vltra has, admittit sextam inspirabilitatem, non tamen asseueranter, & determinate, sed quatenus oppositũ non constaret ex determinatione Ecclesiæ, definitione Concilij, & dictis Sãctorum, siue ex aliqua ratione efficaci, quæ concluderet non esse dandam talem notionem: quod si id eueniret, vtique paratus esset negare cum cæteris, inspirabilitatẽ esse sextam notionem. Hæc est aperta mens Scoti, vt patet in textu Et hinc deducunt Scotistæ, posse pariformiter multiplicari, amplius, si opus esset, addendo notiones alias, siue affirmatiuas, siue negatiuas, si tamen id non esset contra Conc. Eccles. & optimã rationem. Obstabis, inde sequi, posse voluntarie, & in infinitum notiones multiplicari, ita Suar. de Trin. lib. 5. c. 10. negatur id, quia iam dixit Scot. id fiendum rationabiliter, & cũ fundamento, donec ratio in contrariũ non obstiterit; quare non est voluntaria multiplicatio illa, quæ fundamentum habet in rẽ: quod si fundamentum in rẽ haberet sexta notio, vtique esset admittenda: non ergo notiones sunt multiplicandę absque rationabili fundamento.

Scot. quot notiones admittit.

6 Videamus vero, vtrum inspirabilitas possit habere fundamentũ in ipsa rẽ: Et quidem positio ista non derogat misterio Trinitatis, immo ipsum magis notificat, quia ponit

Inspirabilitas, an possit esse sexta notio.

aliam

aliam notionem, munus vero notionis est magis specificare, & facere innotescere Trinitatẽ. Ergo potest admitti. prob. conseq. docuit D. Thom. sup. art. 3. quod licitum est contrarie opinari de notionibus, quando id nõ derogat fidei in misterio Trinitatis: at Scotistæ profitentur per hanc sextam notionem non derogare tanto misterio, immò ipsum amplius declarare. Item si inspirabilitas non esset admittenda, vt specialis, Patris, & Filij notio, inde esset, quia cum sit negatio non dicit dignitatem, sicut dignitatem dicit ingenitum: at hoc nõ currit, quia æqualis dignitatis est in Patre non spirari, ac nõ generari, vel æquanimiter se habent, præscindendo à dignitate, & indignitate: sed nõ generari est notio, ergo erit quoque notio nõ spirari. Rursus, quod notio pertineat ad dignitatem, non videtur id tanquam de ratione intrinseca eius; quia plures ex Theologis negãt diuinas relationes esse formaliter infinitas sed abstrahunt à finito, & infinito: est autem de per sé intrinseca ratione notionis facere deuenire in cognitionem, at inspirabilitas facit hoc, quia Pater, & Filius distingũtur à Spiritu sancto, nedum per generationem, ingenerationem, & spirationem actiuam; verum etiam per inspirabilitatem, quia ille spiratur & ipsi non spirãtur, hæc omnia, & huius generis dicta sin, quousque oppositum constiterit, vel ab Ecclesia, vel à cõtraria conuincente ratione, inquit Scotus.

Obstat. 7 Obstaueris, Augnst. vel Sancti Doctores aiunt esse quinq; ipsas notiones, ergo sunt tantum quinq; *Respond.* Respond. Scot. negando conseq. inde. n. sequitur quidem non esse minus, quã quinq non autem sequitur non esse plus, quam quinq; dũmodo non constaret rationabiliter oppositum ex Ecclesia. Concilijs, Theologis, &c.

Spiratio actiua, an sit notio. 8 Quæritur vero, quomodo spiratio actiua possit esse notio; ratio dubitationis, quia quæ sunt communia pluribus non numerantur inter notiones, spiratio est communis Patri, & Filio. Resp. esse notionẽ: ita communiter omnes. Ad rationem dubitandi respondetur, quod non implicat notionem esse communẽ plurib. licet implicet esse cõmunẽ omnib. seu tribus: & ita neq; Essentia, neque attributales perfectiones erunt notiones, quia sunt communes tribus: at spiratio est quidem cõmunis duobus: sed non tribus, & ideo, potest esse notio, vt etiam attigimus q. antec. Respond. etiam, quod licet Pater, & Filius non distinguãtur per spirationem à priori, à Spiritu sancto; distinguuntur tamen per eam, tanquam à posteriori, posset enim argui spirationem non esse notionem, quia notionis munus est facere distingui: at Pater, & Filius distinguuntur paternitate, & filiatione à Spiritu sancto, ergo spiratio non erit notio: Respo. paternitate, & filiatione distingui à priori, spiratione autem, tanquam à posteriori, quia spiratio est quidem notio Patris, & Filij, at est notio non constituens, sed aduenientis, quia, vt Scotus vocat, spiratio est relatio aduentitia. Respond. secundo esse notionem, quia quatenus Pater, & Filius sunt Spirator, referuntur ad Spiritum sanctum, & distinguuntur ab eo per spirationem, tanquam per spirantium notionem.

9 Obstatur ex OKamo quatuor esse notiones, quia relatio est notio, & è conuerso: relationes sunt quatuor, ergo quatuor notiones. Respõsio iam patet, vtiq; loquendo de notionibus positiuis, eæ numerantur, ad numerum relationũ, & sunt quatuor positiuæ: loquendo tamen confuse de notionibus, siue positiuis, siue negatiuis, eæ sunt quinque cum positiuis, & fortasse possunt esse plures. *Notiones positiuæ quatuor, quid de cæteris.*

10 Obstabis, notio hoc habet, vt sit ratio innotescendi: at negatio non potest id præstare de sè, probat. quia negatiuum non cognoscitur, nisi per positiuum, vt habitus facit cognoscere priuationem: innascibilitas vero est pura negatio, quomodo ergo poterit esse notio. Respond innascibile, & ingenitum dicere duo, vnum positiuum, alterum negatiuũ: illud est ratio positiua, seu principium

pium positiuum, à quo est aliud; hoc indicat independentiam, & improductionem ab alio. Negatio hæc fundatur super illo positiuo: & ita Pater ea ratione, qua produeit, vt prima persona, est principium vere, & positiue sumptum: ea autem ratione, qua ipse est à nullo, & improductus, dicitur innascibilis, & ingenitus, & hoc dicit negationem, nempe essendi ab alio, quę negatio fundatur super rationē positiuam ipsius Patris, quatenus est Trinitatis principium.

11 Vtrū vero mereatur censurā aliquam sententia Scoti, Respond. Turrianus centuria 4. dub. 24. inquiens *Augustinus quidē solum assignat quinque, & multi Scholastici illum sequuti sunt; sed Scotus, & eius Discipuli assignant sex notiones: Neque video argumentum tanti ponderis contra Scotum, vt dicam oppositam mereri censuram. Quod enim docuit Augustinus non est satis ad dicendum sententiam Scoti mereri censuram.* Hæc Turrianus.

FINIS.

DE TRINITATE

LIBER TERTIVS.

DE PATRE ÆTERNO.

DISPVTATIO PRIMA;

QVÆSTIO PRIMA.

Num Patris nomen sit proprium primæ Personæ.

Patris nomẽ propriũ Patris.

1 SVmpto Patris nomine rigorosè, iuxta genituræ ministerium, cõpetẽs Patri, vtique indubitatũ est, esse nomen solius Patris; prob. ministerium Patris est generare, & hoc nulli alteri competit: non quidem Artifici per voluntatem operanti: non Spiritui S. per voluntatem producto: non cuicunque alteri alia via agenti, ergo est nomen solius Patris. prob. assumptũ, generare sibi simile in natura, itaut genitum ex vi productionis procedat vt simile in natura, id est opus solummodo Patris. Accedit, quod infra habebitur, nec Filio competit generare, nec Spiritui sancto, ergo dempta ab his generatione, tolletur nomen Patris, & relinquetur personæ potenti generare, at illa est solus Pater, qui est prima Trinitatis persona, ergo est nomen soli competens Patri. Scripturæ quoque id docent, Ephes. 3. *flecto genua mea ad Patrẽ Domini nostri Iesu Christi: ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur.* sæpius autem eo nomine vtitur idem Paulus: & Athan. in symb. *Pater à nullo est factus:* & infra, *Filius à solo Patre est.* in primo quidem loco Patris nomen assignat primæ personæ, dum ait esse à se solo, & à nullo: in secundo generationem ostendit, & Patris munus demonstrat. sed de his infra per totam seriem Trinitatis, dum ex Concilijs, & aliunde patebit nomen Patris esse verè in diuinis, primæq; conuenire personæ; vt ibi, *ipse inuocabit me, Pater meus es tu.* psal. 13. &c.

In creatis adest ratio Patris, & Matris: in diuinis ratio Patris.

2 In humanis quoque, & creaturis cæteris corporeis reperitur ratio Patris; siquidem Franciscus est Antonij pater: leo leunculi pater, & de singulis potentibus generare. quod amplius patet, quoniam Arist. generationem adstipulatus fuit vtique in humanis, & creatis, dum ad generationem nõ pertingere potuit increatam; ergo consimiliter & hic in creatis, stante generatione reperitur vera ratio patris. Vnum tamen vltro addi-

tur in creatis, quia & ratio reperitur patris, atque etiam matris, dum ex parentib. vtriusque gignitur proles: cessat verò in diuinis ratione Diuinitatis, ratio matris, dicente Athanasio, *Ex substantia Patris ante saecula genitus: ex substantia Matris in saeculo natus*, ratione Christi humanitatis.

Patris nomen ex diuinis translatum ad humana.

3 Addit Cyrill. l. 1. in Ioa. c. 3. Patris nomen non translatum fuisse ad diuina ex paternitate in humanis, immo potius ex diuinis nomē hoc trāsfusū fuisse ad humana. *Paternitatis nomen*, inquit, *non à nobis in Deo, sed à Deo in hominem defluxit, cuius imitatione quadam, atque similitudine nos, qui ad imaginem eius facti sumus, patres appellamur.* idemque docet Damasc. l. 1 de fid. c. 9. *scire*, inquit, *oportet, nomen paternitatis non esse ex nobis ad Diuinitatem translatum. sed contra*, vt ait Apost. *inde nobis traductum.* dixerat autem sup. Apost. *ex quo* nempe *Patre, omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur.* Theodoretus, sup. ad Ephes. 3. *propriè Pater, & verè Pater Deus: Alij autem Patres, siue corporales, siue spirituales, è superis traxerunt appellationem.* & Hieron. ibid. *Quomodo Deus essentia sua nomen, atque substantia cæteris impertit, vt ipsa quoque esse dicantur, sic & paternitatis nomen ex semetipso largitus est omnibus.* Et confirmat, siquidem nullum prius dependet, saltim essentialiter à posteriori: generatio diuina prior est, quā humana, illa namque est æterna, hæc temporalis; ergo temporalis paternitas non poterat paternitatem ingerere in diuinis. Item potentia generandi in Patre fuit ab æterno, ex vtero ante Luciferum genui te; potentia generandi in humanis est in tempore; ideoq; Athanas. ibid. aiebat, *Deus est*, nempè Christus, *ex substantia Patris ante saecula genitus: & homo est ex substantia matris in saeculo natus.*

4 Vasquez 1. p. d. 22. c. 7. contendit contra Damascenum nō esse Pauli sensum, illum, quem tribuit Damascenus; non enim Paulus, inquit, loquitur de vera ratione Patris, sed Paternitas ibi non paternitatem, sed familiam indicat, prout deducit ex græco, ita vt sit sensus, quod Deus est Pater, à quo vniuersa creaturarum origo, & familia descendit. Pater quidem, seu causa, dum est creator omnium, & gubernator; & ratione etiam probat cōtra Damascenum, quia antequam innotesceret in mūdo misterium Trinitatis, & Paternitatis diuinæ, vtiq; in creaturis plenè habebatur ipsum nomen Patris, & filiationis, atq; generationis, vt patet tum in sacris, tum in prophanis historijs, ex quib. deducebatur, sicut modo, genealogia Patris, Filij, familiarum, cognationumq; per generationes; ergo non potest paternitas ad creaturas deriuare à Deo, quin potius à creaturis ad Deum, dum Deum ipsum cognoscimus per creaturas.

Deriuatio nominis Patris.

5 Verum distinctione vtendum est vt litem soluamus. Et quidem nomen Patris, vel consideramus quantū ad modū significandi, vel quantum ad rē significatā: primo modo currit discursus, & verum est quod à creaturis incipimus à posteriori, & tribuimus illud Deo; quēadmodū nāq; via innotescentiæ vtimur perfectionib. attributalib. creaturarum, vt eas attribuēdo Deo, cognoscamus Deum, de quo tom. 1. in disp. de attributis; ita vtendo voce paternitatis in creaturis, applicamus illam ad creatorem, vt ipse quoq; sit Pater. & confirmatur ex ipsomet Deo Isa. 66. dicente, *Numquid ego, qui alijs generationem tribuo, sterilis ero?* quasi dicat, ex creaturis quidem constat creaturas ipsas esse fecundas, & propterea eas quandoq; generare, & Patrem, Filiumq; euadere: cur autem est, vt perfectio hæc denegetur mihi, qui creaturis vim generandi tribuo, numquid, inquam, *sterilis ero?* quoadmodum igitur significādi potest ex creaturis transferri in creatorem; non quidem vt ex creaturis cognoscamus Trinitatem, aut Patrem, aut æternam generationē, quod fieri nequit, vt li. 1. disp. 1. q. 3. est habitum: & in hunc sensum potest habere locum discursus ipsius Vasquez. quoad rem vero significatam, qui est secundus modus, loquitur Damasc. & ita verum est, & ratio superius adducta probat; quoniam generatio diuina est æterna, creaturarum vero tem-

pora-

poralis. Deus Pater habet vim, & principium generandi, & essendi Patrem à se, independenter à creaturis, ac propterea dicit, ego, qui cæteris generationem tribuo; creatura autem totum esse, & generationis, ac paternitatis principium habet à Deo: sicque verũ est hoc modo à Patre æterno omnem paternitatem deriuare siuè quæ in cælis, siuè, quæ in terris sunt. Confirmatur ex D.Tho. 1.p.q. 33.art.2.ad 4. ita in terminis scribente, *nomen generationis, & paternitatis per prius dicuntur de Deo quam de creaturis, quantum ad rem significatam quam quantum ad modum significandi.*

6 Contendit vero Vasq. locum Apostoli nullatenus intelligendũ de paternitate vera, & reali: sed inde colligi Deum appellari eatenus Patrem, quatenus ex ipso pendent vniuersæ familiæ gentium per creationem, & gubernationem: tum Angelorum, ob quod dicit Apostolus, omnis paternitas in cælo, tum hominum, cæterarumq; creaturarum corporearum, ob quod subiungit, & in terra. Verum ipse Vasquez habet Diuum Thomam contrarium, qui ibidem post traditã in terminis resolutionem, continuò in cõfirmationem affert textum Pauli, inquiens, vnde & Apostolus dicit ad Ephe.3. *flecto genua mea ad Patrem, &c.* quidquid tamen sit, siuè propriè sumatur pro paternitate in rigore; siuè pro paternitate fusè sumpta, vtrumq; currit; vt quantum ad rem significatam per paternitatem, prius dicatur de Deo Patre; quantum ad modum significandi, prius intelligatur de creaturis, quarum ipse Deus ratione conseruationis, & creationis dicitur etiam Pater, vt dicemus.

Pater sumi tur substãtiuè, & adiectiuè.

7 Notat inde Scotus in 4.d.3. q. 2. in calce, Patrem sumi posse substantiuè, & adiectiuè: primũ indicat personam, seu hypostasim: secundum indicat proprietatem, seu officium, & munus Patris, quod habet in 1.d.26. q.1. in calce. hinc vero infert non esse idem significatum genitoris; & Patris quia Pater significat primo, & per se suppositum primum in natura diuina, Genitor vero significat primo, & per se proprietatem, cuius munus est generare.

Pater notionaliter, & essentialiter, veluti causa ad extra.

8 Verum quia nomen Patris à Theologis vsurpatur tum essentialiter, tum notionaliter, siuè personaliter: dum de secunda vsurpatione diximus, restat, vt loquamur de prima. de secunda quidem iam patet, & patebit amplius esse nomen solius primæ personæ, quæ verè, & propriè in diuinis vocatur Pater, cui soli, & non alteri competit generare, & esse Patrem. de prima autem dicendum primo id competere nedum Patri, verũ & toti Trinitati; ratio, quia esse Patrem essentialiter, idem est, ac esse principium, & causam omnis operationis ad extra: at opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, ergo creare, gubernare, & similia tanquam essentialia, siuè communia Trinitati, competunt & Filio, & Spiritui sancto, sicut competit Patri. Verum est tamen quod speciali sub ratione competit Patri, nempè appropriate, quia potentia, qua mediante producuntur res ad extra, appropriatur Patri, ob quod Ecclesia in collectis Patri appropriat omnipotentiam, *Pater omnipotens, æterne Deus, &c.* potentia, inquã ex Theologis appropriatur Patri: sicut sapientia Filio ex August. *Verbum est ars Patris:* & amor, bonitasq; Spiritui sancto iuxta eiusdem Ecclesiæ Inuocationem, *Veni sancte Spiritus*, à quo gratiam, charitatem, & amorem postulat. ergo vt sic appropriatè est Patris potentia productiua ad extra, licet sit essentialis, & communis tribus.

Patris elogiũ ex Trimegisto.

9 Noluit Trimegistus sic nominare Patrem ipsum Deum, aiebat namq; in Pimand. c. 12. & 5. *Altera appellatio Dei Pater est; ob eam causã, quia omnia gignit; Patris enim officium est generare.* & iterum, *Caue caue ò fili mi Iati, ne vnquam artificium prives Artifice, quin immo Deum nomine prĩ innocato, patremq; esse proprium eius existimato.* & rursus, *Deus, & Pater, & bonum naturam eandem, immo eundẽ actum habent.* Ipsum quoq; Iouem Ethnici Patrem omnium inuocabant, à quo cuncta, & omnia, propterea; ipsum assistere vbiq; vt tanquam Pater cunctis iuuet; à iuuando enim dicitur *Iouis*, vnde ille, *Iouis omnia ple-*

na, de quo 1.p. de diu. nom.

Nominis Patris significata ex scripturis.

10 Ex scripturis vero amplius, clariusq; insinuatur; tum operationẽ suam ostendendo sub ratione vestigij, vt Iob 38. *quis est pluuiæ Pater, vel quis genuit stillas roris?* tum sub ratione imaginis, vt Deut. 32. *numquid nõ ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te.* tum sub ratione adoptionis gratificæ, vt Rom. 10. *accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater; ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* & psal. 115. *ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* tũ deniq; in ratione gloriæ, vt Rom. 5. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

Patris aterni amor vberior est ad creaturas amore patris terreni erga filios.

11 Habita tamen comparatione paternitatis, seu paterni amoris, quẽ Deus erga creaturas exercet, ad amorem, quem parentes nostri circa nos filios exercent, multo amplius relucet; & excellentior, atq; vberior est ille, quam iste; ait namq; Damasc. l. 1. de fide c. 15. *Principalius, Deus noster Pater est, qui ex nihilo nos ad esse perduxit, quam illi, qui nos genuerunt.* Paulus amplius id declarat Heb. 12. *Patres quidem, ait, carnis nostræ eruditores habemus, & reuerebamur eos, non multo magis obtemperabimus, Patri spirituum, & viuemus?* Mater illorum Fratrum Machabæorum, ita eos alloquebatur in martyrio 2. Machab. 7. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, neque enim ego Spiritum, & animã donaui vobis, vitam, & singulorum membra non ego compegi.* vnde Iob. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me*, & infra. *nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti pelle, & carnib. vestisti me ossib. & neruis compegisti me*, quod si ita est, merito Christus per Matthæum 23. dixit, *Patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim Pater vester, qui in cælis est.* Ioann. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum Vnigenitum daret*,

Paternitas hæc qualis erga creaturas.

12 Nihilominus negari non potest paternitatem sic dictam de Deo, vtiq; esse impropriè dictam; ratio quia Deus Pater non generat creaturas: non generat ad extra: vnicum Verbũ generat, & id ad intra. Fundatur igitur hæc paternitas ad extra in causalitate, & gubernatione, atq; dispositione earundem creaturarum, dum de ipsis facit quidquid vult, creando, conseruando &c. & sub hac ratione analogiam, & similitudinem quãdam habet ipse Deus cum creato parente, qui prolem generat, eamq; conseruat, regit, & gubernat. Fundatur inquam paternitas super causalitate, & prouidentia & sic loquitur Iob, *sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti: ossibus, & neruis compegisti me, pelle, & carnib. vestisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi: & visitatio tua custodiuit spiritum meum:* vbi & productionem exprimit, & prouidentiam eorum, quæ ad vitam necessaria sunt ipsius hominis. hęc quidem spectando paternitatem largè, & impropriè sumptam; cæterum ad paternitatem sumptam pressè, & rigorosè nec causalitas, nec prouidentia sufficit: non quidem causalitas, quia ignis ignem causat, & putredo mures, tamen nec ignis est pater ignis, nec putredo muris. nec prouidentia sufficit, quia de multis prouidentiam habemus, quorum gubernia gerimus, siuè animata, siuè inanimata, & tamen patres eorum non sumus, nam pedagogus discipuli, & tutor curam, tutelãq; gerit pupilli, siuè etiam villicus curã habet sementis, & messis, cum nihilominus patres eorũ sint minimè. Nec insuper causalitas cum prouidentia coniuncta ad id sufficit; etenim artifex producit vas, eiusq; inde curam habet, & conseruat, cum nihilominus pater eius non sit: aliud igitur requiritur vt pater fiat, sed de hoc infra; etenim pater est is, qui per veram, naturalemq; generationem generat sibi simile in natura: de quo suo loco. quia vero conseruare, fouere, prouidere & huius generis, munia sunt veri Patris, qui post productam prolem, eam fouet, conseruat, nutrit; hinc est, vt Deus noster post præstitum nobis esse, dum fouet, & conseruat res, quas condit, ad instar amantissimi patris, pater appellatur à scripturis.

Patris nomẽ an vniuocũ Deo, et creaturis.

13 Ex tali autem improprietate sequitur vt dicamus nomen Patris in re ipsa non esse vniuocum Deo, & creaturis. probatur, Deus, & creatu-

ra sunt primo diuersa, saltim subiectiuè, Deus namq; est infinitus, creatura finita; ergo Pater non est quid vniuocum Deo, & creaturis. item filius in diuinis generatur vt consubstantialis Patri, est namq; Deus: at filius in creaturis non est consubstantialis æterno Patri, cum non sit Deus. patet ergo in hoc nullã reperiri vniuocationem, & cõfirmatur, quia vniuoca sunt illa, quorum nomen est cõmune, & ratio substantiæ est eadem: at nomen Patris est quidem commune Patri increato, & creato, ratio tamen substantiæ est diuersa, ergo est nomen æquiuocum in substantia.

14 Nihilominus, stante æquiuocatione in substantia, & in re, non implicat dari vniuocationem in cõceptu ipsius paternitatis; vt penes rationem paternitatis, qua paternitas est, vniuocetur diuina, & creata paternitas. est Scoti in 1. d. 26. q. 1. *Idem.* prob. conceptus patris, vt sic, est generare: Deus autem Pater, & homo Pater generaut, ergo vt patres vniuocãtur. Item, generare in natura diuina, generare in natura humana sunt quid posterius ad generare simpliciter: ergo in ratione generandi absolutè cõueniunt. Insuper generatio, & paternitas non magis postulat de se fieri in vna natura, quam in alia, creata, vel increata; qnia de se abstrahit, & est quid prius, & indifferens ad creatam, & increatam; ergo de se vtraq; generatio, & paternitas in ipso conceptu indifferenti, & priori conueniunt. Deniq; generatio bruti, & hominis vtique in substantia æquiuocantur, cum differant specie; nihilominus vniuocantur in conceptu generantis, & Patris; ita namq; asellus est pater aselli, sicut homo hominis, nec in hoc differunt. Adde, quod generatio diuina est naturalis, in similitudinem naturę, & ex vi generationis Filius procedit, vt similis Patri: hæc eadem adueniunt in generatione humana. vide infra artic. vlt.

Obiectio solutio. 15 Obstabis, enti per essentiam, & enti per participationem nihil est commune vniuocum. generatio, & paternitas diuina est ens per essentiam: generatio creata per participationem, ergo. Resp. ad maiorem ver est de vniuocatione in substantia, vt est dictum, non autem de vniuocatione in conceptu generationis, & paternitatis. Præcipuè responsio hæc valet penes Scotistas admittentes vniuocationem entis Deo, & creaturis. Item æquiuocantur in conceptu adæquato, vniuocantur in conceptu inadæquato paternitatis.

16 Obseruandum tamen D.Th. negare paternitatem vniuocè dici de Deo, & creatura: 1. par. q. 33. art. 3. in qno videtur contraire Scoto. verum distinctio Scoti eos concordat: quod in realitate minimè vniuocãtur, cùm generatio creata, & increata, tùm passiuè, tùm actiuè longe sint diuersa in substantia; attamen in cõceptu abstrahibili sub ratione principij absolutè non vt sic: & paternitatis absolutè, nõ vt sic, possunt vniuocari. quẽadmodum à plurib. alterius rationis potest abstrahi conceptus vnus prædicabilis in quid de eis. *Conciliatio D. Thomæ, & Scoti.*

17 Smysingus de Trin. d. 2. q. 6. n. 140. negat Scotum asserere paternitatem diei vniuocè de creata, & increata: licet concedat de eius mente principium vniuocari de creato, & increato. sed fallitur, tùm quia eadem est ratio principij, & paternitatis: tùm etiam, quia ex professo id docet Scotus loco cir. dum soluit argumentum principale, quo arguebatur principiũ non dici vniuocè de Deo, & creatura, aliàs creatura esset eiusdem rationis cum Filio. Et respondens ait, principium posse esse vnius rationis, licet illa, de quibus dicitur sint alterius rationis: loquitur autem de principio generatiuo ad intra, & ad extra, quia loquitur de Filio, & creatura, itaque generatiuitas in se, & paternitas in se, sunt vnius rationis. probatur amplius ex eodem Scot. qui in 1. d. 26. q. 1. ante lit. Z. S. *Ad illud* dico, ait posse dari cõceptũ cõmunẽ, qui dicatur in quid de paternitate diuina, & creata: prædicari autẽ in quid, est prædicari vniuocè. Verũ est tamen, quòd vniuocatio ista est in conceptu inadæquato, quatenus paternitas est, non autem adæquato, quatenus diuina, & creata est; vide infra quæst. septima. *Smysingus arguitur.*

QVAE-

QVÆSTIO II.

Disquiritur comparatio paternitatis diuinæ, & humanæ.

Paternitas diuina excellentior quauique creata.

1 VErum expendamus amplius cõditiones paternitatis diuinæ, vt patrat magis eius excellentia: dicendum ergo omnino eminẽtiorem esse paternitatem diuinam quacunque paternitate creata.

probatur.

2 Et primo Pater æternus est Pater substãtialiter, quidditatiuè, atque essentialiter, ita vt paternitas sit ratio essentialiter constitutiua primæ personæ in diuinis: at in humanis paternitas est quid accidentale Patri; etenim Franciscus Pater non constituitur in esse Francisci per paternitatẽ est namque accidens ipsa paternitas separabilis à Francisco, remanente Francisco in esse integro personæ Francisci: hinc Epiphan. sup. Patrem appellat *natura Patrem, & in substantia Patrem*. Vnde Hieron. in Comment. Ephes. 3. admittens differentiã inter paternitatem diuinam, & humanam inquit, *ex eo, quod Deus Pater Domini nostri Iesu Christi iuxta substantiam Pater est; & Vnigenitus non est adoptione Filius, sed natura; cateræ quoque creaturæ paternitatis nomen adopsione meruerũt*. In hoc vero, quod ait, cæteras creaturas meruisse paternitatis nomen adoptione, indicare intendit paternitatem creatam deriuare à paternitate increata, quatenus perfectius, & per prius reperitur paternitas in Deo, quam in creatura, hinc Theodoret. super Ephes. 3. *Alij patres, siuè sint corporales, siuè spirituales, è superius traxerũt appellationem.* & infra de æterno Patre ait, *Qui verè est Pater, qui non ab alio hoc accepit, sed ipse aliis impertit.*

3 Item in creaturis contingit, vt non semper quis fuerit Pater: nec sit semper futurus Pater: non enim fuit Pater antequam genuerit Filium, fuit autem primo Filius, inde autem effectus Pater; & post obitum Filij nec remanebit amplius Pater, remanente absoluto supposito hominis, absque paternitate: non sic in diuinis, Pater enim semper fuit, est, semperque in æternum erit Pater: hinc idem Theodoretus, *Verè Pater Deus; non enim prius fuit Filius, deinde Pater, sed semper Pater est, &c.*

4 Insuper in humanis qui modo est Filius, poterit inde esse Pater: nec stabilis remanet paternitatis aut filiationis status, qui transfertur de persona in personam: non sic in diuinis, vbi Pater semper est pater, nusquam Filius: & Filius, semper quidẽ Filius, nusquam Pater: ita Athanas. orat. 2. contra Arian. *In istis*, nempè in creaturis, *nihil est propriè Pater, aut Filius, nec stabilẽ locum habet persona patris, & filij; nam qui filius est, pater efficitur, filius quidem eius, qui ipsum genuit, pater autem illius, qui ex ipso genitus est; verum id in Diuinitate ita non habet: nec Pater ex Patre originem traxit, vnde fit, vt gignat non progeniturum: quapropter in sola Deitate Pater propriè est pater, & Filius propriè est filius; & in illis solis consistit, vt Pater semper sit pater, & Filius semper sit filius.*

5 Præterea in creaturis inter patrem, & filium non stat identitas na-

turæ, nō perfecta æqualitas; nec perfecta similitudo in natura atoma, & singulari, sed sola reperitur identitas, specifica: oppositum inter Patrem, & Filium in diuinis, vnde genuit sibi consubstantialem, & coæqualem.

6 Nazianz. orat. 35. nullum, ait, patrem in creaturis esse integrè patrem; etenim generatio diuiditur inter patrem, & matrem; Deus autem est integrum, totaleque principium vnigeniti Filij, non enim expectat è creaturis consortium matris: aiebat autem Agnes virgo de Christo Domino, *Cuius pater fœminam nescit*: Naziãzenus autem de nobis, *Nec ex vno, sed ex vtroq; parente nascimur, ac proinde diuidimur.*

7 Idem Nazianz. orat. 33. plura in diuinæ paternitatis laudem congerens, ita scribit, *Patrem esse credamus Patrem, multò verius, quàm apud nos id nomē obtineat; tùm quia proprio, & singulari modo Pater est; tum quia solus, non enim mulieris coniunctione, atque congressu tum quia solius, nempe Vnigenititum quia solum, nec enim ipse prius, quàm pater esset, filius fuitiũ quia in totum, & totius pater, quod certo nobis affirmari nequit; tum quia à principio; nec enim posterius pater esse capit: eodem modo filium verè esse filiũ, quod solus, & solius, at singulari modo, & solum, (non enim pater quoque simul est) & in totum, & totius, & à principio hanc rationem habens.*

8 Atque demum Basilius tra. de vera, & pia fide exactius vtramque paternitatem ponderans, ait, *Vocabulum Patris si cum integra eius significatione, sicut apud nos est in vsu, accipiamus in Deo, impiè facimus: quandoquidem vna cum eo necessario simul, & affectio, & defluxio seminis genitiui, & ignorantia, & infirmitas, & talia quæcunque in ipso nomine cunlgantur.*

9 Rursus paternitas diuina vtiq; prima est omnium paternitatum, etenim illa æternalis est, quia Pater æternus genuit ab æterno, hæc temporalis: hinc Cyrill. l. 12. thes. *Quæ prima simpliciter sunt, causa sunt eorum, quæ secundo loco sunt: Pater autem Deus primus Pater est, quia primus omnium genuit.*

10 Ariani aiebant Patrem non propriè esse patrem, sicut nec Filium esse verè filium; rationem addebant, quoniam Pater æternus Filium quidē genuit, at non natura, sed gratia, & libera volnntate: Cum verò generatio sit opus naturæ, inferebant inde, Patrem non verè esse patrem, sicut nec Filium esse filium.

11 Patres verò vnanimes fatentur Patrem esse verè patrem, & Filiũ verè filium: immo dum paternitas creaturis conuenit, multò eminētius competit æterno Patri. Et quidem Clemens Pap. epist. 1. ad Iacob. *Patrē cum audis, agnosce quod habeat Filium veraciter genitum* Theodoret. supra ad Ephes. 3. *Propriè Pater, & verè pater Deus.* Cyrill. Alex. dial. de Trinit. lib. 2. *Propriè patrem esse, non aliam ob causam, quàm quod genuit ex se Filiũ: & propriè Filium, quia natus est ex Deo Patre.* & lib. 3. thes. cap. 2. *Verus Filius, propter quem Deus Pater est verus.* Athanas. Matt. 2. contra Arian. *In Sola Deitate Pater propriè pater est, & Filius propriè filius est* B sil. lib. 2. cōtra Eunom. *Pater noster est Deus, non abusione, aut translatione, sed propriè primo, & verè dictus.* atque Hieron. citat. loc. ad Ephes. *Ex eo, quod Deus Pater Domini nostri Iesu Christi iuxta substantiam Pater est, & Vnigenitus nō est adoptione Filius, sed natura, cateræ quoq; creaturæ paternitatis nomē adoptione meruerũt.* quo ex loco retũditur ariana hæresis, dũ docet differentiam Hieronymus inter filiationē humanam, & diuinam; itaut homines dicãtur filij Dei, filiatione tamen adoptiua per gratiam, iuxta illnd psalm. 81. *Filij excelsi omnes*, Verbum autem diuinum sit verè Dei filius per naturã, & Cyrill. Hierosolymit. Catechef. 7. *Est Deus, multorum abusiuè dictus Pater; Vnius verò, & solius, natura, & veritate, Vnigeniti Filij; Domini nostri Iesu Christi Pater.*

QVÆSTIO III.

Vtrum *Ingenitum* possit collocari in diuinis.

Ingeniti vox aliquando suspecta Patribus.

1 Ingeniti vox fuit plerisque Patribus suspecta: Et quidem Basil.li. 1.cōtra Eunom. ita scribit, *Ego quidem ingeniti, sine innascibilis appellationem, quãuis summopere cogitationibus nostris congruat, tamē quoniam nullo loco in Scripturis ipsam inuenio; & quoniam primum elementum est blasphemiæ istorũ, silentio tradendam merito dixerim, præsertim cùm Patris vox & id possit, quod ingeniti.* Athanas.orat.2. cōtra Arian. *Vanam esse*, ait, *institutionem huius vocis. cùm nihil aliud in se contineat, nisi meram præstigiationem* Chrysost.orat. 1.in Ioan.1. *In principio erat Verbum* respuit voces *Ingeniti*, & *Geniti*. Epiphanius hæres.73.ambas voces *Geniti*, & *Ingeniti* de medio tollit, quia nō sunt correlatiuę. Ambrosius consimiliter respuit, quasi alienas à scriptura lib.de myster.Incarnat.c.8.& 9.

Arguitur pro parte negante.

2 Vltra verò Patres argui potest, Primò, vox hæc non reperitur in scripturis, vt Patres ipsi testantur, ergo non admittenda. Secūdò Ingeniti aut sunt plures, aut vnus: si plures, ergo plures Dij: si vnus, ergo solus Pater erit ingenitus, Filius verò erit factus, & creatus, & sic erit creatura. Tertiò, vox hæc vsurpata est ab Ethnicis philosophis, non ergo vsurpanda erit à Patribus, & Theologis: antecedens probatur, etenim Aristoteles quærit 1. physic. *vtrum materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis*, probatque esse ingenitam, atque ingenerabilem. Idē Aristoteles 1 de Cęlo cap.10.probat Mūdum esse ingenitum. Quartò, vox *ingeniti* non demonstrat quid Deus est, sed quid nō est; ratio, quia est vox negatiua. Ex his ergo ducebantur plerique ad negandum in Patre vocem Ingeniti.

3 Vtique nomen *ingeniti* suspectum fuit antiquis aliquando Patrib. ac propterea ab illo abstinebant in persona æterni Patris; ratio suspitionis fuit. quia idem nomen vsurpatum fuit ab hæreticis, non tamen sub ea intentione, qua decebat; quandoquidem Ariani de Filio dicebant esse factum, esseq; creaturam, minimē Patri consubstantialem: ex opposito autem de Patre aiebant non esse factum; quod quidem sub nomine *ingeniti* explicabant; non autem ingenitum in Patre exponebant vt exponunt Catholici, ad oppositum *geniti* in Filio, & producti in Spiritu sancto, quatenus Pater cum sit à se, neq; per generationem est genitus, neq; per spirationem productus. Filium autem, & Spiritum sanctum aiebant, *factum*, ex cuius opposito de Patre aiebant esse *ingenitum*, id est, *non factum*: ergo ingenitum vsurpabant non vt distinguitur contra *genitum*, sed contra factū, vt concluderent Patrem solum non esse factum: de cætero autem, aiebant Filium, & Spiritum sanctum esse factum, & consequenter non esse Deū, sed creaturas. hoc autem stante, vt ne quidem in voce cum Arianis conuenirent Patres, aliqui negabant vtendū hac voce esse *ingeniti* de ipso Patre, & præcipuè de Ambrosio 4.de Spiritu sancto refert Magist. in 1. d.28. & Scot.ibid. Apertè autem has hæreticorum inuentiones refert D.Athan. de decret. Syn. Nicæn. inquiens, *ab Ethnicis nomen ingeniti mutuo sumendum arbitrati sunt, vt per occasionem huius vocabuli inter facta, & creata, Dei Verbum omnium Creatorem insererent,*

Ratio suspitionis de voce Ingeniti.

uerent, & *eiusdem Classis efficerent*. Idem vero ibid. docet, quod licet ad bonum sensum trahi possit nomen istud, nihilominus hæretici ipsum deprauauerunt; ait enim, *liquido apparet, scripta synodi rectam sententiam continere, & Arianorum voculas friuolas esse, & scopum illorum malitiosum, cum illi hoc vocabulo, ingeniti, quod probæ significationis est, & cum pietate vsurpari possit, pro animi sui conceptu, proq; libidine sua ad contumeliam Saluatoris abutantur*.

4 Quidquid tamen sit, reiectis hæreticis, iam omnis tollitur suspitio, & à Patrib. vna cū Theologis Scholasticis communiter vsurpatur *ingenitum*, & adscribitur Patri, de quo D. Bonau. Seo. & sententiarij cum Magistro in 1.d.28. & D.Tho. cum expositorib. 1.p.q.33.art.4. Ita quoq; Cōcilium Tolet. 11. in profess. fid. *Patrē quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur*. August. 15. de Trin. c.26. *Pater enim solus non est ab alio, ideo solus appellatur ingenitus*. & alibi sæpè. item Damasc. l.1. de fide c. 8.9. Basil. l.2. contra Eunom. Hilar. l. 4. de Trin. Sancta quoq; Ecclesia in Trinitatis officio de Patre canit, *te Deum Patrem ingenitum*, tum Ariani ex opposito dicerent, *te Patrem increatum, non factum &c.*

Homousiō an in Scriptura.

5 Respondetur autem ad primū, nec vocem *homousion* & consimiles reperiri expresse in Scriptura, nihilominus Concilia, & Patres eas admittunt, prout consonas scripturis, impliciteque contentas in scripturis: ergo à pari vox ingenitum debet admitti, etenim per eam explicatur à Concilijs, Patribus, & scholasticis veritas hæc, quod Pater sit ingenitus, quod conforme est veritati theologicæ, licet Aduersarij eam non probēt ex scripturis.

6 Ad secundum, responsio petēda est ex quæst. sequenti num.5. & 6.

Philosophia ancilla Theologiæ.

7 Ad tertium nil obest, vt vsurpata fuerit vox ista ab Ethnicis, & Philosophis; etenim philosophia est ministra, & ancilla dominæ Theologiæ: cui inseruire habent cæteræ disciplinæ: immo veluti Hebræi ab Aegyptijs tulerunt vasa aurea, & argentea, ita Theologia desumit philosophiæ arcana, vtiturque eis, tollens ea à Philosophis, tanquam ab iniustis possessoribus, inquit August. vt demōstrauimus lib.1. disput.1.q.2. & profecto voces plurimæ communes sunt Theologis, & philosophis, nec dedignatur eis vti Theologus, vt *Anima, corpus, substantia, accidens, relatio, absolutum, generatio*, & his similia: Verum est tamen, quod aliter Philosophus, aliter ea præstat Theologus; ille namque sub imperfectionib. multis, hic vero semotis omnino imperfectionibus: ita & de *ingenito*.

Philosophi veluti iniusti philosophiæ possessores.

Ingenitum de formali, negatiuū, de cōnotato positiuū.

8 Ad quartum: vox *ingeniti* de formali vtrique negatiua est; negat enim omnimodam in Patre passiuam productionem: de cōnotato autem dicit quid positiuum, quod est persona Patris: ergo nōn denotat omnino nihil, sed verè id, quod verè à parte rei est, licet à nullo sit in suo esse. Diuus quoque Paulus ait, *Regi sæculorum immortali, & inuisibili*. Regem quidem Deum exprimit per negatiua immortalitatis, & inuisibilitatis: at non per hoc docere intendit esse nihil, eum sit verè Deus, à quo omnia, & ipse à nullo.

QVÆSTIO IV.

Vtrum *Ingenitum* competat alicui personæ diuinæ.

Vtrum Ingenitum possit competere alicui personæ diuinæ.

1 Is actis deueniamus ad aliqualem expositionem huius vocis, *ingeniti*; Et quidem dum vox negatiua est, est nobis de negatione loquendum; quapropter duplici negationis genere est absoluenda controuersia: vt alia sit negatio *in genere*, alia *extra genus*; secunda est, quæ prædicatur tam de ente, quam de nô ente, de quo falsa sit opposita affirmatio, *vt non homo*, quæ quidem negatio dicitur tam de omni ente, quod non est homo, vt de pariete, lapide, ligno intra genus entis; quam de chimera, hircoceruo, quod neq; est homo, extra genus entis. altera est, quæ dicitur negatio in subiecto apto nato, cuiusmodi est priuatio, quæ duo idem sunt, inquit Sco.d.28.q.1.in 1.supra litt. D. hæc autem priuatio ex Scoto, & D. Tho. vt sup. varijs modis sumitur, vel quidem ratione generis proximi, vel generis remoti, vel remotissimi, vel ratione subiecti, in quo est, quod sit aptum natum ad talem formam, qua priuatur: ratione primi, lapis, dicitur anima priuatus, ratione qua corpus est, quoniam esse animatum est altera differentia corporis, cum diuidatur corpus per animatum, & inanimatû. Ratione secûdi Angelus dicitur quoque incorporeus priuatiuè, ratione generis remoti, quod est substantia, quia esse corporeum est altera differentia substantiæ, cum substantia diuidatur per corpoream, & incorpoream; non ergo priuatur corporeitate ratione sui Angelus, cum sit spiritus, sed ratione generis remoti. ratione tertij omnis creatura dicitur ens imperfectû priuatiuè, quia licet vnaquæq; sit perfecta, & completa in suo genere, vnde ait Moyses, erant valdè bona, tamen ratione entis, quod est genus remotissimum dicitur plurimis perfectionib. priuata, quæ possunt côpetere ea ratione, qua sunt entia, cuius altera differentia est, vt sit infinitum, diuiditur enim ens per finitum, & infinitum. ratione vltimi vt si catulus post tempus nouem dierum non videat: vt si cæcus sit homo: vt si talpa ea ratione, qua animal est, non videat, competit enim animali videre, & ob id cæca dicitur secundum genus, licet secundum speciem non sit cæca, cum quatenus talpa est, non competat sibi videre.

Negatio in genere, & extra genus.

2 Applicando hæc ad ingenitum Patris, ingenitû negationem importat, negat namq; Patrem esse genitû. vtrum vero negatio hæc sit in genere, an extra genus. non quidem importabit negationem extra genus: ratio; quia negatio extra genus comprehendit etiam chymeram, cum vero ingenitum sit proprium Patris, si importaret negationem extra genus, ergo non esset proprium Patris, quia ingenitum vt sic, extra genus, prædicatur & de Patre, & de chymera, etenim etiam chymera est ingenita, igitur nô dicit negationem extra genus.

Ingenitum an negatio extra genus.

3 Quod si ita est, remanet vt dicat negationem in genere; patet, quia non est aliud genus negationis ab his: sed obstatur, nã sequitur incôueniens; etenim negatio hæc, & priuatio idem sunt, vt etiam cum Scoto D. Thomas consensit: igitur in Patre aderit priuatio aliqua; ergo esse ingenitum, est esse priuatum perfectione, siue forma, siue conditione aliqua: priuatio verò indicat imperfectionem, vtpote carentiam perfectionis, & formæ, ad quam

quam subiectum est aptum natum, & tam non habet.

4 Argumentum hoc conficit D. Tho. & Scot. & vnanimiter, subtiliterq; ambo concorditer resoluunt: est autem resolutio, vt Pater considerari possit vel vt persona, siuè suppositum est: vel vt talis persona, siuè vt Pater est: loquendo primo modo vtique cadere potest ibi carentia, & priuatio; ratio, quia personæ vt persona est, non repugnat produci, & generari, vt patet, ergo vt sic, potest, dicere, carentiam & priuationem, & si nulla persona esset genita, vtique conceptus ipse personæ secundum se diceretur priuatus generatione. loquendo autem secundo modo nulla talis cadit in Patre priuatio, & carẽtia, ratio, quoniam priuatio est negatio in subiecto apto nato, at Pater nõ est aptus natus ad esse genitũ, ergo quod nõ sit genitus, seu ꝙ sit ingenitus nõ est priuatio precisè, nec imperfectio in eo, sed ex sui natura id postulat vt sit à se, non ab alio, improductus, & ingenitus, sicut filio ex sui natura competit, vt sit genitus, & Spiritui sancto, vt sit spiratus.

Pater vt persona, & vt talis persona.

5 Amplius ingenitum declarãdo inquit Scot. ingenitum multipliciter dici, sicut ex opposito multipliciter dicitur genitum: vno namq; modo genitum dicitur id, quod est terminus totalis, & adæquatus, habitus per generationem: alio modo id, quod non est quidem terminus totalis, & *quod*, generationis, sed partialis, formalis, & *quo*, communicatus alteri per generationem. & tertio id, quod ad sui esse præexigit generationem. exemplum primi, vt ignis genitus, filius genitus: exemplum secundi, vt forma habita per generationem, tãquam terminus formalis, & partialis: exemplum tertij, vt accidentia, quæ præsupponunt generationem compositi, supponẽdo subiectari in toto composito. His opponuntur tres alij modi, quib. significatur, & exprimitur ratio ingeniti oppositi ad genitum. & quidẽ primo sumitur ingenitum prout dicit negationem generationis rigorosè sumptæ, negando terminum primarium, totalem, & adæquatum generationis.

Genitũ, & ingenitum multipliciter.

Secundo, quatenus negat terminum formalem communicatum per generationem: & tertio pro negatione cuiuscunq; productionis largè sumptæ, siuè per generationem importatæ, siuè per spirationem. Applicando dicimus, in diuinis non reperitur ingenitum primo modo, quia verè est ibi filius, qui est terminus totalis, & adæquatus generationis. nec reperitur ingenitum secundo modo, quia verè diuina essentia est per generationem filio communicata, & quamuis ipsa nec generet, nec generetur, nihilominus est terminus formalis, & *quo* ipsius generationis, communicata per generationem. sumendo autem ingenitum tertio modo, equidem id verè est proprium Patris, siquidem ille est à se, & à nullo, & nullatenus habet esse per productionem, siuè ea sit generatio, siuè quidquid aliud, tribuens esse per productionem, à qua omnimodè longè est Pater.

6 Ex dictis autẽ deducitur quod esse ingenitum vel sumitur pro eo, quod nullatenus habet suum esse ab alio, siuè per generationem, siuè per spirationem, siuè per quamcunq; productionem: vel sumitur pro eo, quod significat negationem generationis propriè dictæ, itaut accipiat quidem esse ab alio, sed non per generationẽ, sed per aliam viam. primo modo est proprium Patris, qui est à se, & à nullo alio: secundo modo est etiam prædicatum de Spiritu sancto, qui quatenus nõ habet esse per generationem, vocatur, vt sic, ingenitum secũdo modo: verum quia habet esse per aliam productionem, siuè spirationem, non poterit ei competere ingenitum primo modo sumptum, quia is modus negat omnem productionem. siue vt Scotus loquitur, sumẽdo generationem presse, & rigorosè, vtique & Pater, & Spiritus sanctus est ingenitus, quia nullus eorum habet esse per viã generationis: sumendo autem generationem largè, prout dicit viam dãdi esse per quamcunque productionem, siuè ea sit generatio, siue spiratio, vtique ingenitum esse proprium solius Patris nullatenus producti, nõ autem Spiritus Sancti, qui quamuis

non generetur, tamen aliunde per spirationem producitur.

7 Plures has geniti, seu Ingeniti sumptiones confirmemus ex Athanas. orat. 2. contra Arianos, vbi scribit: *Primo ingenitum dicitur quod nondum factum est, vt lignum, quod nondũ abijt in formam scapha: Secundo quod nulla ratione fieri possit, sicut triãgulus nulla ratione fieri potest quadrangulus. Tertiò ingenitum dicitur quod iam est, sed natum ab aliquo non est, nec aliqua ratione sui originis patrē habet. Quartò ingenitum dicitur quod factum non est, sed æternum*: tertio ex his modis, Patrem docet esse ingenitum; dum Pater æternus patrem non habet: & quarto modo ait Filium esse ingenitum, quatenus factus non est, at tamē ab æterno genitus est: vt canit Ecclesia in Symb. *Genitum non factum*. Damascenus lib 1. fid. Orthodox. cap. 9. ingenitũ distinguit, primo vt significet omne id, quod propria, & vera generatione non est factum: & hoc modo creaturæ plures habentes esse, siue per creationē, vt Angelus, Anima, habitique infusi; siue aliunde per modum alium, non tamen ex propagatione seminali: sed ex putri materia productæ, dicentur ingenitæ: licet non improductæ: secundò, dicatur ingenitum quidquid habet esse, attamen à se & à nullo alio: & tertio quidquid habet esse, attamen non factum: secundo modo competit Patri: & tertio omnibus diuinis personis, quæ nullo modo sunt factæ, licet duæ ex ijs sint productæ. Chrysostomus orat. 1. in *Principium Ioannis* demonstrat creaturas plurimas, nedum ipsũ Deum, esse ingenitas: Adam namque fuit ingenitus: Homines possibiles, & nunquam futuri, sunt ingeniti: Chimera quoque, sicut & cætera entia impossibilia, sunt ingenita. Dices, ex hinc occasio desumitur arguendi, ergo *Ingenitum* nõ est solius Dei: item, ergo entia impossibilia, & possibilia erunt pariformiter ingenita: ingenitum namque prædicatur de vtrisque. Ad primum resp. ingenitum prædicari de Deo, & creatura, licet æquiuocè, ideoque vtrique competere, licet diuerso modo. Ad secundum negatur assumptum, quia possibilia sunt ingenita actu non autem potentia: at impossibilia sunt ingenita actu, & potentia.

Ingenitum pluribus modis dicitur, ex Patrib.

8 Vtrum autem sic sit proprium Patris, vt nullatenus reperiatur ipsũ ingenitum concessum Spiritui sancto, vtique absque explicatione concedere id minime licet: explicatio verò ea est, quam nuper tradidimus: neque enim Theologi audent ingenitum appellare Spiritum sanctum nisi sumpto ingenito, prout opponitur veræ generationi, non prout opponitur omni, & qualicunq; productioni. & propterea Concilium Toletanum 11. in confid. *Spiritus sanctus*, inquit, *nec genitus, nec ingenitus creditur; ne aut si ingenitũ dixerimus duos patres dicamus: aut si genitũ, duos filios prædicare monstremur.* Damasus in Symb. in t. 4. op. D. Hieron. *Spiritũ sanctum nõ genitum, neque ingenitum, sed à Patre, Filioq; procedentem*. Diuus quoque August. 15. de Trin. c. 26. *cum Spiritum sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos, qui non sint ab alio quispiam suspicetur. Pater enim solus non est ab alio.* Sensus autem Concilij, & Patrum est, vt sup. cùm namque Cõcilium dicit, *nec genitus, nec ingenitus*, sensus est, vt per *genitum* negare intendat habere esse per generationem vt Filius: cùm verò inquit, *ingenitus*, siue nec *ingenitus*, ostendit non habere esse à se vt Pater, sed habere esse ab alio, sumendo generationem large pro quacunq; productione, vt est dictum. Consimiliter Patres interpretandi sunt; nam si genitum absolutè vocemus, duos filios dabimus: si absolutè dicamus ingenitum, habebimus inquit August. duos habentes esse à se, vt Patrem, & Spiritum sanctum; igitur explicatione vtendum ne confundamus Patrem cum Spiritu sancto.

Ingenitum an cõpetat Spiritui S.

9 Quæres cur Patri potius datur ingenitum, & innascibile, quàm notio alia, poterat namque magis Patris natura exprimi, dicendo improductum, quia vt sic negatur omnis ratio productionis passiuæ in Patre, est

Patri cur datur potius ingenitum, quàm notio altera.

Improductum est universalius Ingenito.

est namque universalius *improductum*, quàm *ingenitum*; siquidem *ingenitum* de sui rigore negat solummodo productionem per generationem, *improductum* verò negat omne genus productionis: unde fit, vt si Patri tribueretur notio sola v. g. *improducti*, posset Spiritui S. adaptari nomen *ingeniti*, quod tamen est Patris: sicq; tota explicaretur Trinitas dicendo, Pater improductus: Filius genitus: Spiritus sanctus ingenitus, & spiratus.

10 Respond. in causa fuisse hæreticos Arianos, aiebant namque Patrem de Virgine fuisse natum: vt verò Ecclesia hanc extirparet heresim, opposita adinuenit vocabula, dicêdo Patrem esse innascibilem, & esse ingenitum, ob quod ostenditur non fuisse aliquo modo genitũ, aut natũ. refert Athanas. in disp. laodiceæ habita cum Arrio, hæresim fuisse Sabellianam quæ ex Montanistis, & Cataphrygibus ortum habuit.

11 Est quoque Pater innascibilis, itaut ingenitum, & innascibile sint proprium eius. Ex opposito autẽ de Filio, qui & genitus dicitur, & natus, quæ duo negantur de Patre. eadẽ verò, quæ dicta sunt de ingenito applicentur ad innascibile; vtrumque enim est proprietas negatiua ipsius Patris.

Geniti, & nascibilis differentia.

12 Nihilominus in eo differunt, vt genitum possit esse in quacunque natura siue animata, siue inanimata: etenim homo, & brutum dicuntur genita, ignis quoque dicitur ab igne genitus, quæ differũt penes animam, & carentiam eius. natum verò sibi determinat naturam viuentem; proprium namque animatorum est nasci, inanimata nõ nascuntur, sed producũtur vel generantur. id verò etiã ad plantas extenditur, vt nasci dicãtur ex seminibus, ex quibus quoque generantur; ergo analogicè dicitur nascibilitas de omni viuente, siue rationali, siue brutali, siue vegetali: proprius verò, & perfectius de vita rationali, itaut Filius à Patre ab æterno genitus, natus quoque ex Virgine dicatur in tempore. ex opposito Patri competit innascibilitas, sicut cõpetit ingenitum. meritò autem etiã innascibilitas, quandoquidem ipse est in natura viuẽte intellectuali; opposita verò habent fieri circa idem, quia tamen non dicitur hic ignis innascibilis, seu de hoc igne non prædicatur innascibilitas, cum ei non competat nasci, sed produci, seu generari, ita Patri verè competit innascibilitas, quoniam supposito naturæ viuentis, & intellectualis conuenit posse nasci, vt natus est Dei Filius; ipsi verò Patri, non qua in natura viuente, & intellectuali est, competit non nasci, sed qua Pater: nec Patri absolutè vt Pater est vox communis ad patrem etiam creatum, quia etiã pater creatus nascitur, & gignitur, vt Antonius Francisci pater, iam prius fuit genitus, & natus: & Adam pater omnium, iam fuit de limo terræ formatus: sed ea ratione non nascitur æternus Pater, qua Pater est in diuinis, & qua principium est totius Trinitatis ex Augustin. ac consequenter prima persona, habens esse à se, ingenitum non natum.

Pater an innascibilis qua Pater.

Patri conuenit inspirabilitas.

13 Consimiliter eidem Patri cõuenit inspirabilitas. ratio, quia dum est prima persona, ergo non spiratur; nam si spiraretur, iam nõ esset prima, siquidem spirans est prior spirato. tũ etiam quoniam dum est persona omnino improducta, consequenter conuenit omnem rationem productionis ab eo remouere, tum geniti, tum nati, tum spirati. Vtrum verò inspirabilitas habebat rationem sextę notionis, dicetur in disput. de notionib.

14 Sicut verò ingenitum, & innascibile sistit in negatione geniti, & nati, ita inspirabilitas in negatione spirabilitatis. omnia enim sunt negationes.

Filius est inspirabilis

15 Vtrum autem competat etiã Filio inspirabilitas. vtique competit namque distinguitur personaliter à Spiritu sancto: via etiam constitutionis Filij est generatio: via constitutionis Spiritus sancti est spiratio; at hæc distinguuntur suis rationibus formalib.. Filius producitur per modum naturę, Spiritus sanctus per modum voluntatis. Spiritus procedit à Filio, non Filius à Spiritu sancto, & similia, vt suo loco. Nihilominus alia

sub

sub ratione competit inspirabilitas Filio, alia Patri: illi quidem quia non procedit per modum voluntatis sed per modum naturæ, per viam generationis, Patri verò competit quia nullatenus procedit, nec per intellectum, nec per voluntatem. Cùm verò sit omnino improductus, remanet vt sit ingenitus, innascibilis, & inspirabilis.

16 Obstatur contra dicta. Proprietas personalis in diuinis est relatiua: sed ingenitum, innascibile, inspirabile, non sunt relatiua, ergo non sunt proprietates Patris. maior constat, & prob. min. aliàs omne ingenitum esset relatiuum, quod non currit. Resp. concessa maiori, de qua etiam in quæst. de constitutione personarum: respondetur ad min. qualis est affirmatio, talis sua negatio: cùm verò proprietas personalis positiua sit relatiua, sequitur, vt eius negatio sit quoque relatiua; cùm autem generatio actiua Patris sit relatiua, sequitur vt ingenitum eiusdem Patris sit relatiuum: Cum hoc tamen addendum, esse proprietatem negatiuam relatiuè, seu esse proprietatem relatiuam negatiuè, sicut generatio actiua est proprietas relatiua positiuè. Alij aiunt esse proprietatem relatiuam reductiuè.

Ingenitum an proprietas relatiua.

17 Obstatur, priuatio de sui natura dicit imperfectionem: nulla autē imperfectio in diuinis, ergo ingenitum non dicit priuationem, & carētiam, vt sup. Argumentum est iam solutum ex Scot. D. Tho. atq; D. Bonau. sup etenim personę, vt persona est, posset competere imperfectio ingeniti, & improducti si nulla persona, vt persona produceretur, siquidē personæ vt personæ de se competit posse produci, & careret, ac esset priuata productione si non produceretur, at personæ, vt talis persona, nempe vt persona Patris, nequaquam cōuenit ista priuatio productionis passiuæ, quia de sui natura non competit personæ Patris posse produci, priuatio enim est negatio in subjecto aptonato.

Patri an cōpetat priuatio productionis passiuæ.

18 Adde, quod non omnis negatio dicit imperfectionem; immo vbi affirmatio dicit imperfectionem, ibi opposita negatio cōnotat perfectionem, esse namque finitum, dependēs, limitatum, creatum, & huius generis dicit imperfectionem, vt patet, ac propterea competunt soli creaturæ; ex opposito autem esse infinitum, illimitatum, independens, increatum dicit summam perfectionem, ideoq; competunt soli Deo. Vice autem versa esse iustum, prudentem, sapientem, & similia, sunt affirmationes dicentes perfectionem, cum tamen ex opposito esse iniustum, imprudētem, insipientem sint negationes dicentes imperfectionem, quia carent opposita positiua perfectione. Ad propositum, esse genitum, nascibile, & spirabile in Patre diceret imperfectionē, cùm ipsi nullatenus competat posse produci; igitur ex opposito, esse ingenitum, innascibile, inspirabile dicet perfectionem, quia aufert oppositam imperfectionem. sed de hoc in sequ. Denique non est necesse vt ingenitum dicat perfectionem, quia sufficit vt dicat notificationē, quoniam ingenitum est notio, & sibi competit notificare Patrem esse ingenitum, & primam personam: sed de hoc in mat. de notionibus.

Negatio an dicat imperfectionem.

QVAE-

QVÆSTIO V.

Ingenitum àn,& qualem dicat perfectionem.

Aliquorũ sententia negantium

1 NOn posse ingenitũ esse proprietatẽ Patris,quãdoquidem proprietas omnis dicit perfectionẽ, aiunt quamplures; ingenitum verò negat perfectionem. Verum de ratione constitutiua loquemur infra;nũc autem videamus an ingenitum dicat perfectionem.

Negatio talis ex opposito, qualis affirmatio.

2 Mãgna ex parte pẽdet solutio ex inspectione negationis,& positionis circa perfectionẽ,& imperfectionem: Et quidem talis est negatio ex opposito,qualis opposita affirmatio; stat enim regula,quod à quocunq;remouetur vnum oppositorum,de eodẽ affirmatur & reliquum;ergo à *quo* remouetur positio, de eo prædicatur negatio:& à quo remouetur negatio, de eo enuncietur positio.Tanta insuper est negatio,quanta affirmatio, & viceuersa; etenim quot gradib.distat albedo à nigredine, tot positiuè gradus possidet albedo supra nigredinẽ; & quot gradus habet albedo positiuè,tot distat à nigredine negatiuè.

Idem.

3 Insuper qualitas, & dignitas negationis expẽdenda est à qualitate, & indignitate positionis: sicut dignitas, & qualitas affirmationis expendenda est à qualitate,& in dignitate negationis.exemplis monstratur,esse quidem seruum, subditum, & alteri subiectum, vtique ista est affirmatio dicens imperfectionem, seruus enim non est sui iuris:ex opposito autem negatio subiectionis, seruitutis, & subiectationis est cõditio dicens omnimodam perfectionem: tale est mãcipium,& seruus, dum alieni sunt iuris: tale ex opposito est Rex, Imperator,dum nulli subsunt,dum alijs dominantur, & ipsis dominatur nullus. Deus quoq; perfectissimus omnium est,etenim nulli subiectatur, subiacet nulli, at negatio hæc maximam in eo connotat perfectionem, quia opposita seruitutis affirmatio maximam dicit imperfectionem. Item esse peccabilem,esse defectibilem, mortalem, dependentem,finitum,limitatum, sũt affirmationes dicentes imperfectionem:at ex opposito esse impeccabilem, indefectibilem, independentem, infinitum,illimitatum, & similia sunt negationes dicẽtes in Deo summam perfectionem. Insuper esse iustũ,probum,prudentem sunt positiones connotantes perfectionem, eum è cõtrario esse iniustum, improbum, imprudentem sint negationes dicentes imperfectionem. itaq; concluditur talẽ, ac tantam esse negationem, qualis & quanta est opposita affirmatio: atq; talis,& tanta est affirmatio,qualis, & quanta est contraria negatio.

Scoti respõsio.

4 His suppositis soluamus quæsitum. Ingenitum quidem dicit negationem;vtrum vero dicat perfectionẽ respondet multipliciter Scotus in 1. d.28.q.1. & primo ait in artic.2. *ingenitum* ex ratione *sua formali non dicit aliquam dignitatem, nec aliquid ad dignitatem pertinens.* Non est putandũ hæc Scotum dicere ex mente aliorũ, quia licet ibi recitet opinionem dicentium non posse ingenitũ esse proprietatem; quia tamen ipsemet.Scotus negat relationes personales ad intra dicere perfectionem, ideo hoc in loco id dicit etiam ex propria mẽte. quod rursus Scotus idem confitetur infra. vnde est vt secundo idem Scotus litt.E.sic dicat, *ingenitum im-*

portat

portat dignitatem, idest. inquit, non indignitatem; hoc enim sufficit, vt ad personalem proprietatem, quod non sit indignitas, sicut personalia in diuinis non dicuntur esse imperfectiones, non tamē perfectiones simpliciter. & paulo infra, *si omnino fiat altercatio quod omnino oporteat proprietatem dicere dignitatem, potest dici, quod ingenitum, inquantum negat habere genitorem, dicit dignitatē primæ personæ in diuinis.* Tertio in quadam, quæ censetur additio, de mente tamen Scoti, habetur, *ex se enim habere dignitatem, & à nullo principiatiuè, est liberè habere, sicut Rex regnat; ideo vt sic, est dignitatis.* hæc Scotus de re hac.

Negatio dicit perfectionē, quādo opposita affirmatio dicit imperfectionem.

5 Duo autem dubietatem faciūt, alterum quomodo negatio possit dicere dignitatem: alterum vtrum de se sola importet dignitatem. De primo dicendum nō implicare, negationem dicere perfectionem, & dignitatem, quando opposita affirmatio diceret indignitatem. vt exemplis explicatū est: in proposito autem esse genitum in Patre diceret imperfectionem, & indignitatem, ergo ingenitum dicit dignitatem.

Ingenitum quomodo ex Scoto dicat, vel non dicat dignitatem.

6 Sed hinc oritur lis, quomodo in doctrina Scoti potest hoc subsistere, cùm doceat proprietates personales non dicere perfectionem, ergo nec ingenitum, quod est Patris proprietas, dicet dignitatem. Resp. ex eodem Scot. in tantum dicere dignitatem, in quantum nō dicit *indignitatē*, ita loquitur Scotus. Possumus clarius dicere, & ad mentem eius, dicere dignitatem *negatiuè* iuxta sententiam eius; tum quia docet, proprietates nō dicere perfectionem; tum etiam, quoniam ad mentem aliorum, dignitas hæc erit solūmodo negatiua, etenim ingenitum est negatio: quod si Scotus de proprietatibus positiuis negar dicere dignitatem, quanto magis de negatiuis, vt ingenitum, & innascibilitas, & inspirabilitas.

Ingenitum in abstracto, an dicat dignitatem.

7 Ad secundum, licet non sit præsentis loci, tamen pauca nunc sufficiant. Et quidem sistendo in eadem doctrina Scoti, vel loquimur de ingenito, & genito secundùm se in abstracto; vel contractè in ordine ad Patrē ingenitum, & Filium genitum; eadem enim quæstio moueri potest tàm de genito, quàm de ingenito. loquendo de primo dicendum est nec dicere dignitatē, nec indignitatem: & quidē de ingenito si de se diceret perfectionem, ergo danda esset Filio, atramen ingenitum non est perfectio Filij, immo si Filius esset ingenitus, iam non esset Filius, cùm ei competat essentialiter esse genitum. ita quoque de Spiritu sancto, cui non competit esse improductum, aliàs si diceret perfectionem, ipse quoque esset improductus; igitur de se non dicit perfectionem. Nec etiam dicit de se imperfectionem, quandoquidem non competeret diuino Patri, cùm omnia sint lōgissima ab imperfectione in diuinis. ergo neque ingenitum posset suo modo, vt supra prædicari de Spiritu sancto, ipse autem licet sit productus, nihilominus non est genitus. hæc de ingenito. loquendo autem de secundo, neq; secundùm se, genitum dicit perfectionem, nec imperfectionem: non primum, quia si sic diceret perfectionem, ergo Pater esset genitus, similiter Spiritus sanctus genitus: si imperfectionem, ergo Filius non esset genitus. cùm ergo perfectiones simpliciter sint in diuinis personis, & à longe sit ab eis omnis imperfectio, & longe ter ea, quæ diximus. hæc de ingenito, & genito abstractiuè sumptis.

In concreto an dicat dignitatem

8 Loquendo autem de ijs sumptis contractè, prout in Patre, & Filio; dicendum quidem de ingenito dicere dignitatem in Patre, & de genito dicere dignitatem in Filio. explicatur: esse à se, & non habere genitorem est dignitas, & perfectio in Patre, quia ipsi hoc conuenit de sui intrinseca natura, & perfectione: habere autem genitorem, & esse ab alio, dicit perfectionem in Filio, quoniam hoc sibi competit de sua naturali perfectione: prob. dà oppositum, & dicet summam imperfectionem: immo destrueretur Trinitas, dà enim Patrem esse genitum, & Filium esse ingenitū, iam Pater non esset pater, & Filius non esset filius, & non esset Trinitas. & ita habet Scot. litt. E, dicens, *quod sicut est dignitas in Filio habere esse per*

per generationem à Genitore; ita dignitas est in Patre habere esse à se absque vllo genitore.

Quid de mente Scotistarum. 9 Nihilominus quia Scotistæ absolutè negant dicere perfectionem, Relationes, & Notiones diuinę, ideo ad eorum mentem concludédum nec genitum, nec ingenitum dicere perfectionem, nec imperfectionem. probatur pro nunc, quia vbi plures reperirentur notiones, siue relationes, siue positiuæ, siue negatiuæ, illa quidem persona esset perfectior: & Perfectior Filio, & Spiritu sancto, quia in Patre est esse ingenitum, innascibile, inspirabile, productum: in Filio est esse inspirabile: in Spiritu sancto est esse ingenerabile: sunt autem plures in Patre, quàm in Verbo, & Spiritu sancto: at de ratione hac suo loco. Sine ingenitum, sicut & omnis notio, tàm positiua, quàm negatiua, eatenus dicat perfectionem, quatenus non dicat imperfectionem.

10 Ad rationem verò dubitandi, quod proprietas debet dicere perfectionem, dicendum non esse necesse, vt dicat perfectionem formaliter, sed sufficcere vt non dicat imperfectionem. Scot. vbi sup. cũ discipulis ibid. & Bassolio ad eund. locum, Thomistę verò dicerent importare perfectionẽ *negatiuè*, quia oppositum ingeniti importat perfectionem absolutè, & positiuè, vt genitũ. Seu ingenitum, prout connotat personam Patris, dicere etiam dignitatem, quatenus Pater nõ est genitus: sicut negatio finitatis dicit in Deo perfectionem, quod explicatur per negationem, nempe per infinitatem. Contendunt Alii, non esse necesse, vt notiones dicant dignitatẽ, sed sufficere, vt per eas noscamus diuinas personas, hoc est officium notionum, facere deuenire in cognitionem, ita de ingenito. *Proprietas debet dicere perfectionem, declaratur.*

QVÆSTIO VI.

An ingenitum pro formali sit proprietas constitutiua personæ Patris.

1 Bifariam sumi solet ingenitum, pro formali, & pro fundaméto; siue pro cõnotato: cùm verò cõstiterit ex supradictis, esse proprietatem Patris, quęritur, verum sit proprietas verè constitutiua ipsius Patris. Quæstio autem non est absque sufficienti ratione mota; possit enim fieri instantia, si est proprietas Patris, (ab omnibus absque discrepantia cõcessum) vt patuit, superuacaneum erit quærere verum constituat Patrẽ, quod namq; est alicuius principium constitutiuum, est etiam proprietas essentialis eius, siue propria essentia eius; igitur idem est dicere ingenitũ esse proprietatem Patris, ac esse cõstitutiuum Patris: illud verò conceditur absq; controuersia, ergo & istud etiam est concedendum absq; discrepantia.

2 Nihilominus optima cum ratione mouetur quæstio: quod patet ex solutione argumentationis, negando consequentiam, nõ enim sequitur, hoc est proprietas huius, ergo est cõstitutiua huius; etenim passio est propria, & proprietas sui subiecti, attamẽ non est forma essentialis constitutiua subiecti, vt risibilitas in homine, & discurrendo de cæteris. Item in vno cõposito reperiuntur plures formæ metaphysicæ, quod ab omnib. concedi- *Est proprietas, ergo est cõstitutiua, an valeat.*

tur, vt fugiamus lites de formis animæ, & corporeitatis, cum Thomistis metaphysicè igitur insunt plures formæ, vt ens, substantia, intellectualitas, siuè vita intellectualis, corpus, anima, deniq; vltima forma specifica cōpletiua, & specificatiua in vltimato, & adæquato conceptu totius esse compositi: vtique omnes istæ formæ, vt itá vocem, siuè conceptibilitates, sunt proprietates essētiales, essentialiterq; constitutiuæ ipsius compositi: nihilominus verum erit, quod non omnes istæ rationes conceptibiles dant esse vltimatè, & specificatiuè ipsi composito, sed solummodo vna earum, quia esse vltimatum, est à specifica forma, non à forma generica, in qua multa alia composita conueniunt, genericè quidem, non specificè. hoc stāte, multa sunt propria Patri, quæ omnia appellantur proprietates Patris, vt esse ingenitum, esse Patrem, esse Genitorem, esse principiū, esse primam personam Trinitatis, & similia: at quæri merito potest, quænam istarum proprietatum sit verè, & vltimato constitutiua ipsius Patris, ideoq; nūc quærimus vtrum sit ipsum ingenitum.

Opinio Aliquorū Ingenitū pro formali esse proprietatem constitutiuam Patris.

3 Hoc supposito adest opinio solum ingenitum pro formali esse proprietatem constitutiuam Patris. probari autem potest 1. ex August. 5. de Trin. c. 6. *tum, inquit, si Pater non genuisset, nil prohiberet eum dici ingenitum*. ergo ingenitum constituit Patrē & non paternitas, nō generatio actiua. Secundo ex Damasc. l. 1. de fid. c. 2. dicente, *Omnia in diuinis sunt vnum, præter ingenerationem, generationem, & processionem*: ponit autem primo loco ingenerationem, quod spectat ad Patris ingenitum. Confirmatur ex eod. qui c. 9. subdit; *omnia, quæ habet Pater sunt filij, hoc vno excepto, quod ingenitus non est*: concludit igitur per ingenitum negatum filio cōstitui Patrem, de quo solo affirmatur ingenitum. Consimilia habet c. 1 8. 10. Tertio prob. rat. In essentialiter ordinatis negatio ordinis ad prius videtur immediatior, quā ordo ad posterius: ergo in ordine constitutionis diuinarum personarum negatio prioris Patris ad prius erit immediatior ipsi Patri, quàm relatio ipsius Patris ad Filium: negatio autem essendi ab alio per ingenitum competit Patri, ergo primo, & immediatè competit, & cōsequenter per eam constituitur Pater. Quarto id, quod procedit ab alio prius respicit illud, à quo procedit, quàm id, quod procedit ab ipso; ergo ex opposito, id, quod non est ab alio, prius est in se sub illa negatione prioris, quàm sub affirmatione ad id, quod est ab ipso. Quinto iuxta sententiam Gentilium, si in diuinis non esset aliud, quàm vnum suppositum, tunc id non diceret relationem ad secundum, nec constitueretur per ordinem ad secundum, sed diceret entitatem suam cum negatione essendi ab alio. ergo licet, secundùm fidem, sint ibi plura supposita, nihilominus primum habebit esse suum per ingenitum, ex negatione essendi ab alio. Sexto illud est constitutiuum Patris, quod constituit ipsum in genere suppositi incommunicabilis: talis est innascibilitas, & ingenitum: antecedens patet, quia persona est incommunicabilis: minor prob. ingenitum, & innascibilitas est prius paternitate, ergo constituit Patrem ante paternitatem: prob. anteced. si non est prior Patre, ergo est posterior Patre, & Filio, quod est falsum. prob. sequ. Pater, & Filius tanquam correlatiua, sunt simul natura, ergo si est posterior Patre, erit etiam posterior Filio, quod est falsum. Septimo, quod est vltimū in resolutione, est primum in constitutione: sed ingenitum, & innascibile est vltimum in resolutione, ergo sunt primum in cōstitutione: maior patet de domo, cuius fundamenta sunt prima in constitutione, ipsa tamen in euersione sunt vltima, quia sunt vltima in destructione, minor prob. quia resoluendo Patrem in suos conceptus, vltimus, quem inuenimus, est cōceptus innascibilis, quia dicimus Patrem esse Genitorem, Principium Trinitatis ex August. primam personam, & vltra hæc, esse à se, à nullo, ingenitum, & innascibilem. Confirmatur octauo, illud, quo posito, & omni alio submoto, ponitur aliquid, illud vtique est principium eius constitutiuum;

tinum; sed posita Essentia, & ingenito, & omni alio submoto, ponitur Pater, ergo ingenitum constituit Patrem: maior patet: minor probata remanet ex Aug. dicente, *si Pater nusquam genuisset, nil prohiberet ipsũ dici ingenitum.* Sententiam hanc apertè, & clarè tuetur Vasquez 1. p. disp. 159. c. 5. nu. 20. 21. & disp. 137. insinuat autem eam D. Bonau. ostendens Patrem adæquatè, & completè constitui in esse suo per paternitatem; cæterum innascibilitatẽ præcedere, & inchoari Patris constitutionem ab innascibilitate. ita in 1. d. 27. p. 1. q. 2. ad 1. & d. 28. q. 3. ad argum.

4 Refert etiam idem Bonau. in 1. d. 28. q. 1. sensisse aliquos hoc ingenitum, & innascibilem, non esse Patris proprietatem negatiuam, sed positiuam, atque dicere relationem realem ad non Genitorem.

Pater non cõstituitur per ingenitum, & innascibile.

5 Nihilominus est cõmunis sententia tùm D. Tho. tum Scoti, ac discipulorum vtriusque scholæ personã Patris non constitui per innascibile, & ingenitũ. Hoc verò probatur breuiter. Nulla negatio est de se incommunicabilis, nisi ratione alicuius positiui, super quod fundetur talis negatio: ingenitum est talis negatio, ergo non poterit reddere Patrẽ incommunicabilem, nisi ratione alicuius positiui, super quod fundetur talis negatio: est autem Pater incommunicabilis, quia est persona, & suppositum, ergo non erit absolutè incommunicabilis per solũ ingenitũ. Itẽ nulla negatio cõpetit alicui, nisi per oppositã affirmationẽ, quæ sit ratio, ob quã, ablata affirmatione necesse sit competere ei negationem. prob. alias non adesset ratio propter quã posset potius competere, quam non competere talis negatio: ingenitum est talis negatio competens Patri, ergo per oppositam affirmationem, igitur non potest de se sola, esse ratio constitutiua Patris. Insuper si Pater constituitur in esse per negationem, ergo non se haberet vniformiter cum cæteris personis in ratione personæ simpliciter, quod est falsum: prob. sequ. Pater constituitur per negationem, sed Filius, & Spiritus sanctus constituuntur per positionem, siuè per rationem formalem positiuam geniti, & spirati, generationem passiuam, & spirationẽ passiuam, ergo non sunt vniformes in ratione personæ: Immo neque erunt personæ æquè perfectæ, quoniã personalitas negatiua, & personalitates positiuæ non sunt eiusdem rationis, neque æquè perfectæ ratione negationis, & ratione positionis. Præterea constitutiuum Patris, sicut & cæterarum personarum est relatiuum; siuè relatio: at negatio de se non est relatiua nisi alterius ratione super quo fundatur. Si dixeris, fortè constituuntur personæ per absoluta, negatio autem erit quid absolutum. Sed de constitutione per absoluta, vel respectiua egimus supra lib. 2. disp. 2. c. 1. cæterum spectando negationem secundum se absolutè abstractiuè à fundamento, neque est absoluta, nec respectiua, quale namq; est fundamentum, talis est negatio: vt non homo, quatenus est negatio in genere determinãdo sibi solummodo hominem, vtique erit negatio absoluta, quia homo est de genere absoluti: non filius, non genitus, non seruus, non dominus, non superior, non inferior, quatenus determinant sibi præcisè hæc intra genus, sunt negationes respectiuæ, quia superior, inferior, dominus, seruus, Pater, Filius, & huius genera sunt entia respectiua. Cum igitur negatio talis sit, quale eius fundamentum, vtique ingenitum Patris, quod est negatio, tale erit, quale fundamentum: sed si demas ab eo, omne fundamentum, non erit amplius ingenitum, sed destruetur negatio, & ingenitum; igitur cum de se sit verè nihil absq; positiuo fundamento, non poterit constituere personam Patris: ex quo consurgit vltima ratio, quod est nihil non potest dare esse alicui: negatio geniti, siuè ingenitum, præciso, & amoto fundamẽto verè est nihil, ergo ingenitum de formali, & negatiuo significato non poterit constituere personam Patris. vide Scot. 1. d. 28. q. 2. §. contra istam viam. Plurib. confirmat Francisc. de Mayron. & Bassol. ad eund. loc. à primo autem ad vltimum, siuè negatio sit absoluta, siuè respectiua, id habebit

ex fundamento, non ex ratione propria sua.

6 Argumenta facillimè soluuntur. & primo ad August. dicendum, non intendere Augustinum, quod constitueretur per ingenitum, sed quod ad huc esset ingenitus, etiam si non genuisset filium, etiam si nō esset Pater: cōstitueretur autem per aliud, quam per ingenitum; & id esset quid positiuum. Docuit etiam quod ingenitū eatenus est proprietas Patris, quod & si nusquam genuisset, nihilominus verè esset persona prima, à se, à nullo alio, & ingenita.

7 Ad Damascenum dicendum primo ly *præter*, excludere essentialia, ita vt omne essentiale, quod habebat Pater, cōmunicauerit Filio, præter notionalia sua, intra quæ est ingenitum. Insuper per ingenerationem intelligit paternitatem, inquit Scot. litt. M. quia idem Damasc. alibi dixit, & nominauit paternitatem, filiationē, spirationem, non vero quod constituatur per ingenerationem negatiuā. dixerat autem in diuinis *omnia sunt vnum*, ecce essentialia: *præter ingenerationem, generationem, spirationem*, ecce notionalia: at per ingenerationē includit omnia ea, quæ pertinent ad constitutionem Patris, licet ingeneratio vt negatio non constituat.

8 Ad tertium, verum est in absolutis, non respectiuis: etenim cum relatiuum dicat ordinē ad correlatiuū, prior est ordo ad posterius correlatiuum, quam ad quodcunq; aliud: siuè loquendo de posteriori correlatiuo, prior est ordo posterioris correlatiui ad prius correlatiuum: cæterum falsū de absolutis, etenim absolutum cum nullum dicat ordinem ad posterius, prius est ad se, negando autem personas esse ad se seu constitui per absoluta, prima persona constituitur per ordinem ad secundam, ideoq; prius dicit ordinem ad secundam.

9 Ad quartum respondetur consimiliter, ideo namq; dicit prius ordinem ad id, à quo prius procedit, quia est relatiuum, ve genitum ad genitorem: licet autem hoc secundum producat tertium, & dicat ordinem ad illum, nihilominus prior erit ordo ad priorem, quam ad posteriorem, quia productio eius à priori est prior productione eius actiua de posteriori: exemplum de filio, qui dicit ordinē ad Patrem, & ad Spiritum sanctum, sed relatio ad Patrem est prior relatione ad Spiritum sanctū, quia prius ipse procedit à Patre, & inde producit Spiritum sanctum. In casu autem nostro non militat, quoniam Pater nō est ab aliquo anteriori productus, indeq; non potest dicere ordinem prius ad primum, quam ad secundum: quia tamen filius & est producens, & productus, & prius productus quā producens, ideo prius dicit ordinem ad priorem, nempè Patrem producentē, quam ad posteriorem, sc. ad Spiritum sanctum productum.

10 Ad quintum de gentilibus dicendum, quod data hypothesi de hoc impossibili, tunc vnicum illud suppositum non constitueretur quidem per formam negatiuam, sed per realitatē positiuam incōmunicabilem ex qua vna cum diuina essentia consurgeret diuinum illud suppositum: quemadmodum natura communis creata determinatur per differentiam indiuidualem ad vnum indiuiduum.

11 Ad sextum, suppositum non redditur incōmunicabile primo per negationem, sed per aliquam realitatem, & formam substratam, cui primo repugnat communicari: itaq; incommunicabilitas supponit suum positiuum, super quo fundetur. Persona etiam Patris est incommunicabilis primo ratione alicuius realitatis positiuæ notionalis: vnde fit vt incommunicabilitas importata per innascibilitatem non sit prima, & immediata, quia dum est negatio supponere debet positiuum super quo fundetur, qua propter primum, & immediatum ratione cui competat incommunicabilitas, erit notionale, & personale, positiuum Patris, siuè id sit ratio suppositalis, siuè ratio paternitatis, de quo infra: ad hęc vero subsequitur inde negatio pro formali incommunicabilitatis, siuè innascibile, siuè ingenitum.

Suppositū non est incommunicabile primo per negationem.

12 Ad illud, quod si innascibilitas est posterior Patre, erit quoq; posterior

terior Filio, quia Pater, & Filius sunt simul natura. Respondet Durand. 1. d. 28. q. 2. nu. 6. concedendo sequelam. Verum quomodo potest cõcedi hoc, vt ingenitum sit posterius Filio; Pater quidem secundum omnem proprietatem sui pertinentem ad esse suum simpliciter, est anterior Filio, sed ingenitum modo, superius, suo loco explicato, est proprietas solius Patris, ergo secundum eandem rationẽ erit prior, & non posterior Filio. Adde, quod Pater est in primo signo originis, & in eo habet, quidquid pertinet necessario ad Patrem. Insuper Pater nihil expectat recipere, quod sit proprium eius, post generationem Filij: licet autem insurgat post generationẽ Filij relatio ad Spiritum sanctum, ob quam sit spirator, & spirans, nihilominus talis relatio est aduentitia, non cõstitutiua Patris, at ingenitum, licet non sit constitutiuum, nihilominus neq; est aduentitium ad Patrem, sed est necessaria proprietas Patris. Deniq; sicut Pater *non est sapiens sapientia genita*, quæ est Filius, ex August. ita neque est sapiens post sapientiam genitam, quoniam non habet à generatione Filij, vt sit sapiens: sicut idem Pater, ex eod. August. *est perfectè beatus antequam generet filium*: cum ergo Pater nihil habeat, quod sit sui proprium, post Filium, sed totum possidet ante generationem Filij, sequitur vt ingenitum, quod est sui proprium non sit post Filium. Quid ergo dicendum ad argumentum, respondendum negare deberi hoc. cum probas Patrẽ cum Filio esse simul natura, concedo, attamen Pater est prior origine Filio: vnde fit, vt in illo priori origine Pater habeat paternitatem, & ingenitum, & innascibile, & omne quod necessario pertinet ad Patrẽ, qua propter stante prioritate originis non sequitur vt ingenitum sit posterius Filio, sed prius origine ipso Filio.

Vtrum omnia, in quæ fit resolutio, constituant.

13 Ad septimum vera maior de positiuis, non de negatiuis: illa namq; verè constituunt, hæc minimè: patet de eadem domo, cuius fundamenta sunt entia positiua, & constitutiua domus, ideoq; ea sunt primum, & vltimum, in constitutione, & resolutione, vt patet: at negatio non constituit; cum potius neget, & tollat. exemplũ de resolutione compositi creati, etenim homo resoluitur in animam, corpus, substantiam, ens, & denique in non ens, & in nihil: quæro autem vtrũ hoc vltimum resolutiuum sit constitutiuum hominis, nequaquam, quia est negatio, est non ens: ita in resoluẽdo Patrem, vltima resolutio si fit in ingenitum, non poterit hoc esse primum constitutiuum, cum sit negatio, vt est probatum. Adest alia responsio, quod vltimum, in quod resoluitur Pater, non est ingenitum; si namq; ingenitum aduenit ipsi Patri, vel supposito, ergo est posterius ipso, igitur est prius Pater, ergo resolutio non staret adæquatè ad innascibile, sed ad Patrẽ.

Ingenitum pro formali, & pro connotato.

14 Ad octauum neganda est minor, non enim primæ personæ sufficit essentia cum sola negatione importata per ingenitum, sed requiritur realitas altera notionalis positiua, ad hoc vt cum essentia constituat: primam personam. ad Augustinum verò est iã responsum. Itaq; posito ingenito cum essentia, & secluso omni alio positiuo, falsum est, vt habeamus personam ingenitam, quia ingenitum vt est dictũ non constituitur per negationem, sed per realitatem positiuam personalem coniunctam cum diuina essentia, quæ dato casu, faceret primam personam vna cum illa realitate positiua, abstrahẽdo ex hypothesi, à paternitate iuxta argumentum deductum ex auctoritate Augustini. Dices, ingenitum, vel ingenitum formaliter, est pura negatio; ergo ingenitum constituitur per solam negationem. Responsio constat ex dictis, ingenitum quidem pro formali est pura negatio; & vt sic, cõstitur per solam negationem: at pro materiali, & substracto dicit quid positiuum, connotando positiuum, vnde vt sic, constituitur per positiuum.

QVAE-

QVÆSTIO VII.

Ingenitum sub qua ratione sit proprietas constitutiua Patris.

Sententia aliquorum 1 PEnes D. Bonau. in 1. d. 27. q. 2. art. 1. p. 1. supra §. *Rursus sicut vidimus*, habetur sententia dicentium, fine etiam ipsiusmet Bonau: posse intelligi diuinam essentiam, & habentem illam, & quod illam non habeat ab alio: tunc verò intelligeretur prima persona, nulla alia intellecta: & illa prima intelligeretur nō quidem sub ratione Patris, sed sub ratione Hypostasis, & ita haberetur ingenitum: quod quidem cōstitueretur per quid positiuum, id autem esset illa hypostesis, sub cuius consideratione conciperetur.

2 Sententia hæc magis apertè reperitur penes Scotum in 1. d. 28. q. 2. sub litt. H. eamque declarat cuiuscūque sit, itaut essentia primo concipiatur solummodo vt communicabilis, non autem vt actu communicata personis. item essentia antequā communicatur, intelligitur non cōmunicata: tunc verò quatenus intelligitur non communicata, videtur esse in aliquo, illud autem erit persona; & ita habebimus essentiam in persona, non tamen per communicationem: vt sic vero existēs in persona dabit nobis rationem ingeniti, quia ingenitum est prima persona. prob. essentia vt in persona non iam communicata, habet rationem incommunicabilis, ergo vt sic constituit rationem personæ, & primæ personæ: probatur assumptum, si non habet vt sic rationem incommunicabilis, ergo posset communicari pluribus, & ita plures personæ essent ingenitæ, ergo erunt plura ingenita, & plures personæ primæ. & à primo ad vltimum habebimus personam primam absque relatione ad secūdam, constitutam ex essentia quatenus repertam in prima hypostasi, sed non per communicationem. Confirmatur ex August. superius reperito, quod si Pater non haberet Filium, nihilominus esset etiam ingenitus cum cæteris argumentis relatis, & solutis art. anteced. licet verò eam recenseat Scotus non est tamen ipsius.

3 Modus iste recensetur à Scoto inter cæteros modos negatiue constituentes primam personam. Verum quia praeced. artic. fuit sufficienter discussum non posse personam Patris constitui per negatiuum ideo non est amplius hic immorandum, extat namque copiosè id improbatum.

4 Discursus autem huius sententiæ qualis sit, de se cōstat: cum enim ait concipi essentiam in persona ante productionem siue actiuam, siue passiuam, id namque sonat communicatio; id merè pēdet ab intellectu, siquidem ante productionem per generationem non habetur essentia in nullo primo supposito, vt constat; ergo non potest dari ratio personæ, in qua sit essentia ante generationē. Item dum inquit in persona contēplari essentiam nō communicatam, & vt sic constituere primam personam, quomodo fieri potest vt essentia sit in persona, & non sit communicata, etenim dum essentia est in se- *Improbatur.*

cun-

cunda, & tertia persona vtiq; habetur ibi vt communicator per generationem,& spirationem, dum verò est in prima persona habetur ibi pro ut ex semetipsa communicata primæ sonæ, licet namque non communicetur primæ ab alio, vt euenit cæteris personis, nihilominus eadem essentia seipsa determinat, & communicatur ex seipsa primo ad primam personam, vt dicetur infra suo loco: sententia vero ista fingit essentiam in prima persona, sed nō communicatam vllo modo. Denique dum asserit, quod dum est in prima persona est incōmunicabilis, aliàs essent plures ingeniti; Dicendum primo, quod si est incommunicabilis in persona, ergo non constituit personam, quia persona constituitur per communicationem essentiæ tali personæ, siue communicetur ab alio, siue ex seipsa. Secundò negatur sequ. quia ingeniti non constituuntur solummodo ex communicatione vel non communicatione; etenim Patri communicatur essentia ex seipsa, vt docet Scotus 1.d.28.q.3.de quo infra,& nihilominus est ingenitus: cur autem nō sint plures ingeniti, habebitur in discursu. Tertiò falsum est, essentiam vt in illo supposito esse incommunicabilem, licet namque per intellectū non intelligatur communicata actu, tamen non est incommunicabilis, sed communicabilis. Argumentum verò ex August. cum cæteris soluta sunt artic. præced. vtrum autem possit in aliquo habere probabilitatem sententia ista, dicetur infra.

Sententia altera. 5 Est & altera sententia penes eundem Bonau. quæ est & eiusdem; quam amplectitur nouissimè Vasqu, 1.p. d.140. fundamentum positiuum ingeniti esse *fontalem plenitudinem repertam in Patre*: quatenus namque Pater est fons totius Trinitatis; inde fit vt ipse sit primus inter personas,& omnino ingenitus fœcunditas quoq; ipsius Patris fundatur super ta i plenitudine fontali: vt ratione, qua est plenitudo, habeatur in Patre omnis fœcunditas tum ad Filium, tum ad Spiritum sanctum; tum ad intra, tum ad extra: ratione autem, qua est fontalis, ipse sit omnino primus, est.n. origo primaria, & primarius fons Trinitatis.

6 Displicet Scoto hæc sententia, & propterea eam impugnat d. 28. q. 1.& quidem, aut ista fontalis plenitudo intelligitur ad extra, aut ad intra; nullum istorum non primum, quia esset communis tribus, & ita non magis diceretur de Patre, quàm de cæteris personis, cum opera ad extra sint communia tribus, nec secūdum, prob. in Patre non est alia fœcunditas, quā generationis, & spirationis, hæc vero fœcunditas non est vna, sed duplex, ergo non erit fontalis plenitudo, cui competit esse vnam; fons namque vt sit primarius, debet esse vnus. Nec ea erit essentia, tum quia est communis tribus; tum etiā quia non est proprietas Patris, cùm sit cōmunis omnibus, & sit quid essentiale, cuiusmodi non est proprietas, quod est notionale. Insuper sequeretur dari in Patre tres relationes ad intra: prob. fontalis plenitudo non est generatio, & spiratio, quæ sunt duo, vt est deductum, ergo erit quid tertium: sed id non est essentia, vt est ostensum, ergo erit altera proprietas, siue relatio, & ita in Patre dabitur tertia relatio, quod non est auditum. Item ingenitum de sui natura non denotat absolutè, & necessario fontalem pleuitudinem, siue fœcunditatem, prob. si Pater non generaret adhuc esset ingenitus, inquit August. 5. de Trin c.6. ergo esset ingenitus Pater, & non esset fons generationis, neque fecundus: insuper neque spiraret, quia spiratio est secunda fœcunditas. De probabilitate huius sententiæ infra. *Impugnatur.*

7 Ad rationem fontalis plenitudinis addit idem Bonau. rationem primi, & vniuersalis principij; itaut Pater sit primum,& commune principium Trinitatis. Impugnat vero hoc D.Tho. 1.p. q.33 art.4. ad prim. dicendo, quod si haberet rationem primi, & vniuersalis principij, tunc paternitas non distingueretur à spiratione, etenim militarent tanquam sub eodem genere, vel specie primi principij, & vnum contineretur sub

alio,

alio, tãquam proprium sub communi; ergo ingenitum non constituitur sic sub ratione primi, & vniuersalis principij quid verò valeat impugnatio hæc mox dicemus.

Richardi sententia. 8 Richardus docuit positiuum, quod dicit ingenitum, est esse à se: & illud præcedit relationem ad Filium, sequitur namque in consequentia, vt aliquid sit primo à se, & inde ab eo sint alia: talis est Pater, qui ratione ingeniti est à se; & inde ab ipso alij. hoc idem impugnatur ab eod. Scoto vbi sup. eodem modo, quo sententia Bonau. & quidem illud esse à se, vel est quid absolutum, vel quid respectiuum: non primum, quia absoluta sũt communia tribus: at ingenitum est proprietas solius Patris: nec secundũ, quia esse à se vel dicit relationem ad prius, vel ad posterius: non primum, quia non datur prius, aliàs esse à se non esset primum: nec secundum, quia id non esset nisi relatio generationis ad Filium, & ita idem esset, ac paternitas, siue generatio actiua; ergo fundamentum non esset esse à se, sed paternitas. Denique illud esse à se vel est positiuum, vel negatiuum: si primũ, ergo Pater producit seipsum, nihil verò ex Arist. & August. gignit seipsum. si secũdum, quomodo quæso poterit ens reale, & positiuum, cuiusmodi est Pater constitui per negatiuum, vt ostensum est artic. præced. *Impugnatur.*

Sententia communis fundamentum ingeniti esse paternitatem. 9 Vltimo est communis sententia fundamentum positiuum ingeniti esse paternitatem: vnde fit, vt ingenitum fundetur super paternitate, & & paternitate Pater sit ingenitus. ita Scot. 1. d. 28. q. 1. 2. Bassoll. Mayron. ibid. ac cæterorũ ex eius schola eod. loco: immo est communis: licet discrepantia possit esse in modo explicandi sententiam; omnes namque demum ipsum ingenitum reducunt fundando in Patre, siue super paternitatem, de qua negari non poterit esse adæquatum, & completum fundamentum innascibilis, & ingeniti.

10 Quid verò nobis sentiendum sit ordinatè aperiamus. & primo incipiendo à prima opinione recensita à D.Bonau. iam patet consistere non posse, fundatur namque in imaginatione, ac totum eius fundamentum est in abstractione, estque benè confutata. Consimiliter de opinione secunda dicendum est non posse cõsistere, cùm vt dictum est, positiuum non habeat esse negatiuum.

11 Remanet sententia altera D. Bonau. de fontali plenitudine, & vniuersali, communiq; principio, quæ quia habet Theologiæ Principes aduersarios D.Thomam, & Scotum, videtur prima facie minus sequenda; tum etiam ob rationes allatas cõtra ipsam; Nihilominus benè intellecta, constabit esse communem Theologorum. Et quidem D.Bonau. ait, fundamentum ingeniti esse rationem primi, atq; communis principij Trinitatis: indeque esse fontalem plenitudinem: Ex hoc ostendit optimè idipsum, quod docet Scotus, & D.Tho. prob. Scotus, alijq; aiunt, paternitatẽ esse fundamentum ingeniti, & à paternitate siue generatione actiua haberi productionem Filij indeq; à spiratione haberi Spiritum sanctum: sed hoc idem sonat ratio communis, & vniuersalis principij, siue fontalis principij; etenim Pater est principiũ Trinitatis: Pater est fons Trinitatis: Pater est fons plenus Trinitatis, itaut in ipso reperiatur plena fontalis ratio productiua Trinitatis; siquidem ex seipso solo producit plenè, & perfectè Filium: ipseq; cum Filio producit plenè, perfectèq; Spiritum sanctũ: at ista plenitudo potentię fundatur in ipso Patre primum: & ex hoc vocatur plenitudo fontalis, quia ipse est fons, & primum producens, estq; omnino improductus, & ab ipso sũt aliæ personæ; ergo à primo ad vltimum, idem est esse fõtalem plenitudinem, seu fontalem authoritatem, seu commune, & vniuersale principium, ac esse Patrem; & hoc tenentur omnes confiteri: quod si ita est ex mente D. Bonau. sequitur ex eo apertè fundamentum ingeniti positiuum esse Patrem, siue paternitatem, quæ est sententia aliorum, & ita non discordabit ab alijs, licet namque discordare videatur in verbis, & forma loquendi, nihilominus idem dicunt, idemq; importat Scoti, & Bonau. sententia. *Sententia D. Bonau. saluatur.*

12 Cùm

12 Cùm verò Scotus quærit vtrũ plenitudo illa fontalis dicat absolutum, an respectiuum; dicendum importare respectiuum: Cùm autem quærit qualis sit iste respectus, an generatio, an spiratio, an aliquid tertiũ; Respondetur in concreto importare paternitatem, siue Patrem; in abstracto vero importare rationem principij in communi quatenus principiũ Trinitatis commune est ad generationem, & spirationem, sicut namq; Pater est *principium totius Trinitatis*, ita in Patre fundatur ratio principij communis ad omnem productionẽ in Trinitate: & ita etiã diceret Scotus; non enim negaret neque ipse, neque D. Tho. principium in communi prædicari de principio generatiuo, & spiratiuo: & Scotus in terminis mouet quæstionem de principio notionaliter tento in 1. d. 29. q. 1. atque in responsione ad primum sic ait, *Generatio, & spiratio sunt alterius rationis, loquendo de proprijs rationib. earum, tamen potest aliquod commune abstrahi ab eis.* pergit inde, *& si obijciatur quod tunc est vniuersale in diuinis, de hoc*, inquit, *tactum est sup. dist.* 23. hoc subdit, vt difficultatem soluat, posse in diuinis reperiri rationẽ *communis licet* inquit *non reperiatur ratio vniuersalis*, ecce quomodo Scotus concordat cum Bonau. non ergo quærendum vtrum dicat relationem hanc, vel illam, quia nullam dicit in particulari, sed in communi, quatenus fontalis illa plenitudo est principium omnis productionis.

Scotus concordat cum Bonau.

13 Nec argumentum D. Thomę contra Bonauenturam obest, neganda est enim sequela: qua namque cõsequentia sequitur, homo & equus militant sub conceptu animalis in communi tẽto, ergo homo, & equus sunt eiusdem rationis; conueniunt namque in genere, at discrepant in specie: spiratio actiua, & paternitas conueniũt sub ratione fontalis principii in communi, attamen de se sũt alterius rationis. Euenire potuit, vt D. Tho. existimarit D. Bonauenturã sumpsisse fontalem plenitudinem, seu principium contractè, & in particulari, non in communi: vtiq; primo modo vrgeret argumentum, at nõ sic sensit Bonau. sed accepit fontale principium in communi.

Soluitur impugnatio ex D. Tho.

14 Fauentinus in 1. dist. 28. q. 1. a. 1. num. 10. impugnat responsionem hanc principij in communi, quærit enim, aut illud est absolutum aut respectiuum: si primum, ergo est commune toti Trinitati: & non erit proprium Patri, vt deduxit Scotus; si secundum, ergo tres relationes positiuæ in Patre, vt sup. Sed respondetur esse respectiuum: cùm vrget, esse tres relationes, nego consequ. quia principium illud non est singulare, nec singularizatum adhuc, sed concipitur in abstracto prout est commune ad generationem, & spirationem, & vt sic non facit tertiam relationem, sed dicit relationem in communi prædicabilem sub ratione principij relatiui de vtraque productione in particulari, sicut superius de inferioribus: superius autem contractũ non est quid separatum quidditatiuè ab inferioribus, sed inclusum essentialiter in inferioribus.

Fauentini impugnatio soluitur.

15 Circa verò reliqua, sustinendum est cum communi, fundamentũ positiuum ingeniti esse paternitatẽ. Verum quia obstare possunt multa circa propositionem hanc sic absolutè considera tam, ideo erit aliquãto minutius id dissoluendum.

16 Et quidem, in Patre plura cõsiderantur, esse quidem hypostaticũ, siue personale: & esse Patrem: & esse innascibilem, siue ingenitum. hæc ordine quodam consideranda sunt, vt ratio vna antecedat alteram, nec confundatur, nec sit simul, saltim cõsideratione, cum altera, licet omnes æternaliter sint simul in eodem Patre, quia semper fuit persona, semper Pater, & semper ingenitus qualis verò, metaphysicè loquendo, sit iste ordo, talis est, vt ratio hypostasis, & personæ sit in primo loco: in secundo sit Pater; & inde sit ingenitum, & innascibile. Ratio quidem hypostasis anterior est, quia est superior ad Patrem, cæterasq; personas, prob. vales consequ. est Pater, ergo est persona, licet non sequatur, est hypostasis, ergo Pater; potest nãmq; esse persona,

In Patre plura consideranda.

Ordo inter Hypostasim, Patrẽ, & Ingenitum.

quæ non sit Pater, nec Filius in humanis; nõ Pater, dum nullum genuerit Filium, non Filius, si filiationem amiserit mortuo sibi Patre, nõn enim amplius vocaretur filius. Tum etiam conuincitur, quoniam persona, vt supra suo loco fuit dictum, abstrahit ab absoluto, & respectiuo, itaut de se neq; sit hoc, neç illud, aliàs si esset absolutũ, omnis persona esset absoluta, & ita diuinæ personæ essent absolutæ; si respectiuum, omnes essent respectiuæ, & ita personæ creatæ essent respectiuæ; cùm igitur abstrahit, erit vtique quid commune omni personæ, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, ergo tanquã commune superius prædicabile conceptus hypostasis, & personæ erit primo loco constituẽdus in Patre. Quod verò inde sequatur cõceptus Patris, ostenditur, nam dum scimus v.g. esse personam, inquirimus, quænam persona? verum quia in diuinis primum locum obtinet persona Patris, ideò dicimus *Patrem*, siue personã *Patris*. At quod inde sequatur ingenitum, constat, etenim quærimus vtrum Pater iste sit anterior omnino, an posterior ad aliquem alium patrem, qui eũ genuit, vtique respondemus catholicè ipsum esse omnibus anteriorem, & nulli posteriorem, quia est primus, & à nullo dependens: hoc autem stãte concludimus, igitur iste Pater est ingenitus, improductus, à se, & non ab alio, & ita ingenitum subsequitur ad Patrem.

Ingenitum non fundatur necessario super persona.

17 Hoc stante Primo dicimus, Ingenitum non habet pro fundamento positiuo rationem hypostasis, siue personæ. Assertio est verissima, estq; apertè Scoti, D.Bonau. at D.Th. sup. artic. 2. recensiti. & prob. personæ vt persona est, nõ repugnat esse ab alio, siue produci ab alio, ergo ingenitum non fundatur in Patre, præcisè sub ratione personæ. Ratio de se clara est: & experiẽtia ipsa confirmat, quia in humanis multi sunt, qui personantur ab alijs, & tota humana series personarũ ab vno stipite pendet primorum parẽtum: Docuit etiam Scotus, & D.Tho. loco cit. non repugnare reperiri rationem priuationis in persona, ideoq; ingenitum dicere negationẽ in genere, quia ratione personæ vt persona, potest dici priuata hoc, quod est esse genitum, siue habere esse ab alio. hinc autem colligitur, quod non ideo Pater ingenitus, quia est hypostasis, & persona.

Esse Patrẽ non est ratio præcisa ingeniti, metaphysicè.

18 Secundo dicimus, esse Patrẽ non est ratio præcisa de se, quare aliquod sit ingenitum. Nota pro assertionis intelligentia, quod assertio ista est magis metaphysica, quàm Theologica, ideo est sanè, & catholicè intelligenda: est ergo sensus, quod paternitas, vt paternitas, non sit ratio, & causa præcisa ipsius ingeniti. Assertio hæc est Herreræ in 1. disp. 9. q. 4. probatur autem, docet Augustinus 5. de Trin. c. 6. 7. *si Pater non genuisset Filium, nil prohiberet eum dici ingenitum*; ergo paternitas non est præcisa ratio, & causa ingeniti. Item si per impossibile in diuinis, vltra Patrem ingenitum, reperiretur alia persona improducta, quæ non esset Pater, vtique ille esset ingenitus, & non esset Pater. Insuper, illud non est causa præcisa alicuius, quo semoto, nihilominus ponitur effectus: sed semota per impossibili paternitate, adhuc poneretur ingenitum, ergo, antecedens patet, quia dum effectus habet esse absque alicuo, sequitur vt illud nõ sit causa effectus. minor est August. citati, quia si *Pater*, inquit, *non haberet filium, nil probiberet ipsum dici ingenitum*. Immo assertio ista est etiam Scoti, & communiter discipulorum eius prædicta dist. 28. probantes namq; ingenitum non constitui per relationẽ ad filium, adducunt prædictam authoritatem Augustini. Deniq; Adam est Pater cunctorum viuentium & tamen non accepit esse per generationem, licet per creationem à Deo; sicut autẽ fuit à Deo constitutus caput, & Pater viuentium, ita fuisset ordinatum vt nõ esset Pater viuentium, vtique ipse nõ fuisset Pater, & nihilominus æquè fuisset ingenitus, licet aliundè accepisset esse per creationem. Ratio ista parũ valet, etenim dum de ingenito Patris loquimur, agimus de negatione omnis, & cuiuscunq; productionis, siuè per generationem, siuè aliundè, Adam vero & si non esset Pater, neque ac-

cepisset esse per veram generationē, nihilominus esse habuisset per aliam viam & per productionem, siuè creationem à Deo; ideo rationes antecedentes sunt validiores.

Paternitas est ratio fūdamentalis Ingeniti, theologicè.

19 Tertia assertio, licet paternitas, siuè esse Patrem non sit ratio formalis, & præcisa ingeniti, loquendo metaphysicè, vt est probatum, nihilominus theologicè loquendo, ipse Pater, siuè paternitas de facto est ratio fundamentalis, siuè causa materialis ipsius ingeniti. est communis omniū. sensus autem est, vt Patrem non iam consideremus abstractiuè à diuinis, neque metaphysicè abstrahendo: sed contemplemur eum theologicè, quatenus est prima persona in diuinis, quatenus est fons, & origo cæterarū personarum, & quatenus ipse à nullo habet esse: vtique sub his considerationib. & præcipuè sub vltima spectatum, necesse est dicamus ipsum esse rationem fundamentalem ingeniti. suadetur, ingenitum fundatur in prima persona, sed hæc est Pater, ergo Paternitas est fundamentalis ratio ingeniti. item de facto prima persona, quæ est Pater non est genita, ergo de facto ipse Pater est fundamentum ingeniti. Insuper illa loquutio Augustini procedit ex suppositione, data hypothesi per impossibile, quod Pater non genuisset: at de facto genuit, ergo de facto generatio actiua, seu paternitas est fundamentum ingeniti. Insuper ingenitum fundatur in aliqua entitate reali: ista autem aut erit entitas absoluta, aut relatiua: non primum, quia id esset commune tribus, vt essentia communis trib. & ita omnes personæ essent ingenitæ; ergo secundum, at id in Patre, non est aliud primo, quam paternitas; ergo: & sic cōcluditur paternitatem esse fundamētum ingeniti, loquendo theologicè, & de facto in diuinis. illud de facto iam explicatum est, siquidem id spectat ad authoritatem Augustini, qui aiebat, *si Pater non generaret, adhuc esset ingenitus*: stante tali hypothesi, licet impossibili, vtique paternitas non esset ratio formalis ingeniti, & hoc est, quod diximus in secunda, & tertia assertione, quod metaphysicè loquendo per abstractionem, verum erat: at ablata tali hypothesi Augustini, dempta omni suppositione metaphysica, & loquendo sicut de facto aduenit in diuinis, vtique paternitas est fundamentalis ratio ingeniti, & innascibilis.

Paternitas quatenus est prima forma hypostatica, est fundamētum Ingeniti.

20 Quarta assertio, Paternitas, quatenus est prima forma hypostatica, & personalis, est fundamentum ingeniti. Sensus est, iam compertum est Paternitatem de se absolutè non esse rationem præcisam ingeniti, vt probauimus ex August. igitur aliunde habebit rationem fundamenti: id autem erit quatenus est prima forma hypostatica. prob. si Pater nō genuisset, adhuc fuisset ingenitus, inquit August. sed non fuisset ingenitus ratione Paternitatis, quæ non esset, negata generatione, neque fuisset ingenitus ratione hypostasis, & personæ absolutè loquendo, quia personæ vt sic nō repugnat esse genitum, ergo fuisset ingenitum ratione hypostasis primæ, seu primæ personæ, & sic Pater est ingenitus ea ratione, qua est prima hypostasis, & prima persona. Assertio hæc differt à prima, quia in ea loquutum est de hypostasi absolutè, vt super eam non possit fundari ratio ingeniti, vt est deductum, in ista autem loquimur de hypostasi, quatenus est prima in diuinis, & vt sic repugnat ratio nascibilis, & geniti. Assertio verissima est tum in diuinis, tum extra, vbicunq; concipi possit ratio ingeniti; ita vt vbi est ratio primæ hypostasis, primæq; personæ, ibi sit ingenitū; prob. quod est primum, non habet aliud prius se, ergo est à se, & non ab alio, ergo est ingenitum, at Pater sub ratione primæ hypostasis in Trinitate habet rationem primi inter personas, ergo quatenus est prima persona habet rationem ingeniti. Item illud est fundamentum ingeniti, quo posito, & remoto quocunq; alio, ponitur ingenitum: sed semota ex hypothesi Augustini paternitate, siuè generatione adhuc haberetur ingenitum ponēdo primitatem personæ, ergo persona sub ratione primi in diuinis est ratio ingeniti. Denique ideo Pater est à se, quia non est ab alio, & ideo non

est ab alio, quia non habet priorem se, à quo producatur, ergo adæquata ratio erit, quia est omnino prima persona in Trinitate, igitur ingenitū stat ad primitatem personę, quatenus Pater est prima persona in Trinitate. Accedit, iam constat ex dictis, Patri, vt Patri de se abstractiuè, & metaphysicè loquendo, abstrahendo à diuinis, non repugnat habere esse ab alio per generationem, vt contingit in creaturis, vbi Franciscus Pater est Antonij Filius: insuper personæ, vt personæ absolutè tentæ non repugnat generari ab alio, vt constitit; repugnat vero esse ab alio personæ, vt prima persona est, alias non esset prima, ergo ratio ingeniti in diuinis fundatur in persona vt prima persona est: Patri etiam quatenus in diuinis repugnat esse ab alio, id vero non quatenus Pater absolutè, sed quatenus Pater in diuinis: at quatenus Pater est in diuinis, est omnino Trinitatis prima persona, ergo à primo ad vltimum Paternitas fundat rationem ingeniti, quatenus est prima persona, seu quatenus Pater est primum suppositum, primaq; persona.

Ingenitum non antecedit Patrem

21 Quinta assertio Ingenitum non antecedit Patrem, & Paternitatem, sed subsequitur eam. probatur ex dictis. Ingenitum est negatio, at negatio nō competit nisi ratione affirmationis, & positiui, ergo præsupponit Patrem, seu paternitatem positiuam. Item negatio non constituit positiuū, ergo negatio ingeniti non potest antecedere Patrem, vt constituat eum. Demum sumpto ingenito pro materiali, etiam subsequitur ad Patrem; Paternitas namq; probatum est, est fundamentum ingeniti, ergo ingenitū sequitur ad paternitatem. Accedit, prædicatur ingenitum de Patre, ergo Pater veluti subiectum præcedit prædicatum ingeniti. Insuper, ingenitum est proprietas Patris, at proprium, seu proprietas supponit subiectum iā constitutum in esse, cuius sit propriū, seu proprietas.

Vulpis sententia.

22 His expeditis pro totali decisione quęstionis, remanet expendēda quædam opinio Vulpis, qui de Trin. disp. 65. art. 3. nu. 9. ait causam positiuam ingeniti esse diuinam essētiam, vt in supposito Patris acceptā. & subdit hanc esse sententiam Scoti in 1. d. 38. q. 1. litt. H. Quærit autem inde ipse, si essentia vt in Patre, est causa ingeniti, vel tenetur reduplicatiuè, vel specificatiuè ly *vt*: & respondet teneri specificatiuè; itaq; totalem rationem ingeniti fundat super diuinam essentiam, specificatiuè, vt in Patre. opinio hæc in primis verum sit Scoti, colligat ipse si potest, ex loco mendosè citato: in loco enim prædicto nil prorsus meminit de hoc Scotus. fortasse tamen error Scriptoris, siue Impressoris, itaut debuisset scribere dist. 28. ibi namq; agitur ex professo de Ingenito: sed nec quidem sub citata lit. H. verbum Scotus habet de hoc, tum quæst. 1. tum 2. Verum quia ipse Vulpes doctrinā refert ipsius Scoti de ordine, quo diuina natura est in tribus, ad probādam suam conclusionem, perlegi in citata d. 28. ad quęst. 3. litt. H. nec vllo modo prędictam suam assertionē insinuat: quare primo dicendum est, falso citare Scotum pro sua assertione, vt intuenti constat.

23 Secundò falsum quoque est suum assertum, quod essentia sit causa ingeniti in Patre. & prob. essētia non est omnino, & vndequaque ingenita, ergo non potest esse causa ingeniti: sequela tenet, nemo enim dat quod non habet; & nihil potest alterius esse causa, cuius esse non contineat in sua virtute; sed ingenitum non continetur in virtute causatiua essentię, ergo. prob. primum assumptum, licet namque essentia neque generet, neq; generetur, vt cum Magistro Scotus docet, cæteriq; Sententiarij in 1. d. 5. q. 1. & 4. q. 1. litt. P. quolib. 2. litt. O. & D. Tho. 1. p. q. 41. artic. 5. nihilominus ijdem Theologi docent essentiam communicari per generationem, & esse terminum formalem generationis, siue, vt aiunt, vt *quo*, veluti terminum partialem, licet non vt terminum adæquatum, & totalem; hoc vero non est dicendum de Patre, siquidem Pater est omnino ingenitus, omnique modo expers passiuæ generationis, & productionis, tùm *quo*, tùm

Impugnatur.

quo

quod tum vt terminus partialis, tum totalis, ergo essentia non potest illi esse ratio ingeniti. Item Scotus eadē d.28. expendendo nomen ingeniti, & oppositi geniti, ait, *essentiæ suo modo posse conuenire rationem geniti, quatenus communicatę per generationem, rationem vero geniti nullatenus conuenire Patri, sed omnino ingeniti.* Item ibidem Scotus fundamētum ingeniti apertè docet esse Paternitatem, nullā faciendo mentionem de diuina essentia. Nullus insuper Scotistarum, immo & alterius scholæ, quem viderim, hanc sententiam docet. Præterea si essentia est ratio positiua ingeniti in Patre, erit etiam causa ingeniti in Filio, & Spiritu sancto, hoc elt falsum, prob. sequ. eadem Patris diuina essētia est in Filio, & Spiritu sancto, ergo eadem erit vtrique ratio ingeniti, ergo Filius erit per essentiam ingenitus, non genitus; & Spiritus sanctus erit per eandem essentiam improductus. Dices, essentiam esse Patri causam ingeniti, quatenus in Patre reduplicatiuè, non specificatiuè. hoc quidem posset esse argumenti effugium, at Vulpes non fugit ad hoc effugium; negat enim, vt dixi, se tenere reduplicatiuè, sed solum specificatiuè: at hic magnus error; siquidem si quis diceret, essentia vt in Patre reduplicatiuè est ratio ingeniti, haberet alium sensum, nam reduplicatio, quæ est ratio formalis, non caderet super essentiam, sed super paternitatem; & iam verū est, paternitatem esse rationem fundamentalem ingeniti, vt deduximus; verum quia vim ingeniti ipse cadere facit super essentiam, sequitur, vt essentia præcisè sit causa ingeniti, quod est apertè contra rationem, cōtra Scotum, & contra omnes. Essentia insuper est communicabilis, vt patet, at ingenitū est incōmunicabile, quomodo ergo poterit essentia communicabilis, esse Patri ratio formalis ingeniti, & incommunicabilis. Item ingenitū est proprietas, siue propriū Patris, at essentia non est propria Patris, cum sit communis omnibus. Essentia adeo est communis trib. vt per eam non distinguantur personæ, imò sint vnū, idemq; essentialiter: sed per ingenitum Pater distinguitur à cæteris, ergo essentia non potest esse causa ingeniti; sicut enim primogenitum Pater distinguitur à reliquis, ita per essentiam distingueretur ab eis.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Patri ad intra conueniat nomen *Principij*, *& Initij*, & vtrum Pater sit principium totius Deitatis.

Principij nomen competit Patri

1 INcipiendo à ratione Principij, de fide est Patri competere nomen *Principij*; ratio quia ad intra ipse est prima persona, & principium Filij, & Spiritus sancti. sic definitū in Concil. Lugdun. sub Greg. X. & habetur in c. de summ. Trinit. & fid. catthol. vbi determinatur Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio tanquam ab vno principio, idemq; in Concil. Florent. sess. fin. in litt. vn. ac Sophronius Patriarcha Constantinop. in epist. profess. fid. sextæ Synodi act. 11. *Nō aliud principiū, quàm Patrē cognoscentē, &c.*

sic

sicque communiter Patres, & Scholastici Patri tribuunt rationem principij. & probatur vlterius, siquidem vel loquimur de productionibus ad intra, vel ad extra: vtroque autem modo ipse est principium. primo quidem modo iam patet esse principium Filij, & Spiritus sancti: secundo etiam modo ipse vna cum cæteris personis principiat, & causat ad extra; ait. n. Christus de eo, Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor. Accedit commune assertum Theologorum, opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Ad primum modum spectat explicatio Augustini sup. Io: 1. *in principio erat Verbum*, explicat enim de Patre, & in Patre, tanquam in principio Filij sit Verbum l. 6. de Trin c. 2, & lib. 5. de Trinit. c. 15. *si gignēs ad id, quod gignitur, principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eū.* & colligitur etiam ex Psal. 109. *Tecū principium in die virtutis tuæ, ex vtero ante Luciferum genui te.* vt Nazianz. orat. 35. August. ibi. Rupert. Abb. lib. 1. de Trin c. 6 ita quoque illud Ioan: 1. *in Principio erat Verbum*. Cyrillus lib. 1. in Ioan: 1. explicat *in Patre, tanquam in fonte, & origine*, iuxta illud eiusdem incarnati Verbi Io: 18. *ego à Patre exiui*: vnde aiebat D. Bonau: loco praecd. art. cit. in Patre esse fontalem plenitudinem, quatenus Pater est principiū, & fons Trinitatis. Cōcilium quoq; Toletan: 6. vocat *originem personarum*. sumitur verò ibi origo nō formaliter pro ipsa processione, sed pro principio originatiuo Verbi, & Spiritus sancti, quod originariè est in Patre. Chrysostomus etiā orat. 9. in fin. 5. t. Patrem appellat *Radicem sancti illius fructus*. est ergo cōmunis loquutio de Patre, vt sit principium. hic autem de principio potius loquimur notionali, ad intra, quàm ad extra.

2 Ratio hæc principij ad intra vtrū sit propria Patri: minimè quidem, prob. etiam Verbum est principium, patet, quia est principium Spiritus sancti, vt habetur in d. c. firmiter, ergo absolutè loquendo ad intra non est proprium Patri: quod communiter testantur Theologi cum Magist. in 1. d. 29. & cum D. Th. 1. p. q. 33. art. 1.

3 Verum si ratio principij non est propria Patri, cur tantopere nomen *Principij* tribuitur Patri? cur potius Patri, quàm Filio? Resp. nomen *Principij* in Patre sub duplici respectu potius conuenire: primo se tenēdo nomen principij negatiuè, quatenus Pater non est ab alio, nec principiatus ab vllo, sed à se omnino: quod si à nullo habet principiationem, merito sub hoc respectu sibi soli competit, & non alij, est namq; Verbum à Patre, à quo etiam Spiritus sanctus. Secundo tenendo nomen principij positiuè etiam sibi potius conuenit ea ratione, qua ipse est prima persona, & ob id primum principium, quod quidem non competit Filio, cùm ipse sit persona secunda: Pater quoq; producit à se, Filius verò producit à Patre: & denique Filius est principium vnius solummodo productionis, vt Spiritus sancti, Pater autem duarum, Filij, & Spiritus sancti. Cum ergo negatiuè tenendo rationem principij constet ipsum esse primum principium, quatenus est sine principio, & omnino improductus, in hoc nulla persona conuenit cum eo in hac ratione principij, cū cæteræ sint ab eo, & productæ. conuenit verò Filius in ratione principij ad Spiritum sanctum: nullatenus tamen conuenit Spiritus sanctus cum ad intra nullius habeat rationē personalis principij.

Principij nomen cur tantopere tribuitur Patri.

4 Merito verò Patri tribuitur ratio principiandi, siue principij, desducta ab ipsamet natura in se principij. dixit quidem Arist. 5. met. cap. 1. *principium est, vnde est aliquid, aut fit, aut cognoscitur*, hinc autē cognoscitur Patrem esse principium, quia ab eo est Filius, & Spiritus sanctus: Filiū quoque esse principium, cùm ab eo quoque sit Spiritus sanctus: licet verò Aristoteles non cognouerit hanc rationē principiādi in diuinis, ignota sibi Trinitate, nihilominus adaptant communiter Theologi eam definitionem ad diuinas personas, semotis imperfectionibus dependentiæ, & causalitatis, vt dicemus.

Idem.

5 Petes,

Filius, & Spiritus S. an principiati.

5 Petes, verum quia Pater dicitur principium Filij, & Spiritus sancti, ideo Filius, & Spiritus sanctus dicãtur principiati; Pater quidem principiat, ergo Filius, & Spiritus sanctus principiantur. Refert D. Thom. sup. apud Græcos reperiri Filiũ esse principiatum. & idem concedit Scotus in 1. d. 20. q. 1. litt. E. vbi ait, *verius conceditur Filium esse principiatum, quàm possibilem &c.* idemque Herrera in 1. d. 9. q. 11. cum Alber. 1. pat. quæst. 30. mem. 2. Dur. in 1. d. 12. quæst. 2. & Henric. quolib. 6. quæst. 1. Verum Scotus non loquitur absolutè, sed comparatiuè; nam possibile prout opponitur necessario, & æquipollet contingenti, non conceditur de Verbo, ideo verius dicitur, inquit Scotus, *principiatus Filius, quàm possibilis*: nihilominus loquitur in bono sensu, quia idem intelligit per *principiatum, ac productum, & genitum*; & mirum est, vt aliquando sic loquutus fuerit, quandoquidem semper Verbum vocat genitum & productum, semel tantum hoc in loco vocando principiatũ largo modo: cæterum ipsemet cum alijs abstinet semper ab hoc nomine, & ita D. Bonau. 1. d. 29. q. 1. art. 1. in corp. Magister ibid. cum cæteris, & D. Th. vbi supra, ratio, quia esse principiatum dicit subiectionem, dependentiam, alteritatem naturæ, atque initium & inceptionem sui esse, suæq; durationis, quæ, & similia longè sunt à diuinis. Dices, refert D. Tho opusc. 1. contra Græcorũ errores c. 2. Athanasium dixisse, *Non est imprincipiatus spiritus, hoc est, sine principio, & causa, sed potius demonstrat ipsum Deum verum: principiatum tamen non ex tempore, sed ex causa vera originis*: Quod si Spiritui sancto tribuis rationem principiati, non minus tribui poterit & Filio. Respondetur nomen principiati vsurpari à Græcis, licet rarissimè: latini autem abstinẽt, ne occasionem præbeant erroris: ita D. Tho. ibid. & 1. p. q. 33. art. 1. Sequũtur Suar. in met. disp. 12. sect. 1. nu. 32. Vas. 1. p. d. 139. c. 5. Molin. 1. p. q. 33. d. 4. art. 1. licet idem D. Thomas addat, quod *apud* sanè intelligentes potest concedi Filium esse principiatum q. 10. art. 1. de potent. & ad hunc sensum loquitur Scotus, sano quidem modo, pro principiato intelligens Verbum non habere esse à se, sed ab alio, id tamen semotis imperfectionibus. Dices, Pater est principiũ, ergo Filius est principiatus, neganda est consequ. propter imperfectionem, quam dicit esse principiatum. consimiliter non sequitur, Pater est maior Filio, vt loquitur Basil. l. 1. contra Eunom. & Nazianz. orat. 4. Theol. ergo Filius est minor; etenim sequitur ex tali consequenti inæqualitas inter Filium, & Patrem. Dices, sequela ista est necessaria, Pater est maior Filio, ergo Filius est minor Patre; alias antecedens esset falsum; sed Patres prædicti concedunt antecedens, ergo concedi debet & consequens. Insuper maior, & minor sunt correlatiua, & dicuntur ad conuertentiam, ergo posito maiori ponitur & minor, alias negato minori, nõ erit vbi reperiatur maior. Consimiliter de principio, & principiato, alias negato principiato, negaretur principians, & principiatũ, ergo sunt validæ prædictæ consequentiæ, quod Filius principietur, & sit Patre minor. Resp. quod discursus est verus loquẽdo logicè, non autem theologicè; primo quidẽ modo sequitur ex natura correlatiuorum necessario, quod posito maiori sequitur minor: & posito principiante ponatur & principiatum ex natura correlatiuorum, vnde in disputatione logica concedendæ sunt tales consequentiæ; non tamen in subiecta materia Trinitatis: in qua *nihil maius, aut minus*, ex Athanas. in symb. sed secundum se abstractiuè: & loquendo theologicè, falsæ sunt consequentiæ prædictæ, & omnino negãdæ, propter minoritatem, inæqualitatem, dependentiam, subiectionem, similesq; imperfectiones, quas dicunt, logica quidem ad modum inspicit inferendi, arguendi, & syllogizzandi, abstrahẽdo à particulari materia, Theologia autem inspicit ad subiectã materiã, de qua loquimur, quæ est Deus trinus, & vnus: in quo cum nulla sit dependentia, nulla minoritas, nulla subiectio, nullum durationis initium, nullaq; omnino imperfectio, ideo ta-

Aliqua conceduntur logicè, sed non theologicè.

les

les consequentiæ sunt theologicè negandæ, multa enim possunt logicè dici, quæ non possunt concedi theologicè, vnde Hilar. *licet Pater sit maior Filio donantis authoritate: tamē Filius minor non est, cui vnum cum Patre esse donatur*, lib. nono de Trin. & ita loquitur Basilius.

Initij nomē an competat Patri. 6 Ad nomen principij viciniam quandam habere videtur ipsum nomen *initij*, quod si Patri competit esse principium, vtrum competat nomen *initij*, videtur quod sic, nam Chrysostr. homil.1.in symb.ait, *de substantia Patris genitum, & initium de Patre habere dicimus*. Synodus Sirmica can.26. anathematizat eum, *qui innascibilem, & sine initio dicat Filium*. & Concil. Tolet.11.& Vuomarciense aiunt, *Filium de substantia Patris ab initio ante sæcula natum: iuxta loquutionem Eccles.24. Ab initio, & ante sæcula creata sum*. Verum cautè loquendum de *initio*, de rigore enim sermonis insinuat initium, & inceptionem durationis illius, quod est à tali initio, est vero Verbum, & Spiritus sanctus ab æterno, ergo Pater habebit penes ipsos rationem principij, non initij. hinc Hilar.4. de Trin. *confitetur*, nempe Ecclesia, *Patrem æternum, & ab origine liberum; & Filium ab æterno, non ipsum ab initio, sed ab ininitiabili*: habet ergo Filium esse æternum, & propterea non esse ab initio. ex quo autem addit, Patrem esse ininitiabilem, cùm dicit Filium esse ab ininitiabili, intelligit Patrem esse ininitiabilem passiuè, quia idem fatetur esse æternum, & liberum à productione, nempe passiua, siue passiua origine, & sic cum Hilario sentit, & explicat Mag. sup. immo Magister addit dici non posse, Filius habet *principium*; licet verè dicamus, Filius est à principio, ratio quia habere principium denotat habere initium sui esse; esse autem à principio denotat non habere esse à se, sed ab alio, vt Verbum à Patre. Diuus Bonau. ait, quod large sumendo nomen *initij* poterit competere in diuinis, cum idem indicet, ac habere esse per generationem ab alio; nihilominus idem Doctor fundit, ista, & similia denotare imperfectionem in diuinis, vt est dictum de initio durationis; & similium, ideoque relinquendum, & vtendum nomine principij. hinc Concil. Toletan. 11. in confess. fid. Filium, asserit *natum sine initio ante sæcula*. & ad authoritates relatas respondendum, quod sumunt *initium* pro *principio*, item sumunt *initium* nō pro initio durationis, & tēporis, sed pro initio *originis*. Cum vero Magister negat dici posse, Filium habere principium, opponitur ei Cyrillus Alex. qui lib.2.thes.cap.2.ait, *Pater ex nullo principio est, Filius vero Patrem habet principium*. Verum conciliatur, etenim Magister loquitur de principio durationis, cui fauet Naziãz. orat.29. de tempore *principium intellectionis, principij omnis expers est*: Cyrillus autem de principio originis.

Pater an principiū totius Deitatis. 7 Sistendo autem in ipsamet ratione principij D. August. de Patre ait, *Patrem esse principium totius Deitatis*. lib.4. de Trin.c.20. Athan. orat. contra Gregal. Sabell. *Pater fons Deitatis*. Dyonis.c.2.de de diu. nom. *Patrē esse fontem cœlestis diuinitatis*. & infra appellat eum *Fontanam Diuinitatis*; Ambros. in Symb. c.2. *Pater origo est Deitatis*. Naziana. orat.13. vocat *Patrem principium Deitatis*. In Concil. Tolet.6.cap.1.& Tolet.11. in confess. fid. appellatur *fons, & origo totius Diuinitatis*. atque Concil. Vuomarc. in profess. fid. ait de Patre, quod *fons, & origo ipse est totius Trinitatis*. Verum quomodo id fieri poterit, & ratio dubitandi duplex, primo quia Deitas non producitur, non generatur, non spiratur: secundo quia in tota Deitate comprehenditur etiam Pater, ergo sicut Pater est principium Verbi, & Sancti Spiritus, ita erit principium sui ipsius, indeq; erit productus. Respondetur ad primum, Patrem non esse principium productiuum Deitatis, sed principium communicatiuum eiusdem, quia eam communicat diuinis personis. vel cum Magistro, & redit in idem, est principiu n diuinarum personarum, quibus per productionem communicatur diuinitas. vel cū alijs, sumitur ibi Deitas concretiuè pro personis ipsius Deitatis, nam

vna-

Deitas sub stantiuè, & adiectiuè.

vnaquæque persona est Deus, ergo est principium Verbi, quod est Deus, & ita de Spiritu sancto. Vel denique sumitur Deitas non substantiuè, sed adiectiuè; primum indicat ipsam essentiam diuinam nudè, secundum indicat personam, & huius, non illius est principium.

Pater est principiũ totius Trinitatis: est loquutio accommoda.

8 Ad secundũ optima est responsio D. Bonau. d.27. *in exposit. litt.* vt sit loquutio accommoda, nempe distribuendo solummodo pro personis, quæ producuntur, non autẽ pro omnibus omnino personis Trinitatis, non enim Pater producitur, ideo in tali distributione non includitur ipse, sed benè ipse est principium cæterarum personarum in Deitate. exemplum de vnitate, de qua dicimus, vnitas est principium ternarij, non tamẽ est principium sui ipsius, sed ipsa in numero ternario est prima. Item de cęlo extimo, ipsum continet omnia; & nihilominus non cõtinet seipsum, cum includat solùm alia à se. consimiliter Magist. & Scotus explicant propositionem illam *Deus vult omnes homines saluos fieri*, 1.d.46.q.1.

9 Argumentis recẽsitis deuictus Canariensis 1.p.q.33.artic.1. negauit absolutè loquendo, esse concedendũ, Patrem esse principium totius Diuinitatis. fauere videtur Vasq. d. 139. c.3. Suarez lib.8. de Trin. c.3. qui ad esse, ait improprietatem aliquam: idemque Mol. vbi sup. Verum hæc nõ obstãt, quia explicationes allatæ reddunt optimum sensum.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Patri conueniat nomen Authoris, & Causæ ad intra in diuinis.

Authoris nomen Patri datur à Patribus.

1 Circa nomen *Authoris*, Patri tribuitur quoq; *Authoris* nomen ad intra. ita Hilar. l.4. de Trinit. inquiens, *quoque Pater dicitur eius, quem genuit author.* idemque habet Aug. l.3 contra Max. c.14. de Spiritu sancto, *de Patre*, inquiens, *procedit, quoniam Pater processionis eius est author.* & Athanas. orat.2. cõtra Arian *Oportet talem esse imaginẽ, qualis est Pater imaginis author.* & de Spiritu sancto idem docet dial. 1. de Trin. contra Anon. *Spiritus sanctus non est genitus, sed authorẽ babet Deũ, à quo procedit.* confirmat Nazianzen. orat.29. Eusеb. Cæsar. lib.4. demonstr. Euang. cap.3. Hilar. frequentius &c. sed obstatur, quia videtur Pater esse maior Filio, & Spiritu S. dum Patrem Authorẽ appellant: Respõdẽt in terminis August. lib.3. contra Max. c.14. inquiens, *si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est. non ille de isto, fateor, & concedo: si autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremq; maiorem, nec eiusdem substãtiæ Filium, cuius est Pater, detestabor, & respiciam.* Ergo loquuntur Patres de nomine hoc, demptis imperfectionibus maioritatis, & minoritatis, insinuando idem importare *Authorem*, ac *Genitorem*. & confirmat Hilar. de Trin. lib.9. inquiens, *Cæterum non habet contumeliam, qui se authoris sui esse imaginem genuina natiuitate consummet.* ablatis tamen imperfectionibus.

Pater, quia Author, nõ maior Filio.

2 Sed vtrum nomen hoc *authoris*

Filius an author Spiritus S.

ris competat Filio respectu Spiritus sancti. Respondet D. Tho.1.d.29.q.1.art.1. hoc nomen Patri sic tribui, vt Filio nequaquam respectu Spiritus sancti possit conuenire, quia nomen authoris, inquit, super rationem principij addit hoc, vt nō sit ab alio, Filius autem est à Patre, ergo non conuenit ei nomen authoris. Nihilominus obstat ipsemet Hilarius, qui lib 2. de Trinitate vocat Filium etiā authorem Spiritus sancti, ait namq; *Spiritum sanctū de Patre, & Filio authoribus confitendum esse.* Item loquēdo ad extra ipsemet Filius appellatur author ab Ecclesia, & nihilominus & esse, & virtutem operandi habet à Patre, inquit autem de Filio, *beatus author sæculi, seruile corpus induit:* & loquitur de Filio, quia loquitur de incarnatione per seruile corpus. insuper alibi, *memento salutis author, quod nostri quōdam corporis, ex illibata Virgine nascendo &c.* Theologi quoque non respuunt id nomen etiam ad intra in Filio penes Spiritum sanctum, Henricus namque art.57. Filium vocat authorem, licet Patrem appellet principalem authorem: & Bassolius 1.d.12. quæst.1.art.3. Patrem nominat authorem, Filium subauthorem; siue in Patre reperiri virtutem spirandi authoritatiuè, in Filio autem subauthoritatiuè, vt Scotistæ loquūtur. Apertè quoque id docuit Athan. epist. ad Serap. inquiens, *Apostolus, quæ in eo operatur Spiritus, Filio authori eius attribuit: sicut Filius, quæ ipse facit opera suo Deo Patri attribuit.* Consentit Canariensis vbi sup. d 4. Vasq.d.139. cap.6. Ad rationem in oppositum negatur assumptum, quia inuentor alicuius artis habet esse ab alio v eluti à Parentibus.

Causa nomen an in diuinis.

3 De nomine *Causæ* vtrum Pater possit dici causa Filij, sicut principium Filij, concedunt Græci, vt refert Concil Florent. sess. vlt: in litt. vn. & fatentur idipsum Basil. lib.1. contra Eunom. Nissen. opus. de vnit. Dei. Damasc. lib.1. de fid. cap.8. Nazianz. orat.29. Imò & ex Latinis habemus Hieronymum ephes.3. qui explicans illud, *ex quo omnis potestas*, ait, *Deus sui origo est, suaq; causa substantia,* & Augustinum 7. de Trinit. cap.1. *quæ causa*, inquit, *illi est, vt sapiens sit, ipsa illi causa est, vt sit.* ac denique Hilarium 4. de Trin. c.4. *idem Deo* ait, *causa est, vt sit, quod est causa, vt sapiens sit.* ex quibus Patribus contendit Aureolus penes Capr.1. d.29. q.1. art.2. probare nomen causæ posse quadrare in diuinis, sicut nomen principij. Nihilominus Theologi communiter abhorrēt ad intra à nomine causæ, ita Sancti Tho: Bonau. cum Scoto, Magistro cæterisque scholasticis communiter dempto Aureolo. Ratio est, quia causa, & causatum dicūt diuersitatem naturæ, cum tamen in diuinis personis sit vnica numero natura: dicunt dependentiam, limitationem, vna cum imperfectionib. multis. non adest ibi dependentia quæ indicet distinctionem naturarū: nec limitatio, nec similia Pater insuper non est causa efficiens Filij, aliàs distingueretur ab eo essentialiter, tāquā efficiens ab effectu. non est causa finalis, aliàs esset perfectior Filio, cùm finis habeat rationē perfectioris, & optimi: non causa materialis, & formalis, cùm sit spiritus, & illa sint causæ intrinsecæ, Pater autem non est causa intrinseca cuiusque, sicut nec ipse Deus est causa intrinseca formalis, & materialis creaturarum, sed efficiens, & finalis, perfectior cunctis ergo sub nulla ratione est ibi nomen causæ.

Græci vsurpāt pro eodem causā, principiū.

4 Sed quid ad Patres? loquendo quidem de Græcis, vsurpabant pro eodem, *causa.* & *principium*: nec tamen intendebant admittere in diuinis imperfectiones, quas secum affert nomen causæ, sed pro causa intelligebant principium, & pro principio causam. ita se declarat Nyssenus vbi sup. quod nō intendat distinctionem admittere naturę inter Patrem, & Filium, talisq; fuit mens etiam aliorum Patrum Græcorum: & quod ita sit, explicat Bessarion, qui in orat. pro vn: in sess. vlt. Concil. Florent. ita ait, *Notandum, quod Sancti Doctores Orientales, etiam in diuinis vtuntur nomine causæ, & causati largo modo, non quidē vt limitationem, & dependentiam importat, sed prout emanationem, & pro-*

duc-

ductionem à principio eius, quod est à principio significat:& ideo,me etiam, ad Græcos loquentem his nominibus vsum fuisse. Non ergo derogare intēdebant Græci vnitati, æqualitati, & identitati, atque summæ perfectioni diuinæ naturæ assumendo nomen causæ, sed largo modo vtentes nomine causæ, confundebant cum principio causam.

Causa nomē cur respuunt Latini in diuinis.

5 Sed petes, si Græci in intentione conueniebant cum latinis, licet nō in nomine, cur latini respuunt cantopere nomen causæ? Iam responsio data fuit, ob dependenciam, distinctionē limitationem, cæterasq; plurimas imperfectiones, quas secum affert nomē causæ. Item respondetur relinqui nomen causæ, & causati in diuinis, vt distingueremur ab Arrio; aiebat namq; Filium esse creaturam, & minimè cōsubstātialem Patri: quod quidem probare nitebatur per nomen causæ, nam creatura est illa, quæ causatur; quod si in diuinis concedatur Patrem causare Filium, ergo Pater erga Filium est creator, & Filius est creatura; vt igitur ab hac impietate Arriana sugiamus, merito censuerunt latini abstinere à nomine causæ.

Causa quid penes Patres Latinos.

6 At quid ad latinos, Hieronymū & Augustinum citatos? Dicendum pro causa accipi *rationem formalem*, ita vt cum August. & Hilar. inquiunt idem esse sibi causam sapiēdi, & essendi, sensus sit. idem sibi esse rationem essendi, & sapiendi, vsurpāt enim causam pro ratione essendi. Vel secundo intelliguntur negatiuè, ita vt Deus à nullo habeat dependenter suum scire, & esse, sed vtrumq; habere à se ipso. Hieronymus quoq; apertius incidit in hūc sensum, dum enim inquit, *Deus sui origo est, suæq; causa substantiæ*, fatetur à nullo habere suum esse depēdenter, sed à seipso, qui sensus est etiā negatiuus, vt esse non participet ab vllo, sed sit à seipso.

Causa nomine cur vsum Concilii Florentinum.

7 Insuper, quamuis Patres Concilij Florentini sess. 26. loquendo cum Græcis vsi fuissent quandoque nomine *causa*, id tamen agebāt more Græcorum, ne ob variationem vocum impediretur disceptatio: ceterū Eugenius 4. in literis vnionis, ita decernit, *Filium quoq; esse secundum Græcos quidem causam, secundum latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem.* vbi notatur varius loquendi modus, tum iuxta Græcos, tum iuxta latinos. Item idem Bessarion c. 3. de Cyrillo loquens ita ait, *Beatus Cyrillus in eis, quæ ad Hermiā scribit, vna cum Occidentalibus Patribus non admittit quidē hoc nomen causa in diuinis personis.* scribit autem Cyrillus Alexandrinus in dialog. de Trin. inter Herm. & Cyrill. lib. 2. inquiens, *causam, & causatum neque nominare fas est: decet item de Deo potius dicere Patrem, ac genitum filium:* idemque lib. 5. thes. c. 5. inquit, *Nunquam in Scripturis sacris vllam causam poni, quando generatio Filij ex Patre significatur: quando autem hominem factum dicunt Scripturæ, & natum ex Virgine narrant causam, illico subiungunt.* atque Dionys. de diuin. nom. c. 2. *Neque enim perfecta est inter effecta, & causas similitudo, sed effecta quidem causarum, quas possunt, præferunt imagines. causa autem secreta sunt ab effectibus, suntque principij, sui ratione superiores.* quo loco Dionysius tria docet reperiri inter causam, & effectum: primo, quod non interuenit perfecta similitudo: secundo, quod separatę remanent, siuē secretæ causæ ipsæ ab effectibus. tertio, quod causa est superior effectibus: at hęc quia inuoluunt imperfectionem, remouentur à diuinis, ideoque remouendum quoque remanet nomen causæ. Anselmus epi. de process. Spiritus sancti cōtra Græcos subdubiē loquitur, ait enim, *si tamen dici debet Deus habere principiū, aut causam: Principium namque videtur non nisi rei incipientis esse, & causa nonnisi effectus alicuius, & Spiritus sanctus nunquam incipit esse, nec est effectus alicuius.* quamuis inde in fine capitis se determinet ad causam, inquiens, *Id ipsum intelligitur, si dicimus esse causam Filii: & Patrem, & Filium causam Spiritus sancti.* Nazianzenus principiū accipit pro causa, ait enim Orat. 29. *Principium hic pro causa accipio.* hæc de Græcis, cæterum latini abstinent à nomine causæ.

8 Quod si Patres Florentini Cō- *Idem.*

cilij afferas vtentes nomine causæ; responsio iam data est, non ex intentione id dicere, sed ne disputationem impedissent cum Grecis, quale impedimentum exortum vtique fuisset variãdo terminos disputationis; etenim mos est disputantium, vt pars altera alteri concordet in terminis gratia quidem disputationis, & suppositione iam facta, licet reuera non ex intentione conueniat. Item Patres ibidem subdunt, causam vocari, at secũdum Græcos, principium vero secũdum latinos.

9 Obstaueris ex Aristotele, etenim pro eodem accipit principium, & causam; ait namque 5. Metaph. c. 1. *Toties autem causæ quoque dicuntur; omnes namque causæ, principia*. & 12. Met. c. 1. *Tres causæ, tria principia*. Denique impossibile videtur separari posse rationem causæ à principio, ita namque accidit in creatis, ergo.

Causæ, & principij differentiã non cognouit Aristot. velut Theologi.

10 Ad Aristotelem primo dicendum non cognouisse differentiã hanc, quam Theologi admittũt inter principium, & causam in diuinis; quoniã ipse omnem principiationem, & causationem existimabat fieri cum transmutatione, tempore, distinctione essentiali, & processu de priuatione ad actum, vna etiam cum cæteris huius generis; verum quia hæc longè sunt à diuinis, retinenda ratio principij, & respuenda ratio causæ. Confirmatur, ipse namq; Arist. 2. physic. c. 3. loquẽdo de causa efficienti ait esse illam; *quæ est principium mutationis, & quietis*, igitur quod causatur, procedit de non esse ad esse, cum mutatione &c. ratio vero principij productiui in diuinis, longè est ab his. Respondetur secundo nõ dixisse Aristotelem: *Omnia principia sunt causæ*, sed vice versa, *Omnes causæ principia*: hoc quidem verum, illud autem falsum: vnde valet consequentia, est causa, ergo principium: non tamen è contra, est principium, ergo causa.

Causa an separabilis à principio

11 Ad illud de separatione impossibili causæ à principio, in creatis quidem locum habet, non tamen in diuinis.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Principium in Patre prædicetur vniuocè de principio essentiali, & notionali.

1 Constito Patrem esse principium ex dictis, quærimus an ratio principij in eo prędicetur vniuocè tum notionaliter ad intra, tum essentialiter ad extra. Supponimus autem loqui de principio *quo* non de principio *quod*: siuè loquimur de principio principiandi, non de principio, *quod* principiat: siuè clarius, loquimur de principio formali, non de principio personali.

Hẽrici sententia.

2 Hoc supposito, Henricus Anglicus penes Capr. in 1. d. 29. q. 1. ar. 2. sentit prædicari vniuocè. Ex opposito D. Tho. 1. d. 29. q. 1. art. 2. D. Bonau. ibid. art. 1. q. 2. Durand. Capr. Gabr. eod. loco negant prædicari vniuocè. Verum vero prædicetur æquiuocè, an analogè, Gabr. ait prædicari æquiuocè: cæteri allegati aiunt prædicari analogè.

Principiũ an prędicetur prius de essentiali, an de notionali.

3 Verum quia analogia sita est supra prædicari per ordinem, & per prius, & posterius, quæritur de quo per prius prædicetur, an de notionali,

lian de essentiali, Durandus quidem prius ait prædicari de essentiali, & probat vbi principiũ producit aliud simpliciter, ibi per prius, & principalius reperitur ratio principij, quam vbi producit non aliud, & diuersum simpliciter, ac distinctum essentialiter à producente: sed à principio notionali nõ producitur aliud, & diuersum simpliciter à producente, cum Filius sit cõsubstantialis Patri, à principio autẽ essentiali producitur quid simpliciter diuersum, vt creatura, ergo prius dicitur de essentiali, quam de notionali.

Principiũ prædicatur æquiuocè de notionali, & essentiali.

4 Ad quæstionis solutionem dicimus primò, principium prædicari æquiuoce, de notionali, & essentiali. hæc vltra citatos Doctores pro secũda sententia, est etiam Scoti in 1.d.29. q.vn. Bassol. ibid. & communiter Scotistarum ad eund. loc. prob. principiũ notionale dicit relationem realem, principium essentiale dicit relationẽ rationis, sed enti reali, & rationis nihil est commune vniuocum, ergo prędicatur æquiuoce, maior patet quia notionale dicit relationẽ productionis ad intra, essentiale dicit relationẽ productionis ad extra; illa est realis, hæc rationis vt constat. Item ei, quod est simpliciter tale, & ei, quod est secundum quid tale, nihil est commune vniuocum: relatio realis importata per principium notionale est simpliciter relatio: at relatio rationis importata per principium essentiale est secundum quid relatio: ergo principium ad has relationes non erit vniuocum. Denique principio notionali producitur persona, quæ est Deus, principio essentiali producitur suppositum, quod est creatura: at Deus, & creatura sunt admodum longe diuersa, siue cum Thomistis negaueris vndequaq; vniuocationem etiam entis inter Deum, & creaturas, siue cõcesseris cum Scotistis, nihilominus ex eisdem Scotistis habebis esse primo diuersa saltem subiectiue quin potius in casu nostro erunt primo diuersa etiam obiectiue cum ens reale, & ens rationis sint primo diuersa etiam obiectiue, relatio principij notionalis est realis, relatio principij essentialis est rationis, ergo quæcunq; via concluditur principium non prædicari vniuoce de notionali, & essentiali.

Prædicatur analogicè de vtroque

5 Dicimus secũdò prædicari analogice de vtroq; principio, siue analogia sit membrum distinctum, siue vnitum, & coniunctum cum æquiuocatione; hoc modo parum refert. hoc quidem verum adeo analogice prædicari, vt per prius, & perfectius prædicetur de vno, quam de altero. Quod si quæras, quale erit illud prius. Resp. erit principium notionale. ergo dicimus per prius prædicari de notionali, quam de essentiali. Prob. Deus est prior Creatura, ergo prius est principium notionale, quam essentiale. Itẽ prior est generatio æterna Verbi, & productio æterna Spiritus sancti, quã Creaturæ, ergo prius principium notionale. Insuper ordo ad intra est prior ordine ad extra. Præterea principium essentiale supponit notionale, quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, ergo per prius dicitur de notionali. Probatur etiam dici eminentius, & perfectius, quod constat facillimè, quia per notionale producitur Deus Verbũ, Deus Spiritus sanctus, at per essentiale producitur ens limitatum dependens, imperfectum, quod est Creatura. per notionale Pater cõmunicat eandem prorsus naturam diuinam personis, quod non facit per essentiale communicando rebus esse creatum, finitum, contingens, imperfectum, & similia, ergo analogicè per prius, & perfectius dicitur de notionali, quam de essentiali.

Durãdi discursus nõ concludit.

6 Durandi discursus non cõcludit, ideo neganda est maior; parum namq; refert verum productum sit idem, vel aliud, & diuersum à producente, dũmodo seruetur ordo in prædicatione; natura namq; postulat, vt de perfectiori membro dicatur excellentius prædicari superius, quoniã perfectius esse habet superius dum contrahitur ad membrum perfectius, vt patet de animali, quod perfectius reperitur in homine, quam in equo; est vero notionale perfectius, & eminentius essentiali, ideoq; per prius, & perfectius prædicatur de illo: ratione quidẽ perfectionis prædicatur prius de

de perfectiori, quod est notionalis ratione etiam, qua notionale est æternale, ab æterno, creatura vero siuè essentiale est in tempore ratione creationis, fit vt prædicetur prius, & anterius de notionali.

Obiectio ex Scoto in doctrina eius

7 Scotus postquam in corpore quęstionis docuit non prædicari vniuocè, inde respondendo ad primum princ. videtur asserere oppositum; quandoquidem quæstionis initio ita arguebat, si principium diceretur eodem modo de notionali, & essentiali, sequeretur quod principiata essent eiusdē rationis, quod est falsum, quia nec Filius, nec Spiritus sanctus principiantur vno modo, nec creatura eodem modo cum eis, ergo non prędicatur vniuocè. Argumentum hoc Scotus soluit dicendo. *Respōdeo quod in creaturis aliqua duo distincta specie dicuntur esse alterius rationis, & tamē potest abstrahi ab eis vnum commune vnius rationis, sicut genus: ita in proposito istæ productiones generatio, & spiratio sunt alterius rationis, loquendo de proprijs rationibus earum, & tamen potest aliquod commune abstrahi ab eis. & eodem modo de hoc communi, quod est principium, ipsum potest esse commune vnius rationis, licet illa de quibus dicuntur, sint alterius rationis.* ex his duo concluuit, primum, quod principium dicitur vniuoce de generatione, & spiratione. Secūdum, quod prędicatur etiam vniuoce de principio ad intra, & ad extra: hoc clare sequitur, quia responsio hęc datur ad argumentum, ex quo inferebatur, quod ex prędicatione vniuoca sequeretur Verbum, Spiritum sanctum, & creaturam esse eiusdem rationis: & nihilominus air, quod licet secundū suas rationes formales sint alterius rationis, tamen potest ab eis abstrahi aliquis conceptus cōmunis, qui sit eiusdem rationis, nempe vniuocè, per vnius enim rationis, intelligat necesse est, conceptum vniuocum ex his verò videtur contradictio penes eum, cū in corpore quæstionis neget prædicari vniuocè de vtroq; principio.

Soluitur.

8 Verum respondemus ad eius mentem, quod loquendo in substantia de vtroq; principio, minimè vniuocantur, vt per probationes patet; loquendo verò in conceptu, possunt vniuocari, abstrahendo ab ipsis rationem principij, vt principium est. Vel dicimus, quod aut loquimur de conceptu adæquato ipsorum, aut de conceptu inadæquato: de primo verum est non vniuocari, vt patuit, de secundo concedi potest, quia vniuocantur inadæquarè in conceptu principij vt principium. Vel tertio in terminis Scotistarum, non vniuocantur in re, sed in realitate, id verò inadæquatè. de consimili dictum fuit sup. artic.1. de paternitate verum importet cōceptum vniuocum ad creatam, & increatam, ita & hic.

Obstatur.

9 Dices, principium de se vel est ens per essentiam, vel per participationem, vel vtrumque. principium quidem notionale est ens per essentiam, principium essentiale per participationem, at enti per essentiam, & per participationem nihil est commune vniuocum. Resp. de se principium nec esse hoc, nec illud formaliter, nec notionale, nec essentiale formaliter, sed vtrumque permissiuè, quia potest reperiri in vtroq; cōtractè, sicut de facto reperitur, & prædicatur de eis. Respondetur secundo, enti per essentiam, & per participationem nihil esse commune in re; & in substantia, sed esse quid commune in realitate, & conceptu. Respondetur tertio, non esse quid commune in conceptu adæquato, sed in conceptu inadęquato, vtpote in conceptu principij, vt principium est in se, abstrahendo ab hoc, & illo, à notionali, & essentiali.

Respondetur.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Vtrum potentia generatiua Patris, & spiratiua Spiritus sancti sit essentia, an relatio, an vtrumq;

ARTIC. I.

Proponitur sententia D. Bonau. & Durandi.

Sententia D. Bonau.

Diuus Bonau. cum Dur. in 1. d. 7. q. 1. 2. docet solā relationem, quatenus diuinæ constitutiuam personæ esse principium *quo*, non autem essentiam diuinam in productione Verbi, & spiritus sancti. suadetur autem hæc sentētia primo, actus producendi notionales sunt actus personales: sed personæ constituuntur per relatiua; ergo relationes sunt principium *quo*. Secūdo, si essentia esset principium *quo*, ergo posset producere, etiā semoto per impossibile omni diuino supposito, & ita posset generare absque supposito Patris, & spirare absque Patre, & Filio, id vero falsum. prob. sequ. forma, & principium alicuius operationis, est principium talis effectus vbicunque fuerit, prob. de accidentibus Sacramēti Eucharistiæ, quæ existendo sine subiecto agunt id, quod agebant in subiecto: patet etiam de humanitate Christi, quæ in supposito Verbi inexistens, eadem operatur naturalia ministeria, quæ poterat naturaliter operari in supposito proprio si in eo fuisset; ergo natura diuina si extra supposita Patris, & Filij existeret, posset vtique spirare: & si extra Patrem extraret, posset Filium generare, cū n pariformiter vtroque modo haberet rationem principij *quo* generandi, & spirandi. Tertiò distinctarum productionum debent esse principia distincta productiua: generatio, & spiratio sunt principia alterius rationis, essentia autem est eiusdem omnino rationis in omnibus suppositis; ergo nō potest esse principium essentia distinctarum productionum, sunt autem ipsæ relationes alterius rationis, ergo ipsi competit esse principiū. Quartò, productioni vt sic, potius, & per prius conuenit esse distinctiua, quàm assimilatiua: assimilatio habetur per essentiā, distinctio per relationes, vt patet. probatur antec. omnis quidem productio est distinctiua, vt patet in vtraq; tùm vniuoca, tum æquiuoca productione, in qua semper producens distinguitur à producto, cum nihil producat seipsum teste Aug. at nō omnis productio est assimilatiua, vt patet de productio ne æquiuoca: cū igitur in diuinis productionib. & productis reperiatur distinctio, vtiq; attribuenda venit relationi, relatio enim est quæ distinguit. Item distinguitur producens à producto non autem distinguitur per essentiam, ergo nec producitur per essentiam. Accedit Augnst. 6. Trin. *eo Pater, quo est ei filius*: sed est Pater mediante relatione, ergo relatione vt principio est ei Filius. Confirmatur, per essentiam non est magis Pater, quam Verbum, & Spiritus sanctus, cum ratione essentiæ omnes sint idē; & vnus Deus; ergo ratio, qua sit Pater, non erit essentia, sed relatio. Athanasius quoq; lib. contra Anom. ait Patrem hypostasi sua gignere; igitur non essentia tanquam principio. Confirmatur, essentia non generat, neq; generatur, ergo nec erit principiū quo produ-

producendi: antecedens patet ex c. damnamus de sum. Trin. & fid. cath. insuper forma constitutiua est etiam productiua: at constituitur Pater paternitate, ergo generat paternitate. Præterea generatio est relatio, ergo potentia generandi est relatiua, siue relatio. prob. seq. talis est potētia, qualis actus: actus autem generandi est relatio, ergo & potentia erit relatio. Demum, medium est eiusdem rationis cum extremis: Pater, & Verbum sunt duo extrema relatiua; ergo principiū generandi medians est relatiuum. Fauent quoq; huic sententię Greg. Arim. & Aureol. 1. d. 7. q. 1. art. 1. 2. de quibus in seq.

ARTIC. II.

Proponitur sentētia Gregorij Ariminensis, & aliorum.

Gregorij sententia. 1 GRegorius Ariminensis in 1. d. 7. q. 1. artic. 2. tria dicit, primum est, Non est in diuinis aliquod principium *quo*, distinctum à principio *quod*. Secundum, essentia non est principium *quo* productiuum Filij. Tertium, neq; relatio ipsa Patris habet rationem principij productiui. probat verò singula per ordinem.

2 Et de primo sic, principium productiuum Filij seipso producit; ergo non est distinguere inter principium *quo*, & *quod*. prob. consequ: si principium *quo* est aliud à principio *quod*; ergo non producit seipso primo, sed per aliud. ratio hæc fundatur super summa simplicitate Dei; propterquam negat distinctionem inter principium *quo*, & *quod*, vt saluetur simplicitas diuini esse, diuiniq; principij productiui, & vitetur compositio. Secundo, si Pater produceret per aliud à se tāquam per principiū quo, illud tale esset quodāmodo causa Patris: prob. omne, quod agit per aliquid aliud, habet esse tale per illud: cōstituitur autem Pater per generare, & generandi principium est principium *quo*; ergo illud est causa Patris. Tertio si aliqua forma simplex per se existeret; vtique seipsa ageret primo, & per se, & nō per aliud: prob. forma composita agit per principia distincta, *quod*, & *quo*: talis autē multiplicatio, & distinctio nō contingit in forma simplici: at forma simplex est in primo producente ad intra, ergo non est distinctio principij, *quod*, & *quo*.

3 De secundo sic, quod nempe essentia non sit principium *quo*. primo, producens, & productum distinguuntur realiter: ergo si essentia est principium: distinguetur realiter à Filio producto, & Spiritu sancto spirato. Confirmatur, principiū vt principium non est principium sui, sed alterius, ex Arist. 1. phys. t. cap. 8 sed non est distincta à genito, ergo non est principium generationis, vel esset principiū sui. Secundo si esset principium *quo*; ergo essentia esset relatiuè ad aliud; prob principium inquātū principium est ad aliud: at essentia est quid absolutum; respectiua verò dicuntur de hypostasib lib. 3. c. 6.

4 De tertio denique quod proprietas personalis nō sit principium *quo*, probat, actus generandi est prorsus idem cum persona; igitur idem est principium *quo*, & *quod*; ergo frustra quæritur principium *quo* Confirmat argumētis primæ assertionis, dum ratione summę simplicitatis nō est quærere principium *quo*, aliud à *quod*; sed Pater seipso, primo generat: ergo vel nullum est principium *quo*, nempe distinctū, vel est idem prorsus *quod*, & *quo*. hoc idem sensit Maior in 1. d. 7. q. 1.

5 Henricus quolib. 3. in diuinis duo statuit principia; alterum elicitiuum; alterum determinatiuum, siuè modificatiuum. primum vocat essentiam, secundum appellat relationem. probat hoc; essentia quātum est ex se, indifferens est ad generationem, & spirationem: ergo licet ex se sola sit principium elicitiuum indifferens, eget nihilominus principio determinatiuo ad eas, & modificatiuo. hoc idem de modificatione tenet *Henrici.*

Vasq.

Vasq.1.p d.164. cap.4 citatq, pro se Caetanum, Marsil. Ferrar.

D.Thomæ 6 Denique D.Tho 1.p.q.14.art. 5. docet potentiã generandi importare in recto essentiam diuinam, & in obliquo relationem. & sub seqnẽter aliqui alij inferunt relationem pertinere ad rationem cõstitutiuam principij generandi, & propterea relationem esse principium operandi. hi verò diuisi sunt, asserunt namque aliqui essentiam, & relationem simul esse potentiam producendi: ex quib. alij aiunt, apud Dur. vtramque concurrere ex æqno: Alij relationem esse principaliorem; quia debet inter producens, & productum intercedere distinctio realis: hæc verò est à sola relatione. Alij principaliorem locum tribuunt essentiæ, quia ex ipsa dimanat relatio, & cuncta, quæ sunt in diuinis, indeq; relationem cõcurrete vel sub relatione vltimi determinantis, vel modificantis, vel constituẽtis principium totale, & quod.

ARTIC. III.

Potentiam generandi non esse relationem, seu paternitatem, contra primum art.

Potentiam generandi non esse relationem. 1 IN primo artic. asserebatur principium, & potentiam generãdi in Patre esse relationem: arguitur verò non esse relationem, tum ex sententia Scoti in 1.d.7.q 1. tum D. Tho.1 q.41. art 5. tum aliorum ferè cõmuniter. Primo, si relatio est principium, ergo in diuinis non distinguitur generatio à spiratione, consequens est falsum; prob. sequ. ambæ productiones essent per modum naturę. ergo ambę essent generationes: prob. assumptum, illæ sũt productiones per modum naturæ, quæ emanãt à principio formali producente per modum naturæ; illæ verò sunt liberæ, quæ manant à principio productiuo liberè, & per modum voluntatis: sed nulla relatio est principium productionis liberæ; ergo productio Spiritus sancti esset generatio. esset enim à relatione per modum naturæ. Item omnis relatio æquè naturaliter respicit suum terminum; ergo spiratio actiua naturaliter respicit Spiritum sanctum, qui est terminus; ergo naturaliter producitur, & per modum naturæ. Insuper, generatio actiua, Paternitas, siue relatio paternitatis sunt idem; ergo idẽ erit principium sui ipsius: prob. sequ. generatio, & paternitas sunt idem; sed per generationẽ habetur paternitas per se, tanquam principio prodnctiuo; ergo idem producet seipsum. Rursus, principium totale nõ est minus perfectũ termino formali: patet in vtraque productione, tũ æquiuoca: quod non est minus perfectnm termino: modo autem sufficit, vt non sit magis perfectum; quia in diuinis stat æqualitas; in creaturis namque causa totalis est perfectior suo effectu: at in diuinis essentia est terminus formalis generationis, & est id, quod est perfectissimum in diuinis; etenim perfectionum, quam habent relationes, habent ab essentia, à qua pullulant, quod si ita est, vt relationes, & perfectiones earum pullulent ab essentia & quasi producantur, vt quidã loquũtur, ab essentia, quomodo poterũt dare esse essentiæ, tanquã termino producibili per eas. Præterea ratio indiuidualis in humanis non est principium generandi; ergo nec relatio suppositalis in diuinis. prob. antec. si esset principium ratio indiuidualis, & personalis. ergo Petrus generaret Petrum, & non hominem at Petrus non generat Petrum, sed hominem: per accidens autem est vt filius genitus à Petro appelletur inde Petrus ex institutione hominum. Confirmatur, non Petreitas est principium generandi, sed humana natura, aliàs sequeretur Petrum generare Petrum, prob Petreitas est principium generandi; ergo generat Petrum. Confirmatur etiam, generans assimilat sibi genitum non in ratione indiuiduali,

suppositali, sed in specie,& natura; sed generatio est à principio assimilatiuo, id autem est natura, quæ assimilat,non ratio,& conditio suppositalis; cum ergo Verbum sit simile Patri,non paternitate, siue relatione assimilabitur,sed natura,ergo nec paternitatis relatio erit principium generãdi. Item sequitur generationem diuinam esse æquiuocam,prob.productio tunc dissimilis est, & alterius rationis à relatione filiationis; generatio namque actiua, & passiua sunt alterius rationis vt sic.ergo paternitas vt sic non erit potentia generandi. Accedit, relatio est de genere sterilium,cùm non sit nec principium, nec terminus motus 5.phys.t.10. ergo nec paternitatis relatio poterit esse principium fœcundum generationis Denique sequitur paternitatẽ esse perfectiorem filiatione, & ita Pater esset perfectior Filio,cùm tamẽ sint æquales in perfectione.prob.seq. potentia productiua cõtinet virtualiter productum,& est perfectior producto si non est eiusdem rationis cũ illo: at paternitas non est eiusdem rationis cum filiatione, ergo producendo illam erit perfectior ipsa.Confirmatur, generatio passiua non dat Filio vt generet:generatio actiua dat Patri, vt generet per se; ergo perfectior Filio Pater; prob.seq. perfectior est forma, quæ dat agere suo supposito,quàm quæ negat actiorem.

ARTIC. IV.

Impugnatur Gregorius, Henricus relati in artic.secundo.

Principiũ quo distinguitur à principio quod.

1 GRegorius non distinxit inter principium *quo*, & *quod*: & propterea suam sententiam statuit,de qua sup.artic.2.sed contra eam arguitur. Vnicuique *quo* correspondet suũ proprium,& adæquatum *quod*: ergo non est idem formaliter principium *quo*, & *quod* generationis, sinè spirationis, ergo non seipso, primo Pater generat,ad sensum Gregorij. Item Pater assimilat sibi Filium nõ in persona,seu personalitate, sed in natura; sed principium,*quo* est natura,principium *quod* est persona; ergo non sunt idem *quo*,& *quod*. antecedens probatum remanet artic.præcedenti. Insuper Pater, & Verbum spirant Spiritũ sanctum non solum habentes principiũ *quod*, sed tãquam habentes principium *quo*; ergo similiter penes generationem distinguendũ est de principio *quod*,& *quo*. antecedens ad primam partem patet; nam Verbum est vnum suppositum spirans, & Pater est alterum suppositum spirans; ergo habent principia *quod*, & *quo*: Et quoad secũdam etiam partem est manifestum, siquidem mediante vnica vi spiratiua spirant, vnde licet sint duo spirantes,ratione duorum suppositorum; nihilominus sunt vnus spirator: diuersitas autem ista omnino indicat non esse idem *quo*,& *quod*. Deniq; cõprobatur ex eo, quod accidit ad extra:vbi tria sunt supposita,seu principia quod,vel quæ, producentia realiter distincta; & nihilominus est vna in eis vis productiua,creatiua,gubernatiua. Assertio est communis tum Scoti, tum Diui Thomæ; licet in modo distinctionis discrepent, penes formalem, & rationis.

Indeterminatũ actiuè non eget principio alio determinãtè extra se.

2 Henricus inde posuit relationem esse principium determinatiuum essentiæ,vt in eod.artic. At contra eũ obijcitur, indeterminatum actiuè nõ indiget principio alio determinante, sed semetipsum potest determinare ad actionem positis cęteris conditionib. necessario cõcurrentib.ad actionem: essentia autem est indeterminata actiuè ad vtramq; productionem; ergo non eget relatione tanquã principio determinante, seu modificante. Probatur assumptum tum in agentib. liberis, tum naturalib. voluntas namq; est indeterminata actiuè ad operandũ indeque fit, vt semetipsam determinet ab intrinseco ad hoc potius, quã illud, posita præsentialitate obiecti, cæteris q; concurrentib. Sol etiam est actiuè indeterminatum ad multa, vt

ad

ad hominem producendum, Ranas, equum,& similia? & nihilominus ex seipso determinatur à propria virtute, tanquam principio ad producendum, modo hominem, modo equum, modo ranam, concurrentibus cęteris dispositiuis. Patet insuper opposito, vbi enim reperitur indeterminatio passiua, ibi addendum est principium verè determinãs ad actionem, & modificans eam: vt materia prima est indeterminata passiuè,& ex se ipsa non potest semetipsam propria virtute determinare; qua propter indiget propria forma determinante illam ad hanc, vel illam speciem, vel indiuiduũ constituendum; sed huiusmodi nõ est diuina essentia. Insuper, Paternitas, sicut & omnis conditio suppositalis, seu indiuidualis, non est principium agendi, sed conditio Agentis; igitur non habebit rationem principij determinatiui. Item conditio Agẽtis, sicut Paternitas, supponit principium *quo* agendi, & non cõstituit illud; qua propter iam essentia habebit rationẽ talis principij agendi, licet requirat inde conditionem Agentis, vt Paternitas, sed de hoc infra. Denique si relatio haberet rationem principij determinantis, vtique esset nobilior, quã essentia: prob. in essentia est solùmodo ratio agendi: in relatione esset ratio, & insimul conditio: ratio quidem agendi, & ratio determinatiua principij *quo* agendi. vide Scot. 1. d. 7. q. 1.

Indeterminatum passiuè eget principio extra determinante.

ARTIC. V.

Ostenditur quid, & qualis sit potentia generandi in diuinis.

1 NVnc absoluenda est totalis quæstio de potentia generãdi: quæ partim ex dictis, partim constabit ex dicendis. Sit autem prima assertio. Potentia generandi in Patre materialiter, & fundamentaliter considerata e . quid absolutum. est Scoti & D. Tho. vbi sup. Probatur primo, non est relatio, vt probatum fuit in artic. 3. ergo remanet, vt sit quid absolutum. Secundo, quod est perfectionis in principio productiuo, non tollit ab illo rationem principij productiui: sed communicare sed in identitate numerali, & adæquata est perfectio in principio productiuo; ergo non tollit ab eo rationem principij productiui. maior patet, & prob. min. si per impossibile Deus, siuè Deitas generaret alium Deum, & ille alius generaret tertium, & tertius quartũ; vtique Deitas,& nõ relatio esset principium productiuum: licet productio fieret non identitate naturæ, nec adęquatè, quæ omnia dicũt imperfectionem; igitur cum modo communicatur Deitas perfectiori modo, quia adæquatè,& in identitate naturæ, nõ minus, immo multo magis habebit rationem principij productiui. Confirmatur, si ignis, quia nunc communicatur ligno in alteritate numerali naturæ, est principium communicationis,& productionis; non minus esset principium, si communicaret seipsum adæquatè,& in identitate naturæ; immo perfectiori modo produceret, quia nõ cum diuersitate numerali naturæ. Tertio si essentia esset absq; diuinis relationibus, nihil minus hic Deus produceret Deum; ergo Deitas esset principium *quo*, seu potentia materialiter cõnotata productionis: antecedens prob. nam quæro si non ipsa esset principium communicandi seipsam, à quonam communicaretur, non à relationib. data hypothesi eas non esse: nõ ab aliquo alio perfectiori, & superiori ad essentiam, quia nihil est, cùm ipsa sit primum perfectissimum in diuinis; ergo ipsa est vt sic potentia generandi.

Potẽtia generãdi fundamentaliter est quid absolutum.

2 Respondet Vasq. 1. p. q. 164. nõ esse parem rationem vtrobiq: nam si essẽtia, seu Deus generet alium Deũ, & hic alium, vtiq; essentia esset principium; quia iam distingueretur realiter à Deo genito: at cum nunc essẽtia non distinguatur in Patre, & Filio, remanet vt essentia non sit potentia, & principium; etenim generans, & genitum distinguerentur realiter, sicq; essentia distingueretur realiter; ponendo tamen non essentiam, sed re-

Vasquij responsio confutatur.

relationem, vel personam esse principium, ponitur quidem distinctio inter solas relationes, & personas. Verum fallitur eius discursus, non penetrans distinctionem principij *quo*, & *quod*: & quidem distinctio realis interuenit inter principium *quod*, & terminum *quod*, seu totalem, vt sunt supposita producentis, & producti; cæterum principiū *quo* est idem vtrobiq; quia essentia est eadem Patri, & Filio; igitur hinc non potest negari ratio principij generandi; nulla enim interuenit distinctio penes illam. Rursus, intellectus, & voluntas sunt principia *quib.* generationis, & spirationis: & nihilominus non distinguuntur in Patre, & Filio: Verè autem si Deus generaret aliū Deum, Deus distingueretur realiter à Deo: at modo cum sit etiam Deitas ratio principiandi vt *quo*, non distinguitur à generante, & genito; principium enim *Quod*, & terminus *Quod* distinguūtur, nō *Quo*; essentiale: licet distinguātur principiū *Quo*, & terminus *Quo* notionale.

Principiū quod, & terminus quod distinguūtur non quo essentiale.

3 Quartò, essentia est terminus formalis productionis, ergo eadem essentia erit principium formale generationis, & spirationis: antecedens patet: & prob. consequ. impossibile est Agens communicare, & dare esse alicui, nisi agat mediante forma æquè perfecta, si est Agens vniuocum, vel perfectiori, si est Agens æquiuocum: sed in diuinis nihil est perfectius absoluto, quod est essentia; est enim pelagus omnium perfectionum. Sexto, illud est principale principium productionis substantialis, in quo productum assimilatur producenti: assimilatur autem Filius Patri in essentia. Denique generatio est opus naturæ: sed non est opus naturæ, vt generantis, tanquam principij *quod*, quia essentia nec generat, nec generatur; ergo generantis vt principij *quo*. Maior est Damasc. l. 1. fid. orthod. cap. 8. & Hilar. 5. Trin. dicētis, *Filius ex virtute naturæ in eandem naturam natiuitate subsistit.* & Christus Io. 10. *Pater quod dedit mihi, maius est omnibus.* maius autem, & perfectius nō est nisi essentia, & de hac inquit Richar. Victor. lib. 6. Trin. cap. 2. *Natiuitas Filij non potest eam, ex qua profecta est, non habere naturam*; igitur ex natura diuina profecta est communicatio naturæ facta Filio; ergo connotatum materiale generationis Filij, sicut & spirationis Spiritus sancti est essentia, & in Deitate absolutum.

Agēs vniuocum agit forma æquè perfecta cum passo. æquiuocum perfectiori. at verū de æquiuoco totali nō partiali.

4 Secūda Assertio, essentia, prout præscindit ab vnione cum intellectu, & voluntate non potest appellari potentia producendi, & communicandi materialiter cōnotata. est Scoti locis citandis, estq; contra D. Tho. vbi sup. ait enim *Potentia generandi in Patre significat in recto naturam diuinam, & in obliquo relationem.* licet autem sic loquatur D. Tho. nihilominus non censendus est exclusisse intellectum: Vel dicēdum loquutum fuisse de potentia generandi remota, quæ est sola essentia, secluso intellectu, vt etiam exponunt Thomistæ, licet aduersentur tali expositioni aliqui Scotistæ. Assertio duas habet partes; vnam, essentiam habere rationem principij generandi: alteram, eam habere vna cum applicatione, & vnione intellectus. prima pars est probata vsque nunc in prima assertione: secunda fuit etiam probata quæstione antecedenti, cùm quærebatur vtrum Verbum producatur ex sola fœcunditate naturæ: quapropter non est nunc amplius immorandum.

Essentia præscindēs ab intellectu, & voluntate an appellāda potentia productiua

5 Verum quia videntur censere aliqui docuisse Scotum solam essentiam, præscindendo ab intellectu, & voluntate, esse productionis principium; hinc est, vt ad eius mentem statuatur assertio, & sit videndum quid sentiat: Suarez quidem l. 6. Trin. c. 5. & Vasq. vbi sup. aiunt Scotum voluisse, quod absolutum connotatū à Scoto per potentiam generandi sit essentia sola ex se absolutè considerata; cū hac tamen conditione, vt sit in persona generante à se sine aliqua ab alio communicatione. Potest vero afferri locus ipsius Scoti in 1. d. 7. q. 1. §. ad quæst. & § quia autem alia argumenta: vbi plurima format argumenta, quibus ostendit essentiam sub ratione absoluti esse potentiam materialiter connotatam: & sunt ea argumenta, quib. probata est prima assertio.

Scoti sensus.

Ve-

Verum non est talis intentio Scoti, vt præscindat eam ab intellectu: sed intantum nominauit eam sub ratione absoluti, inquantum noluit relationẽ habere rationem principij productiui, vt ostensum est sup. art. 3. contendebat namq; an relatio, an absolutum habeat rationem principij, & ait, non relationem, sed absolutum, meritoq; appellauit essentiã sub ratione principij absoluti. Nec opus erat tũc nominare intellectum, quia pro tunc nõ occurrebat occasio disputandi de intellectu, & propterea tunc tacuit, faciens expressam nominationem de absoluto essentiæ, & nõ de intellectu. Quod vero ipse admittat essentiam vna cum intellectu, & voluntate constituere principium quo generandi, & spirandi, expressissimè patet tum in 4. d. 1. q. 1. litt. Y. docendo naturam intellectualem, personasq; diuinas nihil producere, nisi intelligendo, & volendo, tum ad intra, tum ad extra: id ipsũ habet quol. 14. lite. I. & in 1. d. 26. q. 1. litt. Z. & d. 2. q. 7. §. ad primũ. & quol. 2. §. ad primum triplex est. & 1. d. 7. q. 1. §. loquendo tunc. & d. 13. q. 1. §. aliter ponitur. & in 2. d. 1. q. 1. §. *quantum ad primum, & quantum ad secundum*: estque communis sensus Scotistarum vnanimiter sic ipsum interpretantiũ. Tanto magis, quanto constituit pro Verbi gignitione memoriam fœcundam sub ratione principij: & voluntatem fœcundam in ordine ad spirationem: vtraq; vero fœcunditas cõstat essentialiter non ex sola essentia, sed ex essentia iuncta cum intellectu, & voluntate.

Essentia cũ intellectu, & volũtate est principium proximum productionis.

6 Tertia hinc insurgit assertio, quod essentia vna cum intellectu, & voluntate est proximum, & immediatum principium generationis, & spirationis, hęc est Scoti vbi sup. & quol. 2. litt. P, ait, essentia merè intellectualis non est principium alicuius productionis, nisi prout coincidit cum memoria, & voluntate. hinc elicitur, quod præscindendo eam à potentijs, vel non erit principium, vel non erit principium proximum, sed remotum. probatur primum, productio Filij est per intellectum, & Spiritus sancti per voluntatem; ergo præciso intellectu, & voluntate iam non habetur Filius, & Spiritus sanctus. Item essentiæ, vt essentia est, non competit operari; essentia namq; tum Angeli, tum animæ non operatur, nec intra se, nec extra, modo rationali, & intellectuali; ergo nec essentia præciso intellectu, vt voluntate diuina: sed de hoc quæst. præced. probatur secundum, nam principium remotum, seu potentia remota est illa, quæ quantum est ex se, habet quidẽ requisita omnia ad operãdum, verum quia deficit sibi conditio aliqua externa, ideo non operatur, vt ignis potẽs est remotè ignire, verum quia deficit approximatio ad lignum, ideo non vrit: talis esset essentia, deficiente sibi vnione, & copulatione intellectus. & quidem aliqui appellant potentiam remotam: & D. Tho. sup. appellat, primum, & principale principium *quo*: & ex Scotistis Fauentin. 1. disp. 35. c. 4. nu. 19. appellat eam potentiam remotam, prout præscindentem à persona, & relatione. Aliqui etiam appellant absolutè remotam, & intellectum, & voluntatem potentiam proximam.

Potẽtia remota quid.

Essentia cũ intellectu, & volũtate, est principiũ Quo totale.

7 Verum melius est dicere, Essentiam vna cum intellectu, & voluntate esse omnino principium proximum: & ex his duobus .s. essentia, & intellectu, tanquã ex duobus principijs partialibus constitui vnum principium *quo*, totale, quodquidem est memoria fœcunda: ita etiam cum voluntate, & essentia voluntas fęcunda, veluti principium totale *quo*, fit ex duobus partialibus præscindendo ab alio principio totali *quod*, nempe personali. hæc est communis sententia Scotistarum, paucis demptis: quæ est conformior Scoto, & habetur locis eiusdem Scoti nuper in secunda assertione citatis. Dices, essentia est fundamentum, & radix; ergo habebit rationem nõ proximi, sed remoti, sicut rationem remoti habet in omnibus fundamentũ, & radix. Resp. essentiam considerari vel in ratione principij, vel in ratione fundamenti, & radicis: hoc quidem secundo modo potest habere rationẽ remoti: at primo modo erit ratio proxima principiandi, quia ex ipsa, & intellectu consurgit vnum principium, &

Essẽtia vel sub ratione principij, vel fundamenti.

& illud est vere proximum in principiando. Dicendum secundo, quod iuxta nostrum modum concipiendi, essentia videtur habere rationem remoti, quia est quid omnino primum in diuinis:tum etiam quia est radix,à qua pullulant ibi omnia,& est fundamentum primariũ, in quo subsistunt personæ;ceterum vt habet rationem principij, seu comprincipij; est omnino proximum. Dicendum tertio, quod ordo qui ibi est, non est signorum, in quibus,sed à quibus, & consequenter est simul cum intellectu in ratione proxima principij productiui vt *quo* : de quo etiam supra quæst. antec.art.2.in fin.

Potentia generãdi adæquata quid

8 Quarta assertio. Potentia generandi adæquata considerata,vna cum omnibus requisitis ad generandum,est memoria fœcunda, prout in in prima persona Patris, quatenus constat ex intellectu,& diuina essentia sub ratione obiecti actu intelligibilis, concurrere vna cum ea, ipsa actiua generatione Patris. est cõmunis, & absque discrepantia, præter Dur. D. Bonau. vt sup:eo sensu, quo estimant solam relationem esse principium *quo*. Probatur, sed prius declaranda est aliquo modo, vt innotescat varietas in declarando eam. Iam vltra essentiam; & intellectum quæ sunt principium *quo*, requiritur relatio personæ, vt faciat principiũ *quod*:at aliqui aiunt relationem concurrere tanquam principium constitutiuum potentiæ adæquatè inspectatæ. Alij videntur negare, vt D. Tho.docens, concurrere essentiam solam sub ratione principij;quia ait, essentiam esse principium in recto, relationem in obliquo. quidquid tamen sit, dicimus personalitatem cõcurrere,non vt ratio agendi, sed vt conditio Agentis:non quidem vt ratio agendi, quia ratio agendi est natura:conditio autem Agentis est personalitas: hæc est sententia Scoti. Mayronis, Bassolij, & cõmunis Scotistarum veterum, & recentiorum: quam amplexus est denique Suar.de Trin.l.6.c.5.

9 Et ex discursu suadetur ita esse. Ignis quidem habet in se principiũ igniendi: verum de se solo non sufficit: requiritur autem approximatio agẽtis ad passum, & ablatio obstaculi intercepti: quo habito sequitur ignitio. verum verò approximatio, & ablatio obstaculi sit principium, & vera ratio, seu causa cõbustionis, minime quidem;neque enim concedit Philosophus absolutè; sed est bene ratio sine qua non. Cur verò non sit ratio productiua absolutè,& vera causa, ideo quoniam approximatio non est de natura,& specie ignis, ergo non producit ignem; nam ignis est,qui causat ignem,tanquam causa vniuoca effectum vniuocum: item approximatio est relatio: at relatio est de genere sterilium; ergo non est fœcunda vt producat demum.approximatio est accidens:& accidens nõ est causa formalis substantiæ, præcipuè in actione vniuoca. itẽ de amotione obstaculi, ipsa est pura negatio:at negatio non est formale principium rei; licet namq;cõcurrat priuatio veluti vnum ex tribus principijs naturalibus; nihilominus est admodum diuersus modus suus causãdi à cæteris principijs. Cum autem approximatio, & negatio obstaculi non sint vera causa,veraq; ratio formalis agendi, quid igitur erit? vtiq; erit cõditiò Agentis; quapropter appellari solent ratio, & causa *sine qua non*; etenim Agens creatum est talis naturæ,talisq; conditionis, vt agere non possit fine debita passi approximatione: & hinc fit, vt ea vocetur non ratio agendi, sed cõditio Agentis.Insuper in ipsomet igne duo sunt, natura,& hæccheitas, siue singularitas ignis:primum est quid abstractũ: secundum est quid, quo mediante natura fiat concreta: vnde fit singularis,vna numerò,hæc, & indiuidualis, atque suppositalis.quæro autem verum natura ignis vt natura sic abstracta agat, minime id; quia operationes sunt singularium teste Arist. ergo vt agat requirit indiuiduationem. de se quidem sufficientissima est, quia natura est principium motus, & quietis,siue cuiuscunque operationis:at sufficientia est solummodo remota, & in actu primo: vt verò fiat

Approximatio quid

Ratio agẽdi, & conditio Agẽtis.

fiat proxima, & dc potentia reducatur ad actum, requiritur conditio illa indiuiduaiis, suppositalis, quà mediātę veluti conditione Agentis agat. Ex his ad nostram materiam, Natura diuina sufficiens est .s. in genere suo: at de se sola, sufficientia illa non sufficit, sed requiritur sufficientia altera, adæquans, & complens sufficientiam veluti actus primi, vt exeat in actum secundum. nec mireris si dixerim naturam de se esse sufficientem vt producat, & postulare inde sufficientiam alteram; nam duplex adesse debet, vt sic dicam, sufficientia, vna in ratione agendi, altera vt conditio Agentis: loquendo de ratione agendi, vtique natura habet hanc sufficientiam; quia naturæ soli competit esse rationem agendi, non autem alteri: & in hoc verè natura quantum est ex parte naturæ sufficiens est, non quidem absolutè, & adæquatè ad agendum, sed sufficiens est in ratione agendi, quia ipsa est formale principium, seu ratio formalis agendi, vt patet etiam in creaturis, quia substantia est principium, & formalis ratio agendi, & communicandi: Verū quia ad completè agēdum non sufficit natura sub ratione agendi in genere suo, sed requiritur conditio etiam Agentis; ideo opus est istius alterius sufficientiæ, ex quibus duabus redundet inde vnum totale principium adæquatè sufficiens, ad agendum, constans ex duobus partialibus: primo quidem ex natura tanquam ex ratione agendi: & secundo ex suppositalitate, tāquam ex conditione Agentis. Confirmatur, si personalitas esset ratio agendi, iam Sortes generaret Sortem, & Petrus Petrum; id falsum, vt ostensum fuit sup. art. 3. crgo non est ratio agendi: ita etiam sequerētur absurda illa recensita eod. artic. improbando relationem habere rationē principij, & potentiæ producendi; inde sequitur habere rationem conditionis Agentis, & ex his duobus haberi principium completū, & adæquatum generationis.

Principiū adæquatū agēdi quid. 10 Probatur etiam, Illud est principium adæquatum, & proximum actionis, quo posito, & quo negato negatur operatio: at posito intellectu iam fœcundato ex præsentialitate diuinæ sub ratione obiecti actu intelligibilis à prima persona Patris, ponitur generatio; ergo hoc totum erit potentia adæquata, totalis, & completa generationis. Item admittamus ex opposito, principium *quo*, memoriæ fœcundæ in secunda, vel tertia persona, nullatenus sequetur generatio; ergo positum solummodo in prima persona sequitur actio; igitur essentia vt in prima persona est totale, & proximum, adæquatumq; principium generationis.

ARTIC. VI.

Potentiam generandi, & spirandi non cadere sub attributo omnipotentiæ.

1 Potentiam generandi, & spirādi contineri sub omnipotentiæ attributo omnino, dixere Aegid. Varro, Marsil. in 1. d. 20. & 23. ita vt idem sit potentia generandi, ac omnipotentia, & vbi vnum est, reperiatur & aliud. id vero dixere nedū de omnipotētia extensiuè spectata ad creaturas, verum etiam intensiuè ad intra ad actus notionales. quapropter duo inde inferunt: primum est, Filiū quoq; posse generare, & Spiritum sanctum spirare; licet aliunde eueniat vt neuter nec generet, nec spiret: secundum est, quod necesse sit potentiam generandi, & spirandi collocare sub omnipotentia, alias personæ non essent inuicem æquales; probatur, si in solo Patre est potentia generandi; ergo Filius non est Patri æqualis in potentia: verum quia Filius æquè ac Pater est omnipotens, ideo in Filio quoq; est potentia generandi, itidem de Spiritu S. erit in eo spirandi potētia; cum sit æquè ac Pater, & Filius omnipotens. itaq; sub omnipotentia collocant vim generandi, & spirādi. Diuus etiam Tho. 1. p. q. 42. art. 6. ad 3. videtur

Potentiam generandi, et spirandi cadere sub attributo omnipotentiæ sensit Aegidius, Varro, Marsil.

tur ad hanc sententiam inclinare: & quidem docet Patrem, & Filium esse coæquales, ea ratione, quia in ambobus reperitur eadem potentia, licet sub diuerso respectu; nam in Patre est vt generet, in Filio vt generetur: & hoc satis esse vt sint Pater, & Filius coæquales. itaq; D.Tho. collocat generandi potentiam sub omnipotẽtia; patet: nam coæquare nititur Filium Patri: coæquat autem in potentia: & non vtique in potentia notionali; nã coęqualitas personarum non desumitur hinc nec ab ipso, nec ab alijs Theologis, quis enim ignorat generare competere Patri, & non Filio; igitur coæquat in potentia communiori, quæ est omnipotentia: coæquat vero per generare in potentia, ergo potentiam collocat sub omnipotentia; ait enim, eandem esse potentiam, qua Pater generat, & qua Filius generatur.

Cõfutatur. 2 Quidquid tamen sit de opinionibus, est absolutè negandum, potentiam generãdi pertinere ad omnipotentiam. ita optimè Scot. in 1. d.20. q.1. & d.42. q.1. & q 7. quolib. atq; Dur.d.20.Henric.art.58.q.1.& communis. probatur autem, accipiamus generationem in se, non applicando eam ad aliquod suppositum generãs, & quæramus aut per generationem illam potest aliquid accipere esse, aut non: si primum, ergo non habens potentiam talem generandi, nõ erit omnipotens: sed Filius, & Spiritus sanctus non possunt generare, & spirare, ergo non sunt omnipotentes: si secũdum, ergo remanet vt non cadat sub omnipotentia; si namq; non potest per generationem dare esse, ergo non omnipotens; igitur à primo ad vltimum non cadit sub omnipotentia.

Omnipotẽtia respicit terminum ad extra. 3 Item omnipotentia respicit pro termino ens ad extra, creabile, causabile, dependens, contingens, finitum, limitatum, & quod procedat de non esse ad esse: huiusmodi non est potentia generandi, & spirandi, quæ terminatur ad personas Verbi, & Spiritus sancti, omnino illimitatas, infinitas, independẽtes, æternales, necessarias. Insuper omnipotentia est perfectio simpliciter, quæ quatenus sic, est cõmunis tribus: potentia generandi, & spirandi non est communis Filio, & Spiritui sancto, reddendo singula singulis. Deniq; ipsa ratio nominis id conuincit; nam esse omnipotentem indicat ad nullius productionem carere potentia, sed potentem esse omnino ad omnia, ob quod cõtradistinguitur à potentia, quæ non se extendit ad omnia, vt tum ratio nominis, tũ experientia ipsa demonstrat: creatura enim est potens, Deus autem omnipotens, omnia potens: at Verbo, & Sancto Spiritui competit quidem omnipotentia ad omnia ad extra, quia *opera Trinitatis ad extra sũt indiuisa*, & propterea ex Athan. *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus*; nõ vero competit omnibus generare, & spirare ad intra, igitur non omnia possunt, quæ ad intra potest Pater. Adde si generare, & spirare esset actus omnipotẽtiæ, iam Verbum generaret, & Spiritus spiraret: prob. omnipotentia est perfectio simpliciter, & absoluta in Deo: at absoluta, & perfectiones simpliciter sunt communia tribus; ergo competeret generare, & spirare tribus: cũ igitur id ita non sit, remanet vt generandi, & spirandi vis, & facultas non collocetur sub omnipotentia, sed intra limites remaneat principij, & potentiæ.

4 Sed numquid ex hoc, quod nõ est eadem in Filio generandi, & in Spiritu sancto spirandi potentia, remanebit inæqualitas inter diuinas personas? videtur quod sic: etenim hoc fuit, quod vrgebat contrariæ sententiæ Authores, ideoque ad saluandam æqualitatem collocabant eam sub omnipotentia, penes quam sunt coæquales omnes. Sed respondendũ id minimè derogare personarũ æqualitati. Si ergo quæras, erunt ne personæ coæquales in generando? iterum petas, erunt ne inæquales? minimè: quid igitur? dicam, quod nec erunt æquales, nec inæquales: sed quænam ratio huius? est illa in primis, quoniã comparatio, & disquipatatio, siuè cõparatiuum, & disquiparatiuum præsupponit positiuum, super quo fundari debeat relatio coæqualis, vel inæ- *Ex quo Filius non generat, & Spiritus S. non spirat, an inæquales Patri?* *Comparatiuum supponit positiuum.*

qua-

qualis; æquiparantiæ siuè disquiparã-tiæ: at nec Verbo, nec Spiritui sancto competit talis potentia, quæ deberet esse fundamẽtum æqualitatis, vel inæqualitatis; igitur, nõ poterit vllo modo dici esse cũ Patre æquales quoad hoc, vel inæquales: soli autem Patri competit generare, non Filio: soli Filio, & Patri spirare, non Spiritui sancto. Item sustinendo relationes ad intra esse entia non quanta formaliter, ad mentem Scoti, arguitur sic: esse æquale, vel inæquale secundum perfectionem fundatur super quantitatẽ perfectionalem: sed notiones abstrahunt à finito, & infinito perfectionali, ergo non poterunt iuxta hoc dici æquales, vel inæquales. primum argumentum fundatur super principium Aristotelicum commune; secundum fundatur super principium Scotistarum particulare. Verum quia ex opposito competit tribus vnum essentiale, & commune absolutum, quòd infinitam dicit perfectionem, vt est infinitas diuinæ essentiæ, & penes eã conueniunt omnes, & sunt idẽ Deus; hinc fit vt penes eam dicantur omnino, & vndequaque æquales: cæterum penes potentiam notionalẽ nec æquales, nec inæquales.

Pontentia generandi, & spirãdi ad quid spectans?

5 Et hinc respondetur ad fundamentum eorum: cùm enim aiunt, non fore æquales, Resp. supponunt vnum falsum, quod potentia generandi, & spirandi pertineat ad rationem omnipotentiæ: cum verò non pertineat, ideo negatur inæqualitas, sicut negatur æqualitas, pertinet namq; ad potentiam notionalem, quæ de sui natura non potest esse fundamentũ æqualitatis, vel inæqualitatis, cum non sit communis tribus: at si spectaret ad rationem omnipotentiæ absolutè, & simpliciter, vtique sic non omnes generarent, & spirarent, esset Pater maior omnib. & non essent æquales. vndè vero fit, vt potentia non sit in omnibus, habetur infra suo loco.

Ex Augustino obycitur.

6 Quod verò magis vrget, est locus Augustini cõtra Maximinum, qui lib. 3. aduersus eum c. 7. ait ait illum, *Dicis, nihil subtraxit Pater in generando Filium: quomodo nihil subtraxit, quẽ non æqualẽ genuit, sed minorem; an fortè dare non potuit? vbi est omnipotentia Dei Patris: prorsus ad hunc articulum res colligitur, vt Deus Pater æqualem sibi gignere Filium aut non potuerit, aut noluerit: si non potuit, infirmus; si noluit, inuidus inuenitur, sed vtrumq; falsum est.* Ex hoc autem colligitur Augustinum collocasse generandi potentiam prorsus sub omnipotentia; ergo spectat ad omnipotentiam.

Responsiones variæ.

7 Ab hoc variè respõdent Theologi: & quidem Greg. Arim. r. 20. q. 1. art. 2. ait Augustinum loquutum de omnipotentia, siue de potentia essentiali creatiua ad extra; quia Maximinus existimabat Filium esse creaturam: cum verò creatura sit effectus omnipotentiæ creatiuæ, merito ipsũ August. reducit ad hoc inconueniens; vt Pater si non genuit sibi æqualem, iam non sit omnipotens; quia Pater creatus generat iam Filium in natura specifica æqualem; ergo si non generabit Pater æternus æqualem, iam non erit omnipotens. Sed contra hoc obstare posset Maximinus, siue alter Arrianus, dicendo, non benè inferri non esse omnipotentem, si non generet æqualem; quia cum Filius v. g. sit Creatura, ex Hæreticis, non competit ei esse Patri æqualis: esset verò impotens, si non generaret æqualem, potente Filio esse æqualem. Respondet Suar. lib. 4. Trinit. c. 10. & Vasq. 1. p. q. 165. cap. 2. nomen omnipotentiæ vsurpatum fuisse ab Aug. largè, prout est idem, ac potentia productiua ad intra: siue pro principio prorsus fæcundo ad producendum Filium. Verum responsio Greg. deficit, quia verè Maximinus fatebatur Filiũ esse Deũ, nõ Creaturã, licet minorem in Deitate, Patre: & contra Suar. atq; Vasq. obstat, quod Maximinus aiebat Deitatem Filij esse minorem Deitate Patris: sed natura minor quam sit natura Deitatis non communicatur per potentiam generatiuam ad intra; quia per hãc communicatur natura æqualis, vt patet: cõmunicatur autẽ natura minor per potentiam productiuam ad extra, vt est vera omnipotentia, qua creatura producitur in esse; igitur August. ex concessis à Maxim. lo-

 qui-

quitur de omnipotentia in rigore sumpta in ordine ad extra.

Scotus respondet. 8. Hoc stante, respondet Scotus loqui August. de omnipotentia essentiali ad extra, vt est dictum: & loquitur ad hominem ex concessis eius, vt diximus. illatio verò, inquit Scot. nõ tenet per locum intrinsecum, arguẽdo à toto in quantitate, ad partem in quantitate, vt si omnis homo currit, ergo Petrus currit: ista enim non infertur à toto in quantitate ad partẽ, vt Pater est omnipotens, ergo potest generare; ratio quia potentia generandi non est pars ipsius omnipotẽtiæ, cum hæc sit communis, & essentialis, & ad extra, ista propria, & notionalis, ac ad intra: igitur illatio Augustini tenebit per locum extrinsecum, nempe concessit Maxim. Deitatem Filij esse minorem Deitate Patris: & Patrem cõmunicasse ei Deitatem minorem: quod si Deitas est minor, igitur Deitas non est infinita; nam in infinito non datur maius, & minus: quod si Deitas infinita non est, sequitur, vt neque Pater omnipotens sit, ratio, quia omnipotentia nascitur ex infinitate: & hinc sequitur, vt illatio sit tantum à loco extrinseco.

Vasqu. sensus de Scoto. 9 Videat Vasqu. qua ratione dicat Scotum alio detorquere sensum Augustini, hęc enim est germana illatio Augustini; dicere autem vt ipse, quod intelligat potentiam fœcundã, & plenam generandi, quomodo per eam communicari potest natura minor, & inæqualis? immo æqualis, vt patet: verum quia natura minor, & inæqualis communicatur non per potentiam gignitiuam notionalem, sed per omnipotentiam essentialem; ideo ad eam requiritur, & sufficit cõmunis, & essentialis omnipotentia.

ARTIC. VII.

Potentiam generandi in Patre esse veram, & realem contra Aureolum, & Arim.

1 ADuersarium habemus Aureolum, qui in 1.d.7.q.2. ait potentiam generandi in Patre non esse veram, & realem, productiuã, sed solũmodo potentiã logicã, quatenus non repugnet habere Filium, & esse Patrem: argumenta referentur inde. *Aureoli sententia contra communem.* Conclusio tamen est omnium communis adesse in Patre veram, realemq; potentiam ad habendum Filium, qua mediante etiam verè est Pater. docuit eam in primis August. contra Maxim. inquiens, *Si Deus Pater non potuit generare Filium, vbi est omnipotentia Dei Patris?* eumque sequuntur Magist. in 1.d.7. cum D. Bonau. Scot. ibid. & Sententiarij omnes tract. de Trinit. atq; D. Tho. cum expositorib. 1.p.q.41.art.4. *Potẽtia generandi in Patre vera, & realis.*

2 Probatur breuiter, Terminus realis non habens esse à se, sed per productionem ab alio, exigit potentiam productiuam realem; Filius, & Spiritus sanctus sunt termini reales productionum realium, generationis actiuæ, & spirationis actiuæ; ergo habent esse per potentiam verè productiuam realem. maior patet, aliàs terminus, & effectus realis esset non à principio, & causa reali, sed fictitia, & imaginaria: sed qualis est causa, talis effectus: si causa realis, effectus realis, & viceuersa; ergo. Item vnicuique *quod*, correspondet suum *quo*, vel clarius, vnicuique principio totali, & adæquato in operando, correspondet principium *quo*, seu potentia, & ratio formalis operandi: sed Pater, vt est de fide, est principiũ *quod*, & personale Filij, ergo habet in se principium

pium *quo* producēdi: id vero eſt potentia generandi. Denique quia res clara eſt, Auguſt.5. Trin.c.14. *Si gignens ad id, quod gignit, principium eſt, Pater ad Filium principium eſt, quia genuit eum.* & lib.4. cap.21. *Pater eſt principium totius Diuinitatis.* Vates autem pſalm.2. inquit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* & pſal. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* generatio autem eſt realis, ergo à potentia generandi reali.

Per ſolam potentiam logicam nil producitur

3 Accedit, per ſolam potentiam logicam nihil producitur, niſi accedat ad eam potentia productiua realis, patet illa *non eſt aliud, quàm non repugnantia terminorum,* cum nulla ſit contradictio vnius prædicati ad ſubiectum: de qua optimè Scot. in 1. d.7 q.1.litt.I.& d.36. in fin: ac d.5.q. 2. vbi docet potentiam logicam diſtingui à potentia obiectiua; quia illa non dicit ordinem ad potentiam productiuam, hæc verò dicit: vnde ſubdit, quod ſi per impoſſibile nec Deus eſſet, nec vlla creatura productiua vtique mundus eſſet in potentia logica licet non eſſet in potentia obiectiua, quia nō haberet ordinem ad potentiam productiuam. hoc ſtāte ſi potentia Patris eſt ſolummodo potentia logica, & non realis iam Pater non produceret nec Verbum, & Spiritus ſanctus produceretur & ita non haberetur Trinitas. ſequitur id, nam ſolummodo Trinitas eſſet in potentia logica ad eſſendum, ideſt non repugnaret vt eſſet; non autem haberet actuale eſſe, nulla exiſtente potentia reali productiua. Rurſus ſi adeſt ibi potentia logica, ad eſſendū Verbum, & Spiritum ſanctum; ergo de facto ibi ſunt, prob.ſeq.nam in diuinis non differt nec ſeparatur poſſe ab eſſe: ſed non poteſt haberi actuale eſſe ſine potentia actuali, & verè productiua, ergo.

Potentia logica, & obiectiua.

4 Dicimus inſuper potentiam generandi eſſe realem tum ex parte termini, tum ex parte principij. Ex parte termini conſtat apud omnes: ex parte autem principij videtur eā negare Caetan. aſſerens eſſe rationis. Verum non eſt eius intentio vt neget eſſe realem; ſed eatenus vocat rationis, quatenus potentia non eſt productiua generationis actiuæ, ſed ipſius geniti, aliàs ſentiret cum Aureolo.

Caetani ſenſus.

5 Præcipua fundamenta Aureoli hæc ſunt. Vbi non eſt productio elicita, ibi non eſt potentia producens: ſed in diuinis generatio actiua non eſt elicita, quia non eſt producta, non enim producitur Paternitas, quia Pater eſt à ſe; ergo nec Pater habet potentiam productiuam: inſuper ad minorē, ſi eſſet elicita, iam diſtingueretur realiter à Patre. Reſpōd. ad maiorem, veram eſſe in creaturis, vbi cauſa producit media actione cauſatiua elicita: & hæc realiter diſtinguitur ab ipſo cauſante: at in diuinis actio generatiua non eſt elicita, nec producta; ratio quia non eſt productus Pater, ergo nec producta Paternitas, nec generatio: Cum autem infert, ergo non eſt potentia productiua in Patre, reſpectu quidem generationis non eſt, quia eſt improducta, eſt autem reſpectu termini, ſeu Verbi, quia eſt productum. Exemplum de Deo, quatenus eſt Creator: actio enim creatiua, ſeu qua creat, non eſt creata, aliàs eſſet vel accidens, vel eſſentialiter diſtincta à Deo: eſt antē creata & producta ipſa creatura, quæ eſt terminus: ita actio generatiua non producta, ſed eſt mediante qua Pater producit, eſt verò productus terminus, ſeu Verbum mediante ipſa generatione. Item fallitur noſtra imaginatio, eſtimans ita euenire in Deo, ſicut in nobis; vnde ſecundum noſtrum modum intelligendi concipitur ſic eſſe, non autem quod ita ſit.

Argumenta oppoſita Aureoli.

Vbi non eſt productio elicita, ibi non eſt potentia producens, declaratur.

6 Arguit inſuper, Poſſe eſſe Patrem eſt poſſe generare: at poſſe eſſe Patrē non eſt alicuius potentiæ productiuæ realis, quia Pater eſt improductus; ergo nec eſt alicuius potentiæ poſſe generare. Reſpond. non eſſe eundem conceptum Patris *ſubſtantiuè* accepti, & Genitoris adiectiuè: Pater namque ſubſtantiuè idem eſt, ac hypotheſis, & perſona: adiectiuè idem eſt, ac Genitor, ſeu Patrizans: patet verò hos conceptus differre aliqualiter ſecundùm ſe: licet connotatiuè, & materialiter idē impor-

Pater ſubſtantiuè, et adiectiuè.

tent, quia significant Patrem vnde fit, vt loquendo de posse generare, vtiq; ad id est potentia potens generare, & ad esse autem Patrem nulla est realis potentia, quia est improductus, nec potest generari. vide Scot. 1.d.7.6.q.t. in calce: & 4.d.3.q.2.

In Filio, et Spiritu S. non est priuatio potẽtiæ generatiuæ, sed negatio.

7 Item arguitur, Negatio potentiæ generandi in Filio non est negatio alicuius potentiæ realis; ergo nec potentia generandi in Patre erit potentia realis: antecedens est August. contra Maxim. *Filius non genuit, non quia non potuit, sed quia non oportuit.* Resp. negando anteced. quia verè in Filio, & Spiritu sancto est negatio realis potentiæ generandi: licet non sit priuatio, quia hæc est in subiecto apto nato, at nec Verbo, nec Spiritui sancto cõpetit posse generare: & priuatio diceret imperfectionem, negatio minime, quia sunt talis conditionis, vt non competat ei generare. Augustini autem mens fuit loqui absolutè, & simpliciter contra hæreticũ, ostendendo Filium esse æqualem Patri, & consubstantialem, & omnipotentem vt Patrem in ordine ad extra.

Potẽtia generãdi qua liter nõ cõmunis.

8 Arguit, si in Patre potentia generandi, ergo aliqua perfectio in Patre, & non in Filio, & Spiritu sancto, cùm hi non generent. Resp. loquendo de materiali absoluto partiali, cõnotato per potentiam generandi, ea est Essentia, vt est dictum, & est in omnibus. at loquendo de formali, est in solo Patre: in cæteris non, quia sunt talis naturæ vt eis non competat generare, de quo infra.

ARTIC. VIII.

Soluuntur argumenta artic. primi.

Actus producẽdi sũt conditiones agentis, nõ rationes agendi.

1 His actis soluenda remanent opposita argumenta. & quidem ad ea, quæ opponuntur ex artic. primo, ad primum eõcedimus, actus producendi notionales esse actus personales: sed actus illos esse conditionem agentis, non rationem agendi, seu principium *quo*: sunt ergo actus productiui tanquam conditio personæ producentis.

2 Ad secundum, vt quidpiam producat nedum requiritur in eo vis, & natura productiua, sed requiruntur etiam alia necessario concurrentia ad agendũ, quibus semotis non sequitur actio: ad propositum, vt natura sit principium actuale generandi, & spirandi, non sufficit, vt per se, & de se sola existat, sed requiritur vt sit in Patre, ad hoc vt habeatur generatio: & sit in Patre, & in Filio ad hoc vt habeatur spiratio.

3 Ad tertium supponit, essentiam solam admitti sub ratione vtriusque productionis fiendæ, quod est falsum: & iam probatũ fuit quæst. antec. naturam non esse ex se sola principiũ productionum: quapropter cùm ex vnione essentiæ, & intellectus, ac voluntatis, tanquam distinctorum, prodeant diuinæ productiones, non vtiq;, diuersitas productionum prodibit ab essentia, quæ vnica est, sed ab essentia vna cum intellectu, & voluntate: & cùm volũtas, & intellectus distinguãtur formaliter, mirum non est, si essentia cũ intellectu sit generationis principium *quo*: & ipsamet eum voluntate sit principium Spiritus sancti: quapropter non est essentia præcisè spectata, principium diuersarum productionum, sed memoria fæcunda constans ex intellectu, & essentia, & voluntas fæcunda: concurrente relatione vt conditione Agentis.

Productionum distinctio nõ prouenit ex solis relationibus.

4 Ad quartum, distinctio productionum prouenit non ex relationib. solis, sed etiam ex ipsismet principijs fæcundis; nam memoria fæcunda est formaliter distincta à volũtate fæcunda, sicut intellectus à volũtate: igitur distinctio pendet vtrinque, & à principio *quo*, & à principio *quod*: & à ratione producendi, & à conditione producentis: quod si distinctiuitas nõ habetur à relationibus præcisè, non est vt ipsæ sint ratio, & principium agendi, sed conditiones producentis; catenus enim producunt.

5 Ad illud, de distinctione productionum

Distinctio producentis, & producti intelligitur de quo.

ducẽtis, & producti, vera est de principio *quod*, non *quo*: illud namque distinguitur realiter, & ob hoc nil producere seipsum: cęterum conueniunt in Essentia, vt constat. quod si de principio etiam loquamur *quo*, iam constat principia vtriusque productionis esse distincta, vt intellectus, & voluntas, & hinc quoque habetur disparitas diuinarum productionum.

5 Ad Augustinum respondet Scotus, sensum eius esse, *& Pater est Pater formaliter, quo est ei Filius fundamentaliter*; at mediante essentia, veluti principio fundamentali *quo*, producit, ideo essentia est fundamentale principium, relatio verò est conditio principij. Item Augustinus non expressit, vtrum Paternitas sit ratio agendi, an conditio Agentis: sufficit autem vt generatio Filij sit à Patre, tanquam à principio *quod*: ab essentia tanquam à principio *quo*, & à relatione, tanquam à conditione Agentis; est namque à Paternitate, veluti à conditione agendi. Sit exemplum de simili, vt Sortes est Petro similis: vtiq; erit similitudine formaliter simile, seu relatione similitudinis: at fundamentaliter, & causaliter erit similis albedine; quia ipsa est fundamentum similitudinis: ita Paternitate est Pater formaliter, sed est ei Filius non Paternitate originatiuè, cùm non producat Paternitas, vt ratio agendi, sed vt conditio Agentis: est verò ei Filius fundamentaliter, mediante Essentia, tanquam fundamentali principio *quo* generationis. Ad confirmationẽ concedo antec. nego conseq. Item variatur suppositio in argumento; siquidẽ arguitur ab esse ad producere: vtique in esse simpliciter, communis est Essentia omnibus, & vna est in omnib. at in ordine ad productiones, non pari modo se habet in omnibus, cum in solo Patre sit principium Filij: & in Patre, & Filio sit principium Spiritus sancti.

Essentia est principiũ quo: Pater principiũ quod: Relatio paternitatis, est cõditio Agentis.

6 Ad Athanasium, non exprimit sanctus Doctor, sub qua ratione cõcurrat hypostasis ad generandum; vtrum vt ratio agendi, vtrum vt conditio Agentis. Item, hypostasi Pater generat tanquam principio *quod*, at producit quoque mediante Essentia, vt principio *quo*: cæterum Paternitas vt conditio Agentibus.

Hypostasis principiũ quod, Essentia quo.

7 Ad illud de cap. damnamus, patet ex propria quæst. negari ibi, essentiam generare vt *quod*, non autem vt *quo*: primum competit personæ, secundum Essentiæ, de quo suo loco.

8 Ad illud de forma constitutiua, quod sit actiua, negatur hoc vniuersaliter esse verum; nam aliquæ formæ substantiales sunt constitutiuæ, & non actiuę, vt Essentia Angeli, & Animæ in spiritualibus, & in corporalibus aliquæ formæ mixti, vt lapides, metalla, & huius generis: & in accidentalibus relatio, quantitas: licet ergo relatio constituat Patrem, tamen nõ est necesse vt Pater per eam agat: sufficit vero vt agat mediante forma absoluta, quæ est memoria, & voluntas fæcunda; aget autem mediante forma constitutiua modo sibi conueniẽti, vel vt ratio, vel vt conditio, reddendo singula singulis.

Forma omnis constitutiua, an actiua.

9 Ad illud, sicut se habet ad creandum, ita ad generandum, paritas est contra arguentem; nam sicut ad creandum Deitas, siue Essentia cum voluntate est principiũ; & ratio creãdi, Trinitas verò est conditio Creantis ex Scoto; ita ad generandum memoria erit ratio generandi, & Paternitas conditio Generantis.

Essentia cũ intellectu, & volũtate est principium, & ratio creãdi, Trinitas conditio Creãtis.

10 Ad aliud de potentia, quod sit relatio, dicendum potentiam connotatiuè, siue fundamentaliter, spectatã esse quid absolutum: formaliter autẽ consideratam pro actu generationis esse relationem, qualis est actus notionalis: Cum infers, ergo principium est relatio: Resp. principium fundamentale esse absolutum: principium totale *quod*, esse respectiuũ, vt Pater: principium formale etiam esse respectiuum, vt generatio: at Paternitas nõ erit principium, sed conditio.

Potẽtia de cõnotata est quid absolutũ, formaliter relatio.

11 Ad vltimum de medio, duplex est medium, alterum per participationem extremorum: alterum non participans de extremis: siuè duplex est medium, alterum essentiale, alterũ accidentale: loquendo de primo, vtique est in eodem genere, in quo extrema, & participat de extremis, vt

Medium, essentiale, et accidentale: sine mediũ per participationem.

fuscum

fuscum medians inter nigrum, & album, quod participat de vtroq; loquendo de secundo, minimè participat de extremis, quia est accidentaliter ordinatum inter ea, vt intellectio medians inter intellectum intelligẽtem,& substantiam intellectam: ambo autem sunt substantia, ob quod intellectio cum sit accidens non participat de eis. Applicando dicimus; essentiam esse medium non participans, sed potius participatum ab extremis, quia essentia est communis generanti, & genito. Scotus vbi sup. Aliter respondetur, principium *quo*, non esse propriè medium inter producens, & productum, sed potius se tenere ex parte producentis: quod si mediat aliquid, id erit potius actus notionalis, quo mediante producens producit productum. hæc Scot.

Actus productiuus an mediet inter extrema.

12 Verum obijcitur, actus notionalis generationis actiuæ est formaliter, & vltimato cõstitutiuus personæ producentis; ergo non est medium, sed se tenet ex parte extremi producentis. Resp. primò si rem cõsideremus, prout contingit in Creaturis, vbi actio mediat inter producens,& productum; vtique sic speculari possumus & hic. vnde est, vt dicamus, secundum quendam modum loquendi more nostro, intercedere, & mediare ibi actum notionalem, quamuis re vera sit ipsum constitutiuum alterius extremi, *abstrahentium enim non est mendacium*; ergo secundum nostrum modum imperfectè cõcipiendi, mediat actus notionalis inter vtrumq; extremum. Respondeo insuper talem conceptionem non esse irrationabilem, immo necessariam; quia actum notionalem vel concipimus vt viam ad alterum extremum, vel vt constitutiuum primi extremi: hoc secundo modo non mediat, sed se tenet ex parte primi extremi: at primo modo, quia via mediat inter terminũ à quo.& ad qu m,ideo actus mediat inter Patrem producentem,& Filium productũ. hoc idem est, quod sub alijs verbis dici solet, actum notionalẽ concipi vel vt *origo*, vel vt *relatio*: primo modo mediat inter Originãtem,& Originatum; secundo nõ mediat, sed est constitutiua primi extremi.

ARTIC. IX.

Soluuntur argumenta artic. secundi.

Pater seipso producit, declaratur.

1 AD primum de primo capite sententiæ Gregorij respondetur, loquendo de principio *quod*, vtique seipso verè producit: loquẽdo de principio *quo*, negatur. Ratio primi, quia Pater est formaliter ipse, seu ipsemet Pater, nam vera est ista prædicatio, & est formalis, *Pater est Pater*, in primo modo dicendi per se; ergo loquendo de principio *quod*, vtique seipso producit, etenim Pater nõ distinguitur à seipso: Ratio secundi, quia Pater constituitur ex duob. formaliter distinctis, vt essentia,& relatione; ergo in Patre ista duo distinguuntur, & ob id, producit non seipso vt *quo*, sed mediante essentia vt *quo*, & ratione agendi; mediante autem Paternitate, vt conditione Agentis. Ad fundamẽtum simplicitatis, iam patet ex propria quæst. distinctionem formalem non obstare summæ Dei simplicitati t.1. disp.vlt.

Essentiã nõ est causa Patris; sed ratio cõstitutiua.

2 Ad secundum, non est essentia causa Patris, sed est ratio essentialiter constitutiua Dei Patris: in ipso namque sunt duo, ex quib. constituitur Pater, s. essentia,& relatio: præscindẽdo tamen ab imperfectione nominis causæ, habet esse tum ab essentia intrinsecè, tum à paternitate: in ipso namq; sunt duo conceptus, tum Dei, tum Patris: qua Deus, habet ab essentia: qua Pater, habet à paternitate: & ab vtroq; habet esse Patris. Et de nomine causæ an sit in diuinis actum fuit sup. disp.1.q.4.

Pater summè simplex non simpliciter simplex.

3 Ad tertium, supponit Patrem esse simpliciter simplicem; quod negat Scotus; licet enim sit simplex, & summè simplex, quia in Deo nulla dicitur compositio; tamen non est simpliciter simplex; quoniam habet pluralitatem

tatem conceptuum; quæ pluralitas repugnat simpliciter simplici: & hinc fit, vt sint in eo tum cóceptus Essentiæ, tum paternitatis, quorum vnum est ratio agendi, & alterum conditio Agétis: quod si esset quid simpliciter simplex, vtique non esset in eo distinguere quod, & quo aratio, & conditio agendi.

Principiũ, & terminus in diuinis distinguũtur realiter, vt quod, non vt quo; at vtroq; modo in creaturis.

4 Ad argumenta secundi capitis. dicendum ad primum, distinctionem realem inferri inter producentem vt *quod*, & productum vt *quod*, non vt *quo*, prout in diuinis contingit, vt ex art. præced. licet in Creaturis sequatur realis distinctio ex parte vtriusq; principij *quod*, & *quo*; quia nedum generantis persona, verum etiam numerica natura distinguitur realiter à generante, & genito ob limitationem, & diuisionem naturæ, quæ nequit cōsistere eadem numero in vtroq; sicut consistit natura diuina.

Potētia generatiua an relatiua an absoluta.

5 Ad secundum, soli potentiæ generatiuæ vt *quod*, competit esse relatiuum, & ita Pater est persona relatiuè habens esse mediante paternitate, & generatione: potentia autem vt principium *quo*, fundamentaliter spectata est quid absolutum, vt est Essentia. Quòd si vrgeas, potentia generãdi vt potentia est, dicit relationem; ergo & ipsa Essentia, vt est potentia generãdi vt *quo*. Resp. potentiam sub ratione principij vt *quo*, *fundamentaliter* esse essentialiter absolutum, quia Essentia est verè absoluta: at formaliter spectata, erit relatiua secundum dici; hoc autem non obstat contra intentum; si enim esset relatiua secundũ esse, vtique relatio esset verè principium.

Actus generandi in diuinis est idem cum Generante.

6 Ad argumenta tertij capitis: ad primum concedimus actum generandi esse idem cum Generante in diuinis, secus in humanis: & Essentiam esse eandem cum eodem Generante, realiter quidem, sed vel formaliter, vel ratione distincta, iuxta varia placita: vnde est reperire ibi *quod*, & *quo*, constituens, & constitutum. Ad Confirmationem, iam dictum, summè simplicitati non obstare *quod*, & *quo*: licet ea non reperiantur in ente simpliciter simplici; cuiusmodi non est Persona, propter varietatem conceptuum.

Indeterminatum passiuè, ab alio determinatur: secus actiuè.

7 Ad Henricum, iam constat ex artic. 4. quod indeterminatum passiuè postulat vt ab alio determinetur: Essentia verò non sic est indeterminata passiuè, sed actiuè; quapropter principium habet, & potentiam, qua determinatur ex se actiuè ad producendũ, cæteris alijs concurrentibus ad productionem, vt est ibi dictum.

QVÆSTIO XI.

Vtrum Pater sit sapiens *sapientia genita*, & Filius sit *Ars Patris*.

Arguitur pro parte affirmatiua

VIdetur concedẽdam esse hanc, *Pater est sapiens sapientia genita*. prob. eam cōcedit Aug. ait autẽ 15. Trin. c. 7. *In illa Trinitate quis audeat dicere Patrem nec seipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere, nisi per Filium: vel diligere nisi per Spiritum sanctum?* Hinc verò colligit Magist. 1. d. 23. Patrem & diligere per Spiritum sanctum, & intelligere per Filium. Idem August. c. 14. *Nouit*, inquit, *omnia Deus Pater in seipso, nouit in Filio*. Hinc tandem deducitur concedendas etiam has, *Pater intel-*

intelligit Verbo, & per Verbum: sunt namque eiusdem rationis. Probatur autem discursu principale intentum; Creatura est formaliter sapiens sapiētia sua: at Verbum vocatur à Paulo, *sapientia Patris*, 1.Cor.1. *Christum Dei virtutem, & sapientiam.* Item: verbum nostrum formamus, vt eo intelligamus; ergo Pater Verbum producit, vt ex eo intelligat. Tandem nō intelligimus mediāte actu primo nostræ memoriæ, sed mediante actu secundo producto, ergo Pater nullo anteriori intelligit, nisi medio ipso Verbo producto.

Pater non est sapiens sapiētia genita.

2 Oppositum est verum; & communiter asseritur à Theologis. & inprimis idem August. hoc quoq; docet: qui recantans id, quod prius docuerit, negat propositionem hāc *Pater est sapiens sapientia genita*, ait vero l.1.retract.c.23. *De Patre, & Filio dixi, quod eam ipse genuerit, qua sapiens dicitur, sapientiam: sed melius istam quæstionem in lib. postea de Trinitate tractauimus.* 5. in lib.6.de Trin.c.1.2. & l.7.c.1.3.& 15.c.7. Hanc eandem sententiam amplectitur Ansel.l.monol. c.43. Athan. orat. contra Greg. Sabell. Magist. cum Scholasticis, & Scot.1.d.32.q.1. & D.Tho. 1.p.q.37. art.2. Probatur vero ratione, actus secundus non potest inesse alicui mediante principio *quo*, nisi principium illud sit formaliter in eo; sed Filius nō ēst in Patre sub ratione principij quo intelligendi, ergo nō est ratio, qua sapiat Pater, & sic Pater non erit sapiēs sapientia genita. Item Filius non est Patri ratio essendi principiatiuè, seu originatiuè; ergo nec Pater est sapiēs sapientia genita originatiuè: Dicitur autem, Filium, vt infra, esse sapientem *sapiētia ingenita, qua est Pater originatiuè*, quia cōmuniactur ab eodē quo infra num.9. at Pater non originatur à Filio. Insuper Pater non est principium subauctoritatiuum talis actus sapiendi: nempè Filius quidem sapit subauctoritatiuè, & Pater auctoritatiuè, quia ille est à Patre, & habet sapientiam à Patre: at Pater nec est à Filio, nec sapientiam habet à Filio. hæ sunt rationes Scoti vbi sup. §.*ad secundam quæst.* Adde, *Pater antequam generet Filium est perfectè beatus:* ergo est perfectè intelligens: prob. seq. non enim potest quis esse beatus sine intelligentia: Præterea nihil recipit Pater à Filio; immo totum, quod habet Filius est à Patre, ergo relinquitur vt vera, quod Pater non est sapiēs sapientia genita. Cuius oppositum & si docuerat aliquando Aug. nihilominus ipsum inde retractauit.

Pater non intelligit creaturas, nisi producto Verbo.

3 Quamuis vero hæc ita se habeant, vt Pater non sit sapiens, nec intelligat Verbo, seu sapientia Filij, nihilominus Pater non intelligit creaturas, nisi producto iam Filio. est Scoti in 2.d.1.q.1. locisq; citatis in quæst. An Filius producatur ex cogni.creat. Assertio probabitur ibi; etenim creaturæ non intelliguntur, nisi completo ordine ad intra diuinarum personarum: quandocunq; namq; occurrunt duo ordines obiectorum, quorum alterum sit necessarium, alterum contingens, prior est ordo obiecti necessarij, & productionis necessariæ, quā contingentis: at productiones personarum sunt necessariæ: productiones creaturarum contingentes: quæ sunt ad intra sunt necessaria; quæ ad extra sunt, sunt contingentia, ergo prius diuino intellectui, omnium personarum sese offert productio; & intellectio obiecti necessarij, quam contingētis: vnde fit, vt expleto iam vtroq; ordine productionum ad intra, sese offerat inde omnium personarum intellectui cognitio creaturarum.

Pater dicit Creaturas Verbo appropriatè.

4 Sed licet Pater non sit sapiens sapientia genita, seu Verbo; tamen concedenda est hæc propositio, *Pater dicit creaturas Verbo appropriate.* est Augustini, qui l.7.Trin.c.1. inquit, *Pater Verbo, quod genuit, dicens est: Verbo, æquali sibi, quo semper, atq; incommutabiliter dicit seipsū.* & paulò post, *Dicēs illo coæterno Verbo, non singulus intelligitur, sed cum ipso Verbo, sine quo non est vtique dicens.* & l.11. Confess. c.7. *Verbum Deum sempiterne dici, & eo sempiterne dici omnia:* & infra, *Patrem Verbo sibi coæterno simul, & sempiterne dicere omnia, quæ dicit.* estque communis Scholasticorum. Assertio non intelligitur *propriè*, etenim diximus non esse sapientem Patrem, nec intel-

intelligentem ſapientia genita ſed ſapientia ingenita, formaliter inexiſtẽre in Patre; igitur intelligitur *appropriatè*.& ratio, quia ſapientia appropriatur Filio, cum procedat per modum intellectus, cuius munus, eſt ſapere,& intelligere: ergo ei appropriatur, vt Pater intelligat Verbo. Et rurſus prob. Reſpectus hic ad Creaturas eſt reſpectus rationis non realis, vt in propria quæſt. de product. Verbi ex cogn. crea. dicendum erit: at nullus reſpectus rationis eſt proprius alicuius perſonæ effectiue, propter duo; primum, quia nullum ens rationis eſt de conſtitutione, & intrinſeca ratione entis realis, alias nõ eſſet ens reale, ſed rationis; tũ quia aliquod opus ad extra, ſiue operandi, ſiue intelligẽdi eſſet proprium effectiue vnius, & non alterius, & alterius perſonæ, cum tamen *opera ad extra ſint indiuiſa*. Reſtat igitur, vt dicat Verbo, & intelligat Verbo *appropriatè*. Scot. 1.d.18. q.1.§.*ſed non concedo*. & d.30.q.2.§.ad ſecundam quęſt.& d.32.q.2.§.*ad iſtam quæſt*.atq; d.27,q.3.noſq; de hoc propriam quæſt.teximus citato loco. Dicere autem Patrem Verbo, non eſt aliud, quã manifeſtare Creaturas mediante Verbo, vt Theologi ibid.

Nullus reſpectus rationis eſt proprius alicuius perſonæ effectiuè.

Patrẽ dicere Verbo quid ſit.

5 Ad diſcurſum in oppoſitum initio quæſt. qui erit ſecundum argument. reſp. Paulum vocare Chriſtum *Dei ſapientiam*, vtique ſapientiam genitam, nõ autem ingenitam: at Pater eſt ſapiens non ſapientia genita; ſed ingenita.

Chriſtus quomodo Dei ſapientia.

6 Ad illud de Verbo noſtro, differentia eſt, vt in quæſt. de formatione Verbi dicemus, inter productionẽ Verbi noſtri, & Dei: nos enim ideo producimus Verbum, vt mediante eo intelligamus alias nõ intelligeremus; quo fit vt producamus illud ex indigentia: Pater vero non producit vt mediãte eo intelligat; alias ſi per impoſſibile non produceret Verbum, nihilominus perfecte etiam intelligeret per intellectionem, & notitiam ingenitam: & inde etiam eſt, vt producat Verbum non ex indigentia, ſed ex ſumma plenitudine, & fæcunditate naturæ diuinæ, ſuique diuini Intellectus, vt ibi amplius dicemus.

Quare Pater, et creatura producit Verbũ.

7 Ad vltimum, vtique nec nos, nec Pater intelligimus niſi mediante actu ſecundo: at differimus, quia nos intelligimus mediante actu ſecundo producto, Pater mediãte actu ſecundo ingenito, & improducto.

Pater intelligit mediante actu ſecundo improducto, nos producto.

8 Sed nec contentus eſt Auguſt. Filium, vna cum Apoſt. vocare *Sapientiam Patris*, quin etiam, alijs, licet cõſimilibus condecoret eum titulis; ait autem, 4. Trin. cap. 1. *Ita dicitur Filius ſapientia Patris, quemadmodum lumen Patris*: id verò declarans, ſubdit, *Quemadmodum lumen de lumine, et vtrumq; idem lumen; ſic intelligitur ſapientia de ſapientia, & vtraque ſapientia*. Conſentaneum autem eſt nomen luminis nomini ſapiẽtiæ; ſiquidem vti ſapientia illuminat, ita ſapientia appellari poteſt lumen. non indiget verò Pater Filio vt illuminetur ſuus ipſius diuinus in intelligendo Intellectus, ſicut nec indiget Filio, vt mediante eo ſapiat, & intelligat: at exponitur vox luminis ad eum ſenſum, quo exponitur ipſa vox ſapientiæ, ſunt enim idem penes Auguſt.

Filius appellatur ab Aug. lumẽ Patris.

9 Patrem eſſe ſapientem ſapientia genita, iam negatũ eſt: reperimus tamen quandoque apud Magiſtrum, ex parte Filij, quod Filius eſt ſapiens *ſapientia ingenita, quæ eſt Pater*: Modificatione eget loquutio: quod quidem Filius ſit ſapiens ſapientia ingenita, vtique & verum eſt, & omnibus perſonis commune eſt; ſapiunt namque ſapiẽtia eſſentiali formaliter, quę omnibus cõmunis eſt: at dicere quod ſapiat ſapientia ingenita, quæ eſt Pater, prædicatio hæc non eſt intelligẽda vt ſit formalis, ſed eſt vera cauſalis; non enim Filius ſapit Patre, cum nec Pater ſit forma intellectus Filij; ſicut namque Filius non eſt ratio formalis ſapiendi Patri, ita nec Pater Filio: eſt vera tamen originatiuè, & eſt ſenſus, *Filius eſt ſapiens ſapientia ingenita principiatiuè*, quia eſt ſapientia producta à Patre. Duplex ergo connotari poteſt per ſapientiam ingenitam, habitudo; altera ſub ratione principij originatiui: altera ſub ratione principij, & cauſæ formalis: in primo ſenſu loquitur Magiſt. non in ſecundo; quicquid ſit, quod alij recur-

Filius an ſapiẽtia ingenita, quæ eſt Pater.

intelligentem ſapientia genita ſed ſapientia ingenita, formaliter inexiſtẽte in Patre; igitur intelligitur *appropriatè*.& ratio, quia ſapientia appropriatur Filio, cùm procedat per modum intellectus, cuius munus, eſt ſapere, & intelligere:ergo ei appropriatur,vt Pater intelligat Verbo.Et rurſus prob.Reſpectus hic ad Creaturas eſt reſpectus rationis non realis,vt in propria quæſt. de product. Verbi ex cogn. crea. dicendum erit: at nullus reſpectus rationis eſt proprius alicuius perſonæ effectiue, propter duo; primum, quia nullum ens rationis eſt de conſtitutione, & intrinſeca ratione entis realis, alias nõ eſſet ens reale,ſed rationis; tũ quia aliquod opus ad extra,ſiue operandi, ſiue intelligẽdi eſſet proprium effectiue vnius, & non alterius, & alterius perſonæ,cum tamen *opera ad extra ſint indiuiſa*.Reſtat igitur, vt dicat Verbo, & intelligat Verbo *appropriatè*. Scot. 1.d.18. q.1.§.*ſed non concedo*. & d.30.q.2.§.ad ſecundam quęſt.& d.32.q.2.§.*ad iſtam quæſt*.atq; d.27,q.3.noſq; de hoc propriam quæſt.teximus citato loco.Dicere autem Patrem Verbo, non eſt aliud,quã manifeſtare Creaturas mediante Verbo,vt Theologi ibid.

Nullus reſpectus rationis eſt proprius alicuius perſonæ effectiuè.

Patrẽ dicere Verbo quid ſit.

5 Ad diſcurſum in oppoſitum initio quæſt. qui erit ſecundum argument. reſp. Paulum vocare Chriſtum *Dei ſapientiam*, vtique ſapientiam genitam, nõ autem ingenitam: at Pater eſt ſapiens non ſapientia genita; ſed ingenita.

Chriſtus quomodo Dei ſapientia.

6 Ad illud de Verbo noſtro, differentia eſt, vt in quæſt. de formatione Verbi dicemus, inter productionẽ Verbi noſtri, & Dei: nos enim ideo producimus Verbum,vt mediante eo intelligamus alias nõ intelligeremus; quo fit vt producamus illud ex indigentia: Pater vero non producit vt mediãte eo intelligat; alias ſi per impoſſibile non produceret Verbum, nihilominus perfecte etiam intelligeret per intellectionem, & notitiam ingenitam: & inde etiam eſt,vt producat Verbum non ex indigentia,ſed ex ſumma plenitudine,& fæcunditate naturæ diuinæ, ſuique diuini Intellectus, vt ibi amplius dicemus.

Quare Pater, et creatura producit Verbũ.

7 Ad vltimum, vtique nec nos, nec Pater intelligimus niſi mediante actu ſecundo:at differimus, quia nos intelligimus mediante actu ſecundo producto, Pater mediãte actu ſecundo ingenito,& improducto.

Pater intelligit mediante actu ſecundo improducto, nos producto.

8 Sed nec contentus eſt Auguſt. Filium,vna cum Apoſt.vocare *Sapientiam Patris*,quin etiam,alijs,licet cõſimilibus condecoret eum titulis; ait autem,4.Trin.cap.1.*Ita dicitur Filius ſapientia Patris,quemadmodum lumen Patris*:id verò declarans,ſubdit,*Quemadmodum lumen de lumine,et vtrumq; idem lumen;ſic intelligitur ſapientia de ſapientia, & vtraque ſapientia.* Conſentaneum autem eſt nomen luminis nomini ſapiẽtiæ; ſiquidem vti ſapientia illuminat, ita ſapientia appellari poteſt lumen. non indiget verò Pater Filio vt illuminetur ſuus ipſius diuinus in intelligendo Intellectus, ſicut nec indiget Filio, vt mediante eo ſapiat, & intelligat: at exponitur vox luminis ad eum ſenſum, quo exponitur ipſa vox ſapientiæ,ſunt enim idem penes Auguſt.

Filius appellatur ab Aug. lumẽ Patris.

9 Patrem eſſe ſapientem ſapientia genita,iam negatũ eſt: reperimus tamen quandoque apud Magiſtrum, ex parte Filij, quod Filius eſt ſapiens *ſapientia ingenita, quæ eſt Pater*: Modificatione eget loquutio: quod quidem Filius ſit ſapiens ſapientia ingenita,vtique & verum eſt, & omnibus perſonis commune eſt; ſapiunt namque ſapiẽtia eſſentiali formaliter,quę omnibus cõmunis eſt: at dicere quod ſapiat ſapientia ingenita, quæ eſt Pater, prædicatio hæc non eſt intelligẽda vt ſit formalis, ſed eſt vera cauſalis;non enim Filius ſapit Patre, cum nec Pater ſit forma intellectus Filij; ſicut namque Filius non eſt ratio formalis ſapiendi Patri,ita nec Pater Filio: eſt vera tamen originatiuè, & eſt ſenſus,*Filius eſt ſapiens ſapientia ingenita principiatiuè*, quia eſt ſapientia producta à Patre. Duplex ergo connotari poteſt per ſapientiam ingenitam, habitudo; altera ſub ratione principij originatiui: altera ſub ratione principij, & cauſæ formalis: in primo ſenſu loquitur Magiſt. non in ſecundo;quicquid ſit, quod alij recur-

Filius an ſapiẽtia ingenita,quæ eſt Pater.

runt ad modificationem ſapientiæ, vt ſe teneat vel priuatiuè, vel negatiuè: dum enim habetur intelligentia propoſitionis, id ſufficit.

Filius an ſapiens ſapientia genita.

10 Sed vtrum ſit vera hæc, *Filius eſt ſapiens ſapientia genita.* Reſpond. quod ablatiuus *ſapientia*, vel dicit rationem originis, ſeu cauſæ efficientis; & falſa eſt; nam Filius non originat ſeipſum, nec tradit ſibi ſapientiam genitam, cum nihil gignat ſeipſum: ſi dicit circumſtantiam cauſæ formalis, nec eſt vera, quia ratio formalis, qua eſt ſapiens, eſt ſapientia eſſentialis, & ingenita, qua mediante omnes perſonæ ſapiunt, ſi tandem dicat ordinem quaſi cauſæ materialis, vt cũ dicimus, homo ſeipſo intelligit, poſſet concedi Filius ſapit ſic: ſed impropriè ait Dur.

Verbum eſt Ars Patris

11 Vltimus quem verbo, in præſentiarum, dat Auguſt. titulus, *eſt Ars Patris.* ait enim ibidem: *conſimiliter dico, Ars de arte, et vtraque: vna ars.* & 6. de Trinit. cap. 10. vocat *Verbum Artem omnipotẽtis Dei plenam omniũ rationum viuẽtium incommutabilium*, id verò intelligitur *appropriatè*: licet enim omnes perſonæ, operẽtur creãdo, & conſeruando ad extra, tamen dicitur appropriatè Verbum Patris Ars; vt quemadmodum mediante arte, exiſtente in mente Artificis; dicitur Artifex operari; ita cum Filius procedat per intellectum, dicitur ei appropriari Ars, qua mediante Pater creat ad extra. Adſtipulatur hoc Pſalmiſta pſal. 32. *verbo Domini Cæli firmati ſunt:* Hæbr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* idẽ ibidem, nouiſſime Deus, loquutus eſt nobis in Filio, per quem fecit & ſæcula. atq; ad Coloſſ. 1, *In ipſo condita ſunt vniuerſa, & omnia in ipſo, & per ipſum creata ſunt.* Adeſt & modus loquendi Thomiſtarum, vt an ſit authoritatiuè in Patre, ſubauthoritatiuè in Filio, ea ratione, qua Filius recipit operandi virtutem à Patre, demptis tamen imperfectionibus.

Ars ex Scotiſtis authoritatiuè in Patre, ſubauthoritatiuè in Filio. Spiritus S. cur non etiam vocetur Ars Patris

12 Dices, eodem modo poſſe vocari Artem Spiritum ſanctum; cum & ipſe operetur in virtute recepta à Patre, & à Filio: negatur id; nam Ars ſubiectatur in intellectu, dicitq; modũ operandi per intellectum; ideæ namque ſunt in intellectu: ſolus Filius procedit per intellectum, Spiritus ſanctus per voluntatem, ideo non Spiritui ſancto, ſed Filio tribuitur nomen Artis.

13 Sicut verò Filius creat ſubauctoritatiuè à Patre: ita Spiritus S. creat ſubauctoritatiuè à Patre, & Filio: ait namque Filius Ioan. 5. *Non poteſt à ſe Filius facere quidquam*, hic quidem negatur facere auctoritatiuè: cùm verò ſubdit, *niſi quod viderit Patrem facientem*, hic conceditur agere ſubauctoritatiuè. de Spiritu ſancto ſimiliter dicendum, ait enim Ioan. 16. *non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet loquetur;* eſt verò à Patre, & Filio, ergo non à ſemetipſo auctoritatiuè, ſed à Patre, & Filio, quæ audiet, ea loquetur. Scot. quolib. 8. artic. 2.

Filius, & Spiritus S. creant ſubauthoritatiuè.

DISPVTATIO SECVNDA

De Verbo diuino.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum detur Verbum in diuinis.

Alogiani negantes Verbum.

1 VEerbum diuinũ negarunt hæretici quidam, quos Epiphan. hær. 51. appellat *Alogianos*, idest, *sine Verbo*. Quod si cõtra eos Ioannem adduxeris 1. *In principio erat Verbum*, negant, & abijciũt Epistolam Ioannis, ne eam admittendo, recipere teneantur Dei Verbum. Aduersum hos scripsit Alphons. de Castro verbo *Deus* hær. 10. ex Antiquis Cyrill. lib. 7. thesaur. c. 3. Athan. contra error. Gregal. Sabell. August. hær. 30. &c.

Durandi sententia de Verbo.

2 Ex Catholicis vero Durandus loquens de Dei Verbo, siuè de secunda persona, docet, eam non propriè, sed appropriatè vocari Verbũ: quare ex eius sententia persona secunda dicitur Verbum appropriatè. ita in 1. d. 27. q. 3. fundamenta referentur infra; sustinet enim non produci per intellectum, sed ex fœcunditate naturæ, & propterea non esse nisi appropriate Verbum. Cum etiam eius productio sit prior origine productione Spiritus sancti, ideo dicit esse appropriate Verbũ, quia intellectus, est prior voluntate: proprie autem Verbum in diuinis appellat essentialiter, siue notitiam essentialem, appropriate vero notionalem, siue Verbum.

3 Aduersus vtrosq; & quod Verbum sit in diuinis, & quod secunda persona sit proprie Verbum, non appropriate, breuiter differemus. & primo ex scripturis patet vtrumq; etenim Ioann. 1. ait *In principio erat Verbum*. loquitur autem Ioannes ex cõmuni Patrum sensu ad litteram de secunda persona, quoniam in fine concludit, *& Verbum caro factum est*. Itẽ Apoc. 19. *videns sedẽtem super equum album*, in fine edisserens quod nomen haberet, concludit, *Et vocatur nomen eius Verbum Dei*. Occurrit Durãdus, inquiens, appropriate hoc esse intelligendum, quia de eodem Verbo dicitur ibi, quod est *testis fidelis, verax, & cum iustitia pugnans*, quæ omnia communia quidem sunt, sed appropriantur Filio, seu Verbo, ita etiam appropriate is, *qui sedebat super equũ appellatur Verbum*; Verum fallitur, etenim licet illa communia sint, nihilominus nec Patri, nec Spiritui sancto tributum vnquã est nomen Verbi; vnde igitur hoc colligere potest Durandus? Insuper per tria illa epitheta declarantur encomia sedentis super equum. cæterum id, quod primario sibi competit, est suum nomen, quod proprie exprimens, dicit esse Dei Verbum. Demũ aduersatur Durandus vniuersis Theologis, Patribusq; atq; Concilijs, vbi dum sermo occurrit de Verbo Dei, ipsum vere, & proprie, non appropriate appellant Verbum Dei. Ex quib. etiam Concilijs, Scripturis, Patribusq; damnata remanet Alogianorum hæresis negã-

tium Verbum Dei, tum in toto etiam decursu materię de Trinitate, cum Incarnationis, & alibi sæpe, vt infra.

Verbũ appellatur quoq; sermo, & ratio.

4 Idem Dei Verbum appellari solet *sermo ex August.*tract.108.in Io. 17.explicãdo illud, *sermo tuus, veritas tua.* ita etiam illud ad hæbr.4. *Viuus est sermo Dei, & efficax* ex Cyrill.l.2.in Ioann.c.37.Ambros.4.de fid.c.3.sicut & illud alterum, *Eructauit cor meum verbum bonum*, ex Cyprian.l.2.adu. Iud. Et ratio, quia græce logos, latine sonat *verbum, aut sermonem*: adde, quod significare etiam potest, *Rationem*, vt August.83.q.q.63.loquens de Ioannis principio, inquit, *quod græcè logos dicitur, latine & Verbum, & ratio significatur, melius autem Verbum interpretatur.* quod item adnotauit Scotus 1.d.27.q.3.litt.E.de incarnato autẽ Verbo loquens Ecclesia ait, *Omnipotens sermo tuus Domine à regalib. sedib. venit.* Dom.1. Natiuitatis.

Verbi, & sermonis differentia.

5 Differentia vero aliqualis potest esse inter *Verbum*; & *sermonem*, siquidem Verbum est dictio simplex; sermo autem est quid aggregatum ex plurib. dictionib. Verbum ex suæ vnicæ dictionis simplicitate magis ostẽdit diuinum Verbum, secundam nempe, simplicemq; personam Trinitatis; cum tamen sermo ex plurib. dictionib. compactus, ostendat ipsum Christum, in quo reperitur vnio humanitatis cum diuinitate. Hinc reprehenditur à quamplurimis Erasmus, quod vbi Ioannes ait, *In principio erat Verbum*, ille vertit, *In principio erat sermo* existimans melius legi *sermo*, quam *verbum*; sed licet possit transferri, *sermo*, vt est dictum, nihilominus, dicendo *Verbum* ex Ioanne, magis ostenditur simplicitas secundæ personæ: tum etiam, quia reliquit antiquissimã textus lectionem: ex Canar.1.27.d 6.q.2.

Erasmus improbatur.

QVÆSTIO II.

Vtrum Verbum dicatur essentialiter an notionaliter.

D. Thomæ sententia.

1 FVit D.Thomæ opinio in 1.d.27.q.2.art.2. Verbum dici essentialiter. Inde autem quæst.4. de verit. art.2. docuit se tenere notionaliter, non tamen sine formidine partis oppositæ. Deniq: 1.p.q.34.art. 1.absolute sustinuit dici personaliter.

Durandi opinio.

2 Extitit sententia Durandi, qui in 1.d.27.q.3.asseruit Verbũ omnino dici essentialiter, appropriate vero notionaliter. sicut nãq; sapiẽtia diuina, quę est quid essentiale commune trib. appropriatur Filio, ita Verbum erit quid essentiale commune trib. sed per appropriationem accommodatur Filio. Probat primo Verbum non est aliud quam intelligere: sed intelligere est essentiale, ergo & Verbum. secundo ad rationem Verbi non est necesse vt producatur, ergo intellectio etiã non producta erit Verbum: sed ea est quid essentiale. tertio Filius non procedit à Patre per intellectum, sed ex fœcunditate naturæ: quod si per intellectum non procedit, vtique non erit productus, ergo erit quid essentiale. quartò, eadem est ratio de Verbo, ac de amore, sed amor dicitur essentialiter tum ad intra, quo Deus diligit se, tum ad extra, quo diligit creaturas, ergo similis erit ratio de Verbo. Quinto, dicere est formare Verbum: seu vnaquęq; persona dicit se, & creaturas

turas

turas: antecedens patet; prob.min. Ansel.monolog.c.6.ait, dicere summo spiritui nihil est aliud, quam cogitando intueri: & sicut Pater est intelligens, & Filius est intelligens, & Spiritus sanctus est intelligens, ita Pater est dicens, Filius est dicens, & Spiritus sanctus est dicens, & similiter quilibet *eorum dicitur*. ergo vnaquæq; persona format Verbum, quia dicere est formare Verbum; & proinde erit essentiale, & appropriare notionale: fuit insuper sententia Origenis, Verbum dici *metaphoricè*.

Origenis sententia.

3 Cæterum sententia opposita, sicut est communior, ita & verior, Verbum dici notionaliter, personaliter de secunda solummodo Trinitatis persona non autem essentialiter. Ita D.Bonau.Scot.Rich. Gabr. cæteriq; sententiarij cum Magistro in 1.d.27. & D.Tho.1.p.vbi sup.cum suis expositorib, de quo Gaetanus ibi ait, se retractasse, & mutasse sententiam tenendo dici notionaliter. Suadetur autem breuiter, Verbum est notitia genita, vt sequenti artic.manifestabitur, ergo non est notitia essentialis, igitur erit quid notionale, quia quod ad intra verè producitur est personale. prima sequela prob. quoniam notitia essentialis emanat, nō verè producitur, Scotus autem vocat eam *quasi productam*, vbi sup. q.2.ad 2.sed non audet eam vocare verè productam, sicut nec vllus alius. Item notitia essentialis non distinguitur realiter à Patre, & Spiritu sancto, nec à Verbo: sed Verbum, seu Filius distinguitur realiter à cæteris personis, ergo est propriè Verbum, ergo non erit notitia essentialis Verbum. Insuper Pater, & Spiritus sanctus non sunt sapientes sapiētia genita, sed ingenita, ergo notitia ingenita non est Verbum. Præterea solus Pater dicit Verbum, seu producit, ergo Verbum non est essentiale: antec.patet; sequela prob. quoniam essentialia sunt communia toti Trinitati. Deniq; August.7.Trin.c.2. *eo Verbum, quo Filius; & eo Filius, quo Verbum*; hinc arguitur, sed Filius est quid notionale, non essentiale, ergo nec Verbum. Idem 6.Trin.c.2. *Verbū solus Filius accipitur, non simul Pater, & Filius, tanquam vnum Verbum*. & 5.Trin.c.13. *Relatiuè dicitur Filius, & relatiuè dicitur Verbum, & imago*. hinc arguitur, notitia essentialis est quid absolutum, Verbum, & imago sunt quid relatiuum: at Filius est Verbū, & imago Patris, ergo non est quid essentiale.

Verbum dicitur notionaliter.

4 Hinc soluuntur motiua Durādi. Ad primum dicimus non quācunque intellectionem, seu notitiam esse Verbum, sed solummodo notitiam productam: hęc vero non est essentialis, sed notionalis. Ad secundum negamus assumptum, patebit enim infra Verbum constitui in esse suo per veram, & realem productionem, ideoq; appellatur genitū, iuxta illud, ex vtero ante Luciferum genui te: de quo alias. Ad tertium consimiliter negatur assumptum, patebit namq; suo loco generationem Verbi fieri per intellectum, seu memoriam fœcundam. Ad quartum primo dicimus, amorem dupliciter dici, tum essentialiter, tum notionaliter: primus est communis trib. secūdus, est amor personalis productus, seu spiratus, vt Spiritus sanctus: ita intellectio, & notitia duplex, altera improducta, & hæc essentialis, sicut amor improductus; altera producta & hæc personalis, sicut amor spiratus. secundo resp. amorem tum productum, tum improductum appellari amorem ob inopiam vocabulorum, ita respondent plerique ad hoc Durandi. Ad quintum concesso antecedenti respō demus, quod Anselmus non explicare intendit Verbi productionem, sed ostendere diuinas personas, & esse intelligentes, & sapientes, ita vt *dicere* ibi ab Anselmo sumatur essentialiter pro intelligere, & pro declarare omnia, non autem notionaliter pro gignere, ac producere. ita Scot. 1.d.32.q.1. litt.B. & D. Thom. sup.ad 3.

Non quacunque notitia est Verbum.

5 Sed quid ad Origenem, qui Ioann.1.inquit, *Verbum metaphoricè dici*. Respondet D.Tho.sup. ad 1.quod Origenes in hoc fuit fons Arrianorū, qui ideo dicebant Verbum metaphoricè dici, ne cogerentur asserere produci à Patre in identitate naturæ, cōsubstantiale cum eo, & non esse extra

Origenis error de Verbo.

Patrem;

in actu secundo: igitur falsò dicitur esse ibi duo subiecta, cùm sit solum vnum, is verò est Intellectus. Notandū verò, & explicanda loquutio Scoti, ait nãque, *Idem Intellectus dicitur memoria, & Intelligentia.* At quomodo esse poterit, vt Intellectus sit intelligentia; dum intelligentia est ipsamet intellectio: sed sensus est, vt Intellectus sit intelligentia, non quidem formaliter: etenim Intellectus est substantia, intellectio, seu intelligentia est accidens: ille est subiectum intelligentiæ, hæc verò est forma inhærēs Intellectui: sed sensus est duplex, alter, vt sit prædicatio causalis: alter vt sit prædicatio inhæsionis: primum indicat, intellectum esse causam intelligētię: ergo cùm ait intellectum esse intelligentiam, est quidem intelligentia nō formaliter, sed effectiuè, & causaliter: secundum verò infert, vt idem intellectus sit eiusdem intelligentiæ subiectum: siquidem intelligentiam, quam producit, eandem in ipso subiectat, à primo autem ad vltimum remanet probatum, non esse duo memoriam, & intelligētiam, sed vnum, idemque subiectum. Item est mos ipsius Scoti vsurpandi vnum pro alio, Insuper sumit intellectum, quatenus coniunctum cum intellectione, & vt sic, appellat eum intelligentiam.

Scotus explicatur.

3 Impugnatur secundò principalis sententia: species illa in intelligentia superuacanea, ergo non apponenda: probatur antecedens: species hæc non repræsentat obiectum perfectiori modo, quàm repræsentet species in memoria: ergo sufficit species memoriæ: assumptum probatur ex August. 15. de Trinit. cap. 13. *Nihil plus est in prole, quàm in Parente*: per prolē verò significat *intelligētiam*, & per parentē *memoriam*. Confirmatur, species hęc vel repręsētat minus, vel æquè, vel magis quam repræsentat illa, quæ est in memoria: si minus ergo non est necessaria, nec quidquam prodest: non magis, vt patet ex Aug. si dixeris, æquè, ergo altera ipsarum superflua erit, quod namque potest æquè benè fieri per pauciora, siue per vnum, frustra fit per plura.

4 Impugnatur tertio: ex illa quidem specie in intelligentia sequuntur duo inconuenientia: primum, quod habitus non esset principium immediatum operandi: secundum, quod habens habitum non esset in potentia accidentali, & proxima ad operandum, sed solummodo remota, quod est contra Philosophum: probatur vtrumque, prærequiritur species noua, vltra speciem in memoria, ad hoc, vt Intellectus intelligat: ergo Intellectus habens aliquem habitum non posset intelligere mediāte eo, nisi interueniat talis species: at talis species non est necessaria, quia iam Intellectus vna cum habitu est in actu primo ad operandum: quod si species hæc prærequireretur, esset impotens ad operādum sine ea, nec tamen esset in potentia accidentali, & proxima ad intelligendum. Confirmatur, quia non posset habitus ēsse principium immediatum operandi, dum prærequireretur hæc species: at sine tali specie potens est Intellectus bene habituatus esse completum principium operandi.

5 Denique ista species nec produceretur naturaliter, nec liberè, ergo nullo modo haberetur, igitur non est ponenda: probatur primum, ista species non esset sine actuali intellectione, taliter namque se habet ista species intelligentiæ à specie in memoria, vt hæc esse possit sine intellectione, vt in dormiente, illa verò minime sed fiat, & desinat esse cum ea: sed actualis intellectio subest imperio voluntatis, ergo non producitur naturaliter: prob. secundum, species hęc precedit volūtatē, quia informat Intellectum priorem voluntate: Item species hæc est naturaliter prior intellectione, igitur non subest imperio voluntatis: ergo à primo ad vltimum nullatenus est ponenda.

6 Verū obstatur, *Phantasia Carthaginis in memoria est verbum Carthaginis* ex August. de 8 Trin c. 6. at Phantasia nil est aliud, quàm species ergo Verbum est species. Resp. Phātasiam Carthaginis esse Verbum, causaliter quidem, quia causat Verbum; non tamen formaliter, quia nō est Verbum formaliter.

Phantasia est verbum declaratur.

7 Adest

Aureoli ſẽtentia. 7 Adeſt ſecundo loco ſententia Aureoli in 1. d. 27. & penes Capreol. ibid. quæſt. 2. aſſerit autem Obiectum cognitum eſſe Verbum mentis creatæ. Sũt & Alij affirmantes Obiectum ipſum ſecundũm eſſe reale, eſſe Verbum ipſius intellectus. Probatur, *Verbum, quod foris ſonat eſt ſignum verbi, quod intus latet*, ex Auguſt. 5. de Trin. cap. 10. ſed Verbum, quod foris ſonat non eſt ſignum intellectionis, ſed obiecti, ergo Verbum eſt obiectum.

Impugnatur. 8 Verum improbatur, & primo, Verbum creatum eſt effectus per ſe productus à memoria: at obiectum vt cognitum, ſeu in eſſe cognito, nõ producitur per ſe: probatur, eſſe cognitum, eſt ens rationis, at ens rationis non producitur per ſe, quia ens rationis non eſt terminus per ſe alicuius actionis, ſed potius derelinquitur, ſed reſultat, & extrinſecus aduenit ex comparatione, ſeu attingentia aliquorum extremorum, vt habetur in logicis. Item Verbum mentis habet verè eſſe reale, productum extra cauſas ſuas: Obiectum autem vt cognitum, non habet niſi eſſe depẽdens ab Intellectu, & per conſequens habet ſolummodo eſſe rationis, ceſſante namque actuali cognitione, ceſſaret eſſe cognitum, ergo dum in eſſe cognito, in ſenſu compoſito, pẽdet ab Intellectu, non habet eſſe reale, & conſequenter nec erit Verbum, quia Verbum habet eſſe reale. Inſuper Verbum eſt verè productum à memoria in eſſe ſuo ſimpliciter, at Obiectum in re extra, & in eſſe reali non producitur à memoria, cùm paries v. g. habeat eſſe reale, etiam independenter ab Intellectu, & memoria: Præterea Verbum eſt intra Intellectum, ſubiectatur namque in Intellectu: Obiectum vero reale eſt extra Intellectum, nec informat Intellectũ.

9 Ad oppoſitum reſp. Verbum ſignificare vtrumque, tum intellectionem, tum obiectum: licet obiectum, vt cognitum, & intellectionem vt mediũ ad cognoſcendũ obiectum.

Hẽrici ſẽtentia. 10 Tertio loco ſeſe offert Henricus: is autẽ quodlib. 2. quæſt. 6. plura dicit: & primo ait duplicem eſſe notitiam, alteram ſimplicem, alterã declaratiuam, ſeu cõuerſiuam, & reflexiuam: ſecundo inquit, quod notitia ſimplex eſt ratio producẽdi notitiam cõuerſiuã, ſeu declatiuã: Et tertio, quod illa conuerſio eſt adeo neceſſaria, vt abſque ea nequeat Verbũ produci. Inſuper quartò, Intellectum reſpectu notitiæ ſimplicis ſe habere paſſiuè, reſpectu verò notitiæ declaratiuæ, & conuerſiuæ ſe habere effectiuè. Concludendo tamen infert, Verbum eſſe quidem intellectionem, ſed intellectionem ſolũmodo declaratiuam. hæc Henricus.

11 Improbat quoq; hanc Henrici ſententiam Scotus: & primo circà id, quod ait, Intellectum eſſe paſſiuũ, reſpectu notitiæ ſimplicis, & actiuũ, reſpectu conuerſiuæ, ſic arguit, Potẽtia eiuſdem rationis, eodem modo ſe habet ad obiecta, & actus talis potẽtiæ, exemplum de potentia viſiua, quæ reſpectu cuiuſcunque viſionis de quocunque creato obiecto, & eſt actiua, & paſſiua: non eſt enim actiua ſolũmodo reſpectu vnius, & paſſiua reſpectu alterius, ſed æquanimiter reſpectu omnium viſionum: ergo Intellectus eodem modo ſe habebit, tum reſpectu notitiæ ſimplicis, tum declaratiuæ: igitur vel paſſiuus, & actiuus vtrobique, vel nullibi: da autem oppoſitum, quod non eodem modo ſe habeat, & ſequitur Intellectum non eſſe potentiam eiuſdem rationis. Dices maiorem eſſe falſam, ſiquidem Intellectus Viatoris penes notitiam ſupernaturaliter à Deo ſibi infuſam de diuino obiecto, ſe habet ſolummodo paſſiuè, nõ actiuè, & nihilominus eſt idem eiuſdemq; rationis Intellectus: ergo currit ſententia Henrici, reſpectu vnius ſe habere ſolummodo paſſiuè. Reſponſio de facili cõnſtat ex verbo, quod ad Scoti rationem addi, nempe *creato*: igitur ſi loquamur de Obiecto increato, & ſupernaturali planè conſtat ſe habere paſſiuè, non actiuè, loquimur autem de Viatore: etenim de Comprehẽſore eſt alia quæſtio, vtrum Intellectus beatus concurrat actiuè, de quo in materia de Viſione beatifica: ſi autem loquamur de Obieco creato, nec tamen de ratione ſtatus, vel *Improbatur.*

alte-

alterius impedimenti, improportionato ipsi Intellectui, vtique pariformiter se debebit habere, tum actiuè, tum passiuè, & sic militat ratio citata.

12 Item notitia declaratiua ex Henrico est perfectior notitia simplici: ex hoc autem arguitur, implicat potentiam esse principium actiuum respectu formæ perfectioris, & non respectu formæ imperfectioris: si autem potest Intellectus actiuè se habere respectu notitiæ declaratiuæ, quæ est perfectior, poterit multo magis actiuè se habere respectu notitię simplicis, tãquam imperfectioris: & hoc quoad secundum dictum Henrici.

13 Rursus forma imperfectior non potest esse principium productiuum formæ perfectioris: ergo notitia simplex nec erit principium productiuum notitiæ declaratiuæ perfectioris. Confirmatur, quærendo, quãdo namque notitia simplex erit productiua notitiæ declaratiuæ? aut quãdo est, aut quando non est: si primum, aut hæ duæ notitiæ sunt eiusdem, aut alterius rationis: si eiusdem, ergo duo accidentia solo numero differentia erunt simul in eodem subiecto: si alterius, cum simplex notitia sit imperfectior cõuersiua, nec esse poterit principium eius, probatur, quia in æquiuocis causa debet esse perfectior causato æquiuoco: si dederis secundum, ergo causabit quando non erit, at quod non est, non potest operari.

14 Item notitia simplex nõ spectat ad memoriam, sed ad intelligentiam: ex hinc vero deducitur imaginẽ creatam non repræsentare perfectè increatam, saltem quoad primã partẽ imaginis: probatur, nã memoriæ munus est producere, at notitia simplex est jam producta: ergo memoria non haberet rationem parentis, & verbũ rationem prolis: Confirmatur, quoniam producere verbum non esset effectus memoriæ, sed intelligentiæ, etenim notitia simplex spectat ad intelligentiam: notitia autem hæc non potest habere rationem memoriæ, ergo imago creata non repræsentabit increatam, saltem quoad hanc primã partem imaginis. Insuper verbum non esset verbum memoriæ, & obiecti, sed verbum actus, probatur, quia notitia declaratiua esset effectus notitiæ simplicis, expressiua notitiæ simplicis, à qua produceretur, nõ autem esset verbum memoriæ, & obiecti.

15 Quoad id autem, quod tertio loco aiebat, illam conuersionem esse necessariam ad productionem verbi, impugnatur: & quidem beati habent verbum de essentia diuina intuitiue visa, iuxta sententiam ita sustinẽtium; de quo infra suo loco: & nihilominus beatifica visio, inquit Scotus, non est conuersiua, seu reflexiua: de hoc autẽ nos in materia de visione beatifica. Itẽ sequeretur quod verbum beatorum non esset iam verbum Essentiæ, tanquam Obiecti increati, sed esset verbum actus creati ipsius beati: Præterea verbum est de obiecto perfecto, ergo non est actus conuersiuus, & reflexiuus: probatur consequ. est perfectior actus rectus, quam conuersus, & reflexus; ille namque terminatur ad diuinam Essentiam, vt cognitio beatifica beati: iste vero terminatur ad actum talis cognitionis, quoniam mediãte hoc actu conuersiuo beatus reflectitur supra suum actũ, cognoscendo se cognoscere &c. ergo non poterit verbum, cui competit esse perfectam cognitionem obiecti, esse conuersiuum, atque reflexiuum: ait autẽ August. 15. de Trin. c. 16. quod verbũ perfectissimum erit in Patria respectu obiecti beatifici.

16 Adest & sententia D. Thomę, is autem 1. p. q. 32. art. 1. & q. 27. ar. 1. docet verbum creatum esse formalẽ, & expressam similitudinem rei cognitæ: additque, verbum esse quid productum per intellectionem. Fundamenta sunt, primo; verbum est terminus intellectionis, ergo nõ est formaliter intellectio: prob. consequ. quia nihil terminat seipsum, ergo verbum non est intellectio, sed quid productum per intellectionem. Secundo verbum ex Scoto, producitur per actum dicendi, sed dicere est intelligere, ergo verbum producitur per intellectionem. Tertiò quilibet actus Intellectus est intellectio, ergo *dicere*, quod est actus Intellectus, erit intellectio: at verbum producitur per *Sententia D. Thomę.*

actum dicendi, ergo & per intellectionem. Quarto Verbum ex sua formali ratione est similitudo formalis rei intellectæ ex August. 15. de Trin. sed intellectio formaliter spectata non est similitudo, nec imago rei cognitæ, probatur, est nãque intellectio actio vitalis, at de ratione actionis vitalis non est esse formalem, atque expressã similitudinem obiecti: ergo Verbum non est intellectio, sed quid productũ per intellectionem. Quintò Verbum est proles, & notitia genita à memoria ex August. 9. de Trin. c. vlt. sed intellectio non est genita à memoria, ergo non est Verbum: prob. minor, intellectio est actio, sed actionis nõ est actio, ergo Verbum non est intellectio.

Verbũ non producitur per intellectionẽ, sed per dictionem.

17 Sententiam hanc impugnat Scotus in 1. d. 27. q. 1. & d. 2. atque quodlib. 1. negatque, Verbum esse terminum productum per intellectionẽ: probatur autem primo, si Verbum esset terminus productus per intellectionem, impossibile esset intelligi intellectionem absque eo, quod intelligatur terminus per eã productus: at experientia docet, dum intelligimus nostrã intellectionẽ, vt qualitas est, nõ intelligere quidquam per eam productum, ergo nec Verbũ, nec quid aliud erit productum per intellectionem. Item si ita esset, sequeretur quod intellectio diceret ordinem essentialem ad Verbũ, sicut calefactio ad calorẽ: ergo nequaquam intelligi posset sine ordine ad Verbum: prob. sequ. calefactio intelligi nequit sine calore, ergo nec intellectio sine tali termino producto; experimur autem oppositum, cum intelligendo intellectionem, nil recordemur intellexisse vnquam, vel intelligere, productum per eam. Insuper, intellectio est de genere qualitatis, non de genere actionis: ad actionẽ vero de genere actionis spectat producere, ad actionem autem de genere qualitatis produci: ergo intellectio est verè terminus productus, & per consequens Verbum. Præterea Verbum creatum producitur à memoria, vt sæpissimè Augustinus docet, ergo non ab intelligentia. Rationes cæteras linquimus, & differimus ad q. 8. huius disputationis: vbi idem penè discutietur assumptũ, quærendo verũ Verbum producatur per actum intelligendi, an per actum dicendi: ibi namque amplius examinabitur præsens quæsitum, cum impugnationibus cæteris: atque euasionibus Aduersariorum &c.

Dicere est producere: intelligere quo formaliter intelligimus.

18 Ad opposita autem respondẽdo, ad primum dicimus negando maiorem, Ad secundum, concessa maiori negatur minor, etenim *dicere* est producere, intelligere autem est quo formaliter intelligimus. Ad tertium, non omnis actus intellectus est intellectio, sed sola intellectio producta: dictio autem est intellectionis productio. Ad quartum, intellectio est vtrũque, tum intellectio, tum similitudo expressa obiecti: nec obstat, quod sit actio vitalis, hoc namque nil impedit ad similitudinẽ: ita August. 9. de Trin. c. 10. inquiens, *Omnis secundum speciẽ notitia similis est ei rei, quam nouit*. & c. 11. *cum habeat notitia similitudinem ad eam rem, quam nouit, hoc est, cuius notitia est, &c.* Ad quintum negatur minor, & ad probationem, intellectio non est actio de genere actionis, sed de genere qualitatis, & consequenter erit actio producta, seu qualitas producta.

Intellectio non est actio de genere actionis, sed qualitatis.

QVÆSTIO IV.

Qualis notitia sit Verbum: quęnam descriptio Verbi; quæue conditiones concurrunt ad Verbum.

1 Confutatis sententijs varijs de Verbo, nunc singulariter est exponendũ, qualisnam cognitio sit, vel non sit Verbum: indeque afferemus eius definitionem, cæterasq; conditiones requisitas ad Verbum.

Verbum nõ est species, nec obiectũ cognitum.

2 Singulariter ergo descendendo ad demonstrandum quid sit Verbum. Primo dicimus, Verbum non esse speciem illam Aegidiji non esse obiectum, siue cognitum, siue in esse reali: quæ duo ostẽsa remanent quęst. præced.

Verbo non sufficit esse declaratiuum.

3 Secundò dicimus, Verbum nõ esse absolutã notitiam declaratiuam, quasi esse declaratiuum sufficiat ad Verbum: nõ enim quia notitia aliqua est declaratiua, ideo Verbum censenda est, sed requiritur aliquid aliud. est Scoti vbi sup. probatur autem, Notitia, qua Pater æternus seipsum intelligit, est declaratiua ipsius Patris: & tamen nõ est Verbum: probatur hoc, alias Pater esset sapiens sapientia genita, contra Augustinum. Item de ratione Verbi est, vt producatur à memoria, est enim notitia genita à memoria; ergo dicit relationem realem ad dicentem per memoriam, seu ad producentem per memoriam: sed declarare, non dicit relationem realem, sed solius rationis ad declaratum; idem namque prout declarans seipsum non dicit, nisi relationẽ rationis ad seipsum declaratum. Cõfirmatur ex August. 7. de Trin. c. 3. dicente, *si hoc verbum, quod nos proferimus temporale, & seipsum ostendit, & ipsum, de quo loquimur, quanto magis Verbũ Dei, per quod facta sunt omnia.* Sensus autem est, verbum esse declaratiuum sui, & eius, cuius est verbũ. Positio hæc est contra Henricum, cuius sententiam quæst. præcedenti cõfutauimus.

Verbũ non est terminus productus per intellectionẽ.

4 Tertio inferimus, Verbum nõ esse terminum productum per intellectionem, sed esse ipsammet intellectionem à memoria productam, hæc est contra Thomistas, & probata remansit anteced. quæstioni.

Verbum est notitia prodncta per memoriam

7 Quarto inferimus, quod Verbum est notitia producta per memoriam. est Scoti vbi sup. Estq; Augustini, qui 9. de Trin. c. 7 ait, *Conceptam rerum notitiam, tãquam verbum apud nos habemus.* & c. 22. *Est quadam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia eius, quæ est proles eius.* atque lib. 15. c. 16. *Cognitio quippe perueniens ad id, quod scimus, & inde formata, verbum est.* & cap. 10. *formata quippe cogitatio de ea re, quam scimus, verbum est.* at de hoc infra.

Verbũ non est quęcunque notitia sed producta.

6 Hinc quinto deducimus non quamlibet intellectionem actualem esse verbum, sed solam notitiam genitam: probatur de Patre ęterno, qui notitiam habet de seipso, attamen nõ est Verbum. Item notitia, qua formaliter intelligit, est notitia essentialis, hæc autem est improducta: Verbum verò est notitia genita, & notionalis. Demum notitia illa est cõmunis personis omnibus, ideoque essentialis: Verbum tamen est notitia personalis.

Verbum est vniuersa notitia, tũ perfecta, tũ imperfecta

7 Denique deducimus, vnamquãque notitiam, siue perfectam, siue imperfectam, esse verbum: reddẽdo autem singula singulis, notitia perfecta erit

erit verbum perfectum; notitia imperfecta verbum imperfectum. Ratio, tum quia talis est mens Augustini, vt notitia genita sit verbum ergo qualitercunque gignatur, siuè perfectè, siuè imperfectè, erit nihilominus verbum. Item ratio perfecti, & imperfecti non dicit, nisi differentiam accidentalem ad ipsam notitiam, siuè ad ipsum verbum, ergo non propter imperfectionem desinet notitia genita esse verbum, licet sit imperfectum verbum; sufficit namque esse notitiā genitam. Confirmatur, quia Augustinus non limitat verbum ad notitiam perfectam, vel imperfectam, cùm planè norit has esse differentias accidētales; sed loquendo de verbo appellat illud absolutè notitiam genitam, vnde vbi supra aiebat, *formata quippe cogitatio de ea re, quam scimus, Verbum est.* idem verò est esse *formatam*, ac genitam. Differentia autem inter vtrūque erit, quod verbum perfectum est notitia distincta iuxta eūdem August. 9. de Trinit. cap. 10. vbi verbum perfectum temperantiæ appellat definitionem eius: imperfectum verò erit notitia confusa &c, hæc autem magis explicabuntur passim in hac eadem quæst. vna cum cæteris requisitis ad Verbum. Incipiamus verò à Verbi descriptione.

Verbum est. 8 Est Verbum, *Actus intelligentiæ à memoria productus, non habens esse sine actuali intellectione, representans Verbum diuinum.* Descriptio hęc desumitur ex D. August. sparsim in libris de Trinit. Declaremus autem particulas singulas descriptionis. & quidem Verbū est actus intelligētiæ, quoniam est formalis perfectio intelligentiæ, siue intellectus, etenim intellectio informat, & perficit Intellectū. item est notitia genita à memoria, seu expressa à memoria. tertio non habet esse absque actuali intellectione, etenim deficiente actuali cognitione, deficit, & ruit ipsum verbum. & quarto representat ipsum Verbum diuinum, siquidem Augustinus ex verbo creato deuenit in notitiam Verbi increati, iuxta etiam Apostolum Roman. 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, à creatura mundi intellecta conspiciuntur.* de singulis autem edisserit Augu. ait namque lib. 10. de Trinit. cap. 12. 15. *Verbum esse actum formalem intelligentiæ,* per quod habetur prima cōditio. item lib. 15. cap. 10. 14. ait, *formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, Verbum est:* ex quo docet produci Verbum, seu exprimi de memoria & cap. 14. inquit, *Verbum est visio de visione, siue verbum nostrum nasci de nostra scientia, sicut Verbum Dei natum est de scientia Patris.* hinc etiam deducit, Verbum spectare ad secundam partem imaginis, & representare Verbum increatum, quod est secūda persona Trinitatis: sicut autem verbum creatum producitur à memoria creata, quę est prima pars imaginis, ita increatum gignitur à memoria Patris, quę est prima persona Trinitatis. Dum verò docet Verbum esse visionem de visione, & similia, visionē intelligit actualem, de visione habitualis illa est Verbum, & notitia genita, hæc est memoria. Idem quoq; assimilauit, seu assignauit Trinitatem in mente, notitia, & amore: per mentem quippe intelligēdo Patrem; per amorem Spiritum sanctum; & per notitiā ipsum Filium Verbum. en ergo quomodo per verbum creatum deuenit in cognitionem Verbi increati, meritòque additum in descriptione quod sit Verbi diuini representatiuum. Denique 15. Trin. cap. 17. concludit Verbum nostrum non posse esse sempiternum, ideoq; non manere sine actuali intellectione, vt inde differentiā admittat inter verbum nostrum, & diuinum, quia diuinum est æternū, ab æterno, & erit sempiternum. Super omnia autem verbum debet esse notitia producta, nō enim omnis notitia est verbum; etenim notitia essentialis non est producta, licet Scotus vocet eam quasi productam, attamen quia non est verè producta, ideo non est Verbum; proptereaq; Aug. semper appellet Verbum, notitiam genitam; ideoque spectantem ad secundam partem imaginis, representantem Verbum diuinum productum, quod est secunda persona Trinitatis. Notitia quoq; essentialis est communis toti Trinitati, cuiusmodi non est notitia

titia Verbi producta. & per notitiam essentialem Pater, & Spiritus sanctus intelligunt, non autem per notitiam notionalem Verbi, quia non sapiunt sapientia genita, vt est dictum.

Ad Verbi productionem an necessaria inquisitio.

9 Addunt Alij, *Verbum esse notitiam productam per inquisitionem, & discursum.* Verum neque hoc stare potest: & primò Deus producit Verbũ, & tamen Deus Pater in eius productione non discurrit. Angeli quoque de sibi naturaliter notis, inquit Scot. non discurrunt, & tamen producunt Verbum. Beati quoque non haberent verbum, siue notitiam vtcunque de essentia diuina. Habens denique habitum perfectum, & ex illo operans non produceret verbũ, statim namq; sequitur ex perfectè sibi notis cognitio in intellectu absque inquisitione, & discursu præuio. hæc Scotus.

Difficultas in doctrina Scoti, soluitur.

10 Vtrũ verò rationes istæ quadrent suæ doctrinæ, quandoquidem etiam in Angelis ipse admittit discursum: Item etiam in perfectè cognitis apud Scotistas, datur discursus; licet namque non sit necessarius ordo tẽporis, sufficit tamen ordo naturæ ad discursum ex ipso Scoto: vt imperfecto Cithartedo: quomodo igitur rationes istæ currunt in Intellectu creato, sufficeret namque inquisitio præuia ordine naturæ. Verum nõ est curandum vtrum rationes istæ conuincant in doctrina Scoti, sufficit namq; demonstrasse saltem in doctrina aliorum valere, & ita valere posse in doctrina Thomistarum negantium discursum in Angelis quo stante dicendum erit, Scotum arguere argumento deducendo ex mente aliorum. Vel Scotus loquitur de inquisitione præuia requirente intercapedinem temporis, quod quidem tempus verè de eius mente non requiritur ad discursum, & ita non requiritur necessario ad productionem Verbi, vt probat de intellectu disposito, habituato, & nõ impedito, & in his sensibus possunt rationes adductæ militare etiam in doctrina Scoti. Quod etiam dicit de Beatis, quod non producerent Verbum, id etiam ambiguum est in eius doctrina, variè opinantibus eius discipulis de eius mente. sed quidquid sit, modo loquutus est ad mentem sustinentium Beatos producere Verbũ. sed de hoc infra. quando verò sit necessaria inquisitio, mox dicemus.

Omnis notitia producta est Verbum.

11 Pro coronide addendum est omnem notitiam productã esse verbum: siue ea sit perfecta, siuè confusa: ita Scotus infra citandus, Bassol. t. d. 27. q. 1. communiterq; Scotistæ. ratio, quia omne quod producitur à memoria est verbum, igitur vniuersa notitia producta siuè confusa, siuè distincta erit Verbum: Item qualis est memoria tale verbum; ergo à memoria perfecta prodibit verbum perfectũ, à memoria imperfecta prodibit verbũ imperfectùm. probatur ex Augus. qui l. 9. de Trin. c. 19. ita scribit, *Placet mihi quod noui, & definio quid sit intemperantia, & hoc est Verbum eius.* hinc deducitur, illud esse perfectum Verbum, quod est cognitio distincta, & præcipuè illa, quæ habetur per diffinitionem ex Augustino; igitur ex oppositio cognitio quæ sic nõ habetur, & quæ distincta non est, vtique non erit perfectum, & distinctum Verbũ.

Verbum perfectum est cognitio distincta.

Verbũ an egeat inquisitione.

12 Nihilominus & si nuper diximus verbum non esse necessario terminum inquisitionis, tamen subiungendũm est id verum esse in Deo, & in perfectè dispositis ad productionẽ Verbi: quod si talis cessee dispositio, vtiq; discursu indigebimus, & præuia disquisitione; Aristoteles .n. docuit, *innatam esse nobis viam procedendi à confusis ad distincta.* Probatur autem apertè ex eod. August. qui 15. Trin. c. 15. inquit, *volubili quadam notitia iactamur, cum à nobis nunc hoc, nunc illud inuentum fuerit, vel occurrerit, & tunc fit Verbum, quando ad illud, quod scimus, peruenimus, atq; inde formatur Verbum eius.* notãda loquutio Augustini, vbi dicit, *volubili quadam notitia iactamur*; ex quo dat intelligere præire discursum, & disquisitionem antequam producatur distinctum Verbũ.

13 Hoc stante non implicat ad Verbum præcedere disquisitionem, id vero dicimus non competere Verbo, necessario, & per se, alias sequerẽtur absurda supra recensita: sed euenire per accidens, ratione Intellectus minus apti, minusq; ad plenè intelli-

gen-

gendum dispositi. Insuper deducimus multa formari verba confusa, & imperfecta, antequam formetur verbũ distinctum, & perfectum: patet, quia ex præuio discursu multa fiũt verba, & discursus imperfecti, donec veniatur ad perfectam intelligentiam Obiecti. Et hinc fit, vt admittendus sit aliquis, ordo in formatione perfecti verbi, siue verborum confusorum, atq; imperfectorum. Ordo vero sit talis, vt primo habeatur de obiecto notitia habitualis confusa, siuè species intelligibilis, mediante qua dicimur habitualiter, & in actu primo habere cognitionem rei. Secundò habeatur notitia actualis confusa: tertio disquisitio, & discursus circa multas species in ordine ad perfectã rei cognitionem; & quarto habeatur notitia actualis distincta; quinto ista notitia distincta imprimit in memoria speciem intelligibilem perfectam: & sexto ex tali specie perfecta habetur, & resultat perfecta memoria: & denique ex tali memoria perfecta generatur verbum perfectum, absque tamẽ media disquisitione. habemus ergo clarissimè expositum totum ordinem requisitum ad productionem Verbi.

Ordo in formatione Verbi.

14 Quærere vtrum ad verbum concurrat voluntas non est præsentis loci, sed disquiremus infra agendo de generatione diuini Verbi in propria quæst.

Super Verbo increato duo respectus.

15 Habito iam quid sit Verbum, & quæ eius conditiones, subsequitur Scotus amplius declarare naturam Verbi: & quidem in 1. d. 27. q. 3. litt. K. & quol. 8. art. 3. inquit, super Verbo increato fundari duos respectus, vnum realem, alterũ rationis: primus est respectus producti ad producentem, seu expressi ad exprimentem: & secundus est respectus declarantis ad declaratum. primus est ad Patrẽ mediante memoria fæcunda exprimentem, & producentem diuinum Verbum: & hic est realis: qui etiã est realis in Verbo ipsomet creato ad memoriam creatam exprimentem, siuè ad suppositum creatum producentẽ creatum Verbum: atq; spectat ad secundum genus relatiuorum, in quo collocantur relationes producentis, & producti; causantis, & causati; mouentis, & mobilis; estq; talis respectus realis mutuus, vt patet. Secundus est ad obiecta per ipsum Verbum siuè creatum, siuè increatum declarata; ratio quia respectus iste est ad obiectũ nòn simpliciter, sed quatenus declaratum, si e cognitum: obiectum autẽ sub ratione cogniti, & declarati, non recipit nisi denominationem quandã extrinsecam, & ita sequitur, vt respectus inter verbum & obiectum, sit rationis. Confirmatur quia obiectum prout cognitum non est aliud, quam ipsamet notitia, ipsumq; actuale Verbum: nihil autem dicit relationem realem ad seipsum. Item idem potest semetipsum intelligere, & mediante sua intellectione semetipsum declarare: ex tali autem declaratione non insurgit nisi respectus rationis.

Verbum quid per se primo, & quid importet de connotato.

16 Hinc deducit Scotus Verbũ de formali, & de per se primo significato importare relationem realem expressi, seu producti ad producentẽ, & exprimentem: de connotato autẽ, & secundario importare relationem rationis in ordine declarantis ad declaratum.

Connotatio qualiter Verbum cõueniat.

17 Declarat vero inde talem cõnotationem in Verbo increato eatenus sibi competere *appropriatè* quãdoquidem Verbo est appropriata notitia ingenita cõmunis tribus: quæ respectum rationis dicit ad cognita per eam: dumq; talis notitia declaratiua appropriatur Verbo sequitur, vt Verbo etiam competat declarare appropriate omnia. equidem notitiæ ingenitæ competit proprie declarare omnia, tam ad intra, quam ad extra, & per eã tota Trinitas intelligit omnia; quia tamẽ Verbum procedit per modum intellectus, mediante memoria fæcunda, hinc est, vt eidem dicatur appropriari ista talis declaratio.

Respectus illi quomodo conueniant Verbo.

18 Ex quo etiam infertur, respectum primum competere necessario Verbo, secundum vero secundario, tanquam eius passio, & conditio sequens. ita Scotus, communiterq; Scotistæ, Basfol. Lych. Mayron. Patet vero, quia Verbum est quid reale, ergo de primaria sui significatione importabit respectum realem ad personam pro-

producentem, & exprimentem. Insuper talis productio realis est de essentia Verbi, etenim mediante expressione reali habet suum esse simpliciter, ergo id importabit necessario ex vi suæ productionis: tãto magis, quãto Verbum est notitia, quæ debet esse omnino producta, aliàs non esset verè, & propriè notionale Verbum; igitur talem respectum realém de primaria sui institutione dicit. Patet secundum, quandoquidem relatio illa est rationis, ens autem rationis non est de essentia entis realis: vnde fit, vt secundario ei competat obiecta, ad quę terminatur, declarare, vt est probatum; tum etiam penes eundem Scotum sustinentem Verbum non produci ex cognitione creaturarũ; quo stante multo magis sequitur respectum talem non esse essentialem, sed secundario ei competere, & appropriatè, ea ratione, qua procedit per Intellectum.

Ex duobus respectibus reali, & rationis non fit vnum per se.

19 Vtrum verò ex hisce duobus respectibus reali, & rationis fiat vnũ per se; nequaquam; vnum namque per se, teste Arist. consurgit ex rebus eiusdem generis, vt ex duobus de genere substantiæ v.g quorum alterum habeat rationem actus, alterum potentiæ; hæc autem sunt entia diuersorum generum, immo differunt toto genere, itaut vnum fit in genere, & alterum non habeat à parte rei genus: illud est ens reale, quia respectus realis hoc est ens rationis, quia respectus rationis, ergo non constituunt per se vnum. Item si vnum cõstitueretur per se, quomodo vocaretur; an reale, an rationis: si primum, cur non potius rationis: & si secundum, cur non potius reale; etenim ambo æque concurrunt ad productionem vnius; igitur restat vt negato vno per se, faciant per accidens vnum, sunt nãque entia alterius rationis. Dices, cur potius faciunt ens per accidens, quã per se, cùm licet membrum vnum sit rationis, tamen alterum est reale: & cur potius denominatio desumetur à membro rationis, quàm à mẽbro reali. Responsio iam data est, quia vnum per se coalescit ex entib. eiusdem generis, eiusdemq; rationis; at huiusmodi non sunt hi respectus, cũ alter sit realis, alter rationis. Item secundo vnum non habet respectu alterius rationem potentiæ, & alterum rationem actus, quia nec ens reale informatur ab ente rationis, nec ens rationis est forma entis realis. Dices, secunda intentio, & respectus rationis est forma subiecti realis, vt in prędicatione ista, Franciscus est Princeps: Caput Francisci est aureum. Resp. prædicata ista esse formas extrinsecas, non intrinsecas: & esse formas denominantes extrinsecè prædicatum, quæ quidem formæ sũt ens rationis, vt relatio Principis, vel chymera, & Caput aureum: quẽadmodũ obiectum, seu paries visus, quatenus; visus nil recipit, nisi denominationem quãdam extrinsecam, ita respectus quicunque rationis dat esse denominatiuè extrinsecè solummodo, enti, siue subiecto reali. Respondetur tertio ad principale, quod ideo relicta denominatione entis realis, & per se, datur tali aggregato denominatio entis per accidens, pendens ab extremo, quod est relatio rationis, quia sicut *conclusio sequitur debiliorem partem* ex Logicis, ita quoque denominatio compositi fiet ex membro debiliori, debilius verò membrum est respectus rationis, ergo ab illo sequitur vt fiat denominatio vnius per accidens.

20 Est verò vltimo addenda cõparatio & differentia inter Verbum diuinum, & verbum creatum. Et quidem in eo ambo conueniunt, quod sũt notitia actualis producta per memoriam fœcundam. Item quod ambo sunt declaratiua ipsius memoriæ, & relucentium in ea: insuper ambo sũt quid spirituale; Et demum, ea, quæ repręsentant, vtique repręsentãt naturaliter, vt amplius infra patebit. Cæterum differunt in multis, primò quia Verbum diuinum est substantia, creatum est accidens: diuinum est suppositum per se existens, siue subsistens, creatum est qualitas inhęrens: diuinum per se subsistit, cui nõ competit informare, creatum informat, quia est notitia perficiens, & informans intellectum: diuinum produci-

Verbi diuini, & creati comparatio, & differentia.

ducitur ex perfectione, & fœcunditate naturæ, ac memoriæ fœcūdæ, creatum producitur ex indigentia, quoniam ideo producimus verbum, vt eo mediāte intelligamus, & sciamus, Pater autem non producit Verbum vt intelligat, quia non est sapiens sapientia genita, immo nec sapit per Verbum, sed sapientia eius ingenita, mediante qua sapit, præcedit gignitionem Verbi, ideoq; minime producit ex imperfectione, & ex indigētia vt intelligat, prout agit Intellectus creatus. Diuinum Verbum est vnicum, creatum verbum est multiplex, & plura, dum plura verba producimus. Diuinum est permanens, & indefectibile, ideoq; sempiternum, creatum est defectibile, ideoq; vnūm post aliud producimus, deficiente primo, nostrumq; est omnino temporale. Diuinum est necessariū, creatum cōtingens. Diuinum est semper perfectum, creatum verbum quandoq; imperfectum, ideoq; vt ad verbum deueniamus perfectum necesse est plura antecedenter producere verba, vt dictum est, imperfecta. Diuini Verbi memoria est omnino perfecta, creata memoria est quandoq; imperfecta. Demum, creatum verbū repræsentat quidem increatum Verbum, sed solummodo id verum de verbo creato perfecto, hoc namque repræsētat Verbum increatum: cum enim Verbum increatum sit perfectum, solūmodo eius perfecta repræsentatio fit à verbo creato perfecto, sicut non quælibet creata memoria repræsentat increatam memoriam, sed solummodo creata memoria perfecta, quia increata memoria est perfecta, habens Verbum perfectum, & propterea reddendo singula singulis memoria perfecta, & Verbum perfectum debet repræsentari à memoria creata perfecta, & à verbo creato perfecto. hæ sunt ex differentijs inter vtrumq; verbum: vnde Athanas. ep. de sent: Dion. contra Arrian. ait, *Non tale esse quærendum Dei Verbum, quale nostrum est, quia non talis est Deus, quales nos sumus.*

Nos producimus verbum vt eo mediante intelligamus, nō sic Pater.

21 Circa conuenientiam vtriusque verbi Suarez l. 9. de Trin. cap. 8. num. 13. ait, in eo conuenire, quia vtrumq; est permanens, & non transitorium, vt est verbum vocale: secūdò, vtrumque est immanens. In assignatione autem istius conuenientiæ vel fallitur Suar. vel impropriè loquitur. Et primo, cum dicit conuenire, quia vtrumque est permanens, & non transitorium, vtique verum dicit de Verbo diuino, falsum de verbo creato, quoniam siue mētale sit, siue vocale, vtiq; non permanet, sed transit, ac proinde verbum nostrum non est perpetuum, sed deficit, vnde fit, vt continuo gignamus verba, ad hoc vt deficiente vno per aliud intelligamus: quam sententiam docuit supra August. 15. de Trin. 15. concludens, verbum nostrum non posse esse sempiternum, quia cogitatio nostra non est sempiterna, *Verbū autem Dei manet in æternum*: manet verò idem sēper numero Verbum, quod non est dicendum de verbo nostro. Item cur ait secundo, vtrumque verbum esse immanens, quomodo poterit id verificari de Verbo diuino absque improprietate loquutionis: quod verbū creatum sit immanens iam patet, est enim forma informans, & inhærens Intellectui, vt est dictum: quod verò Verbum diuinum sit immanēs, eget quidem explicatione, ne labatur in errorem: & quidem prima facie, dicere Verbum diuinū esse immanens, idem est, ac esse immanens in Intellectu Patris producentis: quo dato, ex loquutione de immanenti, sequitur vt informet Intellectum Patris, vt sit eius perfectio, & per id Pater intelligat, quia omnia ista sequuntur ad verbum immanēs, vt patet in nobis. Dicere posses, esse immanens, quia est in Deo, estq; ipse Deus, vt Verbū est in Patre, & Spiritu sancto; Verum, istud est effugium; etenim Theologi hunc modum essendi, non explicant per modum essendi immanenter, sed per circuminsessionē, vnde licet personæ sint in inuicem per circuminsessionem, non tamen dicuntur esse in inuicem per modum immanentis, quia id denotat formam informantē, perficientem, & inhærentem immanenter intellectui in ordine ad intelligen-

Suarij comparatio circa vtrumq; verbum, an bona.

ligendum. Nec valebit, si dicas, esse immanens idem esse, ac esse ad intra; etenim sequeretur, verbum nostrum esse ad intra, quoniam inquit ambo conuenire, quia vtrumque est immanens. igitur vel falsò loquitur, vel impropriè.

Verbũ vocale est signum verbi mentalis & obiecti, sed ordinatè.

22 Obstabis aduersus superius dicta. *Verbum, quod foris sonat est signũ verbi, quod intus latet*, ex August. sup. sed verbum forinsecum, siue vocale non est signum verbi mentalis, quoniam est signum expressiuum Obiecti, ergo verbum erit Obiectum, & nõ intellectio actualis. Resp. verbum vocale esse signum vtriusque tum verbi mentalis, tum Obiecti, sed ordinatè, prius quidē verbi, inde Obiecti, quia per verbũ explicatur, & intelligitur Obiectũ. Resp. secundo verbũ vocale esse signũ verbi mentalis non terminatiuè, sed tanquam viæ, & medij ad exprimendũ Obiectum terminatiuè; nihilominus quia expressio fit per intellectionem, Ideo intellectio est verbum.

Phantasia Carthaginis est verbum eius, explicatur.

23 Obstabis, idem August. 8. de Trin. cap. 10. *Phantasia Carthaginis in memoria est verbum eius*: sed Phantasia non est intellectio, sed potius simulachrum, & species, ergo species erit verbum. Resp. Phantasiam esse verbum non formaliter, sed effectiuè, & causaliter, & hoc pacto quatenus ipsa est causa partialis verbi poterit effectiuè appellari verbum.

QVÆSTIO V.

Verum Verbum, & Filius sint vnum, idemque.

1 VErbum, & Filiũ non prorsus idē esse, probari potest, primo Actor. 10. vbi habetur, *Verbum misit Deus Filijs Israel, annuntiãs pacem per Iesum Christum*. hinc arguitur non esse idem Verbum, ac Iesum Christum, aliter fieret ibi fallacia nugationis, seu inutilis repetitionis principij. secundò ad Hæbreos 1. dicitur, *Portansq; omnia Verbo virtutis suæ*: loquitur autē Apost. de Christo, quo fit, vt distinguat Verbum à Christo. & tertiò Apoc. 1. *Testimoniũ perhibuit Verbo Dei, & testimonium Iesu Christi*: vbi distincta fit loquutio de Verbo, & de Iesu Christo.

Verbum, et Filius idē sunt.

2 Nihilominus de fide est, eandē esse omnino personam Verbum, & Filium. Probatur apertè per Ioannē, qui cap. 1. ait, *In Principio erat Verbũ*, in fine autem capitis concludit, *Vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à Patre*: pro eodem ergo accipit Ioannes Verbum, & Filium Patris Vnigenitum. Item in eodem capite de eodem Verbo subdit, *In propria venit*. inde, *& Verbum caro factum est*: Filius autem est ille, qui caro factus est, non Pater, non Spiritus sanctus, quia solus Filius incarnatus. Hoc ipsum ex genealogia Matthæi elicitur, *liber generationis Iesu Christi*. ac passim ex contextibus cæterorum Euangelistarum. ita etiam adstipulantur Patres Augu. 7. de Trinit. Athan. orat. 2. contra Arrian. Ambr. l. 1. de fide, & vniuersi omnes, siue Patres, siue Scholastici agēdo siue de Incarnatione, siue de Trinitate. In specie autem clara est Augustini sententia loc. cit. cap. 2. *Eodem quippe Verbum, quo Filius: & eodem Filius, quo Verbum*. & Ambr. ibidē c. 2. *Verbum dicitur, quia immaculatum, Filius quia genitus*. & Athan. eod. loc. *Nomen Filij identitatem significat, nomen Verbi, quod nõ sit materialiter genitum*. qui Patres licet aliqualem admittant differentiam, nihilominus idem in substantia vtrumque esse docent.

De formali sunt idē.

3 Amplius autem discurrendo, dicimus, quòd Filius, & Verbum de formali significato idem important, licet differant de connotato: Et quidē probatur prima pars. Filius pro formali dicit habitudinem, seu relationē producti, seu geniti ad generantem: & Verbum dicit quoque habitudinē, & relationem expressi ad exprimentem. Item relatio Filij est naturalis, quia naturaliter producitur; relatio Verbi est itidem naturalis, quia naturaliter per modum intellectus, & per modum naturæ à Patre exprimitur. Filius dicit respectum secundæ personæ ad primam: Verbum quoque dicit eundem respectum, cùm ipsum sit in diuinis secunda persona. Demū, idem est Verbum, & Filius in diuinis, ergo significatum formale erit etiam idem; igitur de primario significato formali important idem. Confirmatur, idem per se significat abstractum, & concretum formaliter, licet differant in modo significandi: sed Filius, & filiatio significāt relationem; ergo consimiliter Verbum, & verbatio, si ita loqui liceret, significant relationem, vtrumque autem relationem dicit personæ secūdæ ad primam. Item filiatio, & generatio passiua, & verbatio, siue expressio passiua idem sunt.

Abstractū, & concretum significāt, idem per se.

De connotato differunt.

4 Probatur secunda pars, Filius connotat naturam viuentem, in qua est talis relatio: Verbum cōnotat notitiam actualem illius, cuius est talis Verbi expressio. Filius producitur in esse substantiali per generationem in similitudinem naturæ: Verbum producitur in natura intellectuali per expressionem naturalem ab eo, à quo fit expressio. Filius connotat virtutē generatricem fæcundam: Verbum cō notat memoriam fæcundā productricem. hæc autem, & similia sunt idem ex natura rei in Verbo, & Filio, inquit Bassol. 1. d. 27. q. 3. distincta solum ratione. Item Filio propriè competit gignitio, Verbo autem expressio.

Verbū, & Filius in diuinis idē: nō in creaturis.

5 Hæc profectò considerata in diuinis idem sunt; cæterum loquendo in Creaturis longè diuersa sunt; quādoquidem generatio non semper fit in natura intellectuali, vt in brutis: verbum autem creatum fit semper ab intellectuali natura. terminus generationis est formaliter viuens, quia generatio est *processio viuentis à viuēte*; verbum creatum non est formaliter viuens, cum sit accidēs, licet actus sit vitæ, & operatio vitalis. terminus generationis distinguitur essentialiter à termino dictionis, seu productionis nostri verbi, cum ille sit substantia, hoc accidens: Principium generationis est fæcunditas naturę, principium Verbi est fæcunditas memoriæ, siue Intellectus. Non omnis generatio est in natura intellectuali, vt est dictum, & licet fiat in natura intellectuali, nō concurrit, nisi per accidens Intellectus, intelligendo opus generationis, immo nullatenus quandoque eam intelligit, vt fatui, amentes, & dormientes concumbentes in somno; at productio Verbi habet pro causa necessaria, & per se ipsum Intellectum, qui vna cum Obiecto cōstituit memoriā fæcundam, quæ est principium Verbi. licet igitur Filius, & Verbum in diuinis sint idem, differunt tamen vndequaque in creatis.

Cōstructio in transitiua.

6 His actis respondendum est ad opposita. & ad singulas authoritates sit prima responsio, quod omnes intelligendæ sunt in constructione intransitiua, vt idem prorsus importetur per Verbum, & per Iesum Christum. & quidem ad primam, cum dicit, *Verbum misit Deus annuncians pacem per Iesum Christum*, confusus sit, Verbum, quod est Iesus Christus, misit Deus, annuncians pacem. Ita ad secūdum; *portansq; omnia Verbo virtutis suæ*, idest portans omnia Verbo, quod est virtus sua. Similiter ad tertium, *testimonium perhibuit Verbo Dei, & testimonium Iesu Christi*, nempè testimonium perhibuit Verbo Dei, quod est Iesus Christus. Resp. secundò, vt ostēderet textus, Verbum diuinum iam esse incarnatum, & Iesum Christum esse Filium, & Verbum Dei genitum ab æterno, ideo & Verbum nominat singulariter, & Iesum Christum; inde namq; datur intelligi Iesum Christum esse Verbum iam incarnatum: vnde si fieret instantia de inutili repetitione, seu de fallacia nugationis, iam hinc

Ad apposita respond.

sol-

soluitur, quod sub speciali ratione nominatur & Verbũ, & Iesus Christus, non quidem prorsus sub eadem, sed aliquanto diuersa, quatenus namq; nominat Verbum, dat intelligere Filium Dei ab æterno genitum; quatenus nominat Iesum Christum dat intelligere idem ęternale Verbum factũ esse hominem in tempore, vt sic mediante Iesu Christo, qui est Verbum incarnatum, fieret pax, salus, & redẽptio generis humani, vt præsertim loquitur Apost. 1. Cor. 1. *expectantes beatam spem, & aduentum Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos inculpabiles vsque in diem Domini nostri Iesu Christi*. Resp. tertio posse ibi sermonem esse de Verbo Euangelij, siue de prædicatione euangelica, quæ quidem annuncianda esset per Iesum Christum ex Theophilacto, & Glosa. Resp. 4. per verbum quandoque intelligi imperium volũtatis diuinę iuxta illud, *ipse dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt*, & ita intelligatur illud, *portãs omnia Verbo virtutis suæ*, idest imperio potentiæ suæ regens, & conseruans, & faciens omnia, & ita Chrysost.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Verbum producatur ex cognitione creaturarum possibilium, & existentium.

ARTIC. I.

Affertur sententia Scoti.

Ordines duo, & signa duo ex Scoto.

1 VT Scotus suam declaret sentẽtiam aduertit primo, in diuinis tum in ordine ad intra, tum in ordine ad extra, duo collocanda esse signa naturæ: in primo quidem intelligitur cõpletus totus ordo productionum diuinarum personarum ad intra: & in secundo intelligitur cõpletus totus ordo creaturarum in mente diuina ad extra, secundum esse, quod ab æterno acceperunt, siue ideatum, siue cognitum, siue possibile, siue diminutum, & imperfectum, vt loquitur Scotus.

2 Obiter tamen ante istorum signorum explicationem, notamus, vnumquodque signorum naturæ plura continere signa originis. nec mirũ est, quandoquidem in maiori mensura continetur minor; in mensura nãq; vnica durationis, & temporis includuntur multa instantia naturæ, & in vno instanti naturæ plura instantia originis: sicut in vno motu plura mutata esse: & in vno tempore plura nunc, & indiuisibilia. At de hoc egimus lib. 1.

Vnũquodque signũ naturæ cõtinet plura signa originis.

3 Hoc acto, deueniamus ad primum signum naturæ: in eo quidem contemplata iam diuina essentia, vna cum modis intrinsecis, atque diuinis attributis, & perfectionibus absolutis, deuenimus inde ad contemplationem diuinarum personarum; Ratio talis ordinis, quoniam essentialia absoluta priora sunt notionalib. igitur essentia, essentialia, atq; absoluta erũt priora personis, vtpote notionalibus. Quod si essentialia antecedere in aliquo priori instanti naturæ ipsa notionalia contenderis, poteris vtique, nã id docet idem Scotus, vt tria constituat instantia naturæ, in primo concipitur

Quænam continean tur in primo signo naturæ.

pitur essentia cum absolutis, præcisis relationib. In secundo ipsæ relationes personales ad intra, & in tertio creaturæ ad extra. linquendo autem modo essentialia ad intra, in primo signo naturæ post essentialia consurgunt diuinæ relationes, & productiones; inter eas autem primum locum tenet Pater, qui propterea dicitur esse in primo signo originis contento in illo instanti naturæ. Patri, quatenus in hoc primo signo originis, competit, iuxta commune elogium Theologorum, *esse perfectè beatum*; item ex Augusti. competit esse sapiẽtem; ratio vtriusq; quia non est *sapiens sapientia genita*, nec est beatus ex beatitudine cæterarum personarũ; quia in isto primo signo ipse habet à se, independanter à personis, & esse beatum, & esse sapiẽtem, & quidquid ipsi competit Patri.

Pater in primo signo originis.

4 In secundo signo originis est Filius, cui Pater, generando communicat essentiam, & quidquid habet, præter *esse ingenitum*, iuxta loquutionem Concil. Florent. In tertio denique signo originis est Spiritus sanctus, cui Pater, & Filius, producendo, communicant quidquid habent, præter proprietates suas personales esse ingeniti, & geniti, & præter vim generatiuam, & spiratiuam actiuam. Hinc autem deducitur, vt Pater sit à se, Filius à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque. Pater quidquid habet, habet à se: Filius à Patre: Spiritus sanctus ab vtroq; ac deniq; Pater sit in primo signo originis, Filius in secundo, Spiritus sanctus in tertio. & in his tribus signis completur totus primus ordo naturæ, & signa originis contenta in eo, sunt signa vera originis, seu signa verè originationis, quia Pater verè originat, & Filius vere originatur, & Spiritus sanctus vere spiratur, non autem sunt signa originis secundum quid, vt dicemus.

Filius in secũdo: Spiritus S. in tertio.

5 In secundo instanti naturæ tota Trinitas se conuertit ad extra, & producit creaturas in esse cognito, & in esse volito. Differenter autem se habent diuinæ personæ in hoc, quia Pater producit eas in primo signo originis, Filius in secundo, & Spiritus sanctus in tertio. Ratio, quia virtus productiua creaturarum est in Filio à Patre; igitur Filius habet eam in secundo signo originis: virtus eadem in Spiritu sancto est à Patre, & Filio, sed Spiritus sanctus est in tertio signo originis, igitur producit illam in tertio signo originis; sicut namq; Filius habet esse in secundo signo originis, ita recipit potentiam, & virtutẽ productricem creaturarum in secundo signo: & sicut Spiritus sanctus recipit esse in tertio signo, ita quoq; potentiam, & amorem, virtutemq; creandi recipit in tertio signo originis.

Cõtenta in secundo signo naturæ

Creaturas producit Pater in primo signo originis, Filius in secundo: Spiritus S. in tertio.

6 Quærit Scotus ad hæc, si Filius, & Spiritus sanctus recipiunt talem potentiam, & virtutem in ordine ad creaturas in secundo, & tertio signo originis, ergo sequitur, vt Filius, & Spiritus sanctus denuo originentur, & bis producantur, ratio, quia ista signa sunt signa originis, ergo iterum originantur. Respondet Scot. id verũ esse *secundum quid*, non *simpliciter*; & propterea anterius dixi, quod signa originis existentia in primo signo naturæ essent verá, & propria signa originis, quia in illis verè personæ originantur, & proprie; ista autem signa originis contenta in secundo signo naturæ non sunt signa originis, nisi *metaphoricè*, & secundum quid. exemplo declarat rem *Scotus*, Sortes originatur à Platone vere, & proprie, dũ ipsum generãdo, communicat ei esse simpliciter: at vero dum eidem communicat esse risibile, iterum dicitur ipsum generare, sed *secundum quid*; & enim in primo instanti dat ei esse rationale, & per hoc dat ei esse simpliciter; in secundo dat ei esse risibile, quod est accidens, & passio subsequens, & ideo dicitur ei dare esse secundum quid. ista autem fiunt ambo in eod. instanti temporis, variato ordine naturæ inter subiectum, & passionem, præcipue apud sustinentes esse idem realiter. In primo ergo instanti naturæ Verbum, & Spiritus sanctus originantur simpliciter penes illa instantia originis: in secundo instanti naturæ originantur secundum quid, ait Scot. quatenus notitiã v.g. lapidis, & virtutem producendi, & volendi lapidem, recipiunt originatiue à Patre, quod

Signa originis contẽta in primo signo naturæ, signa vera originis: cõtenta in secundo sunt metaphoricè.

Filius, & Spiritus S. recipiendo virtutẽ ad extra, originãtur secundùm quid ex Scot.

quod si Socrates, & Plato generarent Demosthenem, vtique etiam seruaretur ordo, quoniam licet simul tempore, & natura generantes, tamen vnus in primo signo originis; alter in secundo, diceretur generare, quia ille à se, & iste generaret ab alio, & Demosthenes haberet esse in tertio signo originis: consimiliter, dum Verbum, & Spiritus sanctus intelligunt, & volunt creaturas ad extra, simul quidem natura id agunt, at Verbum priori signo originis, Spiritus sanctus posteriori, & Pater producit lapidem in primo signo originis.

Lapis productus in primo signo à Patre, an dicatur reproduci in secundo, & tertio à Filio, & Spiritu S.

7 Obijcit sibi Scotus, si lapis est productus à Patre in primo signo, ergo non potest produci à Filio, & Spiritu sancto in secundo, & tertio; prob. sequ. quia bis, & semel, & ter produceretur. Respôdetur sequela teneret si Pater produceret in anteriori signo temporis, vel naturae; verum eodem signo naturae omnes producunt, variato solum signo originis, ideo non currit. Item est ordo non in productionib. sed in ordine, & modo producendi; non quidem in productionib. quoniam vnica, eademq; numero intellectione, virtute, potêtia, & volitione, intellectu, & voluntate producunt simul; sed est ordo in modo producendi, & essendi, quia Pater à se, Verbum à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque, procedit, vult, amat, & intelligit.

Potentia productiua habês terminû adaequatum an potest in altero esse principiû productiuum: declaratur.

8 Obijcit iterum, potentia productiua praehabens terminum adaequatum productum, si communicetur alteri, non poterit in illo esse principium productiuum: sed lapis v.g. est terminus adaequatus potentiae productiuç Patris, ergo non potest amplius esse terminus potentiae productiuae Filij, & Spiritus sancti. Respôdet maiorem esse veram dummodo seruêtur hae conditiones: prima vt principium, seu potentia productiua habeat iam terminum productum, & adaequatû: secûda, vt ille, cui communicatur potentia productiua non sit producibilis ab eo, cui fit talis potentiae communicatio: & tertia, vt ille cui fit communicatio potentiae non antecedat terminum producibilem: côditiones istae causa sunt vt Verbum non possit producere Verbum; primò quia iam potentia Patris praehabet Verbum productum veluti terminum adaequatum: vnde aiebat Hêricus, Patris potentiam remansisse exhaustam in productione Verbi: secundò, quia Verbû non potest producere seipsum, licet sibi communicetur principiû: & tertiò, quia Verbum non antecedit seipsum, quod requiritur in productione, vt principium producendi praecedat productum. At verò in productione v.g. lapidis non ita accidit, quoniam Filius, sicut etiam & Spiritus S. praecedunt productionem lapidis, ergo possunt concurrere ad illam: insuper nihil implicat vt producatur ab eis, quia eadem potentia, quae est in Patre, est in Filio, & Spiritu sancto; & opera ad extra sunt indiuisa. & deniq; Filius, & Spiritus sanctus non producunt distinctis productionibus, sed vnica prorsus, ac eadem omnino productione, qua producit Pater, quo fit, vt producente Patre producât simul Filius, & Spiritus sanctus, licet ordinatè per signa originis, vt est dictum.

Creaturae antequam intelligantur à Deo nullû esse intelligibile haent ex Scoto.

9 Redeundo autem ad fundamenta Scoti, aduertit ipse, quod creaturae antequam intelligâtur à Deo, nullum esse intelligibile habent, nec actuale, nec potentiale, nisi spectando potentiam logicam: non ergo ex eiusdem Scoti mente habent esse possibile ante diuinam cogitationem de ipsis: sed Deus cognoscendo eas dat illis esse possibile, quod esse amplius declarat, vocando *esse cognitum*, aliàs *diminutum*, & imperfectum, quia intra causas suas, & quia abstrahit ab esse actualis existentiae. Hoc dicit, quoniam vt vidimus t. 1. in quaest. de Omnipotentia Dei, docet possibilitatem rerum non antecedere ad diuinam cognitionem, sed subsequi ad illam: intelligêdo igitur Deus dat esse rebus, esse, inquam possibile, siue cognitum, itaut prius habeant esse in Intellectu diuino, quâ habeant in seipsis esse intelligibile. & in 2. d. 1. q. 2. litt. S. ait, *possibilitas non fundatur in esse simpliciter, sed in esse cognito.*

Esse cognitû virtuale antecedit:

10 Esse verò hoc possibile, & cognitum, duplex est, vel actuale, vel virtuale: loquendo de secundo, id quidê prae-

esse cognitum actuale subsequi tur diuinã intellectionem ad extra. præcedit diuinam cognitionem, quia creaturæ continentur virtualiter, & eminenter in diuina Essentia, ante cognitionem earum fiendam à diuino Intellectu; & in hoc esse non producuntur ab Intellectu, sicut etiam potentia logica creaturarum omnino præcedit, quandoquidem non repugnantia, & virtualitas earum antecedunt diuinam cognitionem: at loquẽdo de primo esse actuali cognito, hoc subsequitur ad Intellectum; & ita in doctrina Scoti esse possibile virtuale antecedit; esse autem possibile actuale subsequitur, quod appellatur ab eo esse cognitum, & creaturæ non sunt prius intelligibiles, quàm intelligantur.

11 Ad hæc subsequitur & aliud fundamentum, vt creaturæ producantur quidem per actum intelligendi, non autem Verbum, de quo ait, vt infra; producitur per actum dicendi, nõ intelligendi: & hoc vt euitet, Verbum produci ex cognitione creaturarum; dum namque per distinctos, vt sic dicam, actus, licet formaliter penes eum distinctos; producantur creaturæ, & Verbum, non producendo Verbum per actum intelligẽdi, per quem producuntur creaturæ, non dicatur Verbum produci ex cognitione creaturæ.

Creaturæ producuntur in esse cognito per actum intelligendi, Verbũ per actum dicendi.

12 Rursus Creaturæ non spectãt, inquit, ad memoriam, sed ad intelligentiam: & si ad memoriam pertinẽt, spectabunt quidem ad eam non ante productionem personarum, sed post, & non spectabunt quidem ad memoriam solius Patris, per quam producitur Verbum, sed ad memoriam totius Trinitatis; vnde fit vt dum ad memoriam non spectant, pertineant tamen ad intelligentiam. Differentia amborum est, quia quæ pertinent ad memoriam, sunt entia necessaria, illimitata, & infinita, vt Verbum; quæ verò spectant ad intelligentiam sunt entia limitata, depẽdentia, & finita vt Creaturæ.

Creaturæ an pertineant ad memoriam.

Ad memoriam pertinẽt entia infinita, & illimitata: ad intelligentiam finita.

His suppositis deducit inde Scotus solutionem quæsiti, de qua in artic. 3.

ARTIC. II.

Assertur sententia D. Thomæ cum fundamentis.

1 Ex aduerso autem D. Thomas 1. p. q. 34. art. 3. & Thomistæ ad eundem locum, docẽt Verbum produci ex notitia creaturarũ ita vt Pater ante Verbi productionẽ nouerit creaturas omnes possibiles, atq; ex earum simul cognitione; cum cæteris in essentia diuina relucẽtibus produxisse Verbum. Fundamenta vero sunt. Primo August. 15. de Trin. c. 14. ait Verbum nasci de omnib. quæ sunt in scientia Patris. hoc stante arguitur, sed in scientia Patris antecedenter ad Verbum sunt creaturæ, ergo oritur ex cognitione earũ. minor patet, siquidem in essentia continentur, & relucent creaturæ ante Verbi productionem.

Sententia D. Thomæ Verbum produci ex cognitione creat.

Secundo, Verbum producitur ex cognitione comprehensiua Patris: at non esset comprehensiua, si sub eius scientia non comprehenderentur creaturæ, ergo. hæc duo sunt argumenta potissima Thomistarum. Et quidem comprehensiua tunc est sciẽtia cum percipit vniuersa scibilia, igitur non esset comprehensiua deficiẽte terminatione ad creaturas. Rursus, Verbum nascitur ex scientia infinita, atq; perfectissima: sed talis non esset deficiente scientia creaturarum; vtique perfectior scientia dari poterit ea, quæ terminabitur ad essentiam solum, siquidem erit amplior, extensior, atq; perfectior illa, quæ ad essentiam simul extenderetur, & ad creaturas: scientia autem Patris est adeo perfecta, vt sit infinita, ergo comprehendit essentiam, & creaturas.

3 Tertio si tunc non cognosceret creaturas ante Verbi productionem, ergo in Patre multiplicantur actus cognoscendi, prob. & quidem ante Verbum, vno actu cognouit essentiã, post vero productionẽ Verbi, & Spiritus sancti cognouit creaturas, ergo mul-

multiplicantur actus diuinæ cognitionis: sequela tenet in doctrina Scoti, etenim docet Creaturas cognosci & produci in esse intelligibili post complementum primum ordinem, qui est diuinarum Personarum: facta autē earundem Personarum cōstitutione, tūc necesse est nouum addere actum cognoscendi, siquidem prius per actum notitiæ essentialis non cognoscebantur, nunc verò de nouo noscuntur.

4 Quartò, ea, quæ habet Filius, loquendo de essentialib., habet prius Pater: sed Filius per generationem habet cognitionem Creaturarum, ergo Pater eā prius origine habuit, igitur prius quàm genuerit Filium nouit eas, & consequenter Verbum prodijt ex cognitione earum. maior patet, patet etiam minor, quandoquidem notitia essentialis, qua cūcta cognoscuntur, siue ad intra, siue ad extra, communicatur Filio per generationem, eamq; prius habet Pater, aliàs non posset communicare, quia nemo dat quod non habet.

5 Quintò, Pater antequam generet Filium habet omnē perfectionem simpliciter: sed Creaturarum cognitio est perfectio simpliciter. patet maior, siquidem non habet à Filio vt intelligat, vt velit, vt sit vndequaque perfectus: est etiam antequam generet Filium perfectè beatus; igitur nil deest, vt Verbum procedat ex antecedenti notitia Creaturarum.

6 Sextò, Verbum ex vi suæ productionis repræsentat Essentiam, & Creaturas, ergo producitur ex cognita Essentia, & Creaturis; sequela tenet, & probatur antec. Verbo competit esse notitiam declaratiuam omnium intelligibilium, & hoc ei competit ex vi, & natura suæ productionis; igitur procedit ex noritia eorū, quæ debet declarare: ea autem sunt Essentia, & Creaturæ, ergo. Confirmatur, aliàs Verbum non esset exemplar Creaturarum.

7 Septimò, Pater pro quocunq; instanti cognoscit Essentiam comprehensiuè cum omnibus attributis, & perfectionibus: sed inter cæteras est perfectio omnipotentiæ; hęc verò adęquatè cognosci nequit, nisi simul cognoscantur omnia, quæ cadere possunt sub eas: sed Creaturæ sunt terminus omnipotētiæ Dei ergo ante productionem Verbi, cognoscendo omnipotētiam, cognouit & Creaturas.

8 Octauò, arguit Suar. tollitur inde Diuina simplicitas, quia videntur multiplicari actus diuini Intellectus, quo primo cognoscat Essentiam, & quo alio noscat Creaturas. infertur etiam discursus, qui insurgit ex multiplicatione actuum. & denique opposita sententia videtur magis consentanea Patribus astruētibus Diuinam simplicitatem scientiæ Dei. Insuper aiebat Augustinus lib. 11. c. 7. *Verbum sempiternè dicitur, & eo sempiternè dicuntur omnia:* atque Ansel. à cap. 28. ad 44. *Deum verbo suo omnia dicere respectu omnium Creaturarum.* & ex eodem Augustino supra allato, *Verbum producitur ex omnibus, quæ sunt in scientia Patris:* producitur autem vnico actu.

ARTIC. III.

Verbum non produci ex cognitione Creaturarum.

1 EX opposito verò statuimus, nequaquam Diuinum Verbū produci ex notitia, & cognitione creaturarum possibilium Primò sic, si Verbum est ex cognitione Creaturarum, ergo Spiritus sanctus erit ex amore earundem; cōsequens est absurdum, ergo, & antecedens; prob. seq. non est maior ratio vt Verbum producatur ex notitia Creaturarum, quàm Spiritus sanctus ex amore earum; prob. Verbum est notitia omnis Obiecti noscibilis per te. ergo Spiritus sanctus erit amor omnis Obiecti amabilis: sed Creaturæ nō solùm sūt à Deo noscibiles, verum etiam ab eodem amabiles, iuxta illud Moysis *Si Verbū ex cognitione creaturarum, ergo Spiritus S. ex amore earū.*

Gen. 1. & erãt valdè bona. ergo stat paritas de productione Verbi ex notitia, & Spiritus sancti ex amore: falsitas verò demonstratur de Spiritu S. quoniam duo sequerentur inconuenientia, primum, quod Spiritus sanctus spiraretur contingenter: & secũdum, vel quod Deus necessario simpliciter amaret Creaturas: & tertiũ, quod inde Creaturæ essent entia necessaria. probatur primum, siquidem creaturæ sunt entia contingentia, ergo Spiritus sanctus spiratus ex amore ipsarum esset contingens, vel spiratus contingenter. prob. secundum, quia Spiritus sanctus spiratur necessario ergo Creaturę, ex quarum amore spiratur, erunt entia necessaria: & probatur denique, quia Pater, & Filius necessario simpliciter amãt Spiritum sanctum, ergo necessitate simpliciter amarent creaturas: hæc omnia falsissima sunt, tum quia Creaturæ sunt entia contingentia; tum quia Deus non necessitatur amare Creaturas, sed liberè diligit, & peccatores odit, vt Iudam, Cain. Luciferum, & similes; tum deniq; quia Spiritus sanctus spiratur necessario, nõ contingenter.

Caietanus respondit. 2 Responsio adest Caietani, & sequacium: negãdo paritatem, siquidem necessario quidem Deus intelligit Creaturas, quia intellectio pertinet ad Intellectum: non autem necessario amat, quia amor pertinet ad voluntatem, quæ est omnino potentia libera in amãdo Creaturas. Item notitia earum est necessario coniuncta notitiæ comprehensiuæ Essentiæ, quæ cõtinet Creaturas; amor autem creaturarum non est necessario coniunctus amori, quo spiratur Spiritus sanctus.

Impugnatio. 3 Responsio hæc variè retunditur à Scotistis, & benè, sufficiat auţẽ insuper eam redarguere sic: & primo quantum attinet ad membrum de notitia, inde quoad mẽbrũ de amore. quoad primum, deduco ad hoc inconueniens, quod Verbum non esset ens necessarium, nec eius productio necessaria: sic. Cognitio Creaturæ in esse cognito spectatæ, est cognitio alicuius entis contingentis, finiti, & imitati, atque dependentis; sed Verbum producitur de cognitione creaturæ in esse cognito, ergo Verbum, eiusq; productio erit contingens, finita, dependens, & limitata. maior patet, siquidem Creatura in esse cognito obiectiuè, & terminatiuè non est Deus, non est intellectio Dei, sed præcisè quid finitum, contingens, & limitatũ, ergo Verbi productio, quatenus de Creatura terminatiuè sũpta, erit contingens, depẽdens, & limitata. Confirmatur, quale est Obiectum, de quo aliquod producitur, tale est ipsum productum; ideo namque Verbum, & Spiritus sanctus sũt Deus infinitus, quia de cognitione, & amore producuntur Deitatis infinitæ: Creatura autem obiectiuè non est Deus, sed quid contingens, & finitum, ergo finitum, & contingens erit Verbum, quod producitur ex eius cognitione.

4 Respondent aliqui, cognitionem spectari vel formaliter secũdùm se, vel obiectiuè, terminatã ad Creaturas: primò, est ens necessarium talis cognitio, & vt sic spectata, de ipsa producitur Verbum, non autem secundo modo. Responsio hæc est omnino ad rem inutilis; & quidem quis ignorat cognitionem dicere ordinẽ essentialem ad rem cognitam, secundùm quem ordinem appellanda venit sub nomine cognitionis, aliàs nõ posset appellari cognitio: præscindas namque à cognitione ordinem ad Obiectum cognitum, iam nõ erit amplius cognitio, sed qualitas absoluta: sicut pręscindas ab oculari visione ordinem ad rem visam, iam nõ erit amplius appellanda visio: vnde fit vt Philosophus doceat, huiusmodi operationes esse relatiuas secundùm dici; quoniam licet ex vna parte sint entia absoluta, nihilominus ex alia sunt respectiua, dicẽtia ordinem, & dependentiam essentialem ad Obiectum, à quo producuntur. Item operationes sumunt suam specificationem ab Obiecto; dempto autem ordine ad Obiectum deperdũt talem specificationem, & remanẽt sub alio ordine, nempe absoluti, vt qualitatis, & similium, reddendo singula singulis. *Idem.*

lis. Denique dum quærimus vtrum Verbum producatur de notitia creaturarum, vtrum intendimus quærere an producatur de notitia vt notitia est, an verò de notitia vt notitia creaturæ est; non quidem quærimus in priori sensu, alias inutilis esset quæstio, ergo quærimus in secundo. hoc stante arguitur, Verbum non producitur de notitia vt notitia est, in se solummodo spectando notitiam, sed de notitia obiectiuè, & terminatiuè tenta. quia si est notitia, ergo alicuius obiecti erit notitia; igitur inutilis, & friuola responsio dum dicitur produ i de notitia sumpta, quatenus sic est ens necessarium: verum quia talis notitia est notitia creaturarum obiectiuè, & obiecta hæc sunt contingentia, & finita, ergo Verbum erit contingens, & finitum. Cõfirmatur, Verbum producitur ex cognitione diuinæ Essẽtiæ: si quis autem diceret Verbum producitur ex cognitione solummodo, præscindẽdo ab obiecto, quod est essentia, derisoria esset responsio, quia non attenditur cognitio præcisè vt cognitio est, sed vt essentiæ est. tum etiam quoniã omnis cognitio, omnisq; operatio specificationem sumit à suo obiecto.

Verbũ non producitur de notitia formaliter, sed obiectiuè sumpta.

5 Ex his arguitur, Verbum producitur per te ex notitia creaturarũ, prout notitia creaturarum est in sensu reduplicatiuo: sed creatura vt sic, est ens contingens, non necessarium, ergo productio Verbi erit cõtingẽs, non necessaria. Item creatura est ens limitatum, imperfectum, finitum dependens, plurimisq; vallata imperfectionibus, ergo Verbũ erit itidẽ imperfectũ, limitatũ, depẽdens, finitum, pariterq; imperfectũ, vt imperfecta est creatura. videant Thomistę in quanta ruunt incommoda, quæ facilè euitari poterunt sustinendo non produci ex notitia creaturarum. nulla pars argumenti negari poterit, etenim deductum est, necessitatem productionis Verbi, siue eius absolutam productionem expetendam esse non absolutè à notitia, vt notitia est, sed à notitia vt talis obiecti est, cum essentialem specificationem dicat ipsa notitia ad obiectum; à quo pariter sed obiectum talis notitiæ est etiam creatura, & hæc est ens contingens, ergo Verbum erit contingens, eiusq; productio non necessaria, sed contingens.

6 Respondere poterunt fortasse, creaturam quidem concurre ad productionem Verbi, itaut Verbum nascatur ex cognitione creaturarum, non tamen concedi poterit produci ex creaturis cognitis, quia Deus non desumit cognitionem ex creaturis, non enim creaturæ mouent Dei Intellectum ad sui cognitionem. quæ est responsio quorundam Thomistarum recentiorum.

Recentiorum responsio.

7 Arguitur verò, & ostenditur nullam esse responsionem: & quidem ad cognitionem in ordine ad obiectum simpliciter. duo exiguntur pro nunc, primum, vt obiectum moueat potentiam ad cognoscẽdum: secundum, vt producatur notitia. ista duo valdè diuersa sunt, & vnum stare potest absque altero, patet, quoniam Deus cognoscit creaturas, quæ tamẽ non sunt obiecta mouẽtia diuini Intellectus, sed terminãtia. Cũ hoc etiã, quod obiectum aliquando non moueat potentiam, non impeditur potentia à cognitione talis obiecti, dum poterit talis potentia moueri aliunde, nẽpe ab aliquo alio obiecto eminentiori, quod perfectius contineat obiectum illud cognoscibile terminatiuè tantum absq; motione, vt patet de eadem creatura, quæ quamuis non moueat Dei intellectum, nihilominus cognoscitur etiam perfectissimè à Deo, mouente diuina Essentia eius intellectum, tum ad cognitionem sui tum creaturarum. Hoc supposito arguo, licet creatura non moueat ad sui notitiam, nihilominus verè, & perfectè cognoscitur obiectiuè per talem notitiam. igitur notitia erit verè, & absolutè notitia creaturæ, vt creatura est, ergo Verbum verè erit de creatura cognita, vt cognita est. tanquam de obiecto. Item per accidens est ad cognitionem, vt obiectum in se moueat, vt patuit de essentia mouente ad cognitionem creaturæ; & nihilominus negata tali motione verè est obiectum cogno-

scibile terminatiuè, ergo non solùm procedit Verbum ex cognitione creaturarum, verum etiam de creaturis, tanquam obiectis cognitis, vt cognitis. Confirmatur, dato quòd Essentia diuina, per impossibile, non moueret diuinum Intellectũ, nihilominus verè cognosceretur à Dei Intellectu. ergo licet creatura non moueat, nihilominus verè cognoscitur; sicut autem tũc Verbum produceretur ex cognitione Essentiæ, ex D.Tho. & ex essentia cognita, vt cognita; ita Verbum gigneretur ex cognitione creaturæ cognitæ, vt cognitæ. Dixi, quod dato quod Essentia diuina non moueret Dei Intellectum, nihilominus Deus ipsam cognosceret: hoc quidem dixerim arguendi gratia, etenim verum est, quod si diuina Essentia non moueret, vtique non cognosceretur, vt planè constat: sed quia diximus etiam, quòd, præscindendo ab omni obiecto, potest haberi cognitio absq; motione, loquendo abstractiuè ab hoc, & illo obiecto, ideo arguendo intuli ex inde, quod licet creatura non moueat, nihilominus produceretur Verbum ex creatura cognita, vt cognita.

An motio potētiæ, an productio cognitionis sit proximius.

Et quidem dum in cognitione duo sunt, alterum motio obiecti, alterum gignitio cognitionis, si quæratur quodnã istorum sit intimius, & proximius, vtique erit gignitio, probatur, quia creatura non mouet, & nihilominus gignitur cognitio, & Verbum per te de ipsa creatura.

Cognitio specificatur ab obiecto.

8 Arguitur insuper ad principale intentum, & contra principalem responsionem. cognitio desumit naturam ex obiecto à quo paritur: sed Verbum producitur ex cognitione creaturæ, ergo induit naturam creaturæ, & ita Verbum erit creatura. maior est euidens ex Phil. lib. de an. *Ex cognoscente, & cognito paritur notitia.* & notitiæ specificantur ex obiectis, ex quibus producuntur ex quibus etiam desumunt distinctionem inter seipsas, vt quia cognitio hæc est de pariete, ideo distinguitur à cognitione illa, quæ est de leone: ingreditur autem in productionem Verbi cognitio parietis, & leonis, sicut & equi, brutorum, cæterarumq; rerum possibilium, ergo Verbum erit de natura parietis, Equi, leonis, bruti, cæterarũq; rerum creabilium: Confirmatur etiã quia in eius naturam, & constitutionem ingredietur vnaquæque res, etiã fæda, & fœdissima, vilis, & infimi generis; at quanto hæc sint absurda vnusquisq; videt, etenim Dei Verbum *est imago Patris, speculum sine macula, & candor lucis æternæ*, à quo longè est omne vile, omne fædum, omne nubilum. consectaria hæc negari non possunt si sistamus in bona philosophia, quandoquidem cognitio vt dictũ est, desumit specificationem ab obiecto: sed Verbum paritur ex cognitione creaturæ, ergo sicut Pater in generatione Verbi præconcipit bruta, plantas, spinas, reptilia, aliaque infimi generis, ita Verbum erit de natura bruti, spinarum, lapidis, vermium, aliorumq; fædi, & infimi generis. Ecce in quantos scopulos ruunt huius sententiæ authores. Confirmatur, item notitia pendet essentialiter ab obiecto: obiectum sunt creaturæ, ergo Verbũ essentialiter pendet à creatura in sui cõstitutione & natura; eo magis, quo pendet essentialiter ex creaturis, vt plurimè vilissimis, infimi generis: immo ex peccatoribus.

Ergo Verbũ erit de natura creatura, etiam vilissima

Vilesceret Dei Verbũ si ex cognitione produceretur creaturarũ

9 Ex dictis, vilesceret Dei Verbum, dum de natura esset lapidis, bruti, ac similium imperfectorum: dum ad sui constitutionem exigeret intrinsecè creaturam, nedũ nobilem, sed alioqui etiam vilissimam, & fædissimam. Dices, id non esse absolutè necessarium, quia si creaturæ non essent possibiles, nihilominus produceretur ex cognitione solius essentiæ diuinæ: sed hoc est merum effugium, quia dato quod id verum esset data hypothesi quod creaturæ non essent possibiles, nihilominus de facto, iam conceditis creaturas, alioqui etiam vilissimas, concurrere ad gignitionem Verbi de facto, & ita de facto vilescit admodũ Dei Verbum, dum de cognitione producitur creaturarum. Dices, in creaturis, etiam infimis relucere diuinam bonitatem, quapropter veluti bonæ approbatæ fuerunt ab initio, teste Moyse, & *erant valdè bona*; igitur non vilesceret Dei Verbum, quamuis ex

infi-

infimi generis produceretur cognitio ne creaturarum. Verum nec responsio enernat argumentum, quia etiam si creaturę bonę sint, nihilominus bonitas earum est bonitas creata, finita, & limitata, vnde negari non poterit hoc saltem, quod ens infinitum, & illimitatum sit de ente finito, & limitato, ergo erit insuper ipsûmet in natura sua intrinsecè Verbum diuinum finitum, creatum, & limitatum. Adde ad hęc proprietates omnes quę consequuntur creaturam; vt depêdentiam, contingentiam, imperfectiones multas, quę necessario attribuenda veniũt Verbo dum in eius constitutionem, seu productionem ingreditur cognitio creaturę. Insuper, peccator, vt talis est malus, ergo peccator, quo talis, ingrederetur in productionem diuini Verbi, ergo esset de natura peccatoris: sequitur, quia creaturę cognitio ingreditur in constitutionem Verbi.

Ergo Verbum esset de natura peccatoris.

10 Item Deus est author creaturę, & per Verbum factę sunt creaturæ, teste Ioãne *omnia per ipsum facta sunt:* & August. *Verbum est ars Patris:* atque ex Theologis Verbum cum tota Trinitate concurrit, quia *opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*; igitur tũ Pater, & Spiritus sanctus, tum etiam ipsum Verbum est auctor, & principium creaturę: hoc fidei fundamento stante, quomodo Verbum esse poterit principium creaturę, si creatura est & principium Verbi. hinc arguitur, effectus non potest esse principiũ suæ causę: sed Verbum producitur ex cognitione creaturę, siuè ex creatura cognita, ergo Verbum nõ poterit esse causa creaturę in esse cognito. Maior de se patet, alias effectus esset anterior, & posterior sua causa; anterior quidem ratione productionis in ordine ad causam; posterior ratione productionis passiuę à sua causa. item eodem instanti simul esset, & non esset tum causa, tum effectus, prob. ea ratione, qua causa causaret, esset in rerũ natura, & ea ratione, qua causanda veniret, iam ante causationem passiuam non esset: ita de effectu, nam qua ratione effectionem passiuam expectat, iam non esti & qua ratione causaret iam esset. Deniq; daretur regressus, siuè circulus in demonstratione: dum ergo Verbum simul cum tota Trinitate producit creaturas nedum in esse actualis existentię verum in esse ideato exemplato, & cognito, sequitur vt ipsum Verbum tanquam causa talis esse pręcedat in esse ideato, & cognito creaturam.

Ergo non posset esse principiũ effectiuum creaturæ.

11 Confirmatur, ex quo Ioannes dixit, *omnia per ipsum facta sunt*: vtique intelligit id de quocunque esse creaturę, tum actualis existentię, tum ideati, & cogniti, & hoc ab ęterno; igitur Verbũ pręcedit creaturę ideã; pręcedetq; ipsam in sua ideationem, dum creatura ideari expectat etiam ab ipso Verbo.

12 Dà oppositum huius, & ruet authoritas Augustini; aiebat namq; *opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*: quod communiter intelligitur *effectiuè*: igitur ad effectionem creaturę in quocunq; esse, etiam ideato, & cognito concurrit efficiendo Pater Verbum, & Spiritus sanctus: rueret etiam eiusdem axioma, Verbum est ars Patris: quod si Pater mediante Verbo, tanquam arte sua, vt Augustinus loquitur, efficit omnia, & singula in esse ideato produxit ab ęterno, quomodo esse poterit, vt creaturę cognitio concurrat ad generationem Verbi: igitur Verbum erit ars Patris in ordine ad productionẽ creaturę in solo esse existentię, non autem in esse ideali, exemplato, & cognito, quod est error. Dices, communicatur à Patre, Verbo talis indè notitia. sed quæro quãdo communicatur; aut ante eius productionem, aut post modum: si primum ergo Verbum præcedit productionem creaturæ in esse simplicis intelligentiæ, & ita Verbum non produceretur de cognitione creaturæ: si secũdum, igitur Verbum nõ concurrit ad productionem eius in esse ideato, iam enim creatura intelligitur ideata à Patre, post cuius ideationem dum communicaret Verbo eius intelligentiam, vtique non posset Filius eam in esse ideali producere, cum iam reperiatur producta, alias idem bis produceretur in eodem genere essendi, vnde sequeretur quod simul esset, & non

esset esset quoniam iam à Patre intelligitur producta, & cognita: non esset, quia iam non intelligitur producta à Verbo. Vel etiam sequeretur quod Verbum concurreret solummodo ad productionem eius in actuali existentia, non in esse idæato ab æterno. Vnde etiam sequeretur Verbum, & Spiritum sanctum non esse cum Patre æqualis scientiæ, & æqualis potentiæ, quia solus Pater antecedenter idæat creaturas cognitione simplicis intelligentiæ, dum post talem cognitionem producuntur aliæ Trinitatis personę.

Ergo Creatura in esse cognito nõ est à tota Trinitate.

13 Insuper tota Trinitas simul amat creaturas: & à tota simul pendet decretum liberum circa illas, dũ voluntas totius Trinitatis decernit, & ab æterno decreuit quidquid foret de creaturis; ergo tota etiam Trinitas operatur simul per intellectum in ordine notitiæ simplicis intelligentiæ circa idæationem creaturæ: probatur seq. quia non est maior ratio de voluntate, quam de intellectu, probo quoniam opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa: mens autem vniuersalis Theologorum est in isto axiomate, de quocunq; opere loqui, siue pertinente ad voluntatem, siue ad intellectum effectiue: & hinc arguitur, ex Caet. & sequacib. amor creaturæ non præcedit spirationem Spiritus sancti, ergo intellectio creaturæ non præcedet productionem diuini Verbi; probo sequelam, vltra dicta, alias opera ad extra non essent indiuisa; sed diuisa, quia solus Pater idæaret, siue simplici intelligentia prænosceret, dum Verbum subsequitur ad productionẽ in esse cognito, & ex tali esse cognito producitur.

Gloriari potest Creatura cõtra diuinũ Verbum, dicẽdo non esse opus eius in essendo ideato.

14 Item gloriari poterit creatura contra Verbum, atq; dicere posset, non sum ego factura tua, nõ sum creatura diuini Verbi, saltim in esse exemplato, & idæato, patet, quoniam quãdo à Patre cognita, & in tali esse producta sui, iam non intelligebatur productum Verbum in eo instanti; igitur soli Patri gratias refero, non autem Verbo, non itidem Spiritui sancto. Item gloriari poterit esse anteriorẽ, & priorem Verbo, & Spiritu sancto, dum ambo producuntur post scientiã creaturę simplicis intelligentię. & denique gloriabitur insuper ipsam potius creaturam esse Verbi principiũ; & effectricem in tali esse, quam vice versa, siquidem Verbum producitur ex idæa, & notitia, & expressione creaturę, ergo Verbum pendebit & producetur in tali esse à creatura, non creatura à Verbo. his vero stantib. cũ plurimis alijs inconuenientib. quæ de facili addi possunt, quomodo verum erit id, quod Psaltes concinit in persona omnium, ipse fecit nos, & non ipsi nos. quomodo Iob 16. *manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum*. quomodo Ioannes, 1. *sine ipso factum est nihil*. igitur gloriari poterit Assur, atque penes Isaiam 10. dicere, *In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi. sed numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur*. ita quidem gloriari poterit creatura contra Verbum, vt non sit in tali esse facta à Verbo, cũ tamen per Verbum facta sint omnia, immo Verbum esset factum ex creaturis.

15 Arguo item, vel diuina Essentia de se se sola sufficiens est absq; cognitione Creaturarum ad productionem Verbi, vel non: si primum, ergo habemus intentum, Verbum nõ produci ex earum notitia: si secundum, igitur Deus non perfectè beatificatur in intellectu suo in cognitione solius diuinæ Essentiæ, absque eo, quod simul cognoscat Creaturas: id vero est contra August. qui 5. confess. ait, *Beatus est qui te, & illa videt, sed non beatior propter illa*. per *illa* autem intelligit creaturas, quæ quidẽ per accidens concurrunt ad beatitudinem: essentia autem est perfectissimum, & sufficientissimum Obiectum beatitudinis per se. Insuper cognitio Creaturæ addit extensionem quandam, cæterum ipsa finita est & limitata, quomodo ergo beatificare poterit Dei intellectum, nisi extrinsecè, & per accidens. Demum Essentia de se adeo est intensiuè perfecta, vt maior, & infinitior excogitari non possit intensiuè, licet extẽsiuè maior sit cum creaturis: at extẽsio hæc est additio alicuius finiti, & limitati;

mitati, quod non pertinet per se ad beatitudinem, nisi per accidens; hoc stante, Verbum producitur ex perfectissima cognitione diuinæ essentiæ, siue eorum, quæ sunt in memoria, siuè scientia Patris: at cognitio essentiæ dempta cognitione creaturarum, est intensiue infinite perfecta, ergo hæc sufficit: quod si postulaueris perfectionem alteram extensiuam, vtpote cognitionis creaturarum, vtique postulabis quid extrinsecum, & accidentarium, & id finitum, dependens, & limitatum, quæ quidem indigna sunt, vt ex eis emanet Dei Filius, æternum, & infinitum Verbum.

16 Præterea Verbum producitur ex cognitione compræhensiua diuinæ Essentiæ: hoc stante, Thomistę negant Verbum produci ex scientia visionis, concedentes produci ex notitia simplicis intelligentiæ: quæro ab ipsis, vtrum notitia de diuina essentia, & simplicis intelligentiæ creaturarum, dempta scientia visionis earundem sit compræhensiua, an non: si primum ergo vel grauiter errant, vel sentiunt nobiscum: probatur primum, quia notitia vt sit compræhensiua de obiecto compræhensiue cognito debet esse de omni cognoscibili, siue contento, siue quocunque modo dependente, siue spectante ad tale principale obiectum, alias obiectum nō erit vndequaque, & compræhensiue cognitum: sed per vos deficit ad productionem Verbi notitia visionis existentiæ creaturarum, ergo Verbum non producitur de scientia compræhensiua. Confirmatur quia tunc esse tum essentiæ, tum creaturarum comprehensiua scientia, quando creaturæ cognoscerentur nedum notitia simplicis intelligentiæ, sed etiam scientia visionis, at non cognoscuntur antecedenter ad productionem Verbi scientia visionis, ergo non producitur Verbum de scientia compræhensiua. hoc stante arguitur, Verbum per vos producitur de scientia, quę non est vndequaq; & omni modo compræhensiua, vt patuit, ergo nō implicabit per nos produci ex scientia quæ non sit creaturarum compræhensiua. Per vos non est compræhensiua quia deficit scientia visionis creaturarum, & nihilominus ex scientia vt sic non compræhensiua producitur Verbū, ergo per nos producetur ex scientia creaturarum etiā non compræhensiua, quia nulla earū cognitione indiget ad sui productionem Verbum. Dices disparem esse rationem, quia scientia visionis est de obiecto contingenti, notitia autem simplicis intelligentiæ est de obiecto necessarie cognito antecedenter ad decretum voluntatis, ad quod tamen sciētia visionis subsequitur. Sed quidquid sit de hoc, iam necesse est confiteantur Thomistæ scientiam illam non esse comprehensiuam, cum deficiat talis modus cognoscendi antecedenter ad Verbum, ergo tenentur dicere non produci ex scientia compræhensiua alias dicentes produci ex compræhensiua manifeste hallucinarentur, cum re vera illa non esset cōpræhensiua deficiēte altero membro cognitionis: vel demum cogentur fateri cum Scotistis, esse scientiam illam compræhensiuam eo modo, quo declarabitur in solutione argumentorū Thomistarum. Quod si tandem dedecis alterum membrum non esse compræhensiuam, vt etiam probatum est, ita & nos negabimus Verbum produci de notitia quæ siue subseqnatur, siue antecedat ipsam productionem Verbi, siue visionis, siue simplicis intelligentiæ: cum verò illi dicant esse comprehensiuam radicaliter, ita & nos radicaliter, & virtualiter vt infra.

17 Confirmatur, amor diuinæ Essentiæ est perfectissimus: amor etiam Patris, & Filij est perfectissimus, taliter vt ad spirationem Spiritus sancti non requiratur amor creaturarum etiam per eos: ergo cognitio diuinæ Essentiæ erit perfectissima, adeo vt nō exigatur notitia creaturarum ad productionem Verbi. Accedit, bonitas creaturæ nihil intensiue addit ad bonitatem diuinæ essentiæ, vt ex eius amore spiretur Spiritus sanctus; ergo intelligibilitas creaturę nil intensiue addit ad intelligibilitatem perfectissimam diuinæ Essentiæ, vt ex ea producatur Verbum. Si quid vero creaturæ addunt, siue boni, siue intelligibilis, ostensum est, id esse extraneū

exeensiuè,& per accidens ad ipsum Deum, non enim Deus creaturarum bonitate indiget, iuxta illud, bonorũ nostrorum non indiges.

Dissidium inter Diuũ Thom. & Scot.

18 Ratio principalis dissidij inter Scotũ,& Thomistas inde est, quia negat Scotus Verbum nasci ex cognitione, etenim vt infra patebit, Verbũ non producitur per actum intelligendi, sed per actum dicendi, igitur non curat Scotus vtrum producatur ex notitia comprehensiua omnium, quia negat produci ex cognitione, docens produci ex *dictione*, cum producatur penes ipsum, per *dicere*, non per intelligere; quapropter sic arguitur, Verbum producitur per actum dicendi, non per actum intelligendi; ergo cognitio comprehensiua vniuersarum rerum minime erit principium Verbi antecedens ostendetur suo loco.

Notionalia sũt priora essentialib. ad extra.

19 Confirmatur, notionalia sunt priora essentialibus ad extra: productio Creaturarum in quocunque esse, est quid essentiale, quia commune toti Trinitati, ergo hoc erit posterius ad notionalia ad intra, sicq; erit prius productum Verbum, & Spiritus sanctus, qua producatur Creatura in esse cognito, ideato, & volito. Ratio ob quam notionalia sunt priora essentialibus ad extra, ea est, quia tota Trinitas operatur ad extra: & operatur simul, aeque vnica, eademque intellectione, ideatione, & volitione, siue decretatione: quod si ante Verbum essent praeconceptæ, & ideatæ Creaturæ, vtique solus Pater produceret eas in tali esse, non Filius, nec Spiritus S. vt autem tribuamus, vt par est, toti Trinitati opus quodcũque ad extra, meritò nulla Creatura antecedere debet in qualicunque esse Verbum, & Spiritum sanctum, aliàs opera Trinitatis ad extra essent diuisa.

Creatura non spectãt ad memoriam, nisi post productionẽ personarum.

20 Insuper Creaturæ spectant ad intelligentiam, non ad memoriam, ergo non praeconcipiuntur ad secundam, & tertiam Personam. probatur antec. quæ spectant ad memoriam sunt entia necessaria, quæ ad intelligentiã, sunt entia contingentia: Creaturæ sunt tales, vt entia necessaria non sint, ergo non spectabunt ad memoriam: at Verbum producitur ex memoria Patris, ergo non ex Creaturis, quia non sunt in memoria. Quæres si non spectãt ad memoriam, quomodo ergo intelligit eas Pater; Resp. non spectare ad memoriam antecedenter, sed subsequenter: nempe non spectant ad memoriam antecedenter ad productionem Verbi, sed spectant ad eam post productionem Verbi, & Spiritus sancti; ratio, quia id est opus Trinitatis, igitur omnes Personæ simul, vnicaq; cognitione cognoscent eas: quod si antecedenter spectarent, vtique solus Pater tunc eas nosceret, & idearet, nondum intellecta generatione Verbi, & Spiritus sancti: dum autem spectant ad intelligentiam, signum est, quod incipiunt habere esse cognitum, ideatum, & vltimum post productionem omnium personarum.

Creaturã non prius habent esse intelligibile, quàm intellectum.

21 Item Creaturæ non prius habent esse intelligibile, quàm esse intellectum: sed esse intellectum habent à tota Trinitate post productionem secundæ, & tertiæ Personæ; ergo non præcedit earum cognitio productionem Verbi: Ratio maioris pendet à quæstione suo loco agitata, vtrũ prima ratio possibilitatis rei sit ab ipsa re, vel ab ipso Deo: existimat verò Scotus pendere primo ab ipso Deo, aliàs si esset à re ipsa, sequeretur Creaturam esse independens, & necessarium, etenim videretur habere primã radicem sui esse à seipsa, & ita quasi gloriari posset contra Factorem suũ, quod si aliquo modo à seipsa, vt est deductum, & magis patuit in propria quæst. quo stãte argumentum currit, Creatura non prius habet esse possibile, siue intelligibile, quàm esse intellectum; ergo prius à Deo intelligitur, & ex actuali intellectione recipit esse intelligibile, & possibile: sed actualis intellectio ad extra competit toti Trinitati, ergo ante Verbi productionem non erat intellecta, nec intelligibilis, nec possibilis: quod si intelligibilis, & possibilis non erat ante Verbum, quomodo principium esse poterat productionis Verbi, quod.n. non est, non potest agere, dum agere præsupponit esse.

22 Sed quæres, non est intelligibile absque contradictione, vt Creaturæ

Creaturæ ante productionē Verbi habent esse virtuale.

turæ ante productionem non habuerint esse possibile; ratio, quia habebant potentiam logicam ad essendū, etenim non repugnabant eis posse esse: & hæc possibilitas competijt eis in quocunque instanti, & fen per er go ante Verbum habebant esse possibile, habuerunt consequenter esse intelligibile ab ipso Patre, quia omne possibile est absque contradictione intelligibile, sicut ex opposito impossibile est cum contradictione intelligibile. Resp. esse possibile, siue potētiale est duplex, alterum virtuale, alterum actuale: loquendo de primo conceditur præcedere ad Verbi productionem: at de secundo negatur, quia subsequitur, quoniam pendet ab actuali intelligētia totius Trinitatis, & de hoc currit axioma Scoti, quod Creaturæ non prius habent esse intelligibile, quàm esse intellectum: & vt sic non præcedunt Verbum, nec Verbum paritur ex cognitione ipsarum, quia adhuc non intelliguntur habere esse intellectum, & cognitum. Quod si dixeris, saltem præcedunt secundum esse possibile virtuale, ergo concurrunt ad genitionem Verbi: nego cōsequens, quia illud esse possibile virtuale nihil est penes Creaturas sed solummodo dicit continentiam virtualem, & eminentialem in ipso Deo; qui poterit inde eas producere in esse cognito, idæato, & volito vt placet, & quando placet; ergo nullum secundùm esse, earum virtuale habent influxum in productione Verbi.

Esse virtuale quid ponit, et ex parte cuius.

23 Rursus quandocunque concurrunt duo ordines productionum, quarum altera est necessaria, altera contingens, prior est ordo productionis necessariæ quàm ordo productionis contingentis: concurrerunt autē ab æterno ordo productionis entis necessarij, nempe Verbi, & Spiritus sancti; & ordo productionis entis cōtingentis, nempe creaturarum in esse idæato, & cognito. ergo prior debebat esse ordo productionis Verbi, & Spiritus sancti, & posterior ordo ipsarum creaturarum in esse cognito: quo quidem seruato ordine: vt par est, necesse est dicere Verbū antecedere ad productionem creaturæ in esse cognito. Assumptum de se patet veluti verissimum, etenim quod est de se necesse esse antecedit id, quod de se est contingens: & necessitas est passio, & conditio semper competēs suo subiecto, in quo est, dum ex suâ natura est necesse esse, cuiusmodi nō est contingentia quæ tanquā potens esse, & abesse à subiecto variabitur secundùm hic, & nunc.

Productio necessaria prior contingenti.

24 Accedit, constat omnibus, diuinam Essentiam esse obiectum primarium diuini Intellectus, & creaturam esse secundarium. hoc stante arguitur, dabitur ordo in mouentibus, & mobili: diuinus Intellectus habet vtrumque pro obiecto, ergo vtrumq, intelligit ordinatè: sed primum obiectum seu primo mouens, est Essentia; secundarium obiectum est creatura; ergo totus Deus, & tota Trinitas primo intelligit diuinam Essentiam, & inde creaturas: ergo Pater prius intelliget essentiam, attributa, modos intrinsecos, Verbum, & Spiritum sanctum, & inde intelliget creaturas. Cōfirmatur, vtrumq; obiectum est obiectum nedum Patris, verum Filij, & Spiritus sancti; ergo Filius, & Spiritus sanctus prius intelligent obiectum primarium, inde secundarium: à primo antem ad vltimum, id quod primo mouet est Essentia, Creatura autē intelligitur suo loco, tanquam obiectum secundarium, quod subsequitur ad totam Trinitatem ad intra. Item creatura nō mouet Dei Intellectum, nec intelligitur, nisi mediante motione diuinæ Essentiæ mouentis ad cognitionem sui, & Creaturarum, at prius Essentia mouet ad notitiam sui, ergo completo toto ordine motionis necessariæ obiecti ad intra in ordine ad totā Trinitatem, fit motio ab eadē diuina Essentia penes ea, quæ pertinent ad extra. Et patet amplius, quia essentialia ad intra sunt priora essentialibus ad extra.

25 Præterea Dei ad Creaturam non est relatio realis; at si produceretur ex cognitione creaturæ iā Deus Verbum referretur ad eam relatione reali: probatur, inter genitū, & illud, ex quo generatur intercedit relatio rea-

realis; producitur autem ex creatura cognita, ergo ad eam refertur realiter. Respondent quiddam non esse realem, quia terminus à quo, vtpote Creatura non est pro tunc ab æterno ens reale. Sed contra hoc, per accidens est, vt non sit reale, igitur si esset realis tunc creatura, vtique Verbum ad eā referretur realiter; ergo ea ratione, qua gignitur ex eius cognitione referretur realiter quantum est ex se, si creatura esset realis, ergo non implicabit Deum referri realiter quantum est ex se ad creaturam, quod si non refertur, id prouenit, quia creatura non est ab æterno ens reale. & hinc deduco ad mentem istorum, quod nūc Verbum ad creaturam refertur realiter, quia nūc v. g. lapis, ex cuius cognitione ab æterno fuit genitum nunc quidem est ens reale. ergo refertur realiter: patet, quia per istos, ratio quare non referatur realiter est, quia ab æterno lapis non erat ens reale; nunc verò est ens reale, ergo saltem nunc refertur realiter. Dices, generatio iam facta fuit, & ab æterno: nūc autem non fit, quod si nūc fieret, referretur realiter, lapide iam nunc existente realiter. Verum assumptum hoc non bene affertur, etenim licet Verbum fuerit genitum ab æterno, nihilominus generationis actus nō transijt, sed idem etiam nunc perseuerat, vnde Pater genuit, generat, & generabit, inquit Origenes, alijq; Patres penes Magistr. in 1. d 9. ubique optimè, & catholicè rem declarat Scotus quæst. vn quapropter referretur etiam nunc realiter. Respondent alij, vt Caet. à quo Molina, aliq; negandam esse sequelam, quia solummodo ad principium *quod* refertur realiter principiatum, seu genitum, & vice versa, non verò est talis relatio ad principium *quo*, vt est Essētia diuina. & creatura cognita. Verum maximè decipiuntur, quia licet Essentia diuina non distinguatur à Verbo, nec vice versa, & consequenter inter ea non sit relatio realis, quia est eadem vtriusque consubstantialitas, & essentialis identitas; nihilominus creatura etiam in mente Patris, nullatenus est eadem cum Verbo, sed vndequaque distincta essentialiter, & nullatenus eadem, parum verò interest vt non sit ens reale, ad hoc vt negetur distinctio realis, quoniam abstrahendo à modo loquendi Formalizantium, qui dicunt Verbum, & Creaturam in esse cognito esse non eadem; nihilominus verū etiam est in re ipsa, & in substantia, quod Deus, & creatura sunt toto Cœlo distincta: hoc supposito constat etiam, quod Petrus filius dicit relationem realem tum ad principium *quod*, tum verò ad principiū *quo* ipsius Patris generantis; ergo à pari Verbum talem dicet relationē tum ad Patrem generantem, tanquam principium *quod*, tum ad notitiam creaturæ tanquam principium *quo*: genitum namque sicut realiter refertur, ita realiter distinguitur tū à principio *quod* generationis, tum à principio *quo*, seu forma ipsius generationis: verum quidem quod Verbum non refertur realiter ad principium *quo* in diuinis, propter identitatem naturæ, at refertur quantum est ex se ad principium creatum *quo*, siue ad notitiam creaturæ, quia nullam habet identitatem cum creatura.

Verbi productio non transiit.

26 Rursus hinc sequitur Verbum esse imaginem creaturæ: etenim ex natura expressa, siue cognita siue per cognitionem expressa oritur ipsius creaturæ, id vero est imago, & imagatum; etenim imagatum, & imago taliter se habent vt vnum exprimat, & represen et alterum: hoc stante, potius creatura est imago Dei, quàm Deus imago creaturæ, vt patet, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; ergo minimè Verbum erit imago creaturæ; id verò sequitur ponendo quod in sui generatione fiat per cognitionem expressio creaturæ, ex qua expressione ipsum generetur Verbum. inde autē deducas supra allata inconuenientia, quod nedum erit imago creaturæ absolutè tentæ, verum etiam cuiuscunque creaturæ, & ita etiam vilissimarum, & fœdarum, & infimi generis creaturarū, eritq; imago bruti, vermis, & similium, vnde quàm maximè vilesceret Dei Filius, & Verbum.

Sequitur Verbū fore imaginem Creaturæ ex opinione opposita

27 Item

Ergo procedit ex cognitione Spiritus S. 27 Item si procedit ex omnibus, quæ sunt in scientia Patris, ergo procedit etiam ex cognitione sui, & Spiritus sancti, & ita erit Verbum Verbi, Verbum de Verbo, & de Spiritu sancto, hæc verò stare nō possunt prob. sequeretur enim Verbum distingui realiter à seipso prob. vt sup. quia genitum distinguitur realiter à principio, à quo procedit. Item referretur realiter ad seipsum, quoniam realis productio, & generatio indicat relationem realem. Probatur quoque referri realiter ad Spiritum sanctum, siquidem genitum ad id, ex quo fit generatio refertur realiter: at Filius non refertur realiter ad Spiritum S. vt Filius est, sed vt spirator est, Filius enim non refertur ad spiritum vt Filius, sed Spirans refertur ad spiratum.

Molinę responsio cōfutatur. Respondet Molina neg. do seq. quia, inquit, Verbum, & Spiritus sanctus non concurrunt ad notitiam, quia Pater producit, sed sola Essentia diuina. Sed responsio hæc duobus modis retunditur, primo, quia ipse concedit in corpore quæst. Verbum produci ex notitia omnium personarum, quo modo ergo negat in responsione ad quintum produci ex notitia Verbi & Spiritus sancti. Secundo si Verbū, & Spiritus sanctus non concurrunt ad notitiam, ergo nullo modo concedi potest produci ex cognitione ipsorum: hoc patet lapis non concurrit v. g. ad scripturam huius libri. ergo liber hic nō producitur ex cognitione lapidis hinc patet quantum torqueantur horum ingenia vel ad argumenta soluenda, vel ad suam tuēdam opinionem. Respondent Alij non esse inconueniens produci Verbum de seipso, non enim distingueretur realiter à seipso, quia eius cognitio esse principium *quo*, nō *quod*: hoc quidem distinguitur, non illud. Verum ostēsum est nuper, inter vtrūque principium, & ipsum genitum intercedere distinctionem realem, vt Petrus generans, & forma tanquam principium *quo*, vtrumq; quidem distinguitur realiter à genito, vt patet in humanis: quod verò in diuinis ita non accidat, non est ex ratione principij *quo*, vel *quod*, sed ex ratione summæ identitatis essentialis diuinæ Essentiæ cum diuino Verbo, cæterisq; personis, Essentia namque diuina identificat sibi omnia: & quidem in humanis Petrus pater tāquam principium quod distinguitur à Francisco filio: & potentia generatiua, siue forma ipsius Patris tanquam principium *quo*, distinguitur etiam realiter à Francisco filio.

28 Insuper, si Creaturæ non essēt in esse possibili, nihilominus Verbum produceretur, ergo non ex cognitione Creaturarum prob. seq. etenim Essentia esset perfectissima vndequaque vt eius notitia comprehēsiua produceretur Verbum. Respondent Cret. Suar. data hypothesi, id fore verum, attamen quia de facto sunt possibiles, ideo de facto concurrunt ad generationem Verbi. Responsio habet aliquid apparentiæ, nihilominus ex eo quod accideret ex hypothesi debemus indagare naturam rei, siquidem hinc deducitur notitiam Creaturæ non spectare intrinsecè, & essentialiter ad generationem Verbi; si namque non essent possibiles Creaturæ, Verbum vtique produceretur, ergo falsò dicitis notitiam Creaturæ esse de ratione intrinseca Verbi. Iterum quæro stāte hypothesi, aut Verbi productio esset perfecta, aut non: si primum, ergo non requiritur vllo pacto, nec de possibili, nec de facto præcōceptio Creaturæ ad Verbum; patet, quia quod potest constitui in esse suo perfecto, & adæquato ab'que alio, id quidem non est de intrinseca ratione suæ productionis; sic esset data hypothesi, ergo siue de possibili, siue de facto considerentur Creaturæ, eç non spectabunt ad intrinsecam constitutionem Verbi. si secundum, ergo Verbum dependeret essentialiter à Creaturis, ergo Deus indigeret Creaturis ad sui esse, ergo Deus esset imperfectus absque Creaturis, cum mille alijs inconuenientib. concludendum ergo ex hypothesi data non esse earum cognitionem de intrinseca constitutione Verbi. *Si Creaturæ nō essēt possibiles, adhuc produceretur Verbum.*

29 Accedat demum, vt alia linquam, sententia D. Anselmi, qui totā rem in fauorem nostræ sententiæ de- *Ex Anselmo.*

M fini-

finit: is quidem cùm docuisset Verbũ non esse similitudinem Creaturarum ex c.29. inde cap.30. sic inquit, *Quomodo illud quod est simpliciter veritas potest esse verbum eorum, quorum non est similitudo; cum omne verbum, quo aliqua res sic mente dicitur, similitudo sit eei eiusdem. & si non est verbum eorum, quæ facta sunt, quomodo constabit, quia sit Verbum? nempe omne verbum alicuius rei verbum est.* Resoluit autẽ infra dicendo, *Summus ille spiritus sicut & æternus, ita æternè sui amor est, & intelligit se ad similitudinem mentis rationalis: at si æternè se intelligit, æternè se dicit: si æternè se dicit, æternè est verbum eius apud ipsum: siue ergo cogitetur nulla alia existente essentia, siue alijs existentibus, necesse est Verbum coæternum illi esse cum illo.* Paucis vero inde subdit, *Cum ipse summus spiritus dicit seipsum, dicit omnia, quæ facta sunt; nam antequam fierent, & cum facta sunt, semper in ipso sunt:* & paulò infra, *in ipso verò sũt ipsa prima Essentia, & prima existendi veritas: hoc itaque modo non irrationaliter asseri potest, quia cùm seipsum dicit summus ille spiritus, dicit etiã quis quidquid factum est, vno, eodemq; verbo.* ex his deducit Anselmus, Verbum exprimere Essentiam diuinam, & dum exprimit Creaturas, exprimit illas secundum quod sunt ipsemet Deus, ait enim, *In ipso sunt ipsa prima Essentia, & prima existendi veritas:* vnde est vt concludat, non de cognitione Creaturarum nasci, sed de ipsa Essentia.

Nõ producitur de scientia visionis Creaturarum.

30 Quærere inde, vtrum producatur de scientia visionis earundem Creaturarum, superuacaneũ est Scotistis, negantes namque produci de cognitione Creaturarum possibiliũ mediante notitia simplicis intelligẽtiæ, multò amplius negarent produci de scientia visionis existentiæ actualis earundem. & in hoc concors est etiam sententia Thomistarum, alias Verbum esset quid contingens, & & temporaneum vt sunt Creaturæ existentes.

31 Alterum primarię responsionis caput, allatę ad primum argumẽtum, erat de Spiritu sancto, de quo aiebant, non currere paritatem cum productione Verbi, quia Verbũ producitur ex præcognitione Creaturarum dum Intellectus diuinus necessario intelligit illas, at Spiritus sanctus non nascitur ex amore Creaturarum, quia diuina voluntas non amat necessario Creaturas, sed liberè vt placet. Confutato iam primo capite, breuiter retunditur hoc secundum: Et quidem vniuersa Creatura est quędam participatio diuinæ bonitatis, communicante Deo vnicuique radium aliquem proportionaliter suæ bonitatis, vnde omnis Creatura bona est participatiuè per participationem diuinæ bonitatis, ita apertè docuit Moyses Gen. 2. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* hoc stante, arguitur, omnis Creatura est bonitate aliqua prędita teste Moyse, ergo omnis Creatura necessario diligitur à Deo: antecedens patet, etenim Deus fecit creaturas bonas, iuxta illud etiam Eccles. 15. *fecit Deus hominem rectum.* probatur consequ. Deus necessario sibi cõplacet in bono, ratio, quia bonum est de sui natura amabile, Deus autẽ vnicuique tribuit, quod suum est: at naturæ boni hoc conuenit vt sit obiectum amoris penes præcipue rationem rectã, Deus quidem rectissimus est, ergo necessario amat Creaturas veluti saltem trascendentali bonitate bonas; sed ante productionem Verbi, & Spiritus sancti Pater concepit Creaturas iuxta cõditionem suæ naturæ, concepit autem vt bonas, ergo sicut antecedenter ad Verbum concepit vt bonas, & ita sequitur vt Spiritus sanctus producatur ex amore Creaturarum. Confirmatur Sap. 2. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.*

32 Et quidem scio duplicem esse Dei amorem, alterum complacentiæ, alterum efficacem: nõ loquimur de efficaci etenim multos odit Deus, vt peccatores, *odisti omnes, qui fornicantur abs te.* psal. 51. *Non est voluntas mea in eis* psal. 42. multos reprobat, & ad gehẽnam damnat: hoc ergo amore non cogitur Deus, sicut nec complacentiæ amare peccatores, in quibus nedum non complacet, verum

& eos damnat: sed præscindamus, & loquamur de Creatura simpliciter quoad esse actualis existentiæ, eam Deus nominat necessario efficaciter, sed libito suæ voluntatis tribuit illi existẽtiã, dona gratuita, & similia: at loquendo de amore complacẽtiæ respectu cuiuscunq; creaturæ intelligibilis, necessario sibi in ea complacet, quoniam spectat in ea radium, & participationem suæ diuinæ bonitatis, quod optimè explicat Scotus in quol.q.16.art.1. litt.O.1.& 1 d.8.q.5. litt.N. hoc stante, statimatque Pater intellexit Creaturas vnà cum Filio, eo tunc amore complacentiæ dilexit eas: id verò fuit ante productionem Spiritus sancti, quia datis Verbum produci ex præcognitione Creaturę, ergo Spiritus sanctus, qui inde spirabatur, vtique producebatur ex amore necessario complacentiæ earundẽ creaturarum; ergo à primo ad vltimũ viger argumentum, quòd si Verbum producitur ex cognitione creaturarum, etiam Spiritus sanctus producitur ex amore earum: sed creaturæ sũt entia contingentia, finita, dependentia, limitata, & imperfecta, ac huiusmodi, ergo Spiritus sanctus erit de amore horum imperfectorum: eritq; in sua entitate ens contingens, creatum, limitatum, & similium: & ita erit amor cuiuscunq; etiam vilissimę creaturæ, vt brutorum, vermis, & huiusmodi, sicut deduximus de Verbo producibili ex intelligentia istorum. Quæ diximus de necessario amore complacentiæ Dei erga creaturas, iam sano sensu intelliguntur. etenim creatura spectata vt creatura est, nusquam necessario sibi in ea complacet Deus, quoniam est ens imperfectum, & indigna vt eã diligat Deus: at spectando eam, quatenus in ea relucet effectus diuinæ bonitatis, & quatenus est ens per participationẽ diuinarum perfectionum, vtpote, sapientiæ, bonitatis, iustitiæ, & sanctitatis ipsius Dei, cæterorumque effectuum pendentium in ea à gratuita condescensione Dei, vtpote vestigij, imaginis, capacis gratiæ, & gloriæ Dei, vtique sic necessario sibi in ea complacet Deus, idem namque est, ac in suis perfectiouib. prout in creatura relucentibus sibi complacere Deum; immo idem est ac Deum diligere semetipsum, grour repræsentatum à creatura. etenim ait scriptura, *Nihil odisti eorum quæ fecisti*, & de eis, vt sic, ait Moyses, *Erant valde bona*; & propterea benedixit eis.

An Dei voluntate cõplacentia necessario complacet in creaturis.

ARTIC. IV.

Vtrum Verbum dicat respectum aliquem ad Creaturas.

1 Probato iã ad productionẽ diuini Verbi non spectare creaturas, vtpote vt non producatur ex notitia creaturarum, modo quærendum, vtrum Verbum dicat aliquam saltem relationẽ ad ipsas creaturas, & si non vt constitutiuas Verbi, tamen sub alia aliqua ratione. Et quidẽ videtur Augustinus affirmatiuam sententiam decidere, ait enim lib. 83. q. quæst. 83. explicans illud Ioannis 1. *in principio erat Verbum*, quod verbum, *logos* græcè interpræratur, latinè verò *Verbum*. *&* *rationem* significat: inquit autem Aug. *Nomen Verbum melius interpretatur, vt nõ solum significetur ad Patrem respectus, sed etiam ad illa, quæ per Verbum facta sunt operatiua potentia*. sentit ergo dicere Verbum relationem etiam ad creaturam. *Ex Augu. arguitur.*

2 Hoc tamen stante, iam supra dictum fuit in Verbo duplicẽ respectum reperiri alterum expressi ad exprimentem, siue producti ad producentem; & alterum declarãtis ad declaratum. primus est Filij ad Patrem, secundus est Filij ad Creaturas: primus est realis, quia inter productum, & producentem est relatio realis, secundus est rationis, quia Dei ad creaturam est solus respectus rationis. ita deductum, & amplius explicatum fuit sup. q.1. de Verbo art.3. *In Verbo duo respectus, exprimentis ad expressum, et declarãtis, ad declaratum.*

Differẽtia talium respectuum.

3 Differentia istius vtriusq; respectus consurgit ex eo, primo quidẽ, quia primus est constitutiuus Verbi, ratio, quia personæ in diuinis constituuntur per respectiua, ergo constituit Verbum: secũdus est aduentitius Verbo, quia aduenit post eius constitutionem, dum namq; cognitio Creaturarum non præcedit productionem Verbi, aduenit Verbo, licet necessario, non tamen vt constitutiuus Verbi. Primus habetur mediante memoria fæcunda, qua Pater generat Verbum: secundus mediantelligẽtia, quia dictum est creaturas non spectare ad memoriam, sed ad intelligentiam: & si ad memoriam spectant, non spectabunt ante productionẽ Verbi, & Spiritus sancti, sed post completum primum ordinem Personarũ totius Trinitatis, quia Creaturæ in esse volibili, & intelligibili producuntur à tota Trinitate. Primus competit Verbo per se primo, quia de intrinseca ratione constitutiua Verbi: secundus per se non primo, sed secundario, & veluti passio. primus est de essentia Verbi, quia est respectus realis, constitutiuus entis realis: secundus non est de eius essentia, quia respectus rationis non est de essentia entis realis. hæc, & similia prædicta fuere de Verbo, & sæpius repetentur.

Verbũ primo dicit relationẽ ad Patrem.

4 His verò habitis, vt ad quæstionem descendamus, Dicimus primo, Verbum propriè, & per se primo dicere relationem ad Patrem. hæc conclusio patet ex dictis, tum hic, tum sup. & ex amplius dicendis. patet vero, quia relatio constituit personam; at Verbum vt Verbum, seu Filius vt Filius ad nullum dicit relationem nisi ad dicentem, & verbãtem, siue ad Patrem, siue generantem, ergo per se primo, & propriè dicit respectum expressi, seu geniti ad exprimentem, seu generantem.

Secũdario ad creaturas appropriatè.

5 Dicimus secundò, Verbum appropriatè dicit relationem ad Creaturas; seu relationem dicit ad eas secundario, & per se non primo. Ratio sunt prætacta, quia non producitur ex Creaturis, ergo nulla relatio Creaturæ ingreditur constitutionem eius. Item dicit, seu declarat Creaturam post totum ordinem Trinitatis, ergo non primo dicit respectum declaratiui. Insuper necessario declarat creaturas, cùm sit exemplum, & ars Patris, vt loquitur August. at talis declaratio, & exemplatio fit post totum ordinem Personarum Trinitatis, ergo necessario quidem declarat, sed non primo. Deniq; est veluti passio Verbi declarare, vt loquuntur Scotistæ; at passio competit secundario non primario subiecto. Deducimus ergo, Verbum relationem dicere non propriè, sed appropriatè Creaturis. Hæc insuper est aperta mens Scoti in 1. d.27.q.3. litt.K. & quolibet. quæst.8. art.3. & in 2.d.1.q.1. & in 3.d.32. licet etiam hanc conclusionem confirmare ex D.Thom. qui 1.p.q.34.art.3.ad 4. ait, nomẽ Verbi principaliter impositum est ad significãdum relationem ad dicentem, & ex consequenti ad Creaturas.

6 Sed explanandum est in quo consistat hoc, quod respectum importat appropriatè, vt Scotus loquitur ad Creaturas. & quidem ordo talium respectuum talis est: primo per Verbum formaliter importatur, & propriè respectus originati ad dicentem, scilicet expressio, seu dictio passiua ad exprimentem, seu dicentem actiuè: & hoc propriè, quia est proprium Verbi, & nullius alterius personæ, cũ solum sic generetur Verbum. Secundo cõnotatur notitia essentialis, quasi terminus formalis cõmunicatus per istam expressionem, seu generationẽ actiuam; & hæc quidem notitia nullius est propria, sed est cõmunis trib. nihilominus appropriatur Verbo, quia procedit per Intellectum, & ideo appropriatur ei secundum modum suæ productionis intellectualis. & tertio, quia hæc notitia essentialis habet respectum ad omnia intelligibilia creata, siquidem per illam tota Trinitas intelligit omnia intelligibilia, & notitia appropriatur Verbo, ideo Verbũ dicit, importare relationem ad creaturas sub ratione declarantis appropriatè. ita Scotus declarat ordinatè vbi sup. importationem respectus ad Creaturas. Tota itaq; ratio in eo sita est, nam omnes personæ intelligunt

Verbũ quẽ dicit appropriatè respectum ad Creaturas.

Crea-

Creaturas mediante notitia essentiali, seu operatiua, vt patet: sed notitia hæc appropriatur Filio, igitur Filius est, cui appropriatur declarare Creaturas, sicq; per talem declarationem dicit respectum rationis ad Creaturas. notitia quidem est Patris, est etiã & Spiritus sancti, at appropriatur Filio, quia est per modum Intellectus, ergo respectus appropriatur Filio, ideoq; ad creaturas respectum dicit appropriatè.

Declarare est commune toti Trinitati, sed appropriatũ Verbo.

7 Dices, notitia essentialis est communis Patri, & Spiritui sancto, & per notitiam fit declaratio, ergo declarare competit toti Trinitati, nõ soli Filio. Resp. concedo totum argum. & ita omnes quidem Personæ declarant, tum Pater, tum Verbum, tum Spiritus sanctus, at Filio competit declarare speciali quodam modo, quem Theologi appellant, *appropriatè*, quia dum notitia declaratiua tribuitur Intellectui, & Filius procedat per Intellectũ, hinc declarare appropriatur Filio, licet non sit proprium Filij, quia commune toti Trinitati. Declarare quidem competit toti Trinitati, quandoquidem est opus ad extra, & consequenter commune Trinitati: at diuinæ Personæ licet omnes declarent, non tamen omnes eodem modo declarant, quia Pater declarat, & exprimit Creaturam per potẽtiam, Filius per notitiãm, siue per sapientiam: & Spiritus sanctus per amorem, siue per bonitatẽ: sicut vero potentia, sapientia, & bonitas sunt communia Trinitati, & nihilominus potẽtia Patri, & bonitas Spiritui sancto appropriatur, ita appropriatur Filio notitia, & sapientia, vt per eam declaret Creaturam, dicatq; relationem ad eam per modum declarantis appropriate, & connotatiue.

Personæ omnes declarant: sed nõ per eũdem modũ.

Augustin. declaratur

8 Augustini mens hæc eadem fuit, & ita est intelligenda eius authoritas, cum enim ait, Verbum significare respectum ad Patrem, & Creaturas, iam constat, respectum ad Patrem significare primo, ad creaturas vero secundario: ad Patrem de principali, ad Creaturas ex consequenti, vt Diuus Thomas loquitur, ad Patrem proprie, ad creaturas appropriatè, vt loquitur Scotus.

9 Et ex his conuincitur Gabriel, qui in 1.d.27.q.3. art.3. negat Verbũ dicere relationem rationis ad creaturas connotatiue, seu aliquo pacto appropriate; nec mirum, quia nominales non admittunt relationes rationis.

Refellitur Gabriel.

ARTIC. V.

Diluuntur argumenta Thomistarum.

1 PRæcipuum aduersariorum argumentum elicitur ex August. *quod Verbum nascatur de omnib. quæ sunt in scientia Patris*, vt fuit deductũ Art.2. Verum sicut Caetanus ait, facile est imaginationes Scoti soluere, ita facile est Scotistis Thomistarum argumenta enodare. Et quidem ad citatam authoritatem Augustini varie respondetur, sic autem prima responsio quod August. per scientiam Patris, intelligit scientiam *habitualem*, non actualem: illa est memoria fæcunda cõstans ex Intellectu Patris & Essentia diuina sub ratione actu intelligibilis, idest, quatenus est in *actu primo*, non autem sub ratione actualiter intellectæ: compertum est autem sup. ad memoriam Patris non spectare creaturas ante constitutionem Personarum, sed post, ideoq; non producitur ex cognitione earum. actualis autem notitia, siue scientia, est intelligẽtia eiusdem Patris, ad quam spectant ipsæ creaturæ: cum vero Verbum nõ producatur de sciẽtia actuali, sed habituali, tanquam de memoria fæcunda sequitur, vt per scientiam August. intelligat memoriam, non intelligentiam. Et confirmatur, quia August. sẽper docet, Verbum produci de memoria. Secundo respondetur, si contendas Augustinum comprehendisse Creaturas sub scientia illa habituali, dico comprehendi ibi virtualiter, & eminenter, quia in diuina Essentia ante

Verbũ nascitur ex omnibus, quæ sunt in scientia Patris, declaratur.

Essentia actu intelligibilis quid

te productionem Verbi continentur creaturæ eminenter, & virtualiter, & sub tali esse concedo quod antecedens: quod si inde inferas, ergo producitur Verbum ex cognitione Creaturarum, nihil inde infertur, siquidem sequitur produci solummodo ex esse virtuali earum non esse actuali, siue actualiter cognito: at esse virtuale Creaturarum nihil est, nec in re, nec in cognitione, sed solummodo dicit in Deo virtutem, & eminentiam continendi illas, ac producendo in esse cognito, & volito post productionem personarum: esse vero earum cognitũ actuale habetur post productionem Verbi. Respondetur tertio supponere Thomistas, Verbum produci ex actu intelligendi, siuè sciendi, quod nõ ita esse, probabitur infra, sed ex actu dicendi generatur, quo stante dum actus Creaturas intelligẽdi terminetur ad eas post productionem Verbi, non est, vt producatur ex cognitione earum. Respondetur quarto produci ex omnibus, quæ sunt in scientia Patris, nempe ex omnibus, quæ in instanti generationis terminant scientiam Patris: at pro tunc Creaturæ nõ sunt terminus, siue non dicuntur esse terminus scientiæ Patris, quando generatur Verbum; sunt autem terminus, & concipiuntur post productionem personarum, ergo non ex eis Verbum generatur. Possunt & responsiones aliæ adaptari ex ijs, quæ afferentur ad alia argumenta.

Esse virtuale Creaturarum quid.

2 Ad secundum, primo respondemus, Verbum nasci ex cognitione comprehensiua solummodo Obiecti primarij, non secundarij: & illa sufficit; ratio, quia Verbum nascitur ex ijs, quæ tũc actu sunt in diuina Essentia, tunc vero Creaturæ non habent esse actuale cognitum. sufficit ergo comprehendere Obiectum primariũ, & ex eo nascitur Verbum, non vero nascitur ex ijs, quæ non sunt, at tunc Creaturæ nõ sunt, cum prius fiat Personæ, quam Creaturæ producantur in esse actuali intelligibili. Resp. 2. produci ex cognitione comprehensiua intensiue, non extensiue ad Creaturas; illa autem sufficit quod vero sufficiat cognitio comprehensiua Essentiæ patet, quia Pater antequam generet Filium est perfecte beatus: at beatitudo Dei non pendet tum in voluntate, tum in intellectu à creaturis: & nihilominus quando beatificatur intellectus Patris, vtiq; comprehensiue intelligit diuinam Essentiam, igitur sufficit ad comprehensionem Essentiæ in productione Verbi, vt comprehendatur Essentia intensiuè. Resp. 3. & est responsio ad hominem, quæro siquidem à Thomistis vtrum Verbũ producatur ex cognitione intuitiua, siue ex scientia visionis Creaturarum dicunt quod non: igitur arguam contra ipsos, & inferam quod in sententia ipsorum Verbum non producitur ex comprehensione, siue scientia cõprehensiua diuinæ Essentiæ, cum deficiat modus ille cognoscendi. Responderent vero eam non esse necessariam, ob inconuenientia plurima, quæ inde deducerentur; ita quoq; respondere ergo nõ esse necesse Verbum produci ex quacunq; notitia earum siue simplicis intelligentiæ, siue visionis ob inconuenientia plurima, quæ adducta supra fuere. Item ijdem asserũt etiam scientiam illam esse infinitam, perfectissimam, & comprehẽsiuam, dato quod non præcedat scientia visionis, igitur pariformiter dicam esse comprehensiuam, & infinitam etiam si neque visionis, nec simplicis intelligẽtiæ notitia præcederet. Resp. 4. quod scientia Essentiæ est etiam tũc comprehensiua Creaturarum, sed virtualiter tantummodo, & eminenter, quia vt sic continet eas ante productionem Verbi: & vt sic dicitur comprehendere Essentiam ipse Pater, & Creaturas, sub esse tamen radicali, virtuali, & eminẽtiali, non sub esse actuali intelligibili: confirmatur ex ijsdem Thomistis, qui asserunt cognitionem intuitiuam Creaturarum haberi in Essentia radicaliter, vt saluent cognosci comprehensiue Essentiam. Vltimo supponit argumentum Verbum produci per actum intelligendi, quod est negatum: quæ solutio fere communis est omnibus argumentis.

Verbũ nasci ex cognitione comprehẽsiua, declaratur.

Arguitur ad hominẽ.

3 Ad tertium negatur multiplicatio actuum, & est argumẽtum puerile, quod format Suarez: & quidem pro-

Soluitur, et retunditur argumentum Suarij.

procedit ex falsa, vel inepta metaphysica: in diuinis namq; idem est Intellectus actus, vnusque, & non plures, realiter, & identice: qui tamen obiectiue, & terminatiue poterit plurificari. erit autem plurificatio istâ extrinseca, prout ad diuersa terminatur obiecta; & quidem duo sunt obiecta diuini Intellectus, primarium, & secundarium, vt cōstat, & nihilominus plurificatis obiectis, remanet in se vnus, idemq; numero actus: nisi quod ordine quoddam fertur ad talia obiecta, vt primo ad Obiectum primarium, inde vero completo ordine personarum, ad Obiectum secundarium, ratione namq; suæ infinitatis potest id agere. Cur autem non arguere possumus contra eum, inferendo actus notitiæ simplicis intelligentiæ, & visionis esse duos, præcipue cum mediet inter eos actus diuini decreti ad extra, seu diuinæ voluntatis præcedentis scientiam visionis, & sequentis ad notitiam simplicis intelligentiæ, & nihilominus nemo Theologorum audet multiplicare hos actus; igitur neque dabitur multiplicatio ibi.

Faentini solutio non placet. 4 Fauentinus in respons. ad sextum, in 2. d. 1. q. 1. disp. 2. c. vlt. ait actū illum esse plures formaliter. Non intelligo quomodo hoc sit rerum, quomodo namq; actus quo Deus intelligit se, & actus, quo intelligit Creaturas in esse possibili sunt plures formaliter: vtique non variatur munus intelligendi penes actum, sed variantur tantummodo obiecta intellecta, ergo actus est idem formaliter. Insuper eodem modo se habet in intelligendo ex parte sua. Deniq; notitia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis videntur aliter se habere, variato ordine videndi, variato etiam modo, quia per illam videt Deus Creaturas, vt possibiles, per istam vt absolutè futuras: per istam intuitiue, & post decretum, per illam abstrahendo à decreto: at in casu nostro non adest tanta diuersitas, vt igitur distingueretur seu erunt plures formaliter. Verum saluari poterit, vt formalitas multiplicationis se teneat extrinsecè, vt sint plures formaliter extrinsecè, quia obiecta sunt plura, & termini plures, cognitio autem sumit denominationem à terminis. & vnica cognitio desumit denominationē plurificationis à plurib. terminis: at negari non poterit modum hunc esse valde improprium: nam formalis distinctio se tenet formaliter aliunde, & non penes Obiecta, quia distinctio se tenens penes obiecta appellatur distinctio terminatiua, & obiectiua.

5 Ad quartum resp. ea quæ habet Filius, habet etiam & Pater, loquendo de essentialib. sed hoc intelligitur ordinate, pro quando necesse est ea habere: Creaturarum autem cognitio spectat ad secūdum ordinem naturæ, inquit Scot. igitur Pater, & Filius cognitionem earum habebunt in secundo signo naturæ: at signum hoc secundum præsupponit primum, & in eo reperitur constitutio diuinarum personarum antecedenter ad secundum ordinem, qui est Creaturarum, qua constitutione facta personarum in primo ordine, deuenitur inde ad secūdum ordinem constituendi Creaturas in esse possibili, & ad cognitionem illarum. Scot. quol. 14. litt. Q. R. & 2. d. 1. q. 1. & alibi sæpe. *Quæ habet Pater, habet & Filius, declar.*

6 Ad quintum resp. primo concedendo antecedens: ad minorem autem dicimus cognitionem Patris de Creaturis esse perfectionem simpliciter, formaliter quidem, & realiter, ac fundamentaliter, non tamen terminatiuè; quia si nulla Creatura esset possibilis, nullaq; terminaret cognitionē diuinam, vtique etiam diuina scientia esset perfectio simpliciter; non enim scientia Dei perfectionem suam desumit ex eo, quod terminatur ad creaturas; etenim cum creaturæ non sint perfectę simpliciter, immo plurimis stipatę imperfectionib. quomodo poterit Dei cognitio ex creaturis imperfectis euadi perfecta, siue perfectio simpliciter: sumit verò perfectionem suā ex Obiecto primario, quod cum sit perfectum simpliciter, eius quoque cognitio erit formaliter, & terminatiuè perfectio simpliciter. Respond. secundo, esse Dei notitiam in ordine ad creaturas perfectionē simpliciter præsuppositiuè, & manifestatiuè, quia ex perfecta, & comprehensiua *Creaturarum cognitio in Deo an perfectio simpliciter.*

sua cognitione omnium creaturarum, tum pro tempore existentium, tum possibilium arguitur, & manifestatur scientiam talem Dei esse omninode perfectam, cum nihil eā lateat; immo perfectionē simpliciter. Resp. tertiò, quidquid sit de hoc, dicimus, quod Intellectui Patris competit & primarium, & secundarium Obiectū perfectissimè noscere, sed ordinatè quidem: primo primum in primo signo naturæ constitutionis personarum, & secundo secundum post completum ordinem personarum. Quæres, habebat nē Pater ante secundum ordinem hanc perfectionem simpliciter, qua cognosceret creaturas? si sic, ergo præsupponitur cognitio creaturarum Verbo; si non, ergo ante non habebat omnē perfectionem simpliciter. Resp. habebat quidem, sed fundamentaliter, radicaliter, & virtualiter, non tamen obiectiuè, seu terminatiuè, quia hæc eius cognitio non terminabatur tunc ad creaturas, sed post productionem Verbi: & mirum non est, quia creaturæ quantum est ex seipsis dicunt perfectionem in diuina scientia solummodo extensiuè, & extrinsecè, quia earum cognitio non est de essentia Dei, non enim Creatura est de perfectione essentiali Dei; quinimmo, vt diximus si creaturæ in nullo esse siue possibili, siue reali essent, vtique esse Dei scientia intensiuè vndequaque perfectissima, & perfectio simpliciter. Cum hoc tamen necesse competit Deo scientia earum, quia infinita, & comprehensiua est talis scientia, ob quod loquētes de Dei sciētia diximus necessitatem se tenere ex parte perfectionis ipsius scientiæ Dei, quę quia infinita est, necesse est se extendat ad omnia intelligibilia; itaq; cognitio creaturarum dicit perfectionem simpliciter, nō quidem terminatiuè ex parte creaturarū, sed ex parte scientiæ Dei, quæ est infinita; vt sic autem fertur ad creaturas ipsas ordinatè quidem post completū ordinem Trinitatis.

Obiectio, solutio.

Verbo competit reprę sentare Essentiam, & Creaturas ordinatè.

7 Ad sextum, Verbo competit quidem repręsentare, & declarare Essentiam, & creaturas, sed ordinatè reddendo singula singulis: itaut primo repræsentabit id, quod est primo repræsentabile, & inde quod est secūdo: primum autem est Essentia diuina, secundum in secundo ordine naturæ sunt creaturæ, & ita fiet repræsentatio à Verbo ipsarum Creaturarum post completum primum ordinē personarum in primo signo naturæ. Resp. secundo, declarare, & repræsentare tum Essētiam, tum Creaturas ex vi suæ productionis, sed alio, & alio modo; Essentiam quidem propriè, & Creaturas appropriatè: prima declaratio fit in primo ordine naturæ, in quo repræsentat ad intra id, ex quo procedit: secūda fit in secūdo ordine ad extra, in quo declarat ipsas Creaturas. Ratio diuersitatis, quia repręsētat in primo signo propriè id, ex quo producitur: in secundo autē repræsentat id, cuius notitia sibi appropriatur: verū quia Verbo appropriatur notitia, inde est vt ipse dicatur repręsētare Creaturas appropriatè, sed in secūdo signo naturæ. & per hoc patet ad confirmationem, quia est exemplar, & naturalis similitudo eius, de quo nascitur, & producitur: & sub hac ratione dicitur exēplar propriè, & per se: at Creaturarum dicitur exemplar appropriatè, quia ei appropriatur cognitio omnis Obiecti scibilis, dum producitur per modum Intellectus.

8 Ad septimum, omnipotentia sumitur dupliciter, fundamentaliter, & formaliter. primo modo est attributum Dei, & spectatur absolutè, sine vllo respectu ad extra: secundo modo cōcipitur idem attributum vna cum relatione rationis ad extra. Ad productionem Verbi præcognita fuit omnipotentia primo modo, non secundo: ita de cæteris attributis, per quæ operatur ad extra; etenim fundamentaliter concipiuntur ante productionem personarum sine respectu ad extra, postea verò dicunt relationem ad extra.

Omnipotētia an pręcōcepta ad productionem Verbi.

9 Ad octauum negatum est supra multiplicari actus, sed esse vnum, ratione cuius infinitas attingunt omnia obiecta, sed ordinatè, primo primarium, & inde secundarium. Ordo autem attingentiæ non stat penes actum, inquit Scot. q. 14. quol. litt. Q. sed

ſed penes obiecta, quorum alterum eſt primarium, alterum ſecũdarium. Cum inſuper ait, obſtare diuinæ ſimplicitati, atq; inde inferri diſcurſum, puerilia ſunt hæc, etenim quæro ab eo, cur non admittit diſcurſum in diuino Intellectu, qui primo nouit Eſſentiam diuinam, inde Creaturas notitia ſimplicis intelligentię, & deniq; poſt decretum ſcientia viſionis; cur hinc non multiplicantur actus, contra eũ? cur non diuinæ obſtatur ſimplicitati? & nihilominus tum ipſe, tum Theologi omnes negant inde diſcurſum, & diuinam ſaluant ſimplicitatem, quia vnicus eſt actus, etſi obiecta ſint plura: ita quoq; nos ſimplicitatem ſaluamus, & diſcurſum reſpuimus, quia vnus eſt actus, iſque ſimpliciſſimus, quo Deus ordinatè omnia intelligit, ordine non ſe tenẽte ex parte actus, ſed ex parte obiectorum, quæ talis ſunt naturæ vt Obiectum primarium ſit prius de ſui natura intelligibile, & inde ſecundariũ, vt ſubtiliſſimè explicat Scotus vbi ſup. & ſępiſſimè: qui eſt optimus modus rimãdi res iuxta ordinem, & exigentiam ſuæ naturę. Cum deniq; inquit oppoſitum eſſe magis conſentaneum Sanctis Patrib: vtique contra hoc ipſum poſſemus argumentari; etenim fieret inde vt magis verum eſſet ſcientiam viſionis antecedere decretum, quàm ſubſequi, quoniam magis manifeſtaretur ſimplicitas, & vnitas actus intelligendi: omnia, etiã futura, tàm ante decretũ, quàm poſt decretum, quia inde videtur intercludi quædam intercapedo, & ordo inter notitiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, ſiquidem intercedit me dians decretum: & tamen hæc falſa ſunt, nec deſtruunt vnitatem, & ſimplicitatem actus intelligendi, quia licet mediet decretum, tamen non interrumpitur actus intelligendi: hæc verò doctrina, quæ communis. & catholica eſt, traditur etiam à ſanctis Patribus, & ab ipſomet, ſicut & cæteris; cur ergo infert doctrinam hanc aliã, non eſſe conſimiliter Theologis conſentaneam, dũ ſimplicitatẽ conſeruat, vnitatem cõfirmat diuinæ intellectionis? ad diſcurſum autem exigitur pluralitas actuum: hic verò nõ adeſt, quare fruſtra laborat: immo ordinem deſtruit, quem ipſa natura exigit, rerum intelligendarum; prius namque poſtulat intelligi obiectum neceſſarium, quod eſt Dei Eſſentia quàm contingens, quod ſunt Creaturæ, & ſicut ordo poſtulat vt Creaturæ prius intelligantur antecedenter ad decretum notitia ſimplicis intelligentiæ, & poſt decretum ſcientia viſionis, ita ordo exigit vt prius moueat diuinum Intellectum Obiectum primarium, & inde conſtitutis perſonis intelligatur Obiectum ſecundarium.

Soluitur argumẽtũ Suarij.

10 Ad Auguſt. vtique confirmat quod diximus, quod vnicus eſt actus quo Deus ſingula intelligit, tum Eſſentiam, tum Creaturas. verum talis intellectio, & attingentia fit ordinatè, ordine, vt dixi, ſe tenente ex parte obiectorum, non ex parte actus, vt prius terminetur actus ad Obiectum primarium, inde ad ſecundarium. Vltra autem hoc, obijcio contra eũdem Suarez, ſi vnico actu attingit omnia, ergo Pater intelligit Creaturas ante productionem Verbi, etiam intelligentia, ſeu ſcientia viſionis: prob. quia vnicus eſt actus ad omnia: item ſaluatur ſic ſimplicitas diuinæ cognitionis, ergo. Inſuper Auguſtinus non magis loquitur de notitia ſimplicis intelligentiæ, quã de ſcientia viſionis, vt aduertit etiam Vaſq. 1. p. diſp. 142. cap. vlt. ergo tunc ante Verbum præcedit vtraque cognitio. Reſponderet Suarez, Verbum procedere ex ſcientia futurorum viſionis ſpecificatiuè, non reduplicatiuè, ſed ſolum ex ſcientia poſſibilium. Verum vnde deſumit hanc eſſe mentem Auguſtini? Auguſtinus non declarat, non explicat ſed loquitur indefinitè, cur ergo Suario fidem præſtabimus, vt ita ſit explicandus Auguſtinus? vtique verum eſt, & conceſſum ab omnibus non procedere Verbum ex ſcientia viſionis: ſed ſi contendit ipſe, vt talis etiam ſit mẽs Auguſtini, quod etiam nos docemus, cur non poterunt Scotiſtæ docere ad mentem Auguſtini, Verbum procedere de ſcientia tantum habituali,

Suarij argumẽtum retanditur.

N non

non autem actuali creaturarum, vt loquebatur idem Augustinus, dum aiebat Verbum nasci de omnib. quæ sunt in scientia Patris, nempe de memoria, ad quam antecedenter ad personas non spectant Creaturę, & si nūc ait, *vnico verbo omnia dicere*, cur non erit dicēdum cum Scoto, Mayrone, Bassolio, Herrera, Ferrariensi, Vasq. cæterisq; Scotistis, omnia quidem dicere, sed ordinatē, primo quidem Obiectum primarium, & inde secundarium: illud ante productionem Verbi, & hoc post productionē eiusdem, salua tamen semper simplicitate, & vnitate actus diuinæ cognitionis. Item ex quo ait, Augustinum docere, Verbum produci ex scientia visionis specificatiuè, hoc nil fauet Suario, nam procedere ex scientia visionis creaturarum specificatiuè, non est procedere ex scientia creaturarum: tunc verò ip sequeretur, si cōcederet produci reduplicatiuè: vt homo viuit, quia habet animam *specificatiuè*, hæc falsa est, vera autem est ista, viuit, quia habet animam *reduplicatiuè*, reduplicatio namque est ratio formalis, & causalis prædicati supra subiectum, vt mediante anima viuat: quod idem est, ac se tenere in sensu composito, cum tamen specificatio æquiualeat sensui diuiso. Quid ergo est, & quinam sensus elicitur dicendo, quicunque is dicat, Verbum produci ex præcognitione Creaturarum, in scientia visionis specificatiuè? vtique nil est: imo oppositum denotat, vt idem sit, ac non præcedere talem Creaturarū visionem ad Verbum; vel si præcedat, non tamen ex cognitione earum procedat: procederet verò, si visio pręcederet reduplicatiuè: quoniam visionis reduplicatio caderet super productionem, sicque verè procederet de Creaturarum scientia visionis.

Scientia visionis ad intra, ad extra.

11 Vel insuper, dato specificationem cadere super productionem, nihilominus sensus allatus remanet verus: vt si dicat procedere de scientia visionis, siue specificatiuè, siue reduplicatiuè, tamen visionis scientia admodum ampla est, vt ad plura protendi possit; tum ad intra, tum ad extra: de ad intra conceditur ad sensum iam explicatum: de ad extra verò, amplius subdistinguenda erit, vel quidem, vt visio terminetur ad Creaturas sub esse eminētiali, & virtuali; vel subesse possibili, & cognito: primo modo iam concessimus; nec id derogat vel Scoto, vel probalitati sententiæ, vt est demōstratum, siquidem verè Essentia ante productionē Verbi eminenter, & virtualiter continebat Creaturas, vt ex 2.d.1.q.1.deduximus; Ratio differentiæ iam allata, quia per esse eminentiale, & virtuale nullum esse datur Creaturis, sed solummodo ipsamet concipitur Essentia, prout sic continens Creaturas, & prout sic potens inde producere eas: Potentia autem ista non concipitur tunc formaliter, sed fundamentaliter: non in actu exercito, sed signato: actus quidem habetur omnipotentiæ exercitus, quando Creaturæ producuntur, siue in esse possibili, siue in esse actuali, & reali: sed actus signatus habetur, cùm ipsamet Essentia concipitur, prout de se infinita, & illimitata. & consequenter, prout continens singula eminenter, & virtualiter: prima continentia obstat ex Scoto productioni Verbi, ac diceretur inde produci Verbi ex cognitione Creaturarum, omnipotentia sic formaliter spectata: secunda verò nil obstat, nec inde sequitur ex Creaturarum cognitione produci Verbum.

12 Dices, Creaturæ vt eminenter, & virtualiter contentæ ante productionem Verbi, habebāt esse ideatum, ergo producitur ex idea Creaturarum, ergo ex Creaturarū cognitione. probatur antecedens, illud esse virtuale passiuè sumptum ex parte Creaturę contentæ, erat esse huius, & illius, & alterius creaturæ, atque singulariter vniuscusque creaturæ, ergo habebat esse ideatū prout istius erat, vel alterius creaturæ. Confirmatur, illud esse omnium creaturarum non erat aliquod esse, veluti cahos confusum, sed distinctum, itaut aliud fuerit esse virtuale hominis, aliud Angeli, aliud alterius, & alterius creaturæ, & sic de singulis. Insuper Essentia Creaturas *Obiectio.*

turas tunc continebat tales, quales futuræ erant postmodum extra causas suas: at creaturæ singulæ extra proprias causas habent esse distinctum, habentque formas distinctas, cum esse ideato distincto, ergo & tunc habebant ideas distinctas. Dā oppositum, & sequitur, quod idea hominis tunc fuisset idea Angeli, leonis, Equi, Agni, & similium. Rursus continebat tunc Essentia virtualiter, ergo continebat in virtute sua alio modo, seu alia ideatione hominem, alia Angelum, alias per eandem ideationem repræsentasset hominem Angelum, & Equum: Ex his autem arguitur, habebant creaturæ in tali esse eminentialiter, & virtualiter cōtērō, ideas suas, propriasque, siue speciales rationes sic virtual rer essendi: at Verbum ex concessis producitur ex esse eminentiali, & virtuali creaturarū, ergo producitur ex ideis creaturarum, stabitque intentum, quod producatur ex cognitione creaturarum: probatur consequens, ideatum namque, & sua idea sunt eiusdem rationis in substātia, licet differant aliunde; etenim tū in esse extra causas suas, tum in sua idea, semper creatura est creatura, nec enim esse ideam, siue ideatum, & intra causas contentum, distrahit ab esse creaturæ.

Solutio.

13 Discursus tamen hic inutilis est: Et quidem fundatur super infirmo fundamento: quod namque dicitur de idea esse virtualis, id nihil est, ratio fuit anterius allata; quoniam esse virtuale passiuè sumptum, siue ex parte potentiis habere esse, nihil prorsus est ex parte sui: est vero aliquid ex parte continentis, quia continens est ens reale: vt esse virtuale nunc rosæ, nil est ex parte sui, licet ex parte eius, in cuius virtute continetur, aliquid sit, id autem sunt radices ipsius rosæ, in qua dicitur habere radicaliter ipsa rosa: quod si ex parte contenti nihil est, non est cur assignanda sit de eo idea: atque hinc cessant instantiæ omnes allatæ: nec namque sequitur confusio vlla, nec Chaos; confusio namque supponit extrema affecta confusione, at in esse virtuali nihil est. Nec sequitur vt non magis repræsentetur vnum, quam aliud; non magis homo, quam Angelus, vel leo: hoc namque accidit vbi sunt verè aliquid talia extrema, siuè in esse reali actuali, siue saltem possibili: at esse virtuale est omnino diuersum ab esse possibili. Et vltra differentias cæteras, ea occurrit, quod esse virtuale se tenet totaliter ex parte causæ cōtinentis virtualiter: esse autem possibile se tenet etiam ex parte contenti: possibilitas namque relatè dicitur tum actiuè, tum passiuè: illud ex parte causæ habentis potentiam ad educendum effectum extra virtutem suam, seu extra causas suas: & istud ex parte contēti, vt educatur de potentia ad actum. Item esse virtuale prius est; esse possibile, posterius: illud antecedit Verbum, hoc succedit ad Verbum.

Differētia inter esse virtuale, & possibile

14 Et hinc merito Scotus aiebat, esse possibile creaturarum non haberi, nisi post productionem personarū eo magis, quo esse possibile ipse fundat super esse cognito earundem. At Deus creaturas intelligere incipit completo iam ordine productionum ad intra: vnde fit, vt ante ordinem talem, creaturæ nec quidem esse habuerint possibile; si namque possibilitatis fundamentū causale est cognitio Dei per quam creaturæ habere incipiunt esse possibile sequitur, vt ante esse cognitum, minime habuerint esse possibile: quod si à primo ad vltimum, esse cognitum, & esse possibile habēt post productionem personarum, iure sequitur, Verbum non produci ex vllo esse earum.

15 Error fortasse continget in confundendo esse virtuale cum esse ideali, & possibili, existimando forè idem esse virtuale cum esse possibili, & ideali, at non est ita; sat enim distinguuntur, ex dictis: quod aperte insinuat Scotus loco citato secundi: præsensit namque difficultatem prætactā, & iam solutam, inferendo, quod si nō præcedit esse possibile, præcedit saltem esse virtuale, at responsio stat, quoniam nihil ponit ex parte creaturæ tale esse virtuale.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Verbum producatur ex cognitione, & Spiritus sancti ex amore diuinarum personarum.

Thomistarũ, & Scotorum sententia.

1 QVæstio agitatur nedum cũ Thomistis, sed inuicem inter se cũ Scotistis; etenim affirmantibus, vt plurimum illis, diuisi sunt isti. Et quidem antiquiores Scotistæ vnanimes ferè senserunt non produci ex cognitione personarum: quibus etiam adhærent quam plures moderniores, vt Rada 1.p.controu.11. conclus.4. Fauentin.in 2.d.1.q.2.&c. cum tamen ex opposito affirmatiuam tueatur sentẽtiam Herrhera in 1. disp.15. q.3. & Vulpes t.3. de Trin. disp. 66. art.6. licet ambo differant aliqualiter in fundamentis, vt dicam.

Vasquez.

2 Ex Thomistis vero Vasq. 1.p. disp.142. c.3. aliqualiter differt à cæteris; dum namq; absolutè alij ex cognitione omnium personarum docẽt produci Verbum, ipse tamen in eo diffidet, vt inficietur Verbum produci ex cognitione Spiritus sancti, tanquã posterioris Verbo.

Affirmatiuæ sententiæ argumenta ex Scoti locis.

3 Quidquid autem sit, afferamus rationes hinc inde pro Scotistarum sententijs enucleandis. Et quidem Verbum produci ex cognitione personarum sic huius sententiæ authores probare nituntur in via Scoti aduersos oppositos Scotistas. Et primo. Scotus in 1.d.6.q.1. docet, Patrem velle generationem Verbi: & velle quidem non solum voluntate subsequenti, & concomitanti ad productionem, sed antecedenti ad eam: Hoc supposito ex Scoto, arguitur in via eius, *Nihil volitum, quin præcognitum*: at Pater, per Scotum, prę uoluit generationem Verbi, ergo præcognouit eam antequam fieret; igitur Verbi generationem præiuit cognitio eiusdẽ Verbi; igitur à primo ad vltimum, Verbum producitur ex cognitione eiusdem Verbi: & ita primo loco probatum remanet Verbum produci de cognitione sui ipsius. Secundo vero probatur produci ex præcognitione Spiritus sancti sic, Scotus in 1. d.10. q.1. litt.X. in calce, loquendo de Spiritu sancto sic ait, *In illo priori signo originis, antequam intelligatur Spiritus sanctus spirari, Pater, & Filius cognoscunt Spiritum sanctum, vt intuitiue, licet non vt existentem in se.* hinc arguitur, Spiritus sanctus præcognoscitur antequam spiretur, ergo spiratur ex præcognitione sui. Hinc vero infertur consimiliter de Verbo, vt producatur ex præantecedenti cognitione sui, & Spiritus sancti: probatur Pater iam præcognouit Spiritũ sanctum antequam spirauerit: præcognouit etiam Verbum antequam genuerit; igitur si præcognitio Verbi, & Spiritus sancti antecedit ad productionẽ Verbi, vtique Verbum producitur ex cognitione sui, & Spiritus sancti. Insuper idem Scotus in 1. d.32. q.1. sub litt.G. ait, *licet, nempè Spiritus sanctus, ex vi productionis suæ primo sit amor Essentiæ, tamen cõcomitanter potest dici amor Filij, quia illæ personæ sunt in natura primo amatæ ex necessitate illius naturæ*: nempè diuinæ. hinc arguitur, Spiritus sanctus procedit ex amore personarum, saltem concomi-

tan-

tanter, vt ex amore nedum Filij, verũ & Patris, etenim licet specificet solũ Filium, nihilominus, dum subdit, dicendo, *illæ personæ sunt in natura primo amatæ*, clare indicat etiam & Patrem, qui cum Filio sunt primo, seu priores origine ipso Spiritu sancto; igitur si Spiritus sanctus spiratur ex amore personarum, etiam Verbum generabitur ex cognitione earum, saltem concomitanter.

Ex rationibus, 4 Eadẽ sententia confirmari potest rationib. si Verbum non producitur ex cognitione sui, ergo nec Spiritus sanctus spiratur ex amore sui, hoc est falsum, ergo & illud. Item Pater eodem modo cognoscit alias personas, quo cognoscit seipsum: at seipsum cognoscit intuitiue ante productiones, ergo ante eas nouit intuitiue easdem personas producendas: igitur in productione Verbi iam antecedẽter præcognouit se, ac cæteras personas, ergo producitur Verbum ex cognitione omnium personarum. Insuper eodem prorsus actu intellectus cognouit Pater seipsum, Verbum, & Spiritum sanctum: ergo ad productionem Verbi antecessit cognitio omnis personæ: antecedens patet, alias plurificarentur actus diuinæ intelligentiæ: & cõsequens probatur, Pater nouit se ante productionem Filij; sed eodem actu cognouit cæteras personas, Verbum, & Spiritum sanctum; ergo producitur ex cognitione Patris, Verbi, & Spiritus sancti. Deniq; nascitur Verbum ex cognitione comprehensiua diuinæ Essentiæ: at non esset comprehensiua cognitio, nisi simul cognoscerentur & personæ. Adde, si nõ produceretur ex cognitione eiusdẽ Verbi, & Spiritus sancti, inde esset, quia vterque non præcognosceretur intuitiue à Patre: at id ostẽsum est esse falsum in via Scoti, qui in 1. d. 10. asseruit Spiritum sanctum cognosci intuitiue à Patre, & Filio antequam spiretur; igitur cõsimiliter intuitiue cognoscitur Verbum ab eodem Patre antequam generetur, vnde stante tali intuitiua, ac perfectissima vtriusq; præcognitione potuit produci ex cognitione sui, & Spiritus sancti. De Patre magis patet, quia iam Pater tanquam prior origine præcognoscitur à semetipso ante productionem Verbi, ergo producit Verbum ex præcognitione suimetipsius. Ex principijs etiam Thomistarum arguitur, nõ potest cognosci, & videri Essentia sine personis: Pater antecedenter ad productiones videt Essentiam, ergo simul videt personas; igitur producit Verbum ex præcognitione Essentiæ, & omnis personæ;

5 Ex opposito vero pro Scotistis contrarium opinantibus in via Scoti adest expressus locus Scoti in 2. d. 1. q. 1. cæterisq; passim locis præcedenti quæst. recẽsitis: vbi aduersus D. Th. probando Verbum non produci ex cognitione creaturarum, sed solummodo ex cognitione diuinæ Essentiæ, sic arguit: *Non tantum Pater nouit creaturas formaliter; sed etiã nouit Filium formaliter; igitur si de omnibus, vt notis Patri, gignitur Verbum, vtique gignitur Verbum de Verbo, & ita erit Verbum de Verbo*. habet ergo Scotus pro inconuenienti quod Verbum gignatur de Verbo. Aduerte autem, quod non obstante quod Scotus cõcedat Patrem cognoscere siue præcognoscere Verbum ante sui generationem, nihilominus non vult vt Verbũ generetur ex præcognitione Verbi. Doctrina hæc argumẽti istius Scoti extenditur ad alias personas, vt cõcludatur nec produci ex cognitione Patris, & Spiritus sancti, arguẽdo sic, Pater non solum nouit creaturas, sed nouit etiã Filium formaliter, & sicut nouit filium, ita nouit seipsum, & Spiritum sanctum; igitur sequeretur Verbum produci ex præcognitione Patris, Filij, & Spiritus sancti: at Scotus pro inconuenienti habet vt Verbum, & si præcognitum, producatur ex præcognitione Verbi, ergo parimodo habebit pro inconuenienti vt producatur ex præcognitione Patris, & Spiritus sancti. Item in eod. loco, siue locis ijsdem docet Scotus Verbum produci ex cognitione solius obiecti primarij: pro obiecto autem primario intelligit solam Essentiam, ergo nõ ex cognitione personarum: antecedens penes ipsum est notum, dum negat produci ex cognitione creaturarum, *Negatiua argumenta ex Scoti locis.*

quæ

quæ faciunt obiectum secundarium: & minor patet ab eodem in citato loco secūdi sub litt. D. vbi apertè docet solam diuinam Essentiam esse obiectum primarium, & de ipsa producatur Verbum.& est textus valde clarus,& subterfugi non potest.

Rationibus probatur idem. 6 Accedunt ad hæc rationes aliquæ id ipsum probantes: Et quidem si Verbum ex cognitione Verbi,ergo Verbum erit distinctum realiter à seipso; patet sequ.quia id quod producitur de aliquo distinguitur realiter ab eo. Item Verbum esset imago sui ipsius, prob.Verbum est imago eius, à quo,siue de quo producitur: est autem Verbum imago Patris, ab ipso namq;produeitur,& ipsum exprimit, ergo non est imago sui,& consequenter nec Verbum sui. Insuper sequitur Verbum præsupponi suæ productioni,id vero implicat,quia iam esset antequam esset: sequela prob.etenim Verbum produceretur ex cognitione eiusdem intuitiua; at hæc est de obiecto præsenti in sua existentia, ergo existeret antequam produceretur. assumptum prob.siquidem præcognitio Patris de Verbo aut est intuitiua, aut abstractiua: non secundum,quia hæc est admodum imperfecta, Pater autē nouit omnia perfectè; ergo primum, igitur si intuitiua est, erit de Verbo iā existenti, atq; Verbum existeret ante sui productionem. Similiter arguitur non produci ex præcognitione Spiritus sancti,quia eius præcognitio nō esset abstractiua,vtpotè imperfecta, sed intuitiua, ergo Spiritus sanctus præexisteret ante productionē Verbi, cum talis cognitio intuitiua sit de obiecto existenti. Præterea Spiritus sanctus producitur post Verbū, quomodo ergo esse poterit principium cognitionis obiectiuè,de quo producatur Verbum: probatur discursus, ordo, & natura id postulat, vt posterius producatur per prius, non prius per posterius:Spiritus sanctus est posterior ad Verbum, igitur Spiritus sanctus erit de Verbo, siue à Verbo, siue ex amore Verbi,non Verbum ex præcognitione Spiritus sancti,tanquā de posteriori. Rursus sequitur Verbum, & Spiritum sanctum prius habere esse possibile, & potentiale, quā esse actuale:& prius habere esse idearum,quam reale: prius esse cognitū, quam à parte rei: priusq; esse secundum quid, quam esse simpliciter: ac prius esse diminutum, imperfectumq; quam esse completum: hæc omnia sequuntur si producentur ex præcognitione sui, etenim prius haberet esse cognitum,quam esse reale.

7 Caetan.1.p.q.34.art.3.Scotum trahit in sententiam affirmatiuam, adducitq; duplicem eius locum.alter est in 1.d.32.q.1. ad vlt. vbi ait Scotus, inquit Caetanus,Verbum procedere ex cognitione solius Essentiæ, ex cognitione autem personarum concomitanter. Alter est in eod. 1.d.6.q.1. cum docet Patrem velle etiam volūtate antecedenti generationem Verbi;quod si voluit, igitur præcognouit antecedenter,& ita de eiusdem Verbi præcognitione ipsum genuit. *Caetani sēsus de Scoto.*

8 Verum Caetanus falsò citat Scotum in primo loco:non enim Scotus loquitur de Verbo,sed de Spiritu sancto: de quo ait,procedere ex amore solius Essentiæ, non creaturarum, ex amore autem Filij procedere cōcomitanter. vtrum vero sit eadem ratio vtriusq; & verum idem possit inferri de eodem Verbo quod de cognitione procedat Essentiæ primario, & personarum concomitanter, dicetur paulo infra. De secundo autem loco adducto eiusdem Scoti,iudicium erit infra. *Non benè citat Scotū*

9 Suar.tr.9.de Trin.cap.4.Vasq. disp.142.Molina,cæteriq; ad eundem locum 1.p.q 34. Scotum trahunt in partem negatiuam; ratio penes eos est,quia Scotus,inquiunt, docet Verbum produci ex cognitione obiecti primarij: at obiectum primarium penes Scotum est sola Essentia,personæ vero penes eundem spectant ad obiectum secundarium, ergo in via Scoti non procedit ex cognitionē personarum: ita habet Scot. in 2.d.1.q.1. litt.D.apertissimè. in primo autem d. 1.q.2.litt.D.docet personas non pertinere essentialiter ad visionem beatificam, quia de potētia absoluta Dei poterit terminari visio beatifica ad Essentiam,non terminando ad personas: *Suarij,Vasquij,et Molinæ sensus de Scoto.*

nas: vnde concludit obiectum primarium beatæ visionis esse Essentiam diuinam: quapropter dum personæ non spectant ad obiectum primarium ex eius sententia, sequitur vt non producatur ex cognitione earum.

Propria sententia. 10 Quid mihi sentiendum sit in via Scoti aperiam: Et primo dico, Scotum nunquam docuisse Verbum produci ex cognitione personarum. negatiua hæc si confutanda venit, vtique confutari debet per affirmatiuã, at nullus extat locus penes Scotum id concedens: si hoc negaueris, adhuc textum si potes: nullum vero Scoti locum adduces, in quo id doceat; ergo stabimus in negatiua, quod Scotus nusquam docuit produci ex cognitione personarum.

Probatur. 11 Secundo dicimus Scotum apertissimè negare Verbum produci ex cognitione earum. Probo ex citato loco secundi d. 1. q. 1. sub litt. F. vbi arguens contra D. Tho. sic ait, *Item non tantum Pater nouit creaturam formaliter sed etiã nouit Filium formaliter; igitur si de omnib vt notis Patri, gignitur Verbum, gignitur Verbum de Verbo, & ita Verbum de Verbo.* locus iste est adeo apertus, vt negari non possit. & ad hunc sensum interpretantur eum omnes expositores Scoti. Probo etiam, docet idem Scotus ibidem sub litt. D *personas non spectare ad obiectum primarium, sed ad secundarium; per secundarium* vero non intelligit creaturas eo in loco, Scotus namq; vbiq; apertè docet personas pertinere ad primum ordinem, creaturas ad secundum, & ob id esse obiecta secũdaria diuini Intellectus: sed eatenus personas secundarium vocat obiectum, quatenus prior est Essẽtia, seu prius cõcipitur Essẽtia ipsis personis, vt amplius dicemus: Cum igitur docet Verbum produci de Essentia, quam solummodo vocat obiectũ primarium, concluditur negare vt Verbum procedat ex cognitione personarum tanquam de obiecto secundario.

Obiectum secundariũ ad intra, et ad extra ex Scoto. 12 Vt vero innotescat quomodo Scotus appellet personas obiectum secundarium, aduertendum est, obiectum secundarium esse duplex in via eiusdem Scoti; alterum quod est in Deo *ex natura rei*: estque identificatum realiter cum ipso Deo: siue emanans ab Essentia diuina, siue per opus memoriæ, & voluntatis fœcundæ productum ad intra in ipso Deo: & alterum, quod non est ipse Deus, sed distinctum essentialiter à Deo, & productum ad extra ab ipso Deo, siue in esse cognito ab æterno, & in esse ideali, siue in esse reali in tempore: loquẽdo de primo, omnia ea, quæ non sunt de intrinseca ratione formali diuinæ Essentiæ, sed pullulant ab ea, omnia ea vocat Scotus obiecta secundaria ad intra: & ita attributa, modos intrinsecos, ipsasq; diuinas personalitates vocat obiecta secundaria, quia emanãt, & pullulãt ex Essentia diuina; & propterea solam diuinam Essentiam appellat ad intra obiectum primariũ, quia ipsa sola est ibi tanquam omnino prima, veluti radix primaria, primumq; fundamentum omnium eorum, quæ sunt ad intra: Et quia Essentia respectu perfectionum, & personalitatum habet rationem primarij fundamenti, & primariæ radicis, à qua alia ad intra, ideo illam vocat obiectũ primarium, hæc secũdarium. cæterum comparando Personas, & attributa ad Creaturas, vtique idem Scotus ibi, & sæpissimè docet Personas, & omnia, quæ sunt ad intra spectare ad obiectũ primarium, cætera vero, quæ sunt ad extra spectare ad obiectum secundarium: ac propterea illa prima pertinere ad primum instans, seu ordinem naturæ, vt loquitur, ista vero ad secũdum ordinem naturę: quapropter totum pendet ex comparatione, quatenus namque perfectiones, & personæ cõparantur ad puram Essentiam, hæc tanquã radix erit obiectum primariũ, illa secundarium; quatenus comparãtur ad Creaturas, hæ erunt obiectum secũdarium, & personæ cum attributis primarium.

13 Aduertenda est insuper Scoti ingeniositas, & sobrietas; siquidem expressius loquendo de hoc in 1. d. 2. q. 2. sub litt. C. non appellat diuinam Essentiam absolutè Obiectum primarium in ordine ad Personas: nec Personas nominat absolutè obiectum secun-

cundarium; sed Essentiã appellat Obiectum quasi primarium,& Personas Obiectum quasi secundariũ;ait enim, *Essẽtia habet quasi rationem primi Obiecti*: paulò post,*Personæ habent rationem Obiecti quasi secundarij*. vide quã oculatus sit Scotus; sciebat namque Obiectum secundariũ esse propriè,& in rigore creaturas,prout cõmuniter docet Theologi; quia tamẽ Personæ non habent rationem omnino primariam,cum Essentia sit radix primaria,& ab Essentia pullulent Personæ, ideo tribuendum docuit Personæ rationem obiecti secundarij: ne autem putaretur voluisse personas includere in Obiecto secundario Creaturarum .merito Personas appellauit non absolutè Obiectum secundarium, sed quasi secundarium: sicut nec Essentiã absolutè primarium, sed quasi primarium. locus iste est apprime necessarius Scotistis,vel vt Scotum à calumnia vindicent, vel vt nouerint de quo Obiecto primario producatur Verbum,vtrum de primario in ordine ad intra,vt est Essentia sola,an de primario in comparatione ad extra, vt est tota Trinitas.Ex dictis remanet probata ex Scoto assertio,vt dum procedit solummodo Verbum de Obiecto primario, Personæ autem, vt sic, sint modo exposito, Obiectum secundarium , sequitur vt non producatur ex cognitione earum.

14 Ex his deduci potest, qualis debeat esse intentio tum Suarij, tum Vasquij, Molinæ, aliorumq; referentium Scotũ appellasse Personas Obiectum secundarium; etenim ea est eius aperta mens,qualem vidimus:& ad hunc eũdem modum putamus eos intellexisse Scotum; quod si oppositũ accidat, impostura erit, vel ignorantia intelligentiæ Scoti mentis.

Attributa appellata Obiectum secundariũ à Vasquez

15 Eodem quoque modo ipsemet Vasquez loco cit.c.3.num.10.& disp. sequ.c.4.in fin. vocat attributa Obiectum secundarium : quod vtique de personis consimiliter est dicendum; nam si attributa proximiora concipiuntur Essentiæ,quàm Personæ,si ea appellat secundaria obiecta, multo magis appellare debet ista.

16 Tertio dico,Scotum docere, Spiritum sanctum spirari ex amore Patris , & Filij concomitanter. ita apertè in 1. d.32. q.1. ad vlt. Quartò dicimus nusquam docuisse Spiritum sanctum spirari ex amore sui. Quinto infero, neque docuisse Verbum produci ex cognitione sui; esset namque ratio eadem. Sexto, sicut Scotus docuit Spiritum sanctũ spirari ex amore Patris,& Filij concomitanter,ita docere potuit, potestq; inferri ex hac doctrina Verbum quoque produci ex notitia Patris, est enim par ratio. quod si quæras quare non procedat Verbum ex notitia etiam Spiritus S. fortè responderet Scotus,quia Spiritus sanctus est post Verbum: non est autem mirũ vt Spiritus sanctus procedat de amore Patris, & Verbi, quia ipsi sũt priores Spiritu sancto.& propterea neq; Verbum procedat de cognitione sui ipsius, cum ipsum non sit prius seipso: vnde est vt neque Spiritus sanctus procedat de amore sui ipsius,cum ipse non sit prior seipso: vnde est, vt in argumentatione citata contra D.Tho.dixerit, si Verbum nõ procedit ex sola cognitione Essentię, sequitur vt Verbum producatur ex cognitione Verbi: quam sequelam negat ipse Scotus ; quapropter sicut negat Verbum produci ex cognitione Verbi,ita negaret Spiritum sanctũ spirari ex cognitione Spiritus sancti.

Scoti sẽsus de spiratione,& productione Verbi.

17 Quarto dico, quia secundùm ordines originis Personę sunt inter se ordinatæ per prius, & posterius, & pullulant ab Essentia diuina,atque secundùm nostrum modum concipiendi,prius continentur radicaliter, fundamentaliter, & virtualiter in Essentia,& inde emanãt in suo esse actuali, ideo dici potest etiam in via Scoti Verbum,& Spiritum sanctum produci ex cognitione,& amore omnium Personarum, reddendo singula singulis:hæc tamen cognitio, & hic amor erit solummodo virtualis,non actualis de Verbo in ordine ad cognitionẽ Spiritus sancti,& sui ipsius, erit autẽ actualis in ordine ad cognitionem Patris,itaut procedat de Patre actualiter cognito:spiratio autẽ Spiritus S. erit de amore actuali Patris, & Filij, & de amore virtuali eiusd.Spiritus S.

An ex amore personarũ, & cognitione.

18 De-

Declaratur assertio. 18 Declaro singula: iam ante constitutionem Personarum ipsæ Personæ continentur virtualiter in Essentia, & radicaliter, atque fundamentaliter iuxta nostrum ordinem concipiendi; igitur sequitur, vt dum Pater generat Filium cognouerit tum Essentiam, tum verò virtualem communicabilitatem ipsius Essentiæ, seù virtualem continentiam omnium Personarum; ergo dum Pater generat Verbum, generat ipsum ex cognitione virtuali tum ipsius Verbi, tum etiam Spiritus sancti, cognitio quidē Verbi tum est virtualis, siue Verbum tunc intelligitur sub esse virtuali itē Spiritus sanctus intelligitur pro tunc sub esse virtuali, antequam ambo intelligantur esse producti, ergo producitur Verbum tum ex sui, tum ex Spiritus sancti cognitione virtuali. De Patre autem non sic; sed producitur de Patris cognitione actuali, ratio, quoniam Pater iam habet esse actuale, & dum actualiter est in eo instanti, in quo generat Filiū, sequitur vt producat eum de saimetipsius cognitione actuali. De Spiritu autem sancto, productio eius erit quidem de amore actuali Patris. & Filij, de amore verò virtuali eiusdem Spiritus S. ratio primi, quia Pater, & Filius præsupponuntur habere esse actuale dū spirant, ergo spirant de amore eorum actuali: ratio secundi, quoniam Spiritus sanctus antequam intelligatur actualiter spiratus, intelligitur solummodo virtualiter. Doctrinam hanc non poterunt inficiari Scotistæ: meminerint namque Scotum citato loco secundi sub litt. G. docere ante productionem Personarum relucere in Essentia diuina creaturas quidem, sed non relucere actualiter, sed virtualiter: inde est, vt Scotistæ ordinem sequentes in metaphysicando Scoti, cogantur etiam asserere Personas relucere in eadem Essentia, tanquam in radice, fundamento, & virtute, ipsas inquam, Personas virtualiter. hoc totum manifestè fit ex duplici recēsito loco Scoti; siquidem in 1.d.6.q.1. ait Patrem voluisse generationem Filij etiam voluntate antecedenti: quod si voluit, ergo præintellexit, quia nil volitum quin præcognitum: & in 1. d. 10. q. 1. in fin. aiebat Patrē, Filiumq; cognouisse Spiritum sanctū ante eius spirationem: quod si Verbū præcognouit, ergo produxit Verbum de cognitione Verbi: tūc verò Verbum intelligebatur sub esse virtuali, ergo produxit de eius cognitione virtuali ex mente Scoti.

19 Hæc quidem de mente, inquam, Scoti: cæterum tum ex Scotistis Herrhera vbi sup. tum vniuersim Thomistæ asserunt esse illud de cuius cognitione producatur Verbum, esse actuale nedum Essētiæ, verum & Personarū: dempto Vasquio, dum negat produci ex cognitione Spiritus sancti, veluti posterioris: quo casu etiam diceret cū Scotistis produci de eiusdem Spiritus sancti notitia saltim radicali, & virtuali in Essentia. Ratio verò de cognitione omnium sub esse actuali indicatur, quia vnica est diuini Intellectus operatio: eaq; sit in vnico instanti æternitatis: quo euenit vt simul hæc omnia ibi insint, & cū nulla reperiatur ibi successiuitas, sed omnimoda simplex, & perfecta vnitas, atq; simultas, ex his quidem omnibus dicatur Pater Verbum producere ex cognitione tum Essentiæ, tum perfectionum attributalium, tum Personarum. *Aliorum sententia.*

20 Ex dictis reconciliari possūt dicta Scoti: & quidem dum in 1.d.6. aiebat, Patrem velle generationem, & consequenter præintellexisse eam; Cum etiam in 1.d.10 docebat Patrē, & Filium præcognouisse Spiritum sanctum ante spirationē, inde deducitur Verbum produci ex notitia sui esse virtualis, pro tunc, antequam intelligatur productum, quia ante productionem vnaquæque res non dicitur habere esse actuale, sed virtuale: & si in diuinis, vt fide docet. Verbū semper fuit, quia ab æterno, non quidem suum esse virtuale præcessit Verbum quoad rē à parte rei, esset enim hæresis, sed origine actiua Patris, & secundum nostrum modum intelligendi iuxta principia fidei. producitur igitur ex cognitione sui secundū esse virtuale, & radicale in Essentia. *Scoti loca cōtradictoria cōciliātur.*

21 Quod si Scotum obijcis in-

O se-

secundo negātem produci ex cognitione sui pro parte opposita, facile ex dictis reconciliatur, vt loquatur ibi de esse actuali ipsius Verbi, vt negauerit produci sic: & demonstratur, quia aiebat D. Tho. Creaturas relucere actu in memoria Patris, ideoq; produci Verbū ex cognitione Creaturarum actuali: quod si hoc docet de creaturis, multo magis docebit de Verbo ratione vnius, eiusdēq; actus simul omnia cognoscendi, vt est dictum: Scotus autem confutat hoc relucere actu, & ait tunc relucere solū virtute, & virtualiter: addunt autem inde Scotistæ omnes non implicare produci Verbū ex cognitione Creaturarum tūc relucentium solummodo virtute: hinc infertur ad eius mētem consequenter, magis talem relucentiam virtualem cōpetere Verbo antequam intelligatur productū: & sicut producitur ex cognitione Creaturarum virtuali, ita producatur ex cognitione eiusdē Verbi virtuali. *Idem.*

22 Sic consimiliter dicendum de Spiritu sancto ex d. 10. dum namq; præcognoscunt ante spirationem, ergo spirant ipsum ex eiusdem amore: amore quidem virtuali, etenim pro tunc ante spirationem continetur sic radicaliter, virtualiter amor ille spiratus, & productus, licet amor improductus, seu essentialis sit ibi actualis, terminabilis vero pro tūc virtualiter ad Spiritum sanctum antequam intelligatur spiratus, sed actualiter ad eum terminatus dum est actualiter spiratus. Adsunt & responsiones aliæ ad eum locum Scoti: alij namque negant eam esse mentem Scoti, vt dixerit cognosci intuitiuè ante spirationem; ob id, quoniā vtitur modo dubitatiuo in loquēdo, ait namq; *Potest dici*: qui modus est vsitatus penes Scotum; ex qua loquutione deducunt Scotistæ non loqui ex proprio Marte dum sic loquitur, vt sunt Bassol. Tatar. Viger. dum ex opposito in prima, quam dat, responsione, absolutè ait, *dicendum est*, vbi negat pro tunc cognosci. quidquid tamen sit, & si secundam responsionem de cognitione intuitiua admittamus, quæ quidem Lycheto, & Poulo scriptori admodum arridet, dicendum nihilominus consequenter, vt est assertum, produci ex amore sui esse pro tunc virtualis, vt amplius dicetur in mat. de Spiritu sancto. linquo responsionem alteram, quod maior illa, nihil volitum, quin sit præcognitum, vera sit de obiecto, non de actu: & ita necesse quidē est vt intelligam Obiectum amoris, antequam amem illud, non autem est necesse vt intelligam actū eiusdem amoris pro tunc. & ita necessum est esse præcognitum ipsum Obiectum amatum, seu amabile antequam ametur, non autem actus, & dilectio, & ita Scotus ibid. d. 10. sub litt. Q exponit Augustinum: vnde infert sufficere pro tunc cognosci Essentiam diuinam à Patre, & Filio, non autem oportere in eo instanti originis Spiritum sanctum cognosci à Patre, & Filio, licet in instanti æternitatis tota Trinitas sit nota cuilibet personæ. *Idem.*

23 Quod additur de Obiecto primario, quatenus docet produci Verbum ex Obiecto primario, ad quod nō videntur pertinere Personæ; iam explicatum est qualis sit intētio Scoti: & ex ea deducitur etiam Personas spectare ad Obiectum primarium, vnde possunt etiam ingredi ex earū cognitione in productionem secundæ Personæ, & ex amore tertiæ Personæ in spirationem eiusdem Personæ, vt est dictum.

24 Quod adducunt, quod Verbū distingueretur realiter à seipso, negatur, sed distinguitur sola ratione; distingueretur namq; realiter sic si produceretur à seipso vt principio *quod*, & adæquato, ac totali, qualis est Pater: at cognitio sui erit ratio formalis *qua*, in casu obliquo, non *quæ*, neque *quod*, in casu recto, id namque denotat distinctionem realem. Eadē responsione occurritur ad id de imagine, non enim est principium totale, & *quod*, hoc vero realiter distinguitur ab imagato, cuiusmodi est Pater realiter distinctus à Filio, qui est eius imago: cognitio igitur sui cōcurrit vt *quo*. Respondetur etiam Verbum non produci per actum intelligendi, & cognoscendi, *Obiectiones diluuntur.*

sed

sed dicendi, igitur cognitio Verbi nec distinguitur realiter, nec habet rationem imaginis erga Verbum. Responsiones istæ militant in via Scoti. Addit Vulpes ideo non esse imaginem, quia non est Verbum, sed Essentia diuina, ea quę mouet Intellectum paternum. licet autē hoc de motione curratin via Scoti, nihilominus negari non poterit, etiam Verbum sub ratione intellecti, & præconcepti concurrere ad productionē sui: alias hoc negato sequeretur non produci Verbum de cognitione Verbi, quod ipse negat: si namque paries non concurrit ad cognitionem sui, quomodo cognitio parietis poterit esse parietis? quamuis igitur Essentia moueat, seu quasi moueat, nihilominus in tali notione includit Verbum præcognitū, ad hoc vt Verbum producatur de cognitione Verbi.

Idem. 25 Ad id, quod Verbum præsupponeretur productioni suæ, iam patet præsuppositionem esse secundùm nostrum modum intelligendi, sub esse radicali, & virtuali in essentia antequam intelligatur productum; cæterū semper habuit esse, & nunquam non esse eius præsuppositum fuit ad esse eius. Consimiliter cum dicitur Spiritum sanctum præsupponi Verbo, Dicendo quoad esse virtuale, & radicale quidem in Essentia, non autem quoad esse productum, & spiratum actuale, quia sic est productus per Verbum. Ad id de esse possibili, dicendū quod possibile logicum, quod est non repugnantia terminorum, dicitur secùdùm nostrum modum intelligendi præsupponi, quia si productio Personarum non esset sic possibilis, iam actu non esset, non enim in Deo reperitur aliquid, quod dicat impossibilitatem, & repugnantiam: loquendo autem de possibili physico, id negatur à talibus productionibus, quia supponit pro materia prima physica transmutabili de forma in formam, quæ aliquando fit sub priuatione, cum cæteris suis imperfectionibus, hæc verò longe sunt à diuinis productionibus. Ita etiam quæ hac possibilitate physica sunt possibilia, vtique sunt imperfecta, diminuta, & procedunt à non esse ad esse tempore præcedente, quorum etiam esse cognitū præcedit tempore esse actuale, at esse præcognitum diuinarum Personarum non præcedit tempore productionem illarum, sed solo nostro modo intelligendi.

Ad id de idea, dicendum ideam strictè sumptam nō competere Verbo, quia *illa est ratio æterna in mente diuina, secundùm quam aliquid est formabile ad extra*, iuxta August. lib. 83. quæst. q. 46. huiusmodi sunt Creaturæ producibiles ad extra, sicut iam producuntur ad extra, & distinguuntur essentialiter à Deo, & producuntur in tempore: non sic est ideatum Verbum, quia producitur ad intra, & ab æterno, & consubstantiale ipsi Patri, & propterea idæa ibi large sumitur, pro ratione producendi; quia antem Pater non producit irrationabiliter, sed cum omni ratione Verbum, ideo sumitur sic ibi idæa, semotis tamen imperfectionibus. *Idea an cō petat Verbo de seipso.*

Ad illud de cognitione intuitiua, alia est intuitiua cognitio, quæ habetur de Obiecto præsenti in propria existentia, & talis non est pro tunc præcognitio Verbi, & Spiritus sancti, quia tunc nō intelligitur productio; alia est, quæ habetur in aliquo eminentiori repræsentante Obiectū, cuiusmodi est diuina Essentia repræsentans omnia, & concedo vt sic cognosci intuitiuè ante productionem. *Intuitiua cognitio duplex.*

Dices, continere eminenter est continere perfectiori modo, & esse perfectius ipso contento; ergo Essentia erit perfectior Verbo, & Spiritu sancto. Resp. continentiam eminentialem sic perfectiorem contento, cōpetere Essentiæ solummodo in ordine ad Creaturas, quib. est perfectior: sed penes diuinas Personas Essentiā habere solūmodo cōtinentiā radicalem, & virtualem propter idētitatem naturæ, & æqualitatem diuinæ perfectionis. Si replices cōtinentiā eminētialem cōnotare maiorē perfectionē supra contentū. Resp. verum de cōtinētia eminentiali, strictè sumpta, qualis est in ordine ad Creaturas: non autē large, qualis est in ordine ad diuinas Personas, quod si nec hoc satisfacit, recurre ad ea, quæ diximus to. 1. disp. de Scientia Dei q. 13. agendo de cognit. intuitiua, & abstractiua. *Continentia eminētialis duplex.*

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Verbum producatur per actum dicendi, an intelligendi.

ARTIC. I.

Proponitur sententia affirmatiua Thomistarum produci per actum intelligendi.

Arguitur pro sententia affirmatiua.

1 PRoduci Verbum per actum intelligẽdi probatur primo, Vnius potentiæ est vnicus actus: vnica est potentia intellectiua Dei, ergo habet vnicũ actũ: is autem non erit, nisi actus intelligẽdi, ergo per eum producitur Verbũ. maior patet: & probatur minor; nam potentiæ auditiuæ actus, est actus audiendi; & potẽtiæ olfactiuæ est actus olfaciendi, sicut de singulis, ergo potentiæ intellectiuæ actus erit actus intelligendi.

2 Secundò frustra distinguuntur in Deo, & multiplicantur isti actus, ergo solummodo aderit vnicus actus, is autem erit actus intelligendi. probatur assumptum, vnius potentiæ est vnicus actus, ergo non erit multiplicandus actus intelligendi, & dicendi: is vero vnicus actus erit actus intelligendi, sicut actus visus erit actus videndi.

3 Tertio si per impossibile Pater non intelligeret, sequeretur quod vtique diceret: at id est falsum: probo min. *qui nihil intelligit, nihil dicit*, inde namq; intelligimus, vt dicamus. seque la conceditur à Scotistis, dum intelligere, & dicere autumant hæc se habere veluti duos actus subordinatos, quorum neuter est causa alterius; vnde deducunt, quod quandocunq; se habent duo effectus inuicem subordinati taliter, vt vnus non sit causa alterius, quolibet illorum sublato, poterit alter habere suum esse à causa sua, vt deducunt ex Scot. in 2. d. 1. q. 1. ar. 3. igitur actus dicendi dum non pendet essentialiter ab actu intelligendi, poterit nihilominus, si per impossibile tollatur ille, habere effectum suum.

4 Quarto omnis, qui intelligit, ex eo quod intelligit, producit aliquid intra seipsum: id vero quod producitur est conceptus mentis, quod est Verbum, ergo est ab intellectione.

5 Quinto, sunt vnum, & idẽ actus intelligendi, & dicendi, gratis ergo multiplicantur. Sexto est proximior memoriæ fæcundæ actus intelligendi, ergo per eum producitur Verbum. prob. antec. nam Essentia est principium proximum, actus intelligendi vt pote essentialis est prior actu dicendi notionali, quia essentialia sunt priora notionalib. ergo debet produci per id, quod est vicinius memoriæ fæcundæ, ea vero constituitur ex intellectu, & essentia.

6 Augustinus etiam videtur hoc confirmare, quoniam dicit 5. de Trin. c. 13. *Verbum est visio de visione*: igitur est de intellectione, prob. consequ. dũ namq; ait esse de visione, vtiq; intellectio Patris est visio Patris, sicut visio mentis est intellectio mentis. Hãc sententiam docet D. Tho. 1. p. q. 27. art. 1.

7 Octauo, cum ore loquimur nõ dicimus Verbum, sed Verbo, quoniã vocali verbo explicamus res mente conceptas; ita cum mentaliter loquimur,

mur, non dicimus verbum, Idest non producimus verbum, sed mediante verbo intelligimus obiecta; ergo dicere in diuinis non est producere Verbum, sed potiùs mediante Verbo res declarare.

8 Nono omnis actio intellectus est intellectio; ergo dicere est intelligere; sequela patet, quia dicere est actio intellectus. prob. antec. omnis actio potentiæ visiuæ est visio, & sic de cęteris potentijs; ergo omnis actio intellectus est intellectio, cum autem producatur per dicere, idem erit ac produci per intelligere.

9 Decimo, Deus per actum volendi producit ad extra creaturas in esse reali: & per actum intelligendi producit in esse cognito; ergo producere poterit Verbum etiam per solù actum intelligendi. Vndecimo Scotus quoq; quandoq; concedit dicere esse intelligere: & dictionem esse intellectionem: & verbum esse actum intelligentiæ. 1.d.27.litt.D.

10 Duodecimo, Valentinus docebat Patrem generare Verbum mediante relatione, siue per modum relationis: ipsum vero confutat August. l. de hæres. c.11. at dicere non est nisi relatio, quia dictio est generatio.

11 Deniq; probatur ex Patrib. qui pro eodem vsurpant dicere, & intelligere; ait enim August. 15. Trin. 10. *& si verba non sonent in corde suo vtiq; dicit qui cogitat.* & colligitur ex Sap. 2. *dixerunt apud se cogitantes.* Luc. 5. *caperunt cogitare dicentes.* & inde cōcludit August. cum cogitamus, loquutio, & visio vnum est. Item D. Fulgēt. l.1. ad Monim. c.7. *Nihil est aliud apud se dicere, quam apud se cogitare.* atq; Ansel. monol. c.34. *Quoniam idem est summo spiritui scire, quod intelligere, siue dicere, necesse est, quod eodem modo sciat omnia, quo ea dicit, aut intelligit.* est ergo idem dicere, & intelligere.

ARTIC. II.

Sententia Scotistarum affirmantium produci per actum dicendi.

1 Scotus in 1.d.2.q.7.litt.Q.& q. 6.d.3.litt.V. ac quol.2.ar.1. negat per actum intelligendi produci Verbum, docetq; ex opposito produci per actum dicendi. consonant cum ipso Durand. Petr. de Palud. Gerard. Herrhera, cæteriq; Scoti expositores ad citata loca. & ad 1. d.27. q.2. Argumenta vero Scoti duo supponūt super quibus innituntur, Primum est, in diuinis dari duos actus penes Dei intellectum, alterum operatiuum, qui est essentialis, communis trib. alterum productiuum, qui est notionalis, & proprius Patris. Primus vocatur operatiuus non productiuus, eo quod per eum nihil producatur sed fit gratia sui, siue vltimus terminus diuini intellectus sub ratione solummodo intelligentis: secundus appellatur productiuus, eo quod mediante eo producatur aliquid, & id erit Verbum, eritq; gratia alterius, nempe gratia termini producibilis per eū. hos etiā actus appellat Scotus, actus intelligendi, & dicendi: primus spectat ad actum essentialem operatiuum, secūdus ad actum notionalē productiuū. Actus etiam istos, licet vnus sint realiter in diuinis, nihilominus idē Scotus distinguit, & multiplicat formaliter, ita vt formalis ratio vnius non sit formalis ratio alterius, quandoquidē vterq; actus habet diuersa munia, producendi quidem, & non producēdi, sed operandi. Alterum suppositum est, quod hi duo actus non se habent ad inuicem sub ratione causæ, & causati, seu sub ratione producentis, & producti, quandoquidem vnus non producit alium, ita vt actus intelligēdi non sit principium quo, nec ratio productiua actus dicendi, seu Verbi: sed comparantur ambo, actus ad eandem

Sententia Scoti negatiua.

Duo actus ad intra, operatiuus & productiuus.

dem naturam, à qua dimanant, vnus quidem prius natura altero, & per simplicem emanationẽ, siue per quasi productionẽ, quę quidem est improprie productio, & ideo actum primũ appellat Scotus non simpliciter productum, sed quasi productum, quia est impropria, & lata productio: alter vero comparatur sub ratione producti, vt est Verbum productum. quæ quidẽ sæpissimè repetit tum locis citatis; tũ in eod. 2. d. 6. q. 1. litt. E. & in 2. d. 1. q. 1. litt. & quol. 1. litt. V. ac quol. 5. litt. X. alia vero fundamenta recensebuntur in discursu probationum.

Actione immanẽti nil producitur 2 Sit antè prima probatio quod non producatur per actum intelligendi, sed dicendi. Docet Arist. 9. met. t. 16. & 1. ethic. c. 9. quod actio immanẽs in eo distinguitur ab actione transeũte, quod per eam nihil producatur, & per hanc producatur aliquid: est autẽ actus intelligendi actio immanens, igitur per eam non producetur Verbum; quod si non producitur per actũ intelligendi, remanet producatur per actum dicendi, quia non datur tertiũ. Aristotelis doctrina de se patens est, quandoquidẽ intellectus ad hoc producit intellectionem, vt intelligat, & hoc est finis intellectus, præcisè vt intellectus; dixi, præcisè vt intellectus, siquidem dum sumus in practicis, dũque intellectio erit practica, vtique se extendet extra se, quatenus regula erit cæterarum potentiarum practicantium opus per voluntatem, per sensus, & huiusmodi: verum hæc sunt extra ministeriũ suum, quatenus præcisè spectatum, fit è, vt dicimus, sistẽtem intra terminos puræ speculationis, & simplicis intellectionis. Dum igitur intellectus iam produxit intellectionem, vtique ea contentus est, tanquam vltima sui forma, seu perfectiuo, vnde fit, vt non quærat quid vlterius producat; proptereaq; operationes hæ vocantur immanẽtes, quoniam manent intra animam, subiectãtur in anima, & sunt vltima forma ipsius animæ: indeque de eisdem operationibus ait Arist. quod sunt gratia sui: transeuntes namq; sunt gratia alterius, vt domificatio, scriptio, pictura; non enim domificatio sistitur in præcisa formalitate edificandi, alias si non produceretur domus per eam, nihil esset: at actio immanens non est gratia alterius, quamuis namq; per intellectionem nil producatur, non per hoc remanet vel operatio in esse suo imperfecta, vel intellectus fraudatus à sua perfectione, quod maximè patet in discursibus speculabilibus, speculando namq; substantias abstractas & quidem quis speculando producit à parte rei vel substantias ipsas abstractas, vel vniuersale, vel quid aliud, dum iam hæc habent esse, vel nõ esse, reddendo singula singulis: & quis nam speculando producet, vel Antichristum futurum, qui nunc non est, vel Chimeram, quæ impossibilis est, vel domum hanc, quæ à parte rei est? Vtique esse, quod intellectus dare poterit rei mediante sua immanẽti operatione, erit esse extrinsecum ipsius rei, seu esse denominatiuum, quod appellatur esse cognitum, & intellectũ, dum namq; quidquam intelligimus, obiectum recipit ab intellectione esse denominatiuum, seu esse cognitũ & hoc autem esse, nõ est esse verum, quo obiectum recipiat esse à parte, sed est esse pendens ab intellectu, siue esse taliter, vt intellectu cessante ab intellectione obiecti nihilominus remaneat obiectum in suo reali, siue potentiali esse. ex omnibus concluditur, vt cum per operationem immanentem nil producatur, sequitur vt intellectio ingenita, essentialis, & operatiua Patris nullatenus sit productiua Verbi, sed sit aliunde querendum principium Verbi.

3 Argumentum hoc nititur soluere Caetan. & in substantia, id quod multis discurrit, in eo concludit, vt dicat quandoque etiam per operationes immanentes intellectus produci aliquid, nempe per actus multiplicatos produci habitum, quia vt constat, habitus generatur ex frequẽtaris actibus, ita etiam potest per intelligere produci Verbum. *Caetani responsio.*

4 Scotistæ laborant, quod negari non potest, in impugnatione istius responsionis: & in primis negare non possunt ex frequentatis actib. produci habitum: quo stante Fauentinus in *Scotistarũ labor.*

1.disp.21.c.1.nu 8.in fine,ait,habitum non produci ex actibus, sed à potentia, quia potentia producendo sæpè operationes, causat in se habilitatem, seu habitum; tum etiam quia habitus recipitur in potentia, non in operatione, ergo actui nullo modo contingit producere aliquid.

Aduersatur Scoto. 5 Responsio ista in primis aduersatur eorum Doctori Scoto, siquidem apertè Scotus docet actus causare habitum, atq; actus ipsos veluti formam absolutam esse causam, & principium habitus, ita in 1.d.3.q.6.litt. V.& ibid. q.9. in fin. quapropter non loquitur consequenter in doctrina Scoti.Confirmatur,quia idem Scotus ibi in q.6. litt.V. hanc eandem obiectionem mouit cōtra seipsum, arguebat namq; sic, habitus generatur ex actib.ergo intellectio,vel actio immanens est productiua alicuius.ideq; aduertit Barg. exponēdo dist.3. quęst. vlt. in fin. immo Scotus contra Henricum arguens in 1.d.3.q.7.vtitur hoc axiomate Aristotelis, habitum generari ex frequentatis actib.vt Arist.habet 2.ethic. c.1. licet autem causetur etiam à potentia, non tamen est negandum causari quoq; ex actibus: nō ergo soluit Fauentin. euasionem, & argumentum.

Vulpis responsio. 6 Vulpes t.3.de Trin.disp.53. ar. 5.nu.12. respondet, quod licet in nobis actus intelligendi sit forma actiua, non tamen per modum potentiæ vitalis: vnde cum arguitur penes ipsum authoritate Scoti supra,quod nō repugnat actui intelligendi,vt sit vera forma actiua, ergo non repugnabit intellectioni paternæ esse principium Verbi,negat sequelā, quia licet actus intelligendi sit forma actiua, non tamen est actiua per modum potentiæ vitalis: & idem prius dixerat num.6. vnde concludit actum intelligendi, etiam in natura creata,non esse principium formale,& proximum quo.

Contradicit Scoto. 7 Iste etiam Scotista nouissimus apertissimè cōtradicit Scoto: & ostēditur, etenim Scotus locis recensitis apertè docet actum intelligendi esse formam actiuam; ait autem d.3. q.6. in fin. *dico breuiter quod actus est generatiuus habitus, sicut forma aliqua est causa, vel ratio causandi aliam formam, sicut lumen solis in medio est ratio causandi calorem: non est autem talis actus gignitiuus vt actio, sed tali actione gignitur,tam actus,quam habitus, vt terminus talis actionis.* hæc Scotus, cur ergo negandum actum esse principiū quo formale, dum Scotus apertè docet tale esse: docet quidem non causare vt actio est, scilicet de genere actionis,siuè relationis,licet medianmte tali actione causet,non tamen causare, vt principium quo, & vt forma absoluta: quod etiā aduertit Bargius vbi sup. Insuper idem Vulpes vidit loca hæc Scoti,quæ etiam citat,affert que hanc eandem Scoti eiusdem doctrinam,& nihilominus respuit eam; dum namque negat inde actum causare vt principium quo, quod docuit Scotus, aperte illudit doctrinæ sui Scoti. Item quid opus est recurrere ad potentiam vitalem: damus quidē actum non esse potētiam viuentem, animalem,vitalem, & similia,licet ipse actus sit operatio vitæ, seu vitalis: hoc enim non obstante, non negat Scotus actum producere habitum.

8 Rada, 1.p.controu.7.in explicatione sententiæ Scoti respondet ad Caetan. actum quidem esse principiū habitus non vt *actio* est, sed vt principium *quo*;quia intellectio nō est actio de genere actionis,sed de genere qualitatis, ideo non causat vt actio, sed causat sub ratione principij *quo*; & habitus se habet ad actus sicut causatum ad causam,non autem sicut terminus ad actionem,cum actus,seu intellectio non sit actio. idem habet Posnanus in 1.d.27.q.1.art.3. in Censura Aduersariorum. *Radę responsio.*

9 Doctrina hæc est omnino germana Scoti locis vt sup. visum enim est Scotum docere actum causare nō vt actio est, sed vt forma est absoluta. Hoc tamen stante non est adhuc solutus nodus difficultatis, & arguitur, quia si intelligendi actus est principium *quo* habitus,ergo pariter in Patre actus essentialis intelligendi erit principium quo ipsius Verbi:hoc autem negant omnes Scotistæ cum eodem Scoto; igitur hinc duo inferuntur,primum,quod responsio Radę nō *Obstatur; cōtra eum; & adducitur contradictio apparēs ex Scoto.*

prę

prodest; secundum, quod Scotus non loquatur consequenter sibi ipsi, prob. dum namq; docet actum esse productiuum habitus, ergo actus intelligentiæ Patris erit productiuus Verbi, militat enim par ratio vtrobiq; & confirmatur, quia multo amplius id concedi debet in Patre, cur namq; actui intellectus finiti, creati, & limitati cõpetet actiuitas, & eadem non competet actui, siue intellectioni Intellectus diuini, & infiniti? non dico in ordine ad producendum habitum, hoc namq; cõtingit in agente creato procedente de imperfecto ad perfectum, & de inhabili, ac indispofito ad seipsum habilitatum, & rite dispositum, quæ imperfectionem dicunt, longè quidem à Deo: igitur aliunde competet ei ratio producendi, nempè in ordine ad producibile Verbum: & in hoc, sicut in cæteris non debet actus diuinæ intelligentiæ esse minoris, debiliorisq; conditionis actu intelligẽtiæ creatæ, vt hæc quidem sit fæcunda, & productiua, illa omnino sterilis, & infæcunda.

Sententia propria.

10 Ego existimo, si mea non me fallit sententia, esse omnino parem rationem tum in diuinis, tum in humanis, semotis tamen imperfectionibus. Vnde dico quod sicut actus intelligẽtiæ nostræ est productiuus, ita etiam est productiuus actus intelligẽtiæ Patris quantum est de se, & vtique produceret nisi aliunde haberetur anterior ratio principij productiui: explico, actus nostræ intelligentiæ est productiuus habitus, vt patuit, ita etiam deberet esse productiuus actus intelligentiæ essentialis, licet non productiuus habitus; quia alias esset inferioris conditionis, vt bene conclusum est nuper: hoc tamen inter vtrumq; actũ interest, quod noster & est productiuus, & iam de facto producit, Dei vero est solũmodo productiuus de se non autem de facto producit, sufficiat vero dicere, quod quantum est de se est productiuus. Quod si quæras cur de facto non producit, Resp. quia iam præhabetur anteipsum, id, quod est perfectum, & radicale principium productiuum: id vero est memoria fæcunda constans ex intellectu in actu primo, vna cum diuina essentia in ratione obiecti intelligibilis in actu primo: Hoc stante, dum habemus principium hoc, quod est sufficientissimum, vna cum Patre ad producendum Verbum, hoc quidem erit vtique principium: intelligentia vero non pertinet intrinsecè ad memoriã, sed est quasi effectus quasi productus per eam, vt loquitur Scotus, licet non sit verè productus, cum sit notitia ingenita, & improducta; cum igitur ipsa sit posterior ipsa memoria, & consequenter posterior principio productiuo, vtique non ei competit producere: & huc quadrat dictum August. 15. Trin. c. 7. 18. *Verbum gigni non ex intelligentia, sed ex memoria.* Propter aliam insuper rationem intelligentia Patris non producit de facto, quia si quid haberet producere, id esset habitus, sicut in nobis per actum, siue actus intelligendi producitur habitus; at Dei intellectus non eget ad intelligendum habilitate, & habitu, cũ de se sit infinitæ, & perfectissimæ intelligentiæ, non procedens de imperfecto ad perfectum, siue de inhabili ad habilem vt nostrum quoq; quia habitus produci solet per multiplicationem actuum (licet quandoque vnus intensus, & fortis ac vehemens actus possit producere habitum) Dei vero Intellectus non eget plurificatione actuum, cum ille vnicus sit infinitus intensiue, quo comprehendit omnia, & extensiuè æquiualeat infinitis actibus, & obiectis, si darentur: ex quo tamen eius est vnicus actus, non quidem est productiuus, quia memoria est principium & non actus, cum potius ipse actus sit quasi productus, & nostro modo intelligendi ordine naturæ posterior sit ipsa essentia, à qua emanat, siue à qua est quasi, seu impropriè productus.

Actus intelligentiæ essentialis quantum est de se est productiuus.

Cur autẽ de facto nõ producit.

Intellectus diuinus, nõ eget habitu, et habilitate ad intelligendũ

11 Ad responsionem ergo Caetani, concedimus actionem immanẽtem quandoque esse alicuius productiuam, vt actus habitus; nihilominus potentia talis actus non debet excedere vires suas, nec debet exire extra officium, & munus suum: at munus actus intellectus erit producere habitum ibi tamen, vbi producibilis est:

Actione immanenti aliquid producitur, vbi producibile est.

vbi

vbi vero nõ eſt dabilis talis habitus, nihil vtique producet; cum autem in intellectu paterno non ſit producibilis hic habitus, ſequitur vt nil producat talis actus ſuæ eſſentialis intelligentiæ: quia tandem, Verbum habet pro ſuo principio non intelligentiã, ſed memoriam ex Auguſt. reſtat vt actus intelligentiæ Patris nõ ſit productiuus Verbi, & ita remanet ratio Scoti, vt per operationem immanentem nil producatur.

Capreoli reſponſio. 12 Reſpondet etiam Capreolus ad principale argum. differentiam actionis tranſeuntis, & immanentis in eo ſiſtere, vt tranſiens recipiatur in ſubiecto extra, & diſtincto à potẽtia operante, immanens recipiatur in ſubiecto eiuſdem potentiæ operãtis. in 1. d. 27. quæſt. 2. ſed reſpõſio hæc facilè diluitur, & quidẽ propter duo pro nunc, diſtinguitur operatio immanens, & tranſiens: vnum, quia trãſiens recipitur extra in ſubiecto diſtincto; alterum, quia habet pro termino aliquid productum: quę duo nõ ſunt in immanenti, tum quia ſubiectatur in potẽtia operante; tum quoque quia per ipſam nihil producitur: Capreolus confugit ad primum ſolũmodo diſcrimen: quod quidem inſufficiens eſt, nec eo contentus eſt Ariſtot. quinimo addit ſecũdùm de productione, vel non productione, & propterea manet argumentum in robore: cum igitur intelligentia eſsẽtialis ſit actio immanens, uedum debet remanere in eadem potentia, verum nihil produci debet per eam.

Cõfutatur. 13 Arguo inſuper contra vtrũq; tum Capr. tum Caet. cæteroſq. ita Gloſſantibus Ariſtotelem: & quæro vtrum diſtinctio ab Ariſtot. excogitata ſit per ſe, aut per accidens: ſi ſecundum, ergo inſufficienter nobis tradidit doctrinam, & diſtinctionem operationis vtriuſq; immo poſſemus nõ curare de hac ariſtotelica doctrina data de diſtinctione per accidens, quia quæ ſunt per accidens excludũtur ab arte, ex eod. Ariſt. ſi primum ergo nullatenus intellectioni competet eſſe verbi productiua; prob. aliàs deſtrueretur natura, & eſſentialitas talis operationis immanentis, ad quã per ſe, & eſſentialiter ſpectat, vt non ſit productina.

14 Item idem Philoſophus ſic ait, *Quanquam in quibuſdam vltimum eſt vſus, vt videndi potentiæ viſio, vbi nihil aliud à viſu ſit opus.* ex quibus docet, vltimum potentiæ immanenti operatione operantis, eſſe vſum: *Vltimum potentiæ operantis operatione immanẽti, eſt vſus, nõ opus.* vſum quidem, non opus: non opus producibile. ſed vſum eius, ſiue vſum ſuæ operationis, ſicut potentiæ viſiuæ vltimum non eſt opus producibile per viſionem, non enim per viſionem parietis producitur ab oculo paries: licet producatur in pariete denominatio quædam extrinſeca, quatenus de prius non viſo, inde denominatur paries viſus: erit igitur vltimum talis potentiæ vſus, ſed vſus potentiæ viſiuæ eſt viſio, & hoc cõtenta eſt ipſa potentia. Accedit, quod ex eod. tales operationes ſunt vltima perfectio potentię: quod ſi ita eſt, ſequitur vt potentia nil vltra exquirat, quod producat. Reſpõdere Caetan. actionem immanentem eſſe vltimũ potentiæ, ſiue vltimam perfectionem potentiæ eatenus quidem, quatenus ipſius operatio non ordinatur ad opus propter ſeipſam, ſed quatenus opus producibile debet habere eſſe ex ipſa: itaque nõ erit productio, gratia, & indigentia ſui, ſed vt aliud recipiat eſſe per eam. Doctrina hæc poteſt eſſe vera, licet Scotiſtæ ipſi aduerſentur; quia actus noſtri intellectus producunt habitum: & ordinantur ad habitum: talis autem ordinatio non eſt propter actus, quia actus non indigent habitu, cum ipſi potius dent eſſe habitui; ſed ordinabilitas productionis erit propter ipſos habitus, quia habitus egent actibus ad hoc, vt producantur à natura creata, ex quo excluduntur habitus infuſi, qui creantur à Deo ſine actibus, eſt ergo verum quod actus ordinãtur ad productionem habitus, at non propter ſe, nec propter indigentiam ſui, ſed propter indigentiam habitus, qui poſtulat neceſſario produci ex actibus: ex hac vero doctrina non licet inferre in diuinis, vt Verbum producatur ex intelligentia, quia principiũ Verbi nõ eſt intelligẽtia, ſed memoria

15 & hinc vltro arguitur, Augustinus 15. de Trin. c. 10. 24. ait *Verbũ non gignitur ab intelligentia, sed ex memoria*: si autem gigneretur ex actuali intellectione, iam gigneretur ex intelligentia, quod est contra August. Respondet Caetan intelligentiam quidem non esse principium formale *quo*, Verbi, & ita loquitur Augustin. sed esse ipsam gignitionem: producitur ergo ab intelligentia, quatenus gignitio est, non quatenus principiũ formale *quo*, quia id est memoria. Verum quæro quid intelligat per gignitionem, aut intelligit quid absolutũ, aut quid respectiuum, seu relationẽ: si primum, ergo erit principium *quo*, vel *quod*; non enim datur tertium membrum: non quidem principium *quo*, quia id est suppositum: nec principium *quo*, quia ipse negat produci ab intelligentia, vt principio *quo*. Remanet igitur, dum non est quid absolutum, vt sit relatio ipsa gignitio, siue ipsa intelligẽtia: hinc autem sequitur actum intelligendi esse relationem formaliter, prob. per te intelligentia est gignitio, sed gignitio est relatio, quia non forma absoluta vt monstratum est, ergo actus intelligẽtiæ essentialis est relatio; sed quorsum hæc? quis namque dicet intellectionem esse relationem, cum sit forma absoluta, sicut cæteræ operationes immanentes. Item Aristot. 1. & 10. Ethyc. ait, *fœlicitas est operatio optima*, quæ non est, nisi intellectio ex eod. Aristot. 12. met. 6. at relatio non est talis de se; insuper sola relatio non est vltimus finis substantiæ præsertim perfectæ: sed fœlicitas consistens in intellectione ex Arist. est vltimus finis naturæ intellectualis. Cum igitur intellectio Patris, sicut & nostra, sit quid absolutum, non poterit esse gignitio, quia esset relatio, siue esset actio de genere actionis, cum potius intellectio de sui natura sit actio, & forma absoluta de genere qualitatis.

Suarij responsio. 16 Suar. 1. Trin. cap. 8. respondẽs ad August. ait Augustinum loqui potius de intellectu humano, quã diuino paterno: & quidem intellectus humanus fæcundus eatenus est, quatenus est solummodo in actu primo: diuinus verò fæcundus vtroque modo, tum in actu primo, tum in actu secũdo, mediante intelligentia essentiali emanante seu quasi producta, vt loquitur Scotus, indeq; fæcundus quoque erit ad actum alium verè productum, quod est Verbum. *Improbatur.* Glosa hæc voluntaria est, & solùm è suo Marte deprompta: vt dicat fæcunditatem actus quasi producti, esse principium vlterioris fæcunditatis ad producendum Verbum: licet namque vterque actus sit in Deo, & vterque à diuina manãs natura atq; vnus altero prior, nihilominus qua cõsequentia infert, vt dum ambo manant à diuina Essentia, actus ille prior sit principium illius vlterioris. Et cum dicit Intellectum diuinum esse fæcundum secundum vtrumq; actum, quid infert? ergo actus ille primus improductus notitiæ ingenitæ erit principium actus notitiæ genitæ, negatur sequela, quoniam comparantur hi duo actus inter se sub ratione prioris, & posterioris, non autem sub ratione causæ, & causati, dum nullus causat alterum, licet ambo dicant ordinem ad eandem naturam, à qua dimanant.

Arguitur ad principale intentum. 17 Vlterius arguitur principaliter. si per intelligere producitur Verbũ, ergo tota Trinitas generat Verbum, quod tamẽ competit soli Patri. prob. sequ. intelligere in diuinis est quid essentiale commune toti Trinitati, dicere autem est notionale competens soli Patri, ergo per dicere producitur, & non per intelligere. Responsio communis Thomistarum ea est, vt intelligere consideretur vel quatenus intellectio est, vel quatenus dictio est: primo modo est communis toti Trinitati, & per eam non producitur Verbum: secundo modo est propria Patri, & per hanc generat Verbum. ratio vtriusque acceptionis ea est, quia intellectio, & dictio sunt vnus actus, sed distinguũtur virtualiter, quapropter mirum non est, vt ratione virtualis distinctionis, modo sit intellectio, quæ communis est Trinitati, modo sit dictio, seu gignitio, quæ in solo est Patre.

18 Responsio hæc variè retunditur à Scotistis, sed rebus plurimis, qui-

quibus impugnari potest, hoc solo impugnabo, quæ impugnatio erit quoque argumentum insolubile pro sententia Scoti. Et quidem ex data responsione Thomistæ velint, nolint, incidunt in sententiam Scoti: demõstro, Scotus ait Verbum produci per dicere, hoc idem confitentur Thomistæ. aiẽtes produci per intellectionem, quæ quatenus est in Patre est dicere: Scotus docet non produci per intelligere, hoc quoque Thomistæ docent non produci per intelligere, vt intellectio est, quatenus communis toti Trinitati: Scotus inquit, ideo non produci per intelligere, quia sequeretur totam Trinitatem producere, quatenus intelligere est cõmune Trinitati, & Thomistæ inquiunt non produci per intelligere quatenus est commune Trinitati, quia verè tota Trinitas produceret. vides ergo quomodo per talem distinctionẽ descendunt Thomistæ in sententiam Scoti, defaticati efficacissimo hoc inter cætera, argumento: ad quod sic respondentes incidunt in sentẽtiam Scoti; non enim aliud intendit Scotus, nisi probare Verbum non produci per intelligere, quia id est commune Trinitati, sed per dicere, quod est in solo Patre, & hoc totum confitentur Thomistæ.

19 Dices, adest maxima differentia inter Scotum, & Thomistas, quia Scotus intelligere, & dicere ait distingui formaliter, Thomistæ virtualiter, siue ratione habente fundamentum in re virtualiter, & propterea nõ est vna eorum sententia. Verum hoc nihil est ad rem ipsam: & quidem vt hinc incipiam, non quærimus in præsentiarum, vtrum hi actus distinguantur formaliter, vel ratione actualiter, vel virtualiter, non enim quæstio agitatur modo sub istis terminis, iam namque in proprio quæsito visum est vtrum in diuinis detur distinctio formalis; sed supposita iam aliquali distinctione inter hæc, siue actuali formali, siue ratione, ac virtuali, quæritur sub qua formalitate, seu sub qua ratione Verbum producatur, vtrum sub ratione intelligendi, an sub ratione dicendi; iam quidẽ constat in vtraque schola vtrumque actum intelligendi, & dicendi esse idẽ realiter; quia tamen distinguuntur aliquo modo, vt vtrique concedunt, quæritur de isto vno reali, seu de istis, quæ sunt realiter idem, & aliquo modo distincta, quæritur, inquam, sub qua ratione producunt, vtrum sub ratione intellectionis, vt intellectio est, in sensu reduplicatiuo, an sub ratione intellectionis, prout dictio est: vtique apertè fatentur produci per intellectionem, non prout intellectio est in sensu reduplicatiuo, quia vt sic est cõmunis toti Trinitati, indeq; tota Trinitas produceret, sed per intellectionem, vt dictio est in sensu reduplicatiuo, quia vt sic est solummodo in Patre, & non est commune Trinitati: hæc tota est germana sententia Scoti, quia Scotus vt inconueniens vitaret de intellectione, quatenus cõmunis est Trinitati, quia per eam tota Trinitas produceret, dixit non per intellectionem produci, sed per dictionem. habemus ergo Thomistas incidere apertè in sententiã Scoti.

20 Et hinc dicimus, vel quod nõ discrepent D. Thom. & Scotus; vel quod Thomistæ declarando D. Thomam, incidunt in sententiam Scoti: quod si concederetur, potius dicendum esset Thomistas in sententiam incidere Scoti, quàm in Diui Thomę Scotistas, quoniam hi nullo pacto concedunt concurrere intellectionẽ ad Verbi productionem, cum tamen viceuersa illi asserant intellectionem concurrere, vt dictionem. Quidquid tamen sit, licet Thomistæ incidant in sentẽtiam Scoti, nihilominus etiã aliunde sententia Scoti longe diuersa est à sententia D. Tho. cum nullatenus velit Scotus produci per intelligere, tanquam per actum secundum, vt vult D. Tho. sed solum per memoriã in actu primo, & per *dicere*, & in hoc non possunt conuenire: vnde Scotus cum eo non conuenit, tum quia negat produci per intelligere; tum quia ait produci non ex intelligentia, siue ex actu secundo, sed ex memoria in actu primo cum Augu. Thomistæ vero conueniunt cum eo, dum dicunt produci per dicere, quia

An discrepẽt Diuus Thom. & Scotus.

id est solius Patris:& non per intelligere,quia id est commune Trinitati: licet discrepēt ab eodem in eo, quod dicunt produci per intelligere, quāuis intelligere illud consideretur non prout est totius Trinitatis, sed prout solius Patris:in re tamen non videntur discrepare à Scoto,quia idem est intelligere prout est solius Patris, ac dicere: dum autem aiūt produci per intelligere quatenus solius Patris,seu quatenus est dicere, idem aiunt, ac Scotus, dicēs produci non per intelligere, sed per dicere: Vnde vel videtur solum discrepare in modo loquēdi. Confirmatur,quia si petas à Scoto, vtrum intellectio essentialis, & notionalis sint idem realiter, respondebit affirmatiuè; quia intelligere,& *dicere* sunt idem realiter: quod si cōtra eum vrgeas,ergo Verbum producitur per intelligere, quia intelligere est idem,ac dicere, respondebit,concessa identitate reali, distingui formaliter, ac propterea sequi produci per *dicere*,non per intelligere. Quod si iterum vrgeas, sunt idem realiter, ergo producitur realiter per intelligere,patet, quia est eadem res vtriusque;respondebit concedendo produci per intelligere realiter,non formaliter: realiter quidem,quia est idem realiter cum *dicere*: formaliter non, dum distinguitur formaliter:sicut data distinctione inter intellectum, & voluntatem, subiectum, passionesq; in creaturis, remanente identitate reali penes Scotistas valeret dicere, intellectus est voluntas realiter: subiectum est passio realiter, licet non formaliter:ita valeret asserere intelligere in diuinis est *dicere* realiter,licet non formaliter,ergo valet consequētia, producitur Verbum per dicere, ergo etiam per intelligere *realiter*,ratione identitatis realis; vtique valet; ergo conueniunt Thomistæ, & Scotistæ:vtique in sensu hoc conueniūt, quia in diuinis omnia sunt vnum essentialiter:at discrepant ratione distinctionis formalis: quidquid tamen sit, aliunde diffident, penes produci per intelligere formaliter, non enim intellectione producit Pater, nec tāquam actu primo, & formali, quia id est sola memoria in actu primo: nec tanquam gignitione formali, siue ratione gignendi, quia intellectio non est actio de genere actionis, sed est quid absolutum, & de genere qualitatis secundùm se:& sola denominatione grammaticali appellatur actio, quin potius intellectio ipsa, cum cæteris operationibus immanentibus, appellandæ sint *operationes*, quàm *actiones*.

21 Ad principale autem intentū redeundo,arguitur insuper, si per intelligere habetur Verbum, ergo darentur in diuinis duo Verba: prob. sequ. vnum Verbum producitur per memoriam teste August. alterū producitur ab intelligentia per D. Tho. ergo habemus duo Verba: sicq; habebimus duos Filios. nomen namq; Verbi competit soli Filio, & ita vnicum illud Verbū productum per memoriam non adæquaret potentiam generatiuam Patris,sicque posset Pater producere plura Verba,donec haberetur terminus adæquatus, siue Verbum adęquatum potentię gignitiuæ, quod, iuxta loquutionem Henrici exhauriret potētiam generatiuā Patris: merito autem in Deo est vnicum Verbum, quia illud est omnino terminus adæquatus productiuæ intellectiuæ potentiæ, vltra quod non expetitur aliud Verbum, aliàs illud non esset adæquatum,& dum produceretur aliud Verbum, destrueretur Trinitas, & haberetur quaternitas: immo si possunt duo esse Verba,ergo & infinita,vel saltem plura, & plura, donec ventum esset ad vltimum Verbum. *Ex inconuenientib.*

22 Rursus ex tali opinione sequitur dari infinitas in Deo intellectiones, siue infinita Verba, prob. quæro de intellectione essentiali productiua Verbi, vel namque ipsa habet esse à memoria, vel ab alia intellectione: si primum,ergo Verbum quoque notionale,& genitum habere poterit esse à memoria, non enim est dispar ratio: si secundum, quæro de illa alia,per quam intellectio essētialis habet esse, aut est immediatè à memoria, aut ab alia intelligentia: si à memoria, ergo similiter & Verbū: si ab

ſi ab alia intelligentia, quæro de hac insuper verum ſit à memoria, an ab intelligentia, vt prius, & ſic dabimus proceſſum in infinitum; igitur qua ratione notitia eſſentialis eſt immediatè, & non per aliam antecedētem notitiam, ita Verbum erit à memoria immediatè, & non per intelligentiam eſſentialem productum.

23 Item ſequeretur, Verbum eſſe immediatius verbū intellectionis, quàm Eſſentiæ: id verò eſt falſum: prob. ſequ. effectus eſt immediatius effectus cauſæ proximioris, à qua producitur; immediatior autem eſſet Verbo intellectio, quàm Eſſentia, vt ipſo naturæ ordo demonſtrat; ſiquidem Eſſentia eſt radix, & ab ea emanat intelligentia ingenita, & ab hac producitur Verbum, ergo erit Verbum immediatius notitiæ, quàm Eſſentiæ: inconueniens vero probatur, tum quia dandum eſſet aliud anterius Verbum, quod immediatè Eſſentiam declararet, vel quod minimè poſſet eadē Eſſentia immediatè exprimi per Verbum: probatur primum, ait namque Auguſt. 15. Trin. 10. *formata quippe cogitatio ab ea re, quam mente tenemus, Verbum eſt*: eſt autē ſenſus, quod Verbum eſt cognitio producta immediatè à memoria in actu primo, ergo dandum eſt Verbum, quod ſit à memoria immediatè. ſecundum patet, etenim dum Verbum non eſt à memoria immediatè, ſed mediante intelligentia, ſequitur non poſſe memoriā immediatè declarari per Verbum.

24 Hinc deducitur Aduerſariis ad vlterius inconueniens, ſiquidem, ſi per impoſſibile Pater non haberet notitiam illam ingenitam, quæro verū puſſet producere Verbum? vtique poſſet, quia haberet in ſe principium ſufficientiſſimum nempe Eſſentiam præſentem ſub ratione actu intelligibilis, nempe in actu primo, quod eſt memoria fæcunda, & hoc ſufficit; ergo nunc etiam eadem memoria ſufficit. Diſcurſus confirmatur, & declaratur ex eo, quod accidit in nobis; ſiquidem intellectus noſter præſente ſibi obiecto mediante ſpecie intelligibili producit verbum creatum; illa namque ſpecies fæcundat intellectū, itaut tanquam inde grauidus pariat verbum; ergo ſimiliter in Deo, demptis imperfectionib. ſufficit præsētialitas Eſſentiæ ſuo diuino Intellectui, vt generet Verbum: quod ſi inter memoriam, & Verbum mediat notitia improducta, ea nihil confert ad Verbum, non enim præcedit vt cauſa, vt dictum eſt.

25 Actionis item non eſt actio ex Auguſt. ſup. eſſet, vero actionis actio, ſi notitia produceret Verbum. antecedens deductū fuit ſup. ex Ariſt. cum ponit viſum, & viſionem, & vltra hoc, nihil amplius per viſionem productum. quia viſio eſt actio: & cum ſit actio de genere qualitatis, nil producet; agere namq; competit actioni de genere actionis, ſiue relationis, quia ipſa tanquam via producitur aliquid, vt domificatione domus; cæterū intellectio non eſt actio de genere actionis, cum non ſit relatio, ſed de genere qualitatis, cum ſit forma abſoluta, licet ſub tali qualitate fundetur inde relatio ad terminum, ſiue potius ab obiectum: dixi, potius ad obiectū, quia actio de genere actionis dicit ordinem ad terminum; actio vero de genere qualitatis dicit ordinem, non propriè ad terminum ſub ratione termini, ſed ſub ratione obiecti; ratio vtriuſq; quoniam terminus eſt is, qui habetur per productionem, actioni vero de genere actionis cōuenit producere, ergo illa habet ordinem ad terminum obiectum vero eſt id, quod obijcitur potentiæ vt intelligatur, nō vt producatur, ergo intellectio habebit ordinem ad id ſub ratione obiecti, non ſub ratione termini producti: quamuis abſtrahendo à productione, etiam obiectum cognitum habeat rationem termini, dum ei competit & cauſare, & terminare cognitionem: & multo magis patet vbi obiectum cognitum non habet rationem motiui, ſed ſolum terminatiui, vt creaturę cognitæ penes intellectum diuinum: & relationes penes Intellectum etiam creatum, ſiue ſecundæ intentiones, ſiue entia rationis, quæ non cauſant, ſed terminant ſolummodo cognitionem, cum cognitio cauſetur motiue ex eorum ſubſtratis, & abſolutis, primiſq;

misq; conceptib.seu intentionibus ad summum igitur actionis nō est actio, ita nec intellectionis erit gignitio Verbi.

Intellectio an sit verè, vel similitudinariè actio.

26 Occasione huius argumenti afferenda est explicatio cuiusdam loci Arist.de actione; ipse siquidem 9.met. c.7. intellectionem comprehēdit sub nomine actionis: ergo erit principiū productiuum, nedum operatiuum: & vltra nomen operatiui, induet quoq; nomen productiui, quod videtur infringere ea, quæ diximus, quod Patris intellectio non possit esse actio productiua; Aristoteles namq; appellat intellectionem actionem, ergo productionem. Sed intelligentia Aristotelis talis est, non quidem vt intellectio sit verè, & propriè, sed solummodo similitudinariè, & æquiuoce actio, propter similitudinem, quam habet cum vera actione: vnde sciendū actioni tria competere, primum quod habeat esse dependenter in fieri, & conseruari à sua causa; qua cessante, corrumperetur actio, vt patet de lumine, quod habet esse continuo à sole, quo obscurato cessat lumen: & aer illuminatus, cuius illuminatio pendet in fieri, & conseruari à sole, quo cessante; siue cessante altero corpore illustrante, fit aer obscurus. secundum est, quod actio habeat terminum ad quem tendat, dicit namq; necessario relationem ad terminum, vt magis patebit ex tertia conditione: vnde tertium quod ei conuenit, est, vt habeat terminum productum, seu habeatur terminus productus per eam; actio namq; dum est productiua, vtique alicuius termini erit productiua. his suppositis, loquēdo de intellectione, sicut & de cæteris operationibus immanentibus, habent primum, & secundum requisitum actionis de genere actionis, quoniam intellectio, volitio, visio, & huiusmodi inrantum habent esse, in quantum pendēt à suis potentijs, vnde cessante ab operatione potentia, cessat & ipsa operatio: item ordinantur ad terminum, quia visio est alicuius visibilis visio, igitur intellectio similiter habebit ordinem ad suum obiectum intelligibile, ita de cæteris operationib. immanentibus, debent enim versari circa propria obiecta: & iuxta has quidem conditiones conueniunt cum actione: circa conditionem autem tertiā discrepant ab ea, quia per eas nihil producitur: & propterea respiciunt quidem terminum absolutè, sed non sub ratione producti: & hinc fit, vt Aristoteles appellet eas æquiuocè actiones, & similitudinariè, non autem in rigore, & vniuocè; quin potius vocandæ sint actiones grammaticaliter, non physice: atque verius appellandæ sunt operationes, quam actiones; dum per eas potentia dicitur solummodo operari circa obiectum, nempè intelligendo, videndo, non autem quidquam simpliciter producendo. insignis est hæc doctrina Scoti quolib.13.litt. DD. & 9.met.c.7. Et ex his inferunt aliqui Scotistæ, quod operationes immanētes sunt infæcundæ; dum namq; nil producunt, infæcundæ quidem sunt: nec mirum, quia sunt talis naturæ, vt eis non competat fæcunditas, & productiuitas: signum nihilominus sunt fæcunditatis potentiæ, vt dicetur.

Operationes immanentes sūt infæcundæ.

Obiectiō Solutio.

27 Et ex dictis corroboratur magis sententia, quandoquidem operationes immanentes sunt infæcundæ, ergo per intellectionem ingenitam non producitur Verbum. antecedens deducitur ex dictis; tum quoq; ex Arist.sup. quod immanentes sunt vltima perfectio potentiæ, & per ipsas non producitur opus: quomodo igitur poterit intellectio essentialis esse productiua, si ex sui natura est infæcunda? Dices, infæcunditatem hanc derogare infinitæ notitiæ Dei; ergo non est infæcunda. Resp. minime derogare, quia sibi non competit fæcūditas; sicut si dicamus Filium esse infæcundum similiter & Spiritum sanctum, nulla quidem iniuria fiet eis; ratio quia nec Filio, nec Spiritui sancto competit generare: quod si competeret, & non generarent, vtique esset in eis iniuriosa infæcunditas: sicut iniuria esset æterni Patris si non esset fæcundus, & si non generaret, quoniam cōpetit ei omnino generare, & propterea est Pater, & memoria eius vocatur fæcunda, & iam habet partum, vt dicit, *ex vtero ante Luciferum genui te.*

*u.*109.*psal.*& *Isa.*66.*numquid ego,qui cæteris generationem tribuo,sterilis ero?* consimiliter de intellectione essentiali,non est eius iniuria, si infæcunda est, quia non ei competit quidquam producere,seu Verbum generare.

28 Verum est nihilominus,quod licet in se sit infæcunda, tamen ostendit fæcunditatem intellectus paterni: siquidem ipsa emanat ex obiecto primario, & per eā Pater est intelligens, sapiens,& scit quæcunque scit,ostenditque paterno intellectui diuitias perfectionum diuinæ essentiæ: adeo vt ea contentus sit ad sapiendum,non enim sapit sapientia genita Filij, sed ingenita ex August.

Cur Pater producit Verbum,et cur Creatura?

29 Percontaberis, si Pater iam est plenus sapientia mediante notitia ingenita, cur est vt Verbū inde producat: non enim deberet producere Verbum, dum antecedenter ad Verbum est plenè sapiens, & non est sapiens Verbo ex August. nec cognoscit per Verbum:ergo frustra generat Verbum: prob.sequ.ideo nos producimus Verbum, vt intelligamus per Verbum,& sapientes simus per illud: at Pater non cognoscit per Verbum, ergo frustra generat Verbum. Respō alia ratione nos, alia ratione Patrem producere Verbū: nos quidem producimus Verbum ex indigentia, Pater, vt sic loquar, ex abundantia:nos producimus ex indigentia,inquam, Pater autem ex fæcunditate naturæ: nos producimus verbum, vt mediante verbo intelligamus,Pater non producit vt mediante Verbo intelligat, quia iam antecedenter ad Verbum intelligit, sed quia id exigit plena fæcunditas suæ naturæ:siue vt exhauriat fæcunditatem naturæ, vt loquitur Henric.

30 Ex his habetur ordo vtriusque fæcunditatis,cum memoriæ creatæ,tū diuinæ: & quidem in diuinis duo habentur ordinatè actus; primus essentialis,secundus notionalis:primus est actus notitiæ ingenitæ per simplicem emanationem prodeuntem ab essentia: secundus est notitia genita habēs esse per veram productionem.primus necessario præcedit,ratio communis, quia essentialia sunt priora notiona-

li[...] per a[...] notitia ingenita, [...] secundus inde subsequ[...] tellectum perficiat Patris, [...] mediante intelligat Pater, sed id expostulat ordo essentialium, & notionalium,vt illa ad intra sint priora notionalibus:itaq; in diuinis intelligere præcedit dicere,sicut intellectio precedit Verbum. in nobis autem viceuersa,siquidem dicere præcedit intelligere, & prius est dicere, posterius intelligere; quoniam ideo dicimus, idest producimus verbum, seu intellectionem, vt mediante verbo,seu intellectione intelligamus: & in hoc differimus à dicere, & intelligere in diuinis, quia non dicit Pater vt intelligat,nam aliunde intelligit, quàm per Verbum,nos dicimus,& producimus Verbum,vt intelligamus. Cæterum poterit esse comparatio spectādo intellectionem essentialem in ordine ad extra: quo casu talis intellectio erit post dicere, & post Verbum; patet, quia essentialia ad extra sunt posteriora notionalibus, ergo prius erit Verbum,& tota Trinitas,& inde Pater cum tota Trinitate intelligendo, & volendo producit ad extra; & in hoc sensu currit paritas,vt intellectio nostra sit post dicere,& intellectio essentialis Patris ad extra sit post Trinitatem, & post productionem Verbi, vt demonstratum fuit ex anteced. quęst.

31 Hinc quoque constat alia cōuenientia, & discrepantia vtriusque memoriæ:conuenientia quidem, quia vtraque est operatiua, & productiua: discrepāntia vero, quia diuina prius est operatiua,inde productiua, prius Pater intelligit, quā producat, creata autem prius productiua, inde operatiua; ad hoc namque producimus verbum, vt intelligamus: & id ratione imperfectionis in nobis,summæ vero perfectionis in Patre,vt non egeat Verbo ad intelligendum,cum sit sapiens sapientia ingenita,nos verò sapiamus sapientia producta, & genita.

Memoria Patris, & Creaturæ cōparatio.

32 Hinc denique patet ordo talium

Actus duorum in diuinis vnus nõ est causa alterius. lium actum operatiui, & productiui, vt in diuinis vnus non sit causa alterius, vel viceuersa: sed ambo dicunt ordinem ad idem principium, à quo emanant; itaut sit ordo non causæ, & causati inter eos; sed ordo quasi effecti prioris ad effectum, seu quasi effectum, immo potius productum posteriorem, demendo inperfectiones. in nobis vero non ita, sed est inter eos ordo causæ, & causati, siue talis ordo, qualis est inter actionem, & terminũ productum; mediante namque nostra dictione producitur Verbum, itaut sit dictio ratio productiua intellectionis: vnde fallitur Caietan. 1. p. 27. art. 1. æstimans in via Scoti actum dicendi, & intelligendi esse duos effectus subordinatos, cuius oppositum docuit Scot. in 1. d. 27. q. 1. & 9. met. c. 7.

Actus illi distinguũtur formaliter. 23 Ex omnibus vero elicitur, actus hos intelligendi, & dicendi distingui formaliter, licet sint vnus, idemq; realiter. assertum est Scoti vbi supra, præsertim 1. d. 6. Ratio, quia intelligere est perfectio simpliciter: dicere non est perfectio simpliciter, ergo distinguuntur formaliter. maior prob. Pater est perfectè beatus tum volitione, tum intellectione: ergo volitio, & intellectio est perfectio simpliciter, quia non potest beari, nisi per id, quod est perfectio simpliciter, cum ipse sit perfectus simpliciter; perfectio namque simpliciter reddit subiectum perfectum simpliciter, quia forma dat esse, & denominationẽ subiecto. probatur minor. aliàs si dicere esset perfectio simpliciter, iam Pater esset perfectior Verbo, & Spiritu sancto, quia neuter eorum dicit; & ita non æquales diuinæ Personæ; nec Verbum, nec Spiritus sanctus essent perfecti simpliciter. Item actio de genere actionis, & de genere qualitatis in Creaturis distinguuntur, vt visio, & productio visionis: ergo operatiuus actus absolutus intelligẽdi in Patre erit distinguẽdus formaliter ab actione, seu dictione, siue productione Verbi. Insuper Pater cõstituitur in esse Patris; vt Pater, non per intelligere; nam id est commune tribus; sed per dicere, quod est proprium Patris, & nullius alterius; ergo formaliter hæ rationes inter se distinguuntur; verè enim vna est vltima quasi forma Patris, altera vero non est solius Patris, sed omniũ. reliquæ rationes in propria quæst. de infinitate relationum diuinarum.

ARTIC. III.

Rrspondetur argumentis primis artic.

1 AD primum respõdetur. vnius quidem potentiæ esse vnicũ actum, vnicum inquam realiter, plurificatum tamen, seu distinctum formaliter: tales sunt actus intelligendi, & dicendi, qui ambo realiter sunt vnu, cum realiter sint idem: at multiplicantur eorum formalitates, iuxta rationem intelligendi, & dicendi. Argumentum insuper hoc non potius militat contra Scotum, quàm contra eosdem Thomistas: dum namque aiũt intelligendi actum, & dicendi distingui virtualiter, vtique etiam ipsi plurificant actus istos virtualiter: quare sicut respondetẽt ipsi, esse ambos actus vnum realiter, plures virtualiter, ita & nos, vnũ realiter, distinctos tamen formaliter. Respondetur insuper propositionem illam, vnius potentiæ vnicus est actus, esse veram vbi potẽtia habet vnicam solummodo rationem operandi: at vbi adsunt plures operandi rationes, plures etiam erũt actus: & quidem diuinus intellectus, & est potentia operatiua, & est potentia productiua: vtraque autem potentia habet suum actum, formaliter tamen distinctum, siue virtualiter: vnde mirum non est, si hic habeamus hos actus. distinctius vero respondendo dicimus, vnius potentiæ operatiuæ est vnicus actus operatiuus: vnius potentiæ productiuæ vnicus est actus productiuus. Dicimus tertio, axioma illud indigere vlteriori explicatione: siquidem omnis potentia in operando, loquẽdo de productiua, experitur duos actus, vnum de genere actionis, alterum de genere qualitatis: vt potẽtia *Potentia vnius est vnicus actus, declar.*

tia

tia visiua in videndo experitur duos actus, primus est elicitio visionis, quę elicitio est actio de genere actionis, veluti via ad terminum: secundus est actus ipse visionis productus, qui est operatio de genere qualitatis: ecce, inquam duos actus. consimiliter loquendo de diuino Intellectu vt productiuus est, experitur actionem de genere actionis, quæ est dictio, siue generatio, & productio; experitur etiā terminum productum per dictionem, quod est Verbum, in quo glossas alias ad idem axioma, vnius potentiæ vnicus est actus, nempè adæquatus, plures inadæquati, & similia, sed hæc non faciunt ad subiectam materiam.

Non frustra multiplicantur actus illi. 2 Ad secundum responsio patet, vt ad primum, & cum dicis frustra multiplicari, falsum est, quia vterque necessarius est, tanquā terminus correspondens suæ potētiæ; actus namq; essentialis, seu operatiuus correspondet Intellectui prout est potētia operatiua: & actus notionalis productiuus correspondet eidem prout est potentia productiua.

Pater si nō intelligeret, etiam produceret Verbum. 3 Ad tertium, data hypothesi, vtique Pater diceret Verbum, si per impossibile non intelligeret; sicut enim nos absque præuia intellectione producimus verbum, ita dato casu posset Pater producere, si nihil antecedenter intelligeret: sufficeret namq; memoria fæcunda, quæ ex August. est principium Verbi, non autem est intelligentia.

Primū verbum producit Puer absq; præuia intellectione. 4 Ad quartum, falsa est maior: experimur nāq; in nobis, quod absq; præuia intellectione producendo verbūm intelligimus. & quidem prima omnino intellectio producta à puero dum elucescere incipit vsus intelligētiæ, & rationis, non præsupponit aliā intellectionem, alias non esset prima, & ne demus processum in infinitum; & tamen illa prima tunc producitur, qua quidē producta Puer incipit primo intelligere: ita & nos cum è somno expergiscimur, primo dicimus, seu producimus, inde intelligimus. quod si in vigilia ad nouam intellectionem subsequentem intellectionem præcedunt aliæ intellectiones, & discursus, id quidem erit per accidens, nō enim intellectio causat intellectionem, sed dictio est, quæ producit intellectionē. hinc falsum est axioma, qui nihil intelligit nihil dicit; supponit namq; dicere procedere ab intelligere, cum potius per dicere producatur intelligere. Vel si locum habet, vtique verum erit de intelligere habitualiter, & in actu primo; qui namq; non habet in intellectu suo obiectum præsens sub ratione actu intelligibilis, vtique non potest dicere, seu producere verbum. Vel insuper locum habebit in verbo vocali; siue namq; de amentibus loquamur, siue de sanis, vtique aliquid prius mente concipiunt, siue confuse, siue distinctè, & inde vocaliter dicūt, verbo exprimendo suam mentem: indeq: per verbum vocale exprimunt verbum mentale, cæterum ad rem nō est necesse intelligere præcedere ad ipsum dicere. *Qui nihil intelligit, nihil dicit, declar.*

5 Ad quintum patet solutio ex responsione ad primum, & secundum.

6 Ad sextum licet sit proximior, non tamen competet ei producere, quia memoria est illa, quæ est conueniens principium, non intelligentia ex August. hoc modo Verbum produceretur per voluntatem, quia essentialia sunt proximiora, & priora notionalib. vnde proximitas non est ratio producendi, sed aliquid aliud.

7 Ad Augus. clara est eius mens, vt ibi de duplici agat visione, altera actuali, habituali altera: & vna sit ab altera: est autem visio actualis ex visione habituali: hæc est memoria fæcunda, & illa est intelligentia: est ergo sensus, verbum est visio actualis de visione habituali: idest, est intellectio genita de intellectione habituali, seu de intellectu fæcundo in actu primo: ita pariter est intellectio de intellectione, & scientia de scientia, itaut sit expressio scientiæ actualis de memoria fæcunda, quæ est scientia habitualis. idem habet 15. Trin. c. 21. & de paruis c. 12. 32. *Verbū est visio de visione, declaratur.*

8 Ad octauum, dicendum, quod cum ore loquimur dicimus verbum, & dicimus verbo: dicimus quidem verbum, quia producimus verbum vocale mediante ore, voce, cæterisq; concurrentib. dicimus etiam verbo, *Dicimus verbum, & verbo.*

siquidem mediante verbo vocali explicamus, & declaramus verbum mẽtale: igitur vtrumq; præstamus, primũ sub ratione termini producti; & secũdum sub ratione, & relatione exprimentis ad expressum. hęc omnia consimiliter præstantur à Patre in diuinis; & quidem dicit Verbum, & dicit Verbo: dicit Verbum, dum producit Verbum: dicit Verbo, dum exprimit, & declarat mediante Verbo. dicere autem Verbum est idem ac producere; igitur dum dicit Verbo, & dicit Verbum, testat vt mediante dictione producat Verbum. hæc patent ex supradictis in quęst. de verbo tum creato, tum diuino, vbi de relationibus actum est, quas importat Verbum.

9 Ad nouum falsa maior, sed solummodo illa actio intellectus est intellectio, quæ est actio producta, prout est ipsamet intellectio; at actio, siue dictio est illa, qua fit productio, seu qua fit intellectio, igitur ea non est intellectio. patet ex dictis artic. 2. qua actio illa productiua est actio de genere actionis; at ista nõ est intellectio, sed est causa intellectionis: est namq; intellectio quid absolutum de genere qualitatis: itaq; non omnis actus intellectus est intellectio. patet de cęteris potentijs; etenim visio producitur à potentia visiua: producitur autem mediante actione visiua: verum vero visio sit actio productiua visionis, an ipsa absoluta qualitas producta, vtique non erit actio productiua, sed qualitas, ergo non omnis actus potentiæ visiuæ est visio: sic pariter dictio non erit intellectio, nec dicere erit intelligere, quia non omnis actus intellectus est intellectio, sed solum intellectio producta.

Deus non creat actu operatiuo, sed productiuo.

10 Ad decimum respondemus, quod Deo tum ad intra, tum ad extra, correspondet in eius voluntate duplex actus, alter volendi alter producendi: primus vocatur operatiuus, alter productiuus, distincti formaliter, etiam in ordine ad extra: vt colligitur ex Scot. 1. d. 39. q. vn. litt. L. non enim creat mediante actu operatiuo, quia operationes sunt gratia sui, & sunt vltimus terminus potentiarum; sed creat actu productiuo; per ipsum namq; habemus productionem earũ. ita quoq; ad intra, tum de voluntate, tum de intellectu vltra actum operatiuum intelligẽdi, habet Pater actum productiuum dicendi, de qua re suo loco.

Verbũ est actus intelligendi nõ est causalis sed formalis.

11 Ad vndecimum, loquutio hęc verbum est actus intelligendi, non est causalis, sed formalis: non causalis, quia non producitur per actum intelligendi. Similiter ex opposito dicere est intelligere, est propositio causalis in nobis, quia per dicere nostrũ producitur nostrum intelligere, sicut per dicere Patris producitur non intelligere essentiale, sed intellectio, & notitia genita, quæ est Verbum: non autẽ erit propositio, seu prędicatio formalis, cum non sit vera formaliter, dicere est intelligere, & dictio est intellectio, sed causaliter vt est dictum. Item dictio est intellectio non est propositio in constructione intransitiua, quia non est formalis, sed transitiua, quia causalis.

12 Ad duodecimum, iam constat Valentinum negasse consubstantialitatem Verbi cum Patre; & propterea eum confutat D. August.

Patres nõ inuestigarunt, vtrũ Verbũ producatur per intellectionem, an per dictionem.

13 Deniq; ad Patres primo dicendum Patres non curasse inuestigare vtrum producatur per dictionem, an per intellectionem; hæc enim inuestigant Scholastici; sed intendisse docere, quod tunc dicimus, aut loquimur mentaliter, quãdo aliquid intelligimus, & cogitamus; quod sane verissimum est; quapropter non faciunt contra nos: vel secundo dicendum vt sup. quod constructiones istæ, dicere est cogitare: dicere est intelligere, vna cum similibus loquutionibus Patrũ, non sunt constructiones intransitiuę, quia non sunt formales: sed sunt constructiones transitiuæ, quia causales: etenim dictio est causa cogitationis, & intellectionis. Et insuper vsurpant vnũ pro alio, sicut vsurpari solet causa pro effectu, & effectus pro causa: seu via pro termino, & terminus pro via.

QVÆS-

QVÆSTIO IX.

Vtrum ad generationem Verbi concurrat aliquo modo voluntas.

ARTIC. I.

Referuntur varia placita cum suis probationibus.

Multiplex sensus quæstionis.

1 MVltiplici modo intelligi potest præsens quæstio, & quidem potest esse sensus, primo vtrum diuina volūtas possit ad Verbi generationem concurrere antecedenter; secundo, vtrum concomitanter; & tertio, vtrum subsequenter; de omnibus modis agitatur quæstio. Et in primis est sententia Gotfredi quol.5. q.4. Henr. ibid. & in summ. q.2. art.55. quos ex recentiorib. sequūtur Vasq. 1.p.d.160. Suar. 6. Trin. c.4. Molin. 1. p.q.41. art.2. affirmantium concurrere non quidem antecedenter, nec cōcomitanter; sed solūmodo consequenter. Ad hunc sensum trahunt aliqui D.Thomam; qui licet 1.p.q.41.ar.2. dicat concurrere concomitanter; ly concomitanter sumitur prout distinguitur contra antecedenter, non autē contra consequenter; itant etiam ipse velit concurrere solummodo subsequenter: quod si concomitanter dixit, id intelligendum veniat de concomitantia æternitatis, & durationis, siquidem ibi omnia sunt simul concomitāter absque priori, & posteriori durationis. Capreol. in 1.d.6. q.1. art.1. Ferrar. contr. gent. 4. c.11. alijq; Thomistæ tenent concurrere concomitanter, vna cum citato loco D.Th. Tertia sententia est concurrere omnibus trib. recensitis modis; tum subsequenter; tum concomitanter; tum deniq; antecedenter; ita vt sit volita voluntate antecedenti, comitanti, & consequenti. Sic Scotus 1.d.6.q.vn. art.2. quem etiam sequitur Caetan. loc. cit. ad D.Tho.

Sententia Henrici.

2 Et incipiendo ab Henrico, docet Patrem producere Verbum necessitate naturali, sicut ignis necessitate naturali calefacit; & propterea non esse eius generationem voluntariam antecedenter; licet posita iam in actu Pater sibi complaceat in ea consequenter. probat sententiam, generatio præcedit voluntatem; ergo non poterit esse volita voluntate antecedenti: sequitur consequ. & probatur anteced. generatio est intellectio Patris: sed intellectio præcedit voluntatem, sicut intellectus præcedit eam: ergo non erit volita antecedenter. Suadetur etiam secundo, Pater prius intelligit, quam velit: ergo prius generat, quam velit generare, quia intelligendo generat. Tertio, Pater non est prior generatione actiua, quia per generationem actiuam habet esse; ergo nec prius vult generare, quam generet; sequela tenet, quoniam non potest eam velle, antequam Pater sit: sed Pater est post actiuam generationem, ergo non potest eam velle antecedenter. Quartò si vult eā antequam fiat, igitur vult eam, tanquam futuram; at ratio futuri non est in diuina generatione, cū sit ab æterno: assumptum patet, quæ namq; volumus antequam fiant, volumus vtique vt posteriora, & vt futura. Quin-

tò, voluntas *non fertur, nisi in præcognitum*, ex August. si ergo vult, igitur antecedenter præcognouit Pater eã: si antecedenter præcognouit, ergo antecedenter præcessit generatio volũtatem, & ita voluntas nõn antecessit. Sexto si voluntas antecedit, vtique non nisi in ratione desiderij anteuerteret; at desideriũ inuoluit imperfectionem, vtpote carentiam, & absentiam rei desideratæ. Septimo August. l.65. q. ad Oros. & post ipsum Concil. Tolet. 11. in confess. fid. negant omnino: & quidem Augustinus ait, Patrem voluntate non genuisse, quia preire voluntas sapientiam non potest. & Concil. inquit, *non est credendum, quod Pater voluntate Filium genuerit, nec quod voluntas sapientiam praeuenerit, sed natura*. atq; Concil. Syrmiense can. 21. *si quis consilio Dei factum filium Dei asserit, anathema sit*: pro consilio autẽ intelligit *voluntatem* l. de syn. anath. 24. atq; Hieron. Ephes. 1. *Filium Dei, vt esset voluntatem non præcessisse*. & in ead. sent. est Magist. 1. d. 6.

Voluntas interuenit ex August. 3 Ex opposito Augustinus sæpius indicat voluntatem præire, & habere rationem principij, prob. 9. de Trin. c. 7. ait, *Verbum amore producitur*. & ibid. c. 11. *notitia placita, dignéq; amata Verbum est*. & c. 8. *Verbum cum mente de qua gignitur medius amor coniũgit*. & c. 4. *verbum, quod insinuare volumus est cum amore notitia*. ac lib. 11. cap. 4. *voluntas illa, quæ illac, atq; hac fert, atq; refert aciem formandum, coniungitq; formatam*. ex quib. videtur omnino amorem, ac voluntatẽ esse principium Verbi. & Ricchar. 6. de Trin. c. 17. *vltis*, inquit, *audire Verbum abbreuiatum, velle habere sibi conformẽ, atq; condignum, idem mihi videtur, quod gignere Filium*.

ARTIC. II.

Resoluitur quæstio per assertiones.

Pater producit Filiũ volens. 1 CVm de multiplici voluntate proposita sit quæstio, resoluenda erit non absolutè, sed discurrẽdo per singula. sit autem prima assertio, Pater produxit Filium volens. Assertio nunc absolutè probãda est, inde distinguenda, & declaranda. Assertio in primis est Magistri vbi sup. & Scoti, D. Tho. ac cæterorum, vt sup. probatur 1. Aug. l. 3. contra Maxim. cap. 10. probando Patrem genuisse Filium sibi coæqualem, sic discurrit; si non genuit coæqualem, aut hoc est, quia non potuit, aut quia non voluit: si non potuit, ergo impotens; si potuit, & non voluit, ergo inuidus. patet ergo Augustinum docere Patrem genuisse volentem. Secũdo, Pater priusquam generet, vult generationem; ergo volens generat. tenet sequ. & prob. anteced. antequam generaret cognouit generationem, & genitum: sed ipse diligit omnia, quæ cognouit tanquam bona, ergo volens generat, & vult generationem tanquam bonam. Tertio Apost. Coloss. 1. *transtulit nos in Regnũ Filij dilectionis suæ*: dilectio autem pertinet ad voluntatẽ. Denique ex 5. met. t. 3. c. 3. *Omne inuoluntarium est triste*: at in diuinis nihil est triste, ergo nihil inuoluntarium; ergo à primo ad vltimum voluntariè generat.

2 Secunda assertio, Pater genuit Filium volens, non quidem voluntate noniter accedente, sed sempiterna, & æternali. statuitur cõtra Eunomiũ, de quo D. Aug. 15. tr. prob. mutaretur Deus, si de nouo quid vellet; est autẽ immutabilis, prob. seq. quia de nonvolente fieret volens. Accedit Ambros. l. de Noè, & Arca c. 4. *neq; enim cogitat Deus, vt aliqua ei succedat noua sententia neque irascitur, quasi mutabilis*, & lib. de Spiritu sancto, *si Deus inciperet esse Pater mutaretur*: quod si inciperet habere esse de nouo simpliciter vtique mutaretur, tum secũdum quod simpliciter esset; tum quod volens de nouo esset. de qua re actum in mat. de immutabilitate Dei. *Pater producit volũtate non noua, sed æterna.*

3 Tertia assertio. Pater genuit voluntate consequenti. hæc est omniũ vt sup. absque discrepantia. prob. Pater diligit omnia bona, quæ facit: est autem generatio Verbi opus perfectissimum, ergo diligit eam consequẽter. item de cunctis creatis operibus. *Pater generat voluntate consequenti.*

gene-

genesis initio ait Myses, quod Deus ea approbabat, quia *erant bona*, vnde, & *benedixit eis*. quanto magis approbauit æternam, perfectamq; Filij sui generationem. Insuper Matt. vox Patris intonuit, *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. licet autem loquatur de Verbo incarnato; nihilominus loquitur de eodem Verbo, quia propter vnionem ad Verbũ complacuit sibi Pater tantopere in humanitate Christi: & si id dicitur de generatione temporali, multo amplius valebit de æternali, cum hæc præcedat illam. Accedit Hilar lib. de synod. cõtra Photin. defens. 25. *si quis nolente Patre natum dicat Filium, anathema sit; nõ enim coactus Pater genuit Filium*. quamuis autem hæc authoritas magis faueat pro quinta assertione; tamẽ multo magis fauet pro præ præsenti si namq; genuit volens vo voluntate antecedẽti, multo amplius comitanti, & subsequenti.

Pater genuit voluntate concomitante.

4 Quarta assertio, Pater genuit volens voluntate concomitante. hęc habet suos Authores, de quibus sup. prob: in eodem instanti, quo generat est volens; ergo generat concomitãter volens. prob. assumptum, actus essentialis voluntatis iam est in Patre quando generat; ergo quando generat est volens: sed vult, & complacet sibi in ijs quæ bona sunt; ergo comitanter etiam complacet in generatione Verbi. Item ideo nos primam omnino intellectionem, non producimus volentes concomitanter, quia eo tunc non producimus actum aliquem voluntatis; sed producimus subsequenter ad primam intellectionem; quia nihil volitum, quin præcognitum: ratio autem hæc de notitia genita non militat in Patre; quoniam ante eius gignitionem iam Pater est perfectè volitione essentiali volens; cum essentialia sint priora notionalibus; ergo tunc generat cõcomitanter volens.

Pater generat voluntate simplici antecedenti.

5 Quinta assertio, Pater voluntate simplici antecedente generat volens. assertio est Scoti, Caet. vt sup. prob: essentialia ad intra sunt priora notionalib. sed ante generationem, quæ est quid notionale, iam Pater habet, & intelligere essentiale, & velle essentiale; ergo dum generat, iam præcedit in eo actus voluntatis essẽtialis igitur voluntate simplici antecedenti generat. Confirmatur, Pater antequam generat Filium est perfectè beatus; sed est beatus per actum etiam operatiuum voluntatis; ergo actus hic voluntatis antecedit generationem; ergo voluntate antecedẽti generat. Item ideo primam nostram intellectionem non producimus actu volũtatis simplici antecedenti; quia voluntas non præcedit intellectum, nec primam nostram genitam intellectionem: at in Patre sua diuina voluntas vna cum actu simplici essentiali, præcedit notitiam genitam, quæ est Verbum; ergo volens voluntate simplici antecedenti generat Verbum. Accedit Hilarius iam citatus, dum ait; *non enim Pater iam coactus, aut naturali necessitate ductus genuit Filium*; clarè ostendit ad generationẽ Verbi antecedere volũtatem, & voluntatis actu simplici generari. Assertio est contra Ferrariensem lib. 4. cõtra Gent c. 11. & Capreolum in 1. d. 6. 4 num. Nititur autem Valentia t. 1. disp. 2. quæst 15. puncto 4. conciliare sententias, vt sit prior, & posterior secundùm nostrum modum considerandi: At hoc non sufficit, quia essentialia ex natura rei sunt priora notionalibus, licet non sit ibi prius, & posterius tempore.

Pater non generat voluntate antecedenti tãquam principio productiuo.

6 Sexta assertio, licet volens voluntate antecedenti generet; nihilominus non generat voluntate tanquam principio productiuo. hæc est omnium, & est de fide. prob. principium generationis Verbi est memoria fæcunda, non voluntas fæcunda; ergo non potest generare voluntate, vt principio. item generatio est opus naturæ, non voluntatis: ac proinde est necessaria non libera, libertate vt principio; ergo non generat volũtate vt principio. Insuper principiũ productiuum vnius rationis non potest habere duas productiones eiusdẽ rationis: sed voluntas est principium Spiritus sancti: ergo non potest Filius produci per eam. prob. maio. si in diuinis posset habere duas produ-

actio-

ctiones principiom vnius rationis; ergo posset habere & infinitas, quod est falsum, immo actu eas haberet, cũ in diuinis ad intra non sit potentia, sine actu. declaratur probatio, quia, dum in nobis nostra voluntas potest habere plures volitiones, vtique poterit habere infinitas, licet non omnes simul, sed successiuè, sicut de facto Angeli, & Beati, & animæ separatæ experiuntur successiuè tot, totque volitiones sine numerali termino in infinitũ; ergo si diuina voluntas posset habere duas productiones ad intra; posset pariter & infinitas: haberet autem eas non successiuè, vt creata voluntas, sed simul in actu, quia iam omnes essent necesse esse, & in diuinis posse non separatur ab actu. Denique, quælibet productio ad intra, est adæquata suo principio productiuo; ergo voluntas non extendetur ad producendum quid aliud, vltra Spiritum sanctum. Accedit etiam quod principium perfectum, completum, & adæquatum, vtique de se solo est sufficientissimum ad producendum, sine concursu, & adiutorio alterius: at memoria fœcunda est adæquatum principium Filij, ergo de se sola sufficit sine comprincipio voluntatis, Aug. & Concil. Tolet. vbi sup aiunt, *Patrem voluntate non genuisse, quia præire voluntas sapientiam non potest.*

7 Septima assertio, quamuis voluntate antecedenti generet, nihilominus nõ generat voluntate, tanquã principio applicante potentiam generandi ad opus: seu tanquam principio copulante memoriam fœcundam cum prole genita prob. sequeretur namque generationẽ per opus voluntatis: probatur sequ. in tantum generaret, in quantum voluntas coniungeret parentem cum prole; ergo generatio esset opus etiam voluntatis: sicut si in tantum scribo, in quantum voluntas copulat manum cum calamo in ordine ad scribendum: vtique licet manus, & calamus sint agentia naturalia; quia tamen diriguntur, gubernantur, & imperantur à voluntate, scriptura vocabitur eriã partus volũtatis, prodiens à voluntate. Item id probant authoritates 1. allatæ, vt August. & Concil. Tolet. ac Syrmiensis, cum Hilario, & Hieronymo: quorum testimonia astruunt sextam, & septimam assertionem; cũ namque voluntas præire sapientiam non possit ex Concil. Tolet. & Aug. vtique hoc sensu loquuntur, vt præire non possit sub ratione principij, tum elicitiui, tum copulatiui. apertius verò loquitur pro septima assertione Hieron. cum ait, Filium Dei, vt esset, voluntatem non præcessisse: notanda autem illa causalis, *vt esset*, vnde ostenditur nec sub ratione elicitiui præcessisse, nec copulatiui.

Non generat voluntate antecedenti, vt principio applicatiuo memoriæ fœcũdæ ad rationẽ.

8 Octaua assertio, licet generatio Filij sit voluntaria, modis hucusque explanatis; tamen nullatenus est appellanda libera. est communis omnium: & prob. modus agendi per intellectum nõ est modus agendi librè; procedit autem per intellectũ ergo. Itẽ in eo distinguitur productio Verbi à processione Spiritus sancti, vt illud procedat per modum naturæ, iste per modum essentialis libertatis. Insuper id procedit liberè, quod promanat à voluntate, tãquam à principio elicitiuo, & productiuo: Verbum nõ procedit voluntate vt principio. vt est ostensum ergo non liberè. Addit verò Vulpes, t.3. d 67. ar. 8. n. 8. *Patrẽ communicare Essentiam Filio liberaliter ad mentem Scoti*. sed vtrum hoc sit verum discentietur infra disput. de Spiritu sancto quæst. 4.

Generatio nullatenus appellãda libera.

Ex his alij vim faciunt, vt concludant ly *voluntate*. se tenere *aduerbialiter*, non *causaliter*, tanquam fiat volũtate in casu obliquo septimi casus, quoniam haberet rationem principij elicitiui, & productiui; aduerbialiter verò se tenere, idem est, ac voluntariè, quod est verum, cum generatio sit voluntaria, vt est dictum.

9 Verum non parua est difficultas in via Scoti; siquidem si voluntas præcedit generationem; ergo Verbũ gignitur ex præuia cognitione sui, quod negatur à Scoto sup. in propria q. sequitur, *quia nihil volitum, quin sit præcognitum*; igitur si generatio est antecedenter volita, erit quoque antecedenter præcognita. Respondet Additio quædam ad d. 6. q. vn. lib. 1. sub

Si volũtas præcedit generationẽ, an Verbum generetur ex præcognitione.

ſub litt.D. quando Pater generat volens, non quidem volens generationem, ſed communicationem naturę: vnde infertur, quod præuidetur non quidem generatio vt generatio, ſed communicatio naturæ, vt ſic abſolutè tenta, quatenus diuina Eſſentia poteſt communicari. Reſponſio hæc non diſplicet Radæ 1.p.q.12.art.4. difficult. 2. Smyſingus autem de Trin. diſp.3. q.5.num.266. non approbat eam: nec æſtimat eſſe ad mentem Scoti. ſed cōtra eum eſt apertus locus Scoti in 1. d.10.q.1. ad vlt. vbi expēdens Scotus, quomodo verum ſit, quod voluntas non fertur, niſi in præcognitum: arguendo namque ad oppoſitum, quod Spiritus ſanctus non producatur per voluntatem, ſic arguit, voluntas non fertur, niſi in præcognitum: ergo ſi Spiritus ſanctus procedit per voluntatem, vtique ante ſuam productionē erit præcognitus: reſpondet autem, quod non eſt neceſſe vt pręcognoſcatur actus, ſed ſufficit præcognoſcatur Obiectum: nempe diuina Eſſentia: nō ergo præcognoſcitur actus ſpirandi, ſiue ſpiratio, ſed Eſſentia, ſiue Obiectum. de quo ſpiratur. ita pariter de generatione applicandum eſt, vt licet ſit antecedenter volita, tamen non fuerit pręcognitus actus generationis, ſed Obiectum, ſeu Eſſentia, in cuius virtute continebatur. Smyſingus negat talem eſſe ſententiam Scoti: & probat tum quia d.6. ait Patrem intelligere, & velle gignitionem; tum etiam quia Scotus id non dixit d. 10. ſed fallitur apertè, vt legenti patet: quare ex Scoto d.10. ſufficit Obiectū eſſe cognitum: & ad rationem eius, dicimus cognitionem ibi ſe tenere nō formaliter, ſed cauſaliter, & radicaliter pro Eſſentia. Adeſt reſponſio alia in eodem loco d.10. quod verè Spiritus ſanctus præcognoſcatur: at multi non exiſtimant eam de mente Scoti.

ARTIC. III.

Vtrum viſio Beatorum de diuina Eſſentia ſit proprie Verbum.

PRæſens quæſtio duplicem habere poterit ſenſum: primus eſt, loquendo de verbo, vt verbum eſt ſtricte, & rigoroſe ſumendo iuxta cōditiones ſingulas requiſitas ad verbū: ſecundus eſt, loquendo de verbo late ſumpto, prout cognitio eſt, qualiſcumque ſit: ſeu prout eſt ſpecies expreſſa diuinę Eſſentię, ſeu quatenus eſt actus intelligendi, quo Beati Deum intelligunt. Age nus autem prius de primo, inde de ſecundo.

1 Ad primum, vtrum viſio beatorum in Patria habeat proprie rationem Verbi. arguitur quidem affirmatiuè, primo, verbum eſt cognitio producta à cognoſcente, & cognito: talis eſt cognitio beatorum. 2. verbum eſt ſimilitudo repræſentatiua obiecti cogniti. cognitio beatorum eſt ſimilitudo expreſſa obiecti diuini. 3. Auguſt. l.14. de Trin. c.16. *cogitatio noſtra perueniens ad id, quod ſcimus, atque inde formata, verbum noſtrum verum eſt*: igitur verbum erit cognitio perueniens ad viſionem diuinæ eſſentiæ. Idem Auguſt. infra ſubdit, *Nunc in iſto ænigmate in quo Deum cognoſcimus, eſſe diſſimilitudinem Dei, cum vero videbimus eum ſicuti eſt, tunc verbum noſtrum non erit in ſe falſum, quia neque mentiemur, neque fallemur.* videtur hic reſoluere aperte quæſtionem Auguſt. vt viſio beatifica, prout contradiſtincta à viſione enigmatica, ſit vere verbum. & confirmatur ex Apoſt. rom. 12. & Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, vt incipiat illa imago,* inquit, Auguſt. *quæ eſt in mente noſtra, ab illo reformari, à quo formata eſt.* Denique 9. Trin. c.7. *in illa æterna veritate, ſecūdum quam ſumus, vel aliquid recta ratione operamur, viſu mentis conſpicimus: atque inde conceptam rerum ve-*

Pro parte affirmatiua arguitur.

racem notitiam tanquam verbum apud nos habemus. Arguitur etiam authoritate Scoti, qui quolib. 15. ante litt. A. docet, beatos de rebus visis in Essentia diuina habere verbum: eadem vero ratio videtur esse de obiecto primario, & secundario.

Pro parte arguitur negatiua. 2 Ex opposito arguitur, beatos non producere verbum. 1. *Beatitudo consistit in aliqua operatione, non autē in aliqua qualitate* ex Arist. 10. Ethic. c. 3. at visio Dei est ipsa formalis beatitudo; ergo ipsa est mera operatio, & actio, ergo non erit qualitas aliqua producta per visionem, quæ qualitas sit verbum. Secundò si per visionem producitur verbum, ergo beati non vniuntur immediatè Deo, nec beatificantur immediatè in Essentia diuinā; prob. nam visio coniungeret mediante verbo producto: & ita visio terminaretur immediate ad verbum creatum, non ad Essentiam increatā, nec immediate viderent Deum, sed viderent in aliqua similitudine, quod est error Armenorū. Tertio in creaturis ponitur verbum vt suppleat vicem obiecti siue absentis, siue imperfecte intelligibilis per seipsum: at in beatifica visione Essentia beata est perfectissime præsens in ratione obiecti intelligibilis. Demum non datur species expressa diuinæ Essentiæ, ergo non datur verbum, esset enim similitudo, & species, ac imago Dei Essentiæ: huius sententiæ sunt Caet. 1. p. q. 27. art. 1. Ferrar. 3. contra g. c. 49. ante quos Henric. quol. 3. q. 1. & quol. 4. q. 8.

3 Quæstionis solutio pendet ex conditionibus postulatis ad verbum. retulimus vero plurimas ex ijs initio loquendo de natura, & conditionibus verbi, occasione diuini Verbi producti: duas autem ibi conditiones reliquimus, nec attigimus; non enim faciebant ad id propositum: verum quia modo deseruiunt ideo huc usq; eas distulimus: quibus perspectis habebimus solutionem quæsiti.

Considerationes aliæ ad Verbū. 4 Conditiones vero, quæ nūc desiderantur, duæ sunt, prima est, vt verbum sit similitudo, & imago obiecti: secunda vt obiectū concurrat ad productionem verbi tanquam causa non quidem libera, sed omnino naturalis. probatur vtrumque verbum ex August. ibi recensito, est memoriæ proles, quæ nascendo producitur: at proles non est, nisi à principio agente per modum naturæ: prob. generatio est opus naturæ; est enim à principio viuenti coniuncto in similitudinem naturæ; igitur natura est, quæ agit. hic autem duo habentur, habetur quidē similitudo, & habetur similitudo illa ex vi, & impulsu naturæ: ambo hęc requiruntur, tum vt intellectio, & actio fit similis; tum etiam vt procedat similis per modum naturæ: alias si dederis primum solummodo, non erit verbum, deficit enim causa agens per impulsum, & per modum naturæ.

Beati de Essentia non producunt Verbum rigorosè sumptum. 5 Hoc stante dicimus loquendo de verbo proprie, & rigorose sumpto beatio in Patria de Essentia Dei nō producunt verbum: sumpto tamen verbo late, & improprie, producunt verbum. est Scoti, pluriumq; Scotistarum, vt infra. probatur prima pars: Verbum ex August. appellatur proles: at de ratione prolis est, vt sit à principio agente per modum naturę: sed in ordine ad visionem beatificam non agit per modum naturæ Deus, quia ad extra agit libere, cum ergo diuina sua voluntas, siue Essentia cum voluntate, moueat Intellectum beati ad visionem, sequitur, vt visio ex parte obiecti non producatur per modum naturæ, & consequenter non sit propriè verbum. Item si homo per volūtatem, tanquam per principium generatiuum generaret hominem, nullatenus eius productio esset vere generatio, nec productum esset vere genitum, quia non produceretur per modum naturæ: cum ergo Essentia diuina beatum moueat, quatenus libere per voluntatem applicata, non vtique intellectio erit verbum. Insuper, concurrit beatificum obiectū, at tanquam causa magis principalis. Demū est expressa mens Scoti, ait enim q. 14. quol. *Actualis notitia obiecti est verbū eius: sed illa sola, quæ de ipso nascitur tanquam proles, hoc est, non tantum est naturalis similitudo eius, sed naturaliter gignitur ab ipso, nascendo:* notitia ergo actualis, quæ producitur immediatè

diate per voluntatem, non est verbũ obiecti: hæc Scotus ex quibus verbis insinuatur, & verbum debere esse similitudinem, & quod producatur vt simile ex naturaliter mouente obiecto. Insuper ex eodem, verbum debet esse partus, & proles memoriæ: est autem memoria causa agens naturaliter: non sic Dei Essentia vna cũ sua voluntate ad extra, cum agat libere. Præterea diuinũ Verbum habet quidem rationem perfecti Verbi, & non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus Verbum; quoniam Spiritus sanctus producitur per modum voluntatis, & liber: Verbum per modum naturæ; ergo à consimili verbum creatũ eatenus erit verbũ, quatenus ab vtroque parente.s.potentia, & obiecto, producitur per modum naturæ; vbi vero obiectum deficit in sic producendo, concurrente cum eo voluntate mouente, non erit proles, non erit verbum. Sequuntur hanc sententiam Authores opinionis secundæ; quib. addimus ex Scotistis, Lychet.eum q. 14.tum 15.quol.

6 Secunda autem pars assertionis inde sequitur, quia non vident Beati Deum formaliter mediante visione increata; ergo mediante visione creata: at hæc est producta, etiam ab ipso Beato, ergo habent intellectionem, & cognitionem de Deo: cognitio autẽ qua cognitio, potest large appellari verbum: & hoc probãt authoritates, & argumenta initio allata.

Conuenientia, & dissidentia à Thomistis. 7 Licet vero conueniamus in sẽtentia cũ sectatoribus Thomistis opinionis secundæ; nihilominus alia est ratio opinionis nostræ, & alia ipsorũ, & quidem negant produci verbum; non propter nostras allatas rationes, sed aliunde; aiunt namq; beatos vniri diuinæ Essentiæ immediate per visionem, sed per eam non producere verbum, quia impossibile est dari de diuina Essentia similitudinem, siue speciei impressæ, siue expressæ, ideoq; nõ dari verbum. hoc est fundamentum eorum. Verum fundamentũ hoc euertimus, & negamus: potest namq; dari vtrumq; vt suo loco. Item ad id, quod dicũt, dari visionem sine verbo, quomodo potest id subsistere, est autem falsum, prob. visio beatifica est qualitas ab intellectu producta; ergo per eam formaliter intelligit, ergo ea est verbum. Item de ratione intelligentis est, vt per intellectionem aliquid intelligat: sed intellectio est verbum. Insuper actus immanentes sunt veræ qualitates: qualitas hæc est vera intellectio, verumq; verbum. Denique non potest intelligi actio sine termino per actionem producto: visio est actio, ergo ad productionem Verbi terminata. Aiunt Thomistæ, discrimẽ esse inter intellectionem, & Verbum: hoc namque est similitudo Obiecti, illa non: at non datur similitudo diuinæ Essentię. Sed contra, quæro ad quid deseruit illa intellectio; aut.n. repræsentat Deum, aut non: si non, ergo ad nihil deseruit; non enim ponitur intellectio, nisi vt sit repræsentatiua obiecti intellecti; aliàs destruitur eius munus, & essentia: si repræsentat, aut quidem repræsẽtat in fieri seu in via, aut in termino per eam productio: si primum, erit actio de genere actionis, quæ est via ad terminũ, & ita habebimus quod non sistemus in sola intellectione vt in via, sed prout ordinata ad producendũ verbum: si secundum, vtique perfectius repræsentabit, quia ordinabitur ad Verbum per eam productum, & ita necessario producent aliquid per eã, cui non implicabit esse repræsentatiuum diuinę Essentiæ. est ergo dispar ratio nostri, & ipsorum in negando Verbum; concordãt enim in sententia, discrepant in ratione probandi.

8 Et ideo argumenta eorum soluendo dicimus ad primũ, quod beatitudo non consistit in illa sola qualitate intellectionis, sed requiritur etiã ordo, & tendentia ad obiectum, qua tendentia attingatur obiectum: itaut habita sola intellectionis, volitionis qualitate, absque tendentia vnionis ad Obiectum beatificum, nulla haberetur beatitudo, & propterea dicit quòd consistit etiam in operatione, debet namque potentia beatificabilis non solum recipere, verum etiam & producere, siue operari eam: operatio autem illa ibi non est alicuius *Beatitudo non consistit in sola qualitate visionis, sed in tendentia &c.*

R rei

rei productio, sed est attingentia Obiecti per intellectionem; ideoq; subdit beatitudinem consistere in contemplatione.

Inter potẽtiam beatificam, & Obiectum beatificum an aliquid mediet.

9 Ad secundum, dicimus fieri vnionem immediatam immediatione Obiecti; quandoquidem Intellectus nõ habet aliud per se Obiectum immediatum beatitudinis, nisi solam Essentiam, & nullum aliud obiectum mediat, nullumq; aliud est, nisi ipse Deus: quod vero inter potentiam, & Obiectum mediet ipse actus, id necessarium omnino est, aliàs non posset potẽtia vniri Obiecto: igitur ad beatitudinem nõ implicat mediatio actus, licet implicet mediatio Obiecti; vnde vniuntur immediatè immediatione Obiecti, sed mediante actu: tum etiam quia actus nõ habet rationem obiecti, sed medij attingendi obiectũ: curreret vero argumentum, si actus habet rationem obiecti, nam tunc prius beatificaremur in actu, tanquã obiecto creato, quàm Obiecto diuinæ Essentiæ increato.

Verbũ ponitur, vt eo mediante vniamur obiecto.

10 Ad tertium, verbum ponitur, vt mediante eo vniamur obiecto, siue absenti, siue præsenti: absenti quidem, vnione intellectionis abstractiuæ: præsenti vnione intuitiua: licet igitur obiectum sit optimè præsens, vt in visione beatifica, nihilominus requiritur vnio intellectus ad obiectũ, ea vero fit mediante intellectione: differentia autem tum verbi creati, tũ diuini iam allata est, quia nos producimus verbum vt intelligamus, & propterea producimus verbũ, ex indigentia; Pater verò producit Verbũ ex fœcunditate, & summa perfectione naturæ non autem vt intelligat, nec vt beatificetur per Verbum; nam Pater antequam generet Filium est perfectè beatus; intelligit autem per notitiam essentialem, & improductam.

11 Ad quartum negatur assumptum, datur enim expressa, & impressa ex Scoto, & sequacib. nec obstat de similitudine, etenim verbũ creatum, siue species licet non sit similis in essendo ipsi increatæ Essentiæ, erit tamen similis in repræsentando, & hinc concluditur fundamẽta eorum non esse sufficiẽtia ad excludendum verbum.

12 Constito ergo, non implicare ex parte fundamentorum Authorum prædictorum, posse beatos habere verbum: constito etiam, implicare aliunde posse beatos verbum habere de Dei Essentia restat vt argumenta initio posita soluamus, probãtia posse verbum producere.

Nõ omnis intellectio est verbũ, sed naturaliter producta.

13 Ad primum, iam constat non omnem intellectionem esse verbum, sed intellectionẽ productam ab obiecto per modum naturæ, cuiusmodi est beatifica visio, diuina cõcurrente voluntate.

Non sufficit ad verbũ esse similitudinẽ sed requiritur, vt exprimatur per modũ naturæ.

14 Ad secundum, non sufficit intellectionẽ esse similitudinem obiecti, sed requiritur vltro vt talis similitudo exprimatur ab obiecto operante per modum naturæ; licet autem intellectio beati sit beatifici obiecti naturalis similitudo, non tamen est naturaliter ab obiecto producta, diuina concurrente voluntate.

15 Ad tertium, & omnes authoritates, nil aliud probant, quàm quod Beati vniuntur Deo beatifica visione: cæterum non disquirunt, nec docent, vtrum talis visio habeat rationem veri verbi strictè sumpti, sicut nos disputamus: dum verò verbum appellant, id lato, & extenso nomine verbi dicunt, relictis scholasticis disputationibus.

Ad Scotũ.

16 Ad Scotum dicimus loqui de Creaturis spectatis in genere proprio, non autem in Essentia diuina.

Beati nec formant Verbũ nec de Essentia, nec de Creaturis visis in Essentia.

17 Et hinc sequitur vt quæ ad principale intentum diximus de Essentia diuina, dicamus quoq; de Creaturis visis in ipsa Essentia diuina: vt sicut de ipsa non possũt forma e Verbum, ita nec de creaturis visis in ea; ratio est, quia Creaturæ in Essẽtia visæ, prout in Essentia reduplicatiuè, nõ mouent nec causant de se cognitionem sui, sed Essentia est, quæ eorũ cognitionem causat; ergo nec de ipsis formatur Verbum: consequens sequitur. Essẽtia namque cum Dei voluntate reuelat Petro de creaturis, facitq; in speculo diuinæ suæ Essentiæ videre quæ libuerit, cum ergo motio sit voluntaria, non erit verbum. Accedit, quia ex August. lib. de videndo Deum, & Ambr. in Luc. *In Dei pote-*

state

ftate fatis eft videri, cuius natura non eft videri: fi vult videtur, fi non vult, non videtur; ergo omnimode pendet à fua voluntate tum Effentiam, tum creaturas in ipfa videre: idemq; fit vt non producant verbum.

Beati an videant mediante verbo productio.

18 Quoad fecūdum, quæftio hęc folet fub alio motiuo exagitari, non quidem fpectando verbum in rigore, vt verbum eft; fed quatenus contendunt, vtrum beatitudo confiftat in operatione, an in productione alicuius qualitatis, fiue vtrū Beati videant Effentiam per fpeciem expresfā, quæ eft actus cognofcendi productus de Effentia: fi namque mediante qualitate aliqua producta videretur, iam nō videretur immediatè Deus à Beatis. Ex oppofito autē, videri per qualitatem mediam quam, & fi lato nomine, appellant verbum, feu intellectionem, fentētia communior eft. de qua nos infra in quæft. de fpecie impreffa, vtrum dari poffit fpecies intelligibilis abftractiuè repræfentans diuinam Effentiam.

19 Quo loco fenfijt Soncinas in 4. d.49.5. & Capreolus ibid. nō dari tale fic verbū, quoniā Verbū ponitur, vt fuppleat abfentiā obiecti; at Effentia eft obiectum præfens intuitiuè beato: vnde hi negant verbum, ea ratione, qua beatifica cognitio eft intuitiua: admittūt verò in cognitione abftractiua; quando namque haberi nequit obiectum in fua præfentia, habetur in fua imagine, feu repræfentatiuo, id autem eft verbum. Alij verò ex capite altero id negant, non quia vifio eft intuitiua, fed quia eft vifio Dei, vt Deus eft: vnde aiunt Deum videri *non in verbo creato, fed increato.* ita Henric. quodlib.3. Caetan. 1.p.q. 12.art.2. probabile effe docet Ferrarienf. 2. contra gen c.5. cum Sylueftr. in Conflat. 4 p.q.12. ar.2. inducuntq; D.Thōmam, vtpote 1.p.q.12. art.2. dicentem, *per creatam fimilitudinem Effentiam videri non poffe.* Alij negant hoc, quoniam, inquiunt, verbum non diftingui à fpecie intelligibili: ex his, tribuitur Aegydio: de quo fup. quæft. de verbo mentis, quid fit &c. Alij denique negant, quoniam exiftimant, verbum non effe cognitionem directam, fed reflexam: vifio autem Dei eft cognitio directa: Hi funt quidam innominati penes Aureolum in 1. d. 27.p.2. Alijq, alia fenfere, de quibus fupra, agendo de natura creati verbi.

20 Et quidem, fi non produceret Beatus, in hoc fenfu, verbum, fequeretur alterum iftorum; vel quod non videret Effentiam; vel fi videret, non videret eam per verbum creatum, fed per Verbum increatum formaliter: atq; ita Verbum diuinum informaret intellectum Beati, effetque accidens, & forma inhærens intellectui Beati probatur quandoquidem hæc competūt ipfi intellectioni, vt & informet, perficiatq; intellectum: & vt fit forma accidentalis ipfi inhærens: quód fi euitare intendunt hoc incōueniens, opus eft, vt concedant Beatos videre per verbum creatum, & per verbum inhærens ipfis: quod fi & hoc inficiantur, opus eft, vt cōcedant Beatos Effētiam nullatenus videre. Rationes alias adducemus ibi.

21 Eft quoque expreffa fententia Auguftini; is namq; lib 9. de Trin. c.7. ait, *inde conceptam rerum veracem notitiam, tanquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus, gignimus, nec à nobis nafcēdo, difcedit.* libro item 15. c.16. *Cognitio noftra perueniens ad id, quod fcimus, atque inde formata, verbum noftrum verum eft.* & lib.14. c.16. pertractans illud Ephef.4. *Renouamini in nouitate mentis veftræ*, ait, *Vt incipiat illa imago ab illo reformari, à quo formata eft.* & infra c.17. *In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei fimilitudo, quando Dei perfecta erit vifio, de qua dicit Apoftolus Paulus, videmus nunc per fpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: & Apoftolus Ioannes, Cum apparuerit, fimiles ei erimus, & videbimus eum ficuti eft. Hinc apparet, tunc in illa imagine Dei fieri perfectam fimilitudinem, quando eius plenā perceperit vifionem.* Ac demum eod. lib.15. c.16. inquit, *Cum tanta fit nunc in ifto ænigmate diffimilitudo Dei, & Verbi Dei; quia tamen nonnulla fimilitudo reperta eft, illud quoque fatendum eft, quod etiam cum fimiles ei erimus, quando videbimus eum, ficuti eft, quod vtique qui dixerit, hanc proculdu-*

bio, quæ nunc est, dissimilitudinem attēdit, nec tūc natura illi erimus æquales; semper enim natura minor est faciente, quæ facta est? & tunc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia neque mentiemur, neque fallemur. loquēs insuper Augustinus, ac quærens quidnā sit verbum, ibidem, ait, *Cognitio nostra perueniens ad id, quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum verū est.* & serm.20.de Sanct. *Verbum esse definiunt ipsam cognitionem, quæ adhuc intra conscientiæ secreta retinetur.* Accedit Damasc.lib.1.de fid. orth. cap.18. *Verbum est naturalis mentis motio, secundùm quam mouetur, intelligit, & cogitat.* Ansel.Monolog c.31. *Cogitationem cuiuscunque rei esse imaginem obiecti, & verbum eius.* Et denique Parisiensis lib. de Retrib.Sanct.ait, *Tunc vis nostra intellectiua æterno, & cælesti sponso suo beatissimis amplexibus copulata, non tam concipiet, quàm etiam pariet, & Filium, & Verbum, ad imaginē, & similitudinem primogeniti Filij; & Verbi; huiusmodi enim resultatio in vi intellectiua nostra verbum erit spirituale exemplum pulcherrimum, ac perfectissimum primi Verbi.* Ex his autē apertè constat Beatos videre per verbum productum. Euasiones verò; ac replicas adducemus loco eit.

Verbum quid ex Patribus.

22 Ad rationem vero de visiōne beatifica, quod non esset immediata, responsum remanet supra ad secundū pro sententia negatiua. Similiter ad id, quod verbum produeitur propter absentiam obiecti in cognitione abstractiua, responsio habetur ibi ad tertium.

ARTIC. IV.

Occurritur obiectionibus primi artic.

1 AD primum Henrici, respond. primo supponere, generationem fieri per actum intelligendi: sed hoc est improbatum supra in propria quæst. Respond.2. concludere de voluntate antecedentī tanquam principio elicitiuo, & productiuo, quod est concessum; non autem de voluntate simplici, vt est dictum.

2 Ad secundum, cum ait, Pater prius generat, & prius intelligit, quā velit: loquendo de intellectione essentiali, vtique prius intelligit, quam velit: sed fallitur, supponendo, generare per intellectionem, cum generet per dictionem. Resp. etiam intellectionē quidem essentialem esse priorem volitione: at generationem, quæ fit per actum dicendi, esse posteriorem ipsa essentiali volitione.

3 Ad tertium concesso antecedenti, negatur consequens. ad prob. concedo quod Pater non potest velle antequam sit Pater: nihilominus potest velle antequam habeat terminū productum; quia licet Pater habeat esse per generationem actiuam; nihilominus essētialia in Patre sunt priora notionalibus: & ita actus volendi præcedit generationem. Durum quidē videtur hoc, sed ideo est, quia difficulter capere id potest nostra imaginatio; cum tamē verissimum sit, quod licet constituatur per generationem actiuam; nihilominus essentialia præcedunt, quoniam sunt priora notionalibus: & sicut homo prius est animal, quam homo; ita Pater prius est volens, quam generet, quia prius est Deus, quam Pater. Rad.q.12. art.3.& nos sup lib.2. quæst. verum essentialia in eadem persona sint priora notionalibus: & hic Artic.sequenti.

Pater non potest velle antequā sit Pater, sed antequā terminū productum.

Essentialia in eadem persona priora notionalibus.

4 Ad quartum, nihil est ibi futurum, cū omnia simul fuerint ab æterno in instanti æternitatis: nostra autē imaginatio est, quæ concipit rationē futuri, sed fallitur: est vero secundum nostrum modum intelligendi prius, & posterius in voluntate antecedenter ad generationem.

5 Ad quintum concludit de cognitione essentiali, quod hæc antecedat volontatem, & volitionem, sicut ipse intellectus antecedit potentiam volitiuam; non autem de notitia genita, quæ subsequitur ad volitionem. Item verum est axioma de prima omnino intellectione, quæ semper præcedit volitionem, tum in Deo, tum in nobis;

Intellectio quæ præcedit volitionem.

nobis; at de secunda non est verum; vt patet in nobis, qui possumus habere intellectiones sequentes imperatas à voluntate: quamuis autem notitia genita non imperetur à voluntate; nihilominus est post essentialem actum voluntatis in diuinis. ad 4. ad hæc, quæ dicta sunt supra in antecedenti Artic.

Voluntas desiderij an in diuinis.

6 Ad sextum, vtique desiderium de re absenti, imperfecti rationem habet; & quando differtur res desiderata affligitur animus, quia *spes, quæ differtur affligit animam*. at in diuinis non habetur voluntas sub ratione desiderij; etenim ibi nulla expectatio, quia omnia sunt ab æterno, nullaq; interuenit mora, & tempus; sed est voluntas absoluta abstrahens ab expectatione, & mora.

Ad Patres negantes volūtatem praire generationē.

7 Ad August. Concilia, cæterosq; Patres, in tantum negant voluntatem præire sapientiam, inquantum negant habere rationem principij productiui: cæterum non sunt contrarij modis loquendi relatis iuxta propositas assertiones, at de Concilio illo Syrmiēsi, vide Baron. ad ann. 357. Item negāt præire ordine durationis, & temporis.

Voluntas quanā copulet parētem cum prole.

8 Ad authoritates alias ex August. ex opposito adductas dicendum eas loqui de verbo creato: & quidem voluntas nostra quādoq: copulat parentem cum prole, quod facit, ordinando, imperando intellectui, vt intelligat, vt euenit de facto. sicq; etiā verbum à voluntate, non quidem producente, cum verbum sit proles intellectus; sed copulante aciem cum obiecto, imperando vt producat, siue vt producendo iterato continuet intellectiones, ac multiplicet. Ratio, quia habemus in nobis plura verba: de primo quidem nil spectat ad nostram volūtatem, cum voluntas omnino sequatur: at de vlteriorib. intellectionibus spectare potest ad eam, imperando menti, vt iterum intelligat: talis vero copulatio, imperium, & præuentio vt sic, non reperitur penes Verbū Dei, quia non est voluntas, quæ copulet mentem cum Essentia ad producendum Verbum.

Cōiungere parentem cum prole an spectet ad tertiam partē imaginis.

9 Dices, coniungere parentem cum prole assignat August. voluntati creatæ, prout est tertia pars imaginis, repræsentans Trinitatem; ergo similiter Verbum imago Patris producetur per voluntatem coniungentem parentem cum prole. Resp. cōiungere parentem cum prole spectare ad tertiam partem solummodo per accidens, cum tamen ad eam propriè spectet diligere, & amare obiectum, & notitiam genitam; & inde fit, vt cū sit per accidens vtique Verbūm increatum non producetur per talem coniunctionem: produci vero sic, pertinet. & contingit in nobis: & id quidem non pro prima, sed pro cæteris aliquib. quandoq; intellectionib.

Ad Richardum.

10 Ad Ricchar. resp. primo, quod aliter videtur Augustino, qui 5. Trin. c. 14. docet quod *Spiritus sanctus procedit quomodo datus: Filius quomodo natus*; quia ille per modum voluntatis, hic per modum naturæ. Vel loquitur de voluntate nō eliciente, vt principio productiuo, sed vt complacente, iuxta quæ diximus.

ARTIC. V.

Quomodo Pater possit velle generationem prius quàm generet.

1 Difficultas tertij argumēti expostulat ampliorem declarationem. & quidē arguebatur, Pater prius generat, quam velit, quia prius est Pater, quam velit: & prius constituitur in esse per generationem, quam operetur volendo: quod si generatio actiua tanquam constitutiuum præcedit, & prima est, qua mediante Pater est Pater, quomodo potest velle antequam generet. item per generationē actiuam habet quidquid habet, una cum intellectu, uoluntate, siue operationibus essentialib. intelligendi, & uolendi; ergo prius generat, inde uult;

constituitur siquidem non per uelle, sed per generare.

Ordo eorũ, quæ sũt in composito. 2 Obseruandum, quod in composito, ea, quæ insunt tanquam sui causa, precedunt compositum, etiam quatenus sunt in composito: exemplum, iã constat de plano, materiam, & formã esse priorem composito in constituẽdo: quia præcedunt tanquam causa suum effectum: Cõstare etiam debet, quod quidquid sit de earundem partium causatione, contemplando eas, quatenus insunt in composito, utique dicunt quoq; esse natura prius composito: ut docet Scot. de materia, quę etiam in composito est prior eo, in 2. d.1.q.2.& in 1.d.5.q.2.atq; 7.met.q.6. In homine insuper reperitur ratio entis, substantiæ, corporis, animalis, & rationalis: licet hæc ultima ratio sit ultimato formaliter constitutiua hominis: tamen non potest dici hominẽ esse prius rationalem, quam animal, corpus, substantiam, ens: ut optime speculatur Scot. quol.1. sed sicut ratio entis, substantiæ, corporis, & animalis præcedunt ultimam formam constitutiuam, seu dantem esse specificum hominis: ita prius dicetur homo esse ens, substantia, corpus, animal, quam homo. Discursus est uerissimus: sed nostra nos fallit imaginatio: cum nesciamus id intelligere: quia prius debet esse homo, quam hæc omnia contenta in homine. At si intelligamus conceptus istos præcedere, & subsequi ordine quidem naturæ, non temporis, omnis tollitur dubitatio. & profecto signa hæc talium conceptuũ non sunt in *quib.* sed *à quib.* quo stante sequitur, ut unum sit & prius natura altero, & omnes sint prius natura ipso homine.

In Patre multiplices conceptus. 3 His actis, Pater habet multiplices in se conceptus: utpote Dei, intellectus, uoluntatis, modorum intrinsecorum, attributorum, & generationis actiuæ: ordo interuenit inter hæc: vt prius concipiatur esse Deus, inde intelligens, & volens, vna cum modis, & perfectionib. attributalib. reddendo suo loco, & ordini singula singulis: Deniq; vero intelligitur generatio actiua, per quam fit Pater. Hoc stante, dum constituitur per generationem in esse Patris, adducendũ quod actiua generatio non sufficit, sed requiruntur etiam omnia recensita; etenim si est Pater, vtique est Pater Deus, intelligens, volẽs, perfectus vndequaq; &c. quod si hæc ita se habent, necesse est vt ipsum ordine naturæ prius concipiamus secundum priores conceptus, inde secundum posteriores: at prior est conceptus intelligentis, & volentis, quam conceptus generationis, quoniam prius constituitur per conceptum Deitatis, intellectus, & voluntatis, vt est dictum, & tandem per conceptum generationis; ergo bene currit quod prius velit generare, quam generet, priusq; intelligat, & velit generationem, quã faciat eam: & ita satisfactum remanet argumento. Cum dicitur, *Pater prius generat, quam velit*, quia per generationem est Pater; Resp. quod est Pater & per generationem, & per intellectionem, & per volitionem: at priora sunt concepta intellectionis, & volitionis, quã generationis; ideo prius vult, quam generet. *Pater prius vult generare, quã generet.*

Obiectio. 4 Dices ex doctrina tradita sequi in Patre antecedere ad generationem, intellectum, & voluntatem solummodo in actu primo, nõ in actu secundo: quia operationes presupponunt esse operantis; ergo prius erit per generationem Pater, quam intelligat, & velit: sicut Angelus iam constituitur in esse suo prius per intellectum, & voluntatem solummodo in actu primo; inde vero post constitutionem dicitur intelligens, & volens in actu secundo; ergo Pater generationem vult post quam constituitur in esse per generationem.

Respondetur. 5 Resp. esse disparem rationem de Patre, & Angelo; & quidem Pater & est Pater, & est Deus. hinc fit, vt antequam intelligatur esse Pater secundum naturalem ordinem intelligendi, est vere Deus, estq; intelligens, & volens nedum in actu primo, sed in actu secundo; volitione, inquam, & intellectione essentiali: quo stante, mirum non est, vt in hoc priori naturæ, velit generationem sequentem in posteriori signo naturæ, ratio quia essentialia sunt priora notionalib. etiã

in

in eodem supposito, & persona. Angelus non ita, quandoquidem tūc est potens intelligere, & velle in actu secundo, cum est vltimato constitutus per differentiam vltimam in esse Angelicante autem non potest, quia nullatenus est: at Pater, antequam concipiatur per generationem Pater, est verè Deus, intelligens, & volens in actu secundo essentiali; igitur vt sic; volet generationem antequam concipiatur fieri.

Actiones sunt supposito rū declar. 6 Dices, *operationes sunt suppositorum* ex Arist. proœ. met. ergo operatio volitionis generationis erit suppositi, & à supposito; & ita erit à Patre postquam per generationem est Pater. Respond. in primis non dicere Aristotelem *actiones esse suppositorū*, sed esse circa singularia: vnde est, vt præferat *experientiam arti*; quia illa est de singularib. hæc de vniuersalib. itaq; actiones sūt etiam singularium. hoc vero intelligi quoque potest, vel formaliter subiectiuè, vel obiectiuè: hoc quidem obiectiuè constat, vt est dictum; cum sint circa singularia; non enim agimus circa vniuersalia; neque tangimus, olfacimus, mouemus, comedimus vniuersalia, sed singularia; ideoq; obiectiuè sunt circa singularia. subiectiuè quoque verum est esse singularium; siquidē id, quod operatur, & agit, non est vniuersale, & abstractum, sed singulare, & concretum, ergo sunt singularium. patet quoque ex eodem Aristot. 3. de anim. vbi docet animam sapere, & intelligere, & nihilominus anima non est suppositum, sed singulare: item de accidente separato, cui competeret eadem actio, eadomq; virtus agendi, quæ competebat ei, quatenus inexistenti in subiecto, si conseruaretur absque subiecto à Deo, vt conseruatur in Sacramento Altaris. Insuper, quia cōtingit vt plurimum singularia multa reperiri in suppositis; ideo etiam actiones possunt esse suppositorum; ratio, quia actiones egrediuntur à natura singulari, & supposito, in quo est; igitur à tali actione denominationem sumet vtrumque & natura, & suppositum: Verum id diuerso modo, & quidem actio est naturæ singularis, tanquam *rationis agendi*; quia natura est forma, & principium *quo* agendi: est autem actio suppositi, tanquam *conditionis Agentis*; quoniam ipsum suppositum est principium *quod* agendi, appellatur quidem suppositum non ratio, sed conditio; quia si suppositum nō esset, in ea natura, nihilominus etiam natura ageret, manente in ea principio, & ratione suo modo agendi; vt id, quod intelligit, vult, amat, & operatur, est homo, siue suppositum hominis; nihilominus si natura hæc singularis, à nullo esset supposita, etiam amaret, intelligeret, operaretur, & huiusmodi amplius vero patet de anima separata, vt est dictum. Denique actiones sunt suppositorum, verum est, tanquā *vltimatè denominatorum*; quia actiones multa denominãt: & denominant ea ordinatè, vt sunt: prius vero denominant naturam, quia prior est; inde denominant suppositum, quia vltimū, & posterius est; & propterea benè dicitur esse suppositorum, tanquam vltimatè denominatorū. homo scribit: actio hæc denominat primo naturam singularem; inde vltimo denominat suppositum huius hominis scribētis; est igitur actio suppositi, veluti vltimato ab actione denominati. Scot. in 4. d. 12. q. 3. ad 2.

7 Ex his respondetur ad argum. operationem hanc volendi esse suppositi Patris, tāquam vltimato denominati; quia prius denominat Deum, inde Patrem: prius namque est absolutum Dei, inde respectiuum Patris; ergo prius denominat Deum, inde Patrem: verum quia in Deo Patre, vltimum est ipse Pater, quia constat primum ex deitate, inde ex paternitate; merito paternitas est vltimato denominatum à volitione: quod vltimato est denominatum, ergo præcedit paternitatem tanquam vltimato denominatam.

8 Dices, actiones sunt suppositorum; quia producuntur à suppositis; ergo erunt post supposita; ergo volitio est post suppositum Patris. Resp. antecedens verum est de actione notionali, non de essentiali: hæc quidem antecedit suppositum, vt volitio essētialis, quia non est producta: illa vero sub- *Actio quæ nam antecedit, & sequitur suppositum.*

subsequitur,quia producta:& hoc intelligendum est non de actione notionali actiua,vt generatione actiua, quia hæc est improducta, vt paternitas;sed passiua, vt est generatio passiua.Ratio etiam, quia generatio actiua constituit Patrem, & non dicitur produci à Patre post constitutionem Patris; nisi teneamus Personas constitui per absoluta; tunc enim exiret à Patre post constitutionem Patris: sicut generatio actiua Petri exit à Petro post absolutum constitutum Petri: at cum constituantur personæ per respectiua, illa non potest esse post esse constitutũ Patris, vt suo loco. Ad propositũ de tribus actionib. possumus loqui; vel de actionib. essẽtialib. vel notionalibus: vel omnino accidentalib. si de primis, falsum est antecedens; quia intellectio, & volitio essentialis, sicut & cætera essẽtialia, vt Deitas, & perfectiones omnes attributales antecedunt Patrem. & propterea non possunt produci à supposito Patris. si de secũdis loquamur, etiam est falsum, quoniam generatio actiua est constitutiua Patris, ergo non est post suppositum Patris. si denique de tertijs, hoc habet locum in creaturis,vbi cum sint accidentales, vtique posteriores sunt, & producũtur à suppositis, vt actio scribendi, mouendi,& huiusmodi.

QVÆSTIO X.

Vtrum Verbum producatur ex fœcunditate naturæ solius,an per operationem intellectus. idemq; de Spiritu sancto, vtrum ex sola fœcunditate naturæ.

ARTIC. I.

Probatur produci ex sola fœcunditate diuinæ naturæ.

Durãdi sẽtentia generationẽ fieri ex sola fœcunditate naturæ in diuinis. 1 DVrandus in 1.d.6. q.2. sustinet produci Verbum nõ per opus intellectus, sed ex sola fœcunditate naturæ: probari autem potest sua sententia sic. primo, operatio intellectus est cõmunis tribus: sed non producitur Verbum à tribus,ergo non producitur per operationem intellectus. Secundo, *Actio immanens intellectus non est alicuius productiua*, ex Arist.9.met. ergo opus intellectus Patris non est Verbi productiuum. Tertio inter principium productiuum,& terminum prodnctũ est distinctio realis: operatio Intellectus, & Verbum non distinguuntur realiter,ergo nõ est principiũ productiuũ. Quarto, Animata generãt quidẽ,vt homo,at nõ generant per intellectum, sed per naturam; ergo licet intellectualis sit Pater,& Deus, non generabit mediante intellectu, sed natura. Confirmatur, insensata si essent prædita intellectu, non generarent præuio intellectu: vt si calor esset intellectualis,calefaceret quidem, sed mediante sola natura, non intellectu. Quinto,productum est simile producenti in natura: & præcipuè gene-

generatio, quę est *in similitudinem naturæ*; ergo natura est, ex cuius fœcunditate fit generatio. Sexto, August. 15. Trinit. appellat Filium *de Natura*. & Hilar. l. de Syn. *Omnib. creaturis substantiam Dei voluntas attulit, Filio vero Natura dedit.* Septimo, in creaturis reperiuntur aliquę substantiales formę, quæ sunt immediatum principium producendi, & communicandi seipsas, vt in formis elementorum; id vero nullam arguit imperfectionem; ergo multo amplius id concedendū est diuinæ Essentiæ, vt immediatè per seipsam communicet semetipsam. hæc eadem argumenta deseruiūt pro Spiritu sancto, vt producatur ex sola fœcunditate naturæ, non autem ex operatione aliqua voluntatis.

ARTIC. II.

Verbum produci per opus intellectus, & Spiritum S. per opus voluntatis ex fœcunditate naturæ.

Producitur Verbum, et Spiritus S. per opus intellectus, & volunntatis.

1 COmmunis Sanctorum Patrū, Conciliorum, atque Theologorū sententia est, Verbū produci nō ex sola fœcunditate naturæ; sed etiam per opus paterni intellectus, ita August. 15. de Trin. & lib. 9. c. 12. Ansel. monolog. c. 43. Cyril. Chrysost. Basil. cæteriq; expositores in cap. 1. Ioann. Theod. l. 2. ad Græc. Damasc. l. 1. de fid. c. 9. cæteriq; cōmuniter. Ita Theologi, cum Mag. in 1. d. Bonan. 1. d. 10. & 27. Scot. d. 2. 6. 10. 27. 26. vbique in suis sententijs, & quolibetis. Alber. Richar. Gabr. tum etiam antiquiores, tum recentiores, qui Durandi sententiam merito censurant.

2 Probatur vero, productio Spiritus sancti fit per voluntatem, nō ex sola fœcunditate naturæ; ergo productio Verbi fit per intellectum, non ex sola natura. Durandus negaret antecedens, asserens idem esse iudicium de vtroque; nihilominus arguitur aliunde; si ex sola fit fœcunditate naturę, non magis habemus in diuinis duas productiones, quā vnam, quam tres, quatuor, plures, infinitas: hæc vero sunt absurda; probatur sequ. natura, vt natura determinatur ad vnum, ergo vnica ibi productio, ergo vnicum productum; ergo non duæ personæ productæ. Dices, naturam determinari quidem ad vnum, nō vnum numero productum, sed ad vnū modum agendi. Contra; ergo vnicus erit modus producēdi ad intra; ergo erit ibi productio vnius rationis, & non diuersę, seu alterius rationis, prout est modus producendi per intellectum, & voluntatem: tunc autem quæro, terminus productus per istum vnicū modum agendi, aut erit Verbum, aut Spiritus sanctus: sed non erit magis vnus, quam alterum; vel si erit vnum, vtique erit solummodo Verbum, quia producitur per modum naturæ, licet producatur quoq; per intellectum: Spiritus autem non producitur per modum naturæ, ergo ex tali sola fœcunditate non habebimus nisi vnicū suppositum productum. Item natura determinata ad vnum modum agendi, non determinatur ad vnicum numero productum, quantum est ex se sola, nisi determinatio eueniat aliunde: patet, in seipsa non magis determinata est ad duo, quam ad infinita: & quidem natura creata humana, sicut & cæteræ creatæ, quantum est se non determinantur ad tot, quin plura, sicut patet amplius de speciebus alijs quam maximè prolificis, vt de piscibus, quorum natura est fœcundissima, dum tot ouorum millena, & millena producunt sępissimè: quod si natura quandoq; creata tot parit, vt nō plura, id ex extrinseca prouenit determinatione, vel deficiente parente, vel nolente applicari ad generationem, vel deniq; ex accidenti aliquo; vtpote natura hac particulari cuadēte sterili, & infœcunda; verum quia hæc accidentaria sunt, merito excluduntur: vnde fit, vt non possint naturā labefactare in se, vt naturam in se ipsa, abstrahendo ab omni imperfectione reddant infœcundam; quia potius

in sua fœcunditate persistés possit cõmunicari infinitis, & producere in infinitum, si nullum aliunde adderetur determinans ad tot, & non plura. taliter se haberet diuina natura, secluso opere intellectus, & voluntatis; equidem quantum est ex se communicari possit infinitis, plusquam trib. nisi intellectus accederet, & voluntas ipsam determinans ad Verbum, & Spiritum sanctum; qui cum sint terminus adæquatus, nequaquam proceditur vltra in communicatione naturæ.

3 Item dato quod ex sola fœcunditate naturæ non possemus habere plusquam duas productiones, secluso intellectu, & volũtate; vtrum hæ productiones essent eiusdem, an alterius rationis: vtique esse alterius rationis constare non poterit ex sola natura: prob. natura determinata est ad vnum modum agendi; ergo modus ille vel erit per modum naturæ solius, vel per modum voluntatis, & libertatis; siquidem hi modi sunt diuersæ rationis secundum Theologos; ergo vel non erunt duæ, vel si duæ, vtique erũt eiusdem rationis: vel ambæ per modum naturæ, vel ambæ per modum voluntatis: Verum quia diuersitas productionum prouenit ex diuersitate principiorum, intellectus, & voluntatis; hinc est, vt non possint esse ex sola fœcunditate naturæ.

4 Insuper haberi inde nequit, vt vna sit potius generatio, & altera processio; esset enim par ratio vtriusq; Neque poterimus potius habere Filium, quam Spiritum sanctum, vel viceuersa; nam natura vt sic, est indifferens ad vtrumq; ergo per eũdem modum indistinctum agendi habebimus Filium, & Spiritum sanctum, & non magis vnum, quam alium, quod si dicis, haberi vtrumq; at quæro, dum productio Filij est generatio, & Spiritus sancti processio non est generatio, cur est vt non potius vtriusq; sit vna eademq; ratio, & productio, vt vel vtraq; sit generatio, vel vtraq; processio; nulla namq; est ratio distinguendi penes naturam ex se, vt constat, cum sit eiusdem rationis ad Verbum, & Spiritum sanctum, & eodem modo quantum est ex se, indifferens ad vtrumq; ergo vel vtraq; erit generatio, vel vtraq; processio.

5 Hinc etiam, non magis infertur, Filium esse imaginem, quam Spiritum sanctum; quod si namq; natura sub eadẽ ratione se habet ad vtrosq: cur est vt non ambo sint imago; cur vnus potius, quam alteri nulla existẽte ratione distinctiua ex parte principij, siue naturæ. Hinc rursus, cur potius dicetur Filius ab vno, & Spiritus à duob. & quidem pari ratione esset Spiritus ab vno, quia ab vna natura, ab vno principio naturæ, & eodem modo se habente: ergo non distinguimus inter esse ab vno, & à duob.

6 Quod si identitas naturæ est ratio, vt in diuinis omnia sint vnum: sintq; personæ inuicem coæquales, consubstantiales, & in ratione essentiæ sint essentialiter vnum: ex eadem etiam ratione naturæ sequeretur, vt Filius non sit potius Filius, quam Spiritus sanctus personaliter, & vice versa: quia vna est communis amborum ratio principium, & productiua naturæ: quæ cum eodem modo se habeat in communicando, secluso intellectu, & voluntate, nulla esset ratio distinctiua Filij à Spiritu sancto. Quod si dicas, distinguitur, quia Filius est ab vno, Spiritus à duob. Cõtra, hoc quæritur, quomodo ex sola natura colligi potest, Filium esse ab vno, & Spiritũ à duobus: vtique non potest ex ea solummodo: sed Spiritum sanctum esse à duob. colligitur ex mutuo amore Patris, & Filij.

7 Arguitur item, Filius est essentialiter, & formaliter Verbum: sed licet sit Verbum substẽtiale, est tamen etiam verbum mentale, intellectuale; ergo producitur per intellectum, & per mentem. Spiritus item sanctus est formaliter amor personalis productus; at amor producitur per voluntatem, ergo & Spiritus sanctus est per voluntatem, Insuper docet Augu. 15. Trin. c. vlt. & 10. de Trin. cap. 11. quod in mente nostra est imago Trinitatis; itaut memoria repræsentet Patrem, intelligentia Filium, & volũtas Spiritum sanctum: sicut vero à memoria nostra producitur nostrum verbum: & à voluntate amor; ita do-

cet

cet August. quod à memoria paterna producitur diuinũ Verbum, & à voluntate vtriusq; producitur Spiritus sanctus.

8 Accedit, quod Ioannes, 1. appellat Filium Dei, *Verbum*: In principio erat Verbum: *& Verbum caro factum est*: quod ad litteram Patres exponunt de Filio Dei: sed de essentia Verbi mentalis est, vt exprimatur per locutionem mentalem; Paulus etiam appellat Filium, *Dei sapientiam*: quæ quidē est opus intellectus. & de Spiritu sancto idem Io. 1. can. c. 4. Spiritum sanctum appellat *charitatem, amorem*: amor autem est à voluntate: Sapientia ab intellectu: sicut expressius habetur Sap. 7. Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui*. Respondet Dur. differre vnam ab altera, & hæc dici non per proprietatem, sed per quandam accommodationem, seu appropriationem; nam quia productio Verbi est prior, ideo vocatur intellectualis, seu facta per intellectum: quia productio Spiritus sancti est posterior, ideo dicitur fieri per voluntatem: etenim intellectus est natura prior voluntate. Sed hæc responsio est nulla, nam si ambæ productiones sunt immediatè per naturam, ergo vna non est prior alia: vtique sequela tenet; ex parte naturæ vt sic, non datur prius, & posterius: datur autem ex parte intellectus, & voluntatis; ergo nō est cur ex parte naturę una sit prior alia. Item si intellectus, & uoluntas non concurrunt, cur est, ut ex parte intellectus prioris, & uoĺũtatis posterioris una sit generatio, altera spiratio: utiq; generatio est, quia per intellectum, spiratio quia per uoluntatem: ut negando fieri per intellectum, uoluntatem, quomodo poterit per eundem intellectum, & uoluntatem esse prior, & posterior: nihil per te influunt, non dant esse simpliciter, ergo neq; dabunt prius, & posterius esse.

9 Ex omnibus infertur, memoriā fœcundam, quatenus habet rationem principij *quo*, constitui ex Essentia, & intellectu paterno: intellectu quidem in ratione potentiæ; Essentia vero in ratione obiecti intelligibilis in actu primo: voluntatem etiam fœcundam constitui ex eadem Essētia in ratione obiecti amabilis in actu primo; & voluntate in ratione potentiæ amantis per actum productiuum spirandi: Et vtrumq; nempè Essentiam, & Intellectum: Essentiam, & voluntatem habere rationem principij proximi, & totalis: non enim æstimādum Essentiam esse principium remotum in vtraq; fœcunditate: sed sicut Intellectus, & volũtas sunt principium proximum; ita & Essentia cum ipsis est proximũ principium. Dices, Essentia est veluti radix, & fundamentum primarium; ergo erit principium remotum. Resp. secundum nostrum modum considerādi Essentiā habere rationē remoti, quoniam ipsa est quæ concipitur vt prior cunctis; nihilominus omnia in eodem instanti sunt simul, ita vt non sit ibi ordo signorum in quibus, sed à quibus. Respondetur etiam, quod essentia vel spectatur in ratione principij, vel in ratione fundamenti, & radicis eorum, quæ sunt in diuinis: hoc quidem secundo modo potest concipi sub ratione quadam remoti, quia est omnino primum: at primo modo nequaquam, quoniam quatenus est principium, seu comprincipium cum intellectu, & voluntate, erit quoq; principium proximum, à quo proximè habentur diuinæ productiones. vtrumq; tamen est de se solo principium partiale, ex quib. simul iunctis constituitur vnum principium *quo* totale, de quo quæst. seq. art. 5.

Ex Concilio etiam Toletano confirmatur intentum; nam in Conc. 13. c. 3. dicitur, *Per comparationem ad mentem nostram singula singulis aptamus; nam Patrem menti: verbo Filium: & Spiritum sanctum amori à mente, & Verbo procedenti comparamus*. & 16. *Per comparationem ad Trinitatem nostram intelligimus Trinitatem in Deo, ita. s. esse memoriam, verbum, & amorem*. At hæc ostendunt operationes, & principia operatiua.

ARTIC. III.

Soluuntur argumenta artic. primi.

1 AD primum, valet argumētum contra Thomistas sustinētes Verbum produci per actum essentialem intelligendi; qui cum sit communis tribus, merito per talem actum sit productio à tribus, vt deductum fuit sup. in quæstione vtrum Verbum producatur per actum intelligendi, vel dicendi, non autem valet contra nos, tenentes produci per actum notionalem dicendi, qui cum sit solius Patris, non erit communis tribus,

Intellectus actio nullius est productiua, declar.

2 Ad secundum, resp. 1. actionem immanentem essentialem, vt actus intelligendi, vtique non esse productiuam, vt ibidem fuit ostēsum: at actionem notionalem, quæ est *dictio*, vtique est productiua. *Dicere* enim in diuinis est producere. Resp. 2. Aristoteles loquebatur de intellectu creato, qui quidem non est productiuus alicuius in esse substantiali, & simpliciter; non autē cognouit processiones diuinas, quæ fiunt per actum intellectus, & voluntatis; quomodo namq; concederet actum accidentalem intellectus creati posse producere substantiam, & aliquid consubstantiale ipsi intellectui concipienti: cum tamen ex opposito in diuinis actus diuini intellectus, actus inquam, dicendi sit principium productionis substantialis, & coæqualis producenti,

Actio in triplici differentia.

3 Respondetur tertio, actionem esse in triplici differentia; alia namque est actio totaliter immanens, per quam nihil producitur extra, vt intelligere, & velle: alia totaliter transiens, per quam productum producitur extra; & est totaliter distinctum à producente: vt domus extra domificatorem, totaliterq; distincta ab eo: Alia est media, participans de vtroque, & hæc est actio productiua Verbi, & amoris: hęc quidem partim est immanens, partim, vt sic loquar, transiens; immanens quia productiones, & termini producti remanent in diuinis ad intra, eo magis, quia sunt idem Deus: transiens, quoniā persona producens est distincta realiter à termino producto. Distinctio hæc prodest valde, tum contra Arrium, tum aduersus Sabellium: contra Arrium appellanda venit productio actio immanens, vt ostendatur Verbum, & Spiritum sanctum esse verè Deum, quod ipse negat, & personas productas esse verè in diuinis ad intra, tanquam Deus, nō extra tanquam creatura: contra Sabellium quoque vocabitur actio quasi transiens, licet non verè transiens ob identitate naturæ: actio, inquam, quasi transiens, quatenus producens distinguitur realiter à producto, ex quo retunditur eius hæresis, dum distinctionem negabat Personarum, & confundebat Trinitatem,

Distinctio realis inter quanam.

4 Ad tertiū, distinctio realis emergit inter terminum productum totalem, & principium *quod*, & totale, vt est persona vtraq; Patris, & Filij: at inter terminum, & principium *quo*, vt est Essentia, & Intellectus, ac volūtas penes Verbum, & Spiritum sanctum, non interuenit, nisi distinctio formalis, vel rationis.

Animalia intellectualia generāt at non per intellectū; nisi per accidens.

5 Ad quartum, animata intellectualia generant, licet non per intellectum (nisi per accidens se habendo, intelligendo, & volendo voluntate generationem, siue imperante, & applicante actiua passiuis) generant tamen per potentias & instrumenta parata à natura ad generationē, iuxta conditionem naturæ cuiusque. In diuinis igitur aderit quoque principium generationis correspondens tali naturæ: verum quia diuina illa natura non est corporea, non sensitiua, non materialis, sed summè spiritualis; hinc est, vt non vtatur potentijs (sicut cætera corporea) materialib. & quia est volitiua, & intellectualis, inde est, vt potentiæ, quibus ibi fiat generatio, & productio sint potentia volitiua, & intellectualis: & ob id, principia erunt Filij, & Spiritus sancti, Intellectus, & voluntas. Ad confirmationem dicimus, si calor esset intellectualis, non produceret per intellectum, quia aliunde haberet in se principium

Calor si esset intellectualis generaret, sed non per intellectionē.

cipium

cipium calefaciendi, & propterea impertinens esset ad calefactionem intellectus: at Deo necessarius est intellectus, & voluntas, vt producat: & cum sit de sui natura volitiuus, & intellectiuus, nec vltiores potētias pro ductiuas habeat, vt homo, cæteraque materialia producentia, remanet per intellectum producat, & voluntatem.

6. Ad quintum, infertur inde, naturam, seu memoriam fœcundam, cōstantem ex intellectu, & natura, esse principium *quo;* & sub ratione huius principij concedimus productum assimilari naturæ, quia fit coæquale, & consubstantiale Patri producēti; estq; idem Deus in eadem natura: habet ergo natura vt sic, sub ratione memoriæ fœcundæ, rationem principij *quo,* & principij assimilatiui: at non potest assimilari ei productum, nisi in ratione principij; sed non est principium vt pura natura, sed vt coniūcta intellectui sub ratione principij fœcundi, seu memoriæ fœcundæ.

Ad Patres. 7 Ad sextum, per *naturam* primo intelligitur idem, ac Filius Dei non per adoptionem, non per gratiam, sed per naturam; quia Verbum ex natura est Filius Patris. secūdo idem est per naturam, ac non per voluntatem, vt Creaturæ; ne incideretur in hæresim Arrij æstimantis esse Creaturam. vel tertio, per naturam, idest productum necessario; quæ namque productio est necessaria, ea dicitur fieri per naturam, & talis est productio Filij. quarto per naturam, quia adeo est necessaria, vt non est libera.

Vtrum omnis forma sit immediatè sui communicatiua. 8 Ad septimum respondetur, diuersimodè euenire in formis: quando quidem sunt aliquæ formæ substātiales imperfectiores, vtpote formæ elementares, quæ immediate se communicant, seu possent communicare seipsas: vt ignis ignit quidem per suam propriam formam formaliter, tanquā principio ignitiuo, nō autem per calorem, nisi solummodo dispositiue: aliquæ sunt formæ perfectiores, quæ id præstare nō possunt, vt formæ mixti, lapidis, metalli, & similium; non enim lapis generat lapidem, (licet mineralibus in propria sede fiat accretio, ad præiacentem lapidem, & metallum ex materia nouiter digesta, & conuersa in lapidem, ob quod fit accretio, & augmentatio lapidis, siue noua etiam productio ex materia digesta, non autem ex lapide, vt principio formaliter generatiuo.) Aliquæ formæ sunt immediatè sui communicatiuæ, cum tamen aliquæ perfectiores non sint ita, vt formæ corporum cælestium, essentia insuper Angeli, & animæ, quæ non sunt sui immediatè communicatiuæ per substantiam, nisi communicando seu explicando, siue expendendo solam uirtutem per operationem; hinc fit, ut non liceat inferre communicationem, & productionem ex perfectione naturæ, cum quādoq, communicatio competat formę imperfectiori, & denegetur formæ perfectiori. ratio huius est, quia *hoc est hoc, & illud est illud. ait Scot. quoniam sunt talis, & talis naturæ,* itaut uni cōpetat, & non alteri naturæ, non autem id prouenit ex imperfectione, quapropter licet perfectissima sit diuina natura, tamen ei præcisè inspectatæ ex se sola non competit communicatiuitas, & productiuitas, nisi dicas remote, ut in seq. quęst. quia est talis naturæ, cui non competit ex se sola cōmunicari. uid. Scot. 1. d. 7. q. 1. litt. V. *In mineralibus datur accretio.*

QVAE-

QVÆSTIO XI.

Vtrum Filius producatur de substantia Patris tanquam, de *materia*, vel de *nihilo*.

ARTIC. I.

Proponitur sententia Henrici, Gotfredi, Durandi.

Henrici, et Durandi sententia.

1 HEnricus quolib. 9. Gotfred. art. 54. q. 3. Dur. 1. d 5. q. 2. asserunt Verbum generari de diuina Essentia, tanquam de principio materiali: docent enim in generatione Verbi tria esse, Essentiam, Relationem, & Personam; Essentia se habet vt materia, vel quasi materia: Relatio vt forma, & Persona vt compositum per eas. Et quidem non intelligentes quomodo Filij generatio non sit de nihilo, statuerunt ideo nō esse de nihilo; quia præsupponit Essētiam de qua fit, tanquam de materia: eo pacto, quo ideo generatio creaturæ non est de nihilo, quia præsupponitur materia de qua educitur generatio creata. Verum est tamen, quod Durandus id ait euenire, semotis tamen omnibus imperfectionib. Probatur primò, illud est principium materiale in omni productione, quod manet sub vtroque termino productionis: sed Essētia manet sic, etenim eadem manet in Patre generante, & Filio genito; ergo. Secundò, relatio est forma, & actus Essentiæ, ergo Essentia respectu relationis habet rationem materiæ: cōsequens patet ex relatione formæ ad materiam, vbi namque est forma, ibi materia: antecedens prob. cui conuenit distinguere, conuenit esse actum, quia actus est, qui distinguit: relationi in diuinis conuenit distinguere, ergo ei conuenit ratio actus: sed non est actus, nisi Essentiæ, ergo Essentia est veluti materia. Tertiò potentiæ actiuæ correspondet potentia passiua ergo potētiæ actiuæ generatiuæ Patris correspondebit potētia passiua: ea autem non erit nisi Essentia, de qua Filius producitur. Quartò August. contra Maxim. *Filius non producitur de nihilo, ergo de aliquo tanquam de materia*: prob. sequ. ideò Creatura est de nihilo quia ex nulla præsupposita materia; ideo non de nihilo, quia ex præsupposita materia; ergo ideo Filius Dei non de nihilo; quia ex præsuppositione Essentiæ, tanquam de materia.

2 Ad hos aliqualiter accedunt Caetan. & Molin. 1. p. q. 41. ar. 3. dicētes Essentiam habere rationem materiæ, saltē metaphysicæ, & Relationem esse, veluti formam determinātem talem materiam. probant, Relatio, tanquam forma determinat Essētiam ad constitutionem Personæ; & Essentia se habet vt determinabilis ab ea ergo aliquo modo reperitur in Essentia ratio materiæ. Videtur quoque D. Tho. aliqualiter consentire, dum ait in 1. d. 5. q. 2. art. 1. quòd diuina generatio accedit ad similitudinē secundùm materiam, si à materia remoueatur totum id, quod est imperfectionis, & remaneat hæc sola conditio materiæ, quod est manens in re, & per eā res subsistit: hinc Caet. ait *secundùm quid* tollerari posse, diuinā Essentiam habere aliquam conditio- *Sententia D. Thom. Caetan. Molin.*

nem

nem materiæ, simpliciter tamen negandum esse. & Greg. de Valent. 1. p. d. 2. q. 15. p. 3. *secundum nostrum modū concipiendi*, posse concedi ibi materiam, attendendo eam secundùm cōceptus aliquos inadæquatos.

Sēsus quæstionis circa terminū materia.

3 Sensus autem quæstionis esse poterit, tum loquendo de materia physica, tum metaphysica? Verum impertinens admodum esset primus sensus, dum namque constat, diuinas Personas, Deum, & Trinitatem esse ens omnino spirituale, inutile est quærere, vtrum Dei Filius producatur de Essentia, tanquam de materia physica, & corporali. Circa verò secundum daretur occasio id exagitādi ab illis, qui ponunt Deū in *Genere*, quo stante, materiam adstipulari cogerentur ibi metaphysicam. Sensus poterit esse alter, vt materia habeat ibi rationem, ex qua educatur v. g. generatio Filij, itaut sit ibi materia, *ex qua*, vt loquuntur Physici. ad eum sensum, quo ex materia ligni fit arca: vt taliter se habeat Essentia penes Filium, & Spiritum sanctum, vt ex ea, veluti ex materia *ex qua* educatur vterque. Vel spectando insuper eam sub ratione materiæ *in qua*, vt namq; forma recipitur in materia, appellata *in qua*, ita & Personæ diuinæ recipiātur in Essentia, tanquam in materia *in qua*. Sensus alter in materia *circa quam* non vertitur in litem, etiam materia illa est subiectum considerationis, & Essentia diuina est Obiectū diuini Intellectus, & Beatorum. Sub sensibus istis posset quæstio agitari in ordine *ad materiam*.

Sēsus quæstionis circa terminū nihulo.

4 In ordine autē alterius termini, *de nihilo* posset sēsus haberi, vt ly *De* dicat circumstātiam causæ materialis, è cuius potentia forent educendæ diuinæ personæ: at sensus iste est omnino falsus, etenim quod non est, nō potest esse materia eius, quod est: & non ens non potest esse pars, & materia intrinseca entis: quo quadrat illud Philosophi, *Ex nihilo nihil fit* in hoc autem sensu, & genere causæ materialis, est verissima propositio, tum in diuinis, tum in creaturis, nam *ex nihilo nihil fit, tāquam ex materia*. Posset tamen ly *De* cōnotare ordinem, *vt de nocte fit dies; de mane meridies*: vnde quæratur in diuinis, vtrum detur ordo, quo mediante dici valeat, *persona est de nihilo*, ly *De* dicente ordinem; talis namque est sensus prædictarum propositionum, *De nocte fit dies, de mane meridies* idest, post noctē dies, & post mane habetur meridies: sicut & in creatione ipsa, Mundus fuit creatus de nihilo, idest post nihil: quorum loquutionum sēsus habebitur amplius infra in corpore quæstionis: Hi sunt sensus, inter cæteros, quibus exagitari poterit quæstio, tum in termino de *materia*, tum de *nihilo*.

ARTIC. II.

Verbum non generatur de Essentia tanquam de materia, vel quasi, nec de nihilo.

1 COmmunis tamen, & verissima est Scholasticorum sententia diuinam Essentiam nec habere rationē materiæ, nec quasi materiæ in diuinis; ideoq; Verbum non generari de Essentia, tā quam de materia. Scotus operosius eam docuit in 1. d. 5. q. 2. inuehens se cōtra Henric. & Gotfred. Probatur vero, *neque Augustinus*. inquit Scot. *neque antiquiores Doctores docuerunt Essentiam habere rationem materiæ: ergo nec nos id docere debemus*. Prob. 2. materia, seu quasi est infinitis, propemodū admixta imperfectionib. at diuina Essentia est pelagus perfectionum.

Esstia nō habet rationem materiæ, nec quasi materiæ.

2 Item id patebit ex declaratione, & manifestatione imperfectionū materiæ: in primis habet rationem informabilis: Essentia non: materia est perfectibilis à forma adueniente, Essentia à nullo expectat perfectionem aliquam, immo omnia, quæ sunt in diuinis perfectissima pullulant ab ipsa perfectissima Essentia. materia pendet à forma, siue actu entitatiuo secū-

Materiæ imperfectiones.

secũdùm Thomistas, siue in actu formali secundùm Scotistas, Essentia nõ pendet in actu entitatiuo, & formali à relatione, quia potius relatio est ab Essentia, quàm Essentia à relatione, cum relatio pullulet ab Essentia, & non è contra. Materia est ens mutabile, transmutabile de forma in formam, non sic Essentia, quia semper est eadem, nec mutatur de forma in formam, iuxta Iacob. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obũbratio.* materia appetit formam, Essẽtia nihil amplius appetit. materia appetit formam vt perficiatur per eam, Essentia nõ appetit relationem, vt perficiatur per ipsam, quin potius ipsa est pelagus perfectionum. materia appetit formam propter priuationem, Essentia nõ appetit quidquã, quia non est priuata aliqua perfectione. materia habet rationem partis in ordine ad formationem compositi, Essentia nõ facit compositum in diuinis licet faciat constitutum, vt est Persona ex essentia & relatione. materia distinguitur realiter tum à forma, tum à toto composito, Essentia est eadem realiter cum relatione, & cum persona cõstituta per eam. materia per Dei potentiam est separabilis à forma, & potest stare sine composito, Essentia nec per Dei potentiã separari potest tum à relatione, tum à diuinis Personis. quid plura? materia est ens adeo imperfectum, vt teste Philos. nec sit *quid, nec quale, nec quãtum*, idest completum, & perfectum, Essentia est ens vndequaque completum, & omnino infinitum. materia denique est adeo diminuta, vt teste August. sit *prope nihil*, Essentia est ens omnino primum, & in infinitum distans à nihilo quapropter cum materia tot sit inuoluta imperfectionib. indignum est, vt diuina Essentia habeat rationem materiæ, vel quasi materiæ.

3 Insuper potest Deus producere ad extra, nulla præsupposita materia, vel quasi materia, vt patet in creatione, quæ fit de nihilo, & nõ ex præcedenti materia, vel quasi; ergo poterit ad intra producere per generationem, Filium, nulla præsupposita materia: patet, quia non est minor ratio hic quàm ibi. Confirmatur, esset imperfectior Filius Dei, quàm Creatura, si produceretur sic. prob. Creatura dũ creatur, & non de materia est quasi eius perfectio, vt eductio eius nõ fiat de aliquo subiecto adeo imperfecto, vt est materia. ergo imperfectior esset Filius Dei si produceretur de materia. Dices non produci de materia physica, sed metaphysica, & de essentia, quæ non est quid materiale, sed spirituale, habens tamen rationem, & conditionem materiæ. Contra, omnis ratio materiæ vt sic, habet rationem potentialitatis, contrahibilis per formam, per actum, siue per differentias specificas, seu indiuiduales: talis etiam est materia metaphysica, vt genus, quod est potentiale, cõtrahibile per differentias specificas; ergo Essentia erit quid potentiale, contrahibile, & actuabile à relatione, tanquam à forma, actu, & differentia specifica: inde etiam verum erit, quod esset instar vniuersalis, contrahibilis ad inferiora; vltra rationes alias recẽsitas afferẽtes secum tot imperfectiones, de quibus hucusque. *Obiectio, & euasio.*

4 Merito igitur magis dignificat diuinam Essentiam modus asserendi non habere rationem materiæ, nec quasi; quàm modus asserens oppositum; cum ipsam inuoluat, & obnoxiam reddat imperfectionibus materiæ.

5 Quamuis verò excludatur ab Essentia ratio materiæ, non tamen excluditur ratio fundamenti, semotis imperfectionib: vnde fundamentum sumi solet dupliciter, vel quatenus est quoddam materiale respectiuum; vel quatenus est radix eorum, quæ pullulant ex eo: siue sumitur materialiter, & formaliter: primo modo idem est, ac materia, quatenus est in potentia ad formam perfectiuam: secundo modo habet rationẽ tribuentis esse illi, cuius est fundamentum, sicut rationalitas tribuit esse risibilitati, cæterisq; hominis passionib. quia pullulant ab ipso homine: taliter se habet Essentia respectu relationum, vt tribuat esse relationibus, sitq; hoc modo fundamentum ipsarum quatenus *Essẽtia habet rationẽ fundamẽti, declar.*

nus pullulant ab Essentia. Et si sunt in Essentia, non vtique sunt in ea tanquam forma in materia, nec tanquam actus in potentia susceptiua, nec tanquam contrahens in contrahibili, sed tanquam hypostasis in natura: sicut etiam indiuiduum, & persona est in natura, ita diuinæ hypostases sunt in fundamento, tanquam hypostasis in natura, fundamentum enim hypostasis est natura.

6 Arguit insuper Scot: Essentia est terminus formalis generationis, ergo non est materia. consequ prob. quia materia, & forma non coincidunt. Item Filius haberet Essentiam duobus modis, vt materiã, & vt terminũ formalem; ergo esset bis Deus propter duplicem modum habendi Deitatem. Insuper, circũscripto modo, esset Deus per alium modum, & ita simul esset Deus & non Deus: esset, v.g. remanente Essentia sub ratione termini formalis: & non esset, circumscripta Essentia sub ratione materiæ. affert Scotus rationes alias omnino excludẽtes materiam, vel quasi materiam ab Essentia, de quibus penes ipsum. amplectuntur eam D Bonau. Gabr. Mayron. Bassol. cum Mag. 1. d. 5.

Verbũ non est de nihilo. 7 Cum hoc tamen, quod nõ generatur de materia, nec de quasi materia; non est dicẽdum produci Verbum de nihilo: Scoti sup. prob. ideo generatio Creaturæ non est de nihilo, quia fit ex præiacentia materia; ergo ideo Verbi generatio non erit de nihilo, quia fit ex præsuppofita Essentia. Antecedens patet ex opposito, ideo Mundus ab initio habuit esse per veram creationem, quia factus fuit ex nulla præiacenti materia; ergo quod producitur ex aliquo præiacenti præsupposito non fit de nihilo. Rursus ideo Creatura genita nõ est de nihilo, quia fit ex præsupposita materia; ergo neque esset de nihilo si fieret ex aliqua præsupposita forma, qua inde est informabilis materia: immo esset multo perfectior generatio, si quidem fieret ex forma, quę vtique est nobilior materia; ergo à pari, hic e in diuinis non sit materia, nihilominus præsupponitur Essentia sub ratione formæ, licet non informantis, sed dantis esse simpliciter: igitur poterit Verbum generari ex ea & ita non erit de nihilo. Confirmatur, si produceretur Verbum de Essentia tanquam de materia, eius productio non esset de nihilo; ergo dum de Essentia gignitur tanquam de forma dante esse simpliciter, nec eius generatio erit de nihilo: imo erit perfectior omni alia generatione creata; quia creata est de materia, increata est de forma, forma autem est perfectior materia. Denique in Concil. Nicæn. contra Arrium definitur, *Filium Dei non esse creaturam.* quo in loco & habetur consubstantialitas cum Patre, & productio Verbi de substantia Patris. Symbolum quoque Athanas. de Filio, *non factus, nec creatus, sed genitus*: generatio autem non est de nihilo. & in Concil. Later. ex c. firmiter de sum. Trin. & fid. cat. cap. damnamus asseritur *Filium in diuina generatione non accipere partem substantia Patris*: quod si eamdem, totamq; substantiã habet, quàm Pater, & de ea generatur, restat vt non sit de nihilo.

8 Obijciunt Hæretici illud Eccl. 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum*: est autem sermo de Verbo diuino, quod est sapientia Patris: ait autem Ecclesiast. *quod sit creata*; ergo de nihilo, quia creatio de nihilo. idem habetur Eccles. 1. *Ipse creauit eã in Spiritu S & effudit illã super omnia opera sua*: & passim id habetur per alia loca. Respondetur autem loqui de Sapientia incarnata, quæ ratione humanitatis assumptæ, dicitur facta, creata, & huius generis, vt Apost. Rom. 13. *Factus est ei secundùm carnem*. & Galat. 44. *Misit Deus Filiũ suum factum ex muliere.* ac Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Per Verbum verò, *creata*, idem est, ac *incarnata, facta, & producta* in tempore, cõfunduntur enim quandoque verba ista. Nec obstat, quod dicat, *creatam esse ante sæcula, & ab initio*; etenim sermo est de æterna li decreto mentis diuinę, quo statuit Pater Vnigenitum suum mittere in Mundum; decretum namque fuit ab æterno, & propterea dicitur, *ab initio, & ante sæcula*, licet exequutio fuerit *Sapientia qualiter dicatur creata in scripturis.*

T tem-

temporalis, ita communiter Patres, præsertim Augustinus contra Arriū. Respondetur etiam, sermonem fieri de donis Spiritus sancti in loco secūdo Ecclesiastici, inter quæ enumeratur spiritus sapientiæ, & scientiæ, & intelligentiæ, quem dignatur ipse spiritus effūdere super homines. Hęc, & plura Scripturæ loca adducta fuerunt lib. 2. disput. 5. de ęqualitate Personarum.

De Nihilo aliquid esse cōtingit tripliciter ex Anselmo.

9 Arguitur, docet Ansel. Honol. c. 8. aliquod esse de nihilo contingere tribus modis, vel negatiuè: vt cum aliquis, qui nihil loquitur, si interrogetur, quid loqueris? respondebit, nihil, siue loquor de nihilo: & ita dicitur aliquid produci de nihilo, quod verè non producitur: Filius Dei non est sic de nihilo, quia verè producitur. secundo fieri dicitur quid de nihilo, prout ly *De* denotat causam materialē: nec hoc competit Filio, quia *de nihilo nihil fit*, tanquam de materia, cum nihil non sit materia entis. tertio prout ly *De* denotat ordinem originationis à non esse ad esse: nec hoc Filio competit, cum semper fuerit ab æterno; ergo remanet vt si non est aliquo modo de nihilo, sit saltem de Essentia, tanquam de materia. Respond. nec primo, nec secundo, nec tertio, nec vllo modo est de nihilo Filius: sed est de Essentia, sed non vt materia, sed veluti tanquam de simplicissima quasi forma, seu actu formali, non quidem informante sed dāte esse simpliciter; nam formæ competunt duo, dare esse simpliciter, & dare esse per informationem; primū competit Essentiæ penes Personas, secūdum conuenit Creaturis ob earum imperfectionē. quod si dixeris, dum Scotus admittit nomen formæ in diuinis, appellando Essentiam formam, cur non admittit etiam materiam. Resp. ideo, quia non admittit absolutè & vndequaque rationem formæ, sed pręcisis imperfectionibus, admittit enim eam sub ratione dantis esse simpliciter, quod quidem est nobilissimum in ipsa forma: at materia est tātis inuoluta imperfectionibus vt merito etiam ipsius nomen, nedū natura, longissimum debeat esse à diuina Essentia.

Formę duo competunt

Essētia an forma.

10 Obstatur, Filius, & Spiritus S. sunt terminus potentiæ Patris; ergo sunt ens possibile, ergo contingens; sed contingens producitur de materia, vel de nihilo, ergo. Resp. possibile sumi, vel prout distinguitur contra impossibile: vel prout distinguitur contra necessarium, quatenus æquipollet contingenti: primo modo, inquit Scot. 1. d. 20. q. 1. litt. E. & quol. 7. Filius, & Spiritus sanctus sūt ens possibile, & sunt terminus productiuæ potentiæ: secundo modo non sunt sic possibiles; cum sit vterque eius necessarium. Subdit insuper, quod sumpto possibili pro eo, quod est quidem ens necessarium, sed non à se, sed ab alio: tunc, ait, Verbum, & Spiritus sanctus sunt possibiles, quia ab alio. Vel sunt possibiles possibilitate *logica*, nō *physica*; ratio primi, quia non repugnat habere esse, imo habent necessario esse: ratio secundi, quoniam non producuntur per transmutationem de non esse ad esse, cuiusmodi sunt entia physica.

Possibile multis modis.

Persona quomodo possibiles.

11 Addit Scot. quod quià nomen potentiæ, tum ex parte sui tū ex parte termini, quod est possibile, dicit imperfectionem; ideo potius vtendū est nomine *principij* pro *potentia*; & nomine *principiati* pro termino potentiæ & licet sancti dicant potentiam generandi esse potētiam, & generari esse terminū potentiæ; nihilominus, inquit Scot. neutra de virtute sermonis est vera simpliciter, prout respicit terminum possibilē, sed ampliando nomen potentiæ ad rationē principij, prout in communi respicit principiabile. & ibidem, ait, quod ratio potentiæ ex parte quidem producentis dicatur potentia, quia dicit perfectionem, & concedenda est in Patre, vt potentia generatiua, & spiratiua: at ex parte producti non dicatur possibilitas, quia dicit contingentiam, sed est tantùm ratio principiati: semotis tamen imperfectionibus.

Potētia nomine an vtetur Scot. & quomodo.

AR-

ARTIC. III.
Declaratur quomodo Filius sit de substantia Patris.

Filius est de substantia Patris, et Spiritus S. de substantia vtriusq;

1 Filium esse de substantia Patris, ita est de fide, sicut de fide est ipsum procedere à Patre, & esse consubstãtialem Patri aduersus Arrium: vnde cùm res clara sit, potius indiget vt ostendatur modus, quam probetur res ipsa, docet eam August. lib. 3. contra Maxim. c. 15. dicens, *Spiritum sanctum esse de substantia Patris, & Filij, & non de nihilo, sicut Filius est de substantia Patris*. Insuper, Filius generatur à Patre, & est consubstantialis Patri; ergo est de substantia Patris. Insuper arguit August. aut Filius est genitus de nihilo, aut de substantia Patris, aut de aliquo: non de nihilo, quia non est Creatura: non de alio, quia non esset consubstantialis Patri: ergo genitus de substantia Patris. denique de fide ad Petr. cap. 2. *Pater ergo Deus*, inquit, *de nullo Deo genitus, semel de sua natura genuit Dei Filium sibi coaequalem*. & cõtra Maxim. 4. *Nullo enim modo Filium Dei cogitatis, si eum natum de substantia Patris negatis*. idem ex Concil. Tolet. 11. in confess. fid. Probat verò ratione Scotus in 1. d. 5 q. 2. ideo in Creaturis Filius dicitur generatus de substantia Patris, quia Pater generando transfundit partem suae substantiae ipsi Filio mediante decisione: ergo ideo Filius generatur de substantia Patris in diuinis, quia Pater communicat ei non partem diuinae substãtiae, sed totam quam ipsemet habet diuinam Essentiam. Augetur vis argumenti. Pater creatus transfundit in Filium humanam naturam, in qua est ipse Pater, non quidem eandem numero, sed eandem specie, & propter hoc dicitur Filius produci de substãtia Patris; ergo multo magis in diuinis, vbi Pater communicat eandem prorsus numero naturam diuinam Verbo, dicetur Filius genitus de substantia Patris.

Declaratur quomodo Filius est de substantia Patris.

2 Hoc supposito, declaranda venit propositio: & quidem sensus est, *Filius est de substantia Patris*: hoc est, *Filius producitur à Patre, cui Patri Filius est consubstantialis*. ita Scot. cum caeteris. Duo autem sunt in hac propositione, alterum est praepositio *De* alterum est, ly *Patris*: diuersa tamen significãt: *De* namque significat cõsubstantialitatem: & *Patris* significat originationem. *De* quidem significat substantiam, ac propterea dicitur, *de substantia*; & *Patris* significat suppositum: itaut ly *De* cadens super causale substantiae, indicet consubstantialitatem: cadens verò super causale Patris, indicet originationẽ: Et denique prout cadit super substantiam, indicet identitatem naturae, prout autem cadit super Patrem, indicet distinctionẽ suppositi: ex quibus duob. habentur Cõsubstantialitas naturae, & distinctio personalis Patris à Filio.

Importatur origo, & consubstantialitas

3 Insuper per ly *De* non importatur tantummodo Origo, nec tantummodo Consubstantialitas; patet primum, quia sequeretur Creaturam esse de substantia Patris, siquidem est effecta, & originata à Deo: patet secundum, quia sequeretur, Patrem esse de substantia Filij, quoniam est consubstantialis Filio; igitur, importatur vtrumque, & Consubstantialitas, & Origo, vt sit sẽsus, Filius est de substãtia Patris, quatenus Filius est originatus à Patre, & in originatione est consubstantialis ei.

Praepositio Ex, De, extenditur.

4 Praepositio illa *De* denotare solet principium intrinsecè, & essẽtialiter constitutiuum: id verò quandoque erit materiale, & quandoq; formale. primum erit in creaturis, vt de ligno fit arca: de ferro fit ensis: ferrũ namque, & lignum sunt principium intrinsecum materiale arcae, & ensis. Secundum erit in Deo, vbi negata iam omni ratione materiae à diuinis, remanet, vt ly *De* denotet in Filio principium formale, Essentia namq; dat esse formale diuinũ Filio. Adeoq; est verum, vt denotet principium intrinsecu, siuè materiale, siuè formale, reddendo singula singulis, vt tale principium non denotet semper praepositio *ex* nõ enim est vera haec, Coelum

lum est ex Deo, in sensu causæ formalis, seu principij intrinseci, quia cęlum non est de substantia Dei, nec consubstantiale Deo; licet vera sit in sensu causæ efficientis, quia est ex Deo, vt ex efficiente: quandoq; verò denotat etiam principium intrinsecum materiale, vt ex ferro fit ensis, & ex ligno arca: indicat verò tunc causam intrinsecam materialem, non autem efficiétem, quia lignũ non est causa efficiens arcę, nec ferrum ensis, vnde in diuersis materijs potest significare vtrunque. Præpositio vero *De* semper significat principium intrinsecum, quando agitur de constitutione rei: vnde de ferro ensis, de ligno arca. Dixi, vbi agitur de constitutione rei, nam importare solet etiam ordiné rei, & rei, vt de mane fit meridies, de nocte dies; mane namque pręcedit meridié, & ad mane succedit meridies, & ad noctem dies: causam verò intrinsecã non importat, quia nec nox est materia diei, cum lux, & tenebræ opponantur priuatiuè, nec mane meridiei: sicut nec importat rationem causæ efficientis, cum tenebræ non producant lucem, nec nox efficiat diem, sed ordine totum id fiat, post noctem dies, & post mane meridies: in subiecta auté materia, de qua loquimur ly *De* importat tum rationem principij formalis intrinseci, tum producentis extrinseci, iuxta diuersitatem casualem: si namque cadit super substãtiam, importat principium intrinsecum, quod est Essentia; si cadat super Patrem, seu Patris, importat producentem extrinsecum: cum vero importet vtrumq; ideo vera est propositio Filium esse de substantia Patris, hoc est, esse productũ à Patre, esseq; consubstantialem Patri. Confirmatur, quia Lucæ 1. dicitur, *quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, ly *De* importat conditionem principij, seu causæ extrinsecæ, cuius modi est Spiritus sanctus in ordine ad Incarnationé, & formationé Corporis Christi, imo quandoque confunditur præpositio *De* cum præpositione *Ex*, vel *ab*, vt magis patebit in solutione vltimi argum.

5 Ex his sequitur non esse absolutè concedendam istam, *Filius est de diuina Essentia, seu Filius est Eßentiæ*: vt docet Scot. & D. Tho. ratio quia denotaretur Essentiam producere, & generare Filium: item diceret relationem realem ad Filium, & distingueretur realiter ab illo; vt igitur habeatur distinctio, productio, & correlatio debet addi casuale genitiui casus, siue construi cum ipso genitiuo *Patris*. siue ex alio sensu, propositio talis indicaret solummodo consubstantialitatem, & non originationem, quæ nullo modo potest competere Essétię, cum sit Patris. *Filius est de diuina Essentia: seu Filius est Essentię an cõcedatur.*

6 Obstabis, concedit hanc August. *Filius est Filius substantia Patris* 15. Trin. c. 19. ergo concedéda & ista *Filius est Eßentia, & de Essentia*. Respondet Scot. exponendum esse Augustinum, vt sensus sit, Filius est Filius substantiæ Patris, idest, Filius est Filius Patris, cui Patri Filius est cõsubstãtialis: quemadmodum exponit locum Pauli Rom. 10. dicentis, *transtulit nos in regnum Filij dilectionis suæ*, idest *Filij dilecti sui*, alias in rigore nõ esset concedenda illa, Filius est Filius substantiæ Patris, caderet enim originatio, distinctio realis, & relatio super Essentiam generantem, in ordine ad Filium genitum, & esset verè Filius Essentiæ, qui est Filius Patris, cum tamen Essentia non habeat Filium, quia nec generat, nec generatur ex c. *damnamus* de summ. Tr. & fid. Cathol. *Obstatur. Occurritur*

7 Obijcies eundem Augustinum 7. Trin. c. 6. & 12. *tres personas ex eadem essentia non dicimus*, ergo vna persona nõ est de essentia alterius. Resp. mutari suppositionem in consequenti; nam in antecedéti essentia stat pro natura, & in consequenti illatio stat pro supposito: & vtique spectata essétia absolutè, & de se sola, tres personas non dicimus ex essentia, quia vt est dictum essentia non producit, non generat: at spectata additione personæ Patris, vtique Filius erit de essentia Patris, quia Pater est, qui producit. *Obstatur. Respond.*

8 Dices ly *De* aut notat distinctionem, aut non: si primum, ergo Essétia distinguitur à Filio: si secundum, ergo hæc etiam est vera, Pater est de essentia *Præpositio De quid denotet.*

tiæ Filij; quia inuicem sunt idem consubstantialiter, Resp, importare identitatem. & distinctionem: ratione qui deni essentiæ, identitatem, ratione Patris, distinctionem.

9 Instabis, Matt. 1. *quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*: sed humanitas assumpta à Verbo non est consubstantialis Spiritui sancto; ergo ly *De* non indicat consubstantialitatem, sed solam originem, seu effectionem. Item Cyrillus l. 5. thesaur. c. 5. *Filius est à substantia Patris*: sed præpositio *à* vel *ab* non connotant consubstãtialitatem, sed solummodo causalitatem, & efficientiam; sicut cũ dicimus, domus fit ab Artifice, domus non est consubstãtialis Artifici, licet fit ab eo, vt ab efficiente; ergo Filius si est à substantia Patris, iam non erit consubstantialis Patri. Ad primum, ly *De* sumitur largo modo, vt idem sit ac *ex* vel *ab* denotando non principium consubstantiale, sed causale, & effectiuum: specialiter vero Mysteriũ fæcunditatis Mariæ tribuitur Spiritui sancto, qui est auctor omnis gratiæ, & fons castitatis; quapropter denotat principium causale, effectiuum, non autem consubstantiale: & quandoq; præpositiones istæ *ab, à, ex, de* solent confundi sumpta vna pro alia, teste August. tract. 6. de nat. bon. contra Manich. c. 26. Et quod ita sit, Ambrosius l. 2. de Spiritu sancto c. 5. ait, *apud græcum Codicem legi ex Spiritu sancto est*. Ad secundum ex Cyrillo, sensus est vt sup. *Filius est à substantia Patris*, idest, Filius est à Patre, cui est cõsubstantialis. Dices, Magister exponendo loquutionem illam Filius est de substantia Patris, docet intelligi de originatione tantum, Resp. Magistrũ exprimere vtrumq; cum namq; ait, *de substantia*, exprimit consubstantialitatem; cum ait *Patris*, exprimit distinctionem, & originationem.

Præpositiones, A, Ab, De, Ex, solent inuicẽ vsurpari.

10 Nihilominus solutio data ad locum cit. Matt. *de Spiritu sancto est*, videtur esse contra sensum D. August. docet namq; præpositionem *De* semper denotare consubstantialitatem, & causam intrinsecam; ergo male exponitur pro Spiritus sancti causa effectiua, extrinseca: patet ex eod. Aug. qui l. de nat. bon. contra Manich. c. 27. ait, *Ex ipso non hoc significat, quod de ipso; quod enim de ipso est, potest dici ex ipso, non autem omne, quod ex ipso est, rectè dicitur de ipso; ex ipso enim cælum, & terra, quia ipse fecit ea: non autem de ipso, quia non de substantia sua: sicut aliquis homo si gignat filium, & faciat domum, ex ipso filius, ex ipso domus: sed filius de ipso, Domus de terra, & ligno.* hæc Aug. idem habet apertius D. Th. 1. p. q. 41. art. 3. inquiens, quod præpositio *De* semper denotat consubstantialitatem; vnde non dicimus, quod domus sit de ædificatore cum non sit causa consubstantialis. Respondet Vasq. 1. p. d. 126. c. 2. & Driedo l. 3. de regul. & dogmat. sacr. Script doctrinã hanc non semper currere, vt semper denotet consubstantialitatem; & propterea addũt, denotare vtramq; causam, tum consubstantialem, & intrinsecam, tum efficientem, & extrinsecã: in citato autem loco Matt. importat causam efficientem extrinsecam.

ARTIC. IV.

Vtrum generatio diuini Verbi sit vniuoca.

1 SVpra lib. 1. disputat. 3. quæst. 4. quæsiuimus indiscriminatim de vtraque productione, an sit vniuoca, an æquiuoca: nunc vero singulariter agemus de productione solummodo ipsius filij, an sit vniuoca.

2 Gabriel de Verbi generatione loquens, differenter discurrit à cæteris Theologis: & quidem in 1. d. 9. q. 2. a. 1. Verbi generationem neq; vniuocam esse, nec æquiuocam: nihilominus magis participare de vniuoca. & quod non sit vniuoca probat, generans, & genitum non sunt eiusdem rationis, cum Paternitas, & Filiatio sint alterius rationis, ergo generatio filij non est simpliciter vniuoca. quod non sit simpliciter æquiuoca probat, totum quod est in producente æquiuoco distinguitur à producto æquiuocè

Gabrielis sententia.

uocè: at in Patre, & Filio reperitur essentia eadem, vna, & indistincta, ergo non est absolutè æquinoca. Confirmatur, producens, & productum æquiuocè non sunt vna res, Pater autem, & Filius sunt eadem essentia. Quod deniq; magis participet de vniuoca inde probat; quia licet generās, & genitus non sint eiusdem rationis; nihilominus participant eandem naturam, & per eam sunt vnum, & idem Deus; ergo magis participat de generatione vniuoca. Durandus autem in 1.d.4.q.1.addit, quod licet ratione naturæ sit ibi plusquam vniuocatio; nihilominus ratione proprietatum constituentium alterius rationis, est ibi quasi æquiuocatio.

Generatio Verbi est vniuoca. 3. Cæterum est absolutè dicendū diuinam Verbi generationem esse simpliciter, & absolutè vniuocam. ita inter cæteros magis aperte Scotus in 1.d.7.q.1. & in report. d.ead. q.3. estque communis omnium, D.Bonau. Rich. & colligitur ex D. etiam Tho. dum generationem vniuocam expendit à ratione termini communicati, qui sit eiusd. rationis in producente, & producto. Probatur vero à Scoto, Generatio, siue productio illa est vniuoca, per quam productum habet formam eiusdem speciei, eiusdemq; rationis cum producente: sed Verbum habet pro termino formali suæ communicationis Essentiam, quæ est eiusdem rationis in Patre & in ipso Verbo, ergo generatio eius est vniuoca. maior patet ex Arist. de Vniuocis. Itē generatio est vniuoca vel ratione termini formalis, seu naturæ communicatæ: vel ratione termini personalis, seu indiuidualis: si ratione primi, vtiq; sequitur Verbi generationē esse vniuocam, quia terminus formalis est Essentia, quæ est eiusdem rationis, immo eadem numero in Patre, & Filio; si ratione secundi, ergo nulla productio, nullaq; generatio erit vniuoca, prob. rationes personales, seu indiuiduales sunt alterius rationis in omnib. ergo nulla dabitur generatio, & productio vniuoca. hæc ratio est efficacissima: ex altero namq; istorum capitum expēdi debet generatio vniuoca, vel ratione termini communicati, vel ratione personalitatis, siuè indiuidualitatis: non ratione huius, quia semper indiuidualitates, & personalitates differunt, suntq; alterius rationis, quia vna est paternitas, altera filiatio; non enim solummodo differūt sicut differunt duæ paternitates inuicem, & duæ inuicem filiationes differentia in numero, sed specie, vel quasi specie, vt est paternitas, & filiatio: sed ratione harum non conueniūt Pater, & Filius, ergo conueniunt ratione termini formalis, qui est Essentia, & ita erit vniuoca.

Generatio omnis est assimilatiua, & distinctiua. 4 Rursus omnis Generatio & est assimilatiua, & est distinctiua: in generatione Verbi erit igitur generatio, quæ sit assimilatiua, & distinctiua: at non potest esse distinctiua ratione termini formalis cōmunicati per eā, sed ratione proprietatis personalis; ergo ratione communis essentiæ, per quam assimilantur, & identificantur Pater, & Filius, erit vniuoca. Et hinc patet adesse hic veram rationem generationis; quia si omnis generatio est assimilatiua, & distinctiua, cum hic habeatur vtrumq; & assimilatio penes Essētiam, & distinctio penes Personas, vtique erit perfecta generatio. Insuper ex his duab. rationib. concurrētib. in generatione, altera dicit perfectionem, nempe assimilatiua, & altera imperfectionem, inquit Scot. nēpè distinctiua: sumamus id, quod dicit perfectionem, nempè assimilatiuum, & habebimus Filium similem Patri in essentia, seu generationem Filij esse vniuocam. In hac autem ratione de distinctiuo, de quo dicit Scot. quod dicit imperfectionem, tenendum est Scotum loqui in abstracto de generatione in se, prout præscindit à generatione diuina, siquidem in diuinis esse distinctiuum nō dicit imperfectionem, immo summam, distinctāq; perfectionem diuinorum suppositorum; siquidem dum Personæ illæ, quatenus sunt Deus, sunt perfectæ, & infinitæ, vtique per productiones habetur infinitas perfectionis earum, & realis distinctio perfectionis personalis earundem: itaq; præscindit Scotus à diuinis. Et quidem præscindendo à diuinis, clarum esse debet, maiorē perfectio-

Esse assimilatiuum est perfectius, quàm esse distinctiuũ

fectionem debere dicere esse assimilatiuum, quam distinctiuum; sicut maioris perfectionis est vnitas, & identitas, quam diuersitas, & multiplicitas, vbi oppositum non repugnat, reddẽdo singula singulis, iuxta naturam, & exigentiam vniuscuiusq; vtrumq; nãq; est necessarium in rerum naturis, & identitas, & multiplicitas, & vnitas, & distinctiuitas, ac propterea in aliquib. bene stat vnitas, in aliquib. multiplicitas, in alijs identitas, in alijs; distinctiuitas, quamuis in diuinis melius sit vtrumq; ex quo habetur Essẽtiæ vnitas, & personalis multiplicitas: nihilominus licet aliunde identitas, & assimilatiuitas dicant perfectionẽ, quam non dicit distinctiuitas, vel potius non dicat tantam perfectionem, etenim etiam in genere suo dicit perfectionem cadendo super debitam materiam; tamen in diuinis vtrumq; dicit ratione Essentiæ, æqualem, & summam perfectionem.

Non tanta distinctio in Cõstitutis, quanta in Constituentibus.

5 Deniq; licet constituentia, vt proprietates, differant quasi specie, inquit Scot. tamen non est necesse vt constituta differant sic specie; ratio, quia non est necesse vt sit tanta distinctio in constitutis, quanta in constituentib. ergo Pater, & Filius non differunt specie: generatio vero, & productio non differens specie ratione producentis, & producti, est vniuoca.

6 Extant vero aliqua argumenta probantia non esse vniuocam, & primo arguitur, differentia specifica est perfectior distinctione numerica: in diuinis ponitur distinctio numerica Personarum, ergo ponenda est etiam specifica Essentiæ distinctæ specificæ inter Filium, & Patrem; maior prob. multitudo specierũ est de perfectione vniuersi, cuiusmodi non est multitudo indiuiduorum. Respond. multiplicationem specierum esse quidem perfectionis in Creaturis, non autem in Creatore; ratio, quia cum vna species creata sit limitata, & finita, non potest includere in se, & continere species alias, ideoq; propter talem imperfectionem limitatæ naturæ est necesse multiplicare species in Creaturis; nõ enim species Equi continet speciem Elephantis, nec species ferri

Specierum multiplicatio an dicat perfectionẽ

continet speciem æris, & sic de singulis: at Natura diuina est infinita, & illimitata, continetq; omnem in se perfectionem, quæ potest competere Patri, Filio, & Spiritui sancto; ideo non est necesse multiplicare eã in Patre, Verbo, & Spiritu sancto, sed sufficit vna, eademq; numero sine multiplicatione specifica, & numerali: hinc distinctio specifica non est perfectio simpliciter, sed supplens imperfectionem; quia namque vna non continet alteram, hinc multiplicantur ipsę species.

Inter productiones nõ est propriè specifica distinctio.

7 Arguitur, productiones distinguuntur specifice, ergo & producta: prob. antec. altera est per intellectũ, altera per volũtatem: at modi hi producendi distinguuntur specificè: probatur consequ. producta sunt eiusd. rationis cum productionib. at hæ distinguuntur specifice, ergo & illa. Cõfirmatur, alias inter productiones, & producta non esset proportio. Confirmatur secundo, potentiæ alterius rationis habent terminos alterius rationis, quia habent etiam obiecta alterius rationis; ergo productam per intellectum, & voluntatem sunt alterius specificę rationis. Resp. ad antec. non esse proprie specificã distinctionem illam inter productiones; non enim in diuinis est proprie Genus, species, & Differẽtia specifica, inquit Scot. licet possit cõcedi, inquit idem, paternitatem, & filiationem esse quasi alterius speciei, quia sunt alterius rationis, & ita responsum quoq; est ad probationem. Ad probationem vero cõsequentis, producta sunt eiusdem rationis, cum productionibus quatenus constitutum est idem cum suo formali constituente, vt Filius est idem cum filiatione, & Pater cum paternitate. ad Confirmationem, catenus producta proportionantur cum productionib. quatenus productio est relatio, & productum est relatiuũ, seu sicut productio constituit, ita productum per eam constituitur. Ad secundam confirmationem, vtiq; producta, nempè personæ in ratione personæ sunt alterius rationis, quia producẽtia sunt alterius rationis: & hoc sufficit, vt alteritas rationis terminatiuè

tiuè stet solummodo penes personas: quo fit vt habeatur inde personalis distinctio, adæquans distinctionem productionum, & principiorum productiorũ: cæterum stat vnitas Essentiæ, super quam non cadit distinctio, cum non sit alterius, & diuersæ, sed vnius, & eiusdem rationis in omnib. personis. elicitur ergo ex distinctiuis sola distinctio personarum, ad quas terminantur productiones alterius rationis.

Non tanta distinctio in constitutis, quanta in constituentibus.

8 Obstatur paternitas, & filiatio omnino distinguuntur; ergo generatio non est vniuoca. prob. conseq. distinctiua sunt alterius rationis, ergo & distincta erunt alterius, & æquiuocæ rationis. Resp. inferri solummodo distinctionem non Essẽtiæ, sed personæ, secundum dicta. Respondetur secũdo non opus est esse tãtam distinctionem in constitutis, seu distinctis, quanta est in constitutiuis, seu in distinctiuis. exemplo patet, homo, & brutum includit animal: at rationale, & irrationale non includit animal: & nihilominus homo, & brutum constituitur, & distinguitur per rationale, & irrationale: vnde est ut homo, & brutum conueniant in animali, tanquam genere, penes quod non differunt, licet differant penes rationale, & irrationale: ita Pater, & Filius cõueniunt per Essentiam, licet differant penes paternitatem, & filiationem.

Distingui aliqua magis contingit dupliciter.

Vnde est, vt aliqua dicantur magis distingui duobus quidem modis, vno propter eorum maiorem repugnantiam, seu incompossibilitatẽ ad inuicem: & de his verum est, quod quanta est distinctio in constitutiuis, tanta est in cõstitutis: vt albedo, & nigredo distinguuntur magis, quàm homo, & albedo; quia illa opponuntur contrariè, ista disparatè: & de illis verum est, quod sicut albedo, & nigredo non stãt simul; ita nec constituta per ipsa, album, & nigrum. alio modo magis distinguuntur, quia minus conueniũt in aliquo genere, vt sunt, quæ distinguuntur prædicamentaliter, genere generalissimo: & ista quidẽ ita distinguuntur, quatenus minus conueniunt in aliquo tertio, non tamen quia minus sunt incompossibilia: vt substantia, & accidens in nullo genere prædicamentali conueniunt, licet non repugnent vniri, vt vnitur de facto substantia, & accidens: contraria vero magis conueniunt, quia albedo, & nigredo militant sub eodem qualitatis genere, licet magis repugnent vniri, quia expellunt se mutuo ab eodem subiecto. Personæ autem diuinæ magis distinguuntur, ea quidem ratione; qua in eadem persona repugnat reperiri proprietatem constitutiuam alterius; non enim Paternitate est Filius, nec Pater filiatione; nec Pater potest esse Filius, nec Filius Pater; nihilominus quàm maximè conueniunt in Essentia eadem, propter quam sunt idem Deus, & cõsequenter erit vniuoca Filij generatio.

ARTIC. V.
Occurritur argumentis artic. primi.

Quod manet sub vtroque termino habet rationẽ materiæ, decl.

1 AD primum, cum dicitur, quod manet sub vtroque termino habet rationem materiæ, verum vbi generatio, & productio est coniuncta cum transmutatione. ibi namque materia est ea, quæ transmutatur de forma in formam sub vtroque termino, exercetq; omnes rationes, & conditiones veræ materię in sui transmutatione: at vbi adest pura generatio, & simplex productio, simplexq; cõmunicatio absque sui trãsmutatione, ibi nulla est ratio materiæ, vti euenit in diuina Essentia: est ergo vera maior de generatione mutatione: nõ de generatione productione.

Relatio est actus personæ, non Essentiæ.

2 Ad secũdum negatur anteced. quia nec dat esse Essentiæ, nec perficit, nec actuat, nec informat Essẽtiã. Respondetur autem, quod est actus personæ, quia actuat, & dat esse personæ, cum per relationem constituatur persona: sed nõ est actus Essentiæ, cum non det esse Essentiæ: Cum asseris, cui conuenit distinguere, conuenit esse actum: vtiq; sic est, quia relationi conuenit esse actum, dantem esse personæ; & per eãdem relationem actuan-

adæquatem distinguitur persona à persona: at in ordine ad Essentiam, relatio nec est actus Essentiæ, nec distinguit Essentiam, cum sit vna Essentia indistincta in omnibus. Insuper esse actu essentiæ conuenit essentiæ creatæ, quæ perficitur, actuatur, & informatur, atque distinguitur per suppositalitatem, indiuidualitatem, & personalitatem, non sic diuina Essentia.

Cui conuenit distinguere, conuenit esse actum, declar.

3 Ad tertiũ si sit sermo de potẽtia obiectiua, & logica vtiq; verum, quod omnipotentię actiuę correspõdere debet potentia logica, & obiectiua: & talis est in diuinis, potentia logica, & quasi obiectiua, inquit Scot. in Filio, demptis imperfectionibus, qua mediante potentia Filius põt habere esse, & Pater põt ei dare esse: at loquendo de potentia passiua, materiali, & receptiua transmutabili de forma in formã, falsum est axioma absolutè tentum, quia potentiæ creatiuæ nulla correspondet potẽtia passiua materialis, & receptiua; etenim Creatio fit de nihilo, nulla præsupposita materia, quæ transmutetur, & recipiat: ita quoque potentiæ productiuæ Patris in diuinis nulla correspondet ratione Essentiæ potentia materialis receptiua, transmutabilis.

Potẽtiæ actiuæ correspondet potentia passiua, declar.

4 Ad August. concessa authoritate, malè inde infertur Essentiam habere rationem materiæ; nec illud fuit intentio Augustini; sed solùm docere Filium non esse *de nihilo*, quia est de Essentia. Ad confirmationem de Creatura, benè infertur, eam, quia non est de nihilo, esse de materia, propter rationes dictas; quæ cum dicant imperfectionẽ, remouendæ sunt à diuina Essentia.

Ad Augu.

5 Ad illud quod relatio determinet Essentiam, falsum putat Scot. etenim cum Essentia sit formaliter, & vndequaq; infinita, repugnat determinari, contrahi & perfici, siue actuari; hæc enim conueniunt naturæ imperfectæ, & finitę, vt fuit ostensum contra Henric. sup. in quæst. Verum Essentia, an relatio sit principium generationis art. 4.

Relatio an determinet Essentiam.

6 Et ex his, minimè concedendum est, adesse in diuina Essẽtia, materiam saltem metaphysicam, iuxta loquutionem Caetani, & Molinæ. Probatum hoc remanet to. 1. disput. de simplicitate Dei: Quemadmodum namque ex materiæ physicæ adstipulatione insurgũt absurda illa, de quibus ibi, ita proportionaliter dicendũ de materia metaphysica, prout singulariter de vtraq; materia ibi fuit discussum. Quod si materiã metaphysicam, ex ibi dictis, negamus, neganda quoque venit actualitas ista relationis penes Essentiam; mutuo namque se inferunt hæc duo, materia, & forma, ratione compositi, siue physici, siuè metaphysici, & mutuo se excludunt: vt vbi adest materia, siue physica, siuè metaphysica ibi adsit & forma correspõdens; & vnde ille excluditur, debeat consimiliter & ista excludi, quapropter aboleta materia, etiam metaphysica, abolenda quoq; veniet actualitas, seu forma relationis metaphysica.

7 De Diuo Thoma, seipsum declarat. & cautè loquitur, concedit namque ibi rationem materiæ, si tamen, *à materia remoueatur totum id, quod est imperfectionis* Caetanus quoque, & Valentia loquũtur cautè, ille admittendo eam *secundùm quid*, iste *secundùm nostrum modum considerandi*, & secũdum *conceptus inadæquatos.*

Materiam an cõcedat ibi D. Th.

8 His tamen non obstantibus, ab omni prorsus impugnatione liber est loquendi modus, nullatenus ibi admittens materiam, nec quasi materiam, nec in re, nec in nostro modo considerandi: nec simpliciter, nec secundùm quid, nec secundùm cõceptus adæquatos, nec inadæquatos, vt loquuntur Scotistæ: imo nec quidem saltem in nomine, recenset ibi materiam Scotus; decet enim, rem simplicissimam, perfectissimam, atque omnimodè spiritualem, cuiusmodi est diuina Essentia, longe esse ab omni consideratione, & appellatione materiæ: patent enim imperfectiones materiæ, de quibus lib. 1. Physicorum.

Essentia diuina longissimè distat, etiam à nomine materia.

9 Ad explicationem verò sensũ quæstionis, adductam in finem primi articuli, dicendum, nullum talem sensum fore admittendum: non physicum, cum sit Deus purus spiritus: non

Sub nulla consideratione adest ibi materia.

non metaphysicum, cum non sit in genere.ex tom. 1. in propria disputatione: Non sub ratione materiæ ex qua, nec in qua ex absurdis allatis. ergo remanet, vt locum nullum habeat in diuinis materia, nec quasi materia.

10 Qualis verò sit sensus alterius termini: qui quidem diuinus est in De, & Nihilo: hoc secundum in diuinis nusquam fuit; cùm Filius fuerit ab æterno. Primum verò an locum habeat, innotuit artic. 3.

QVÆSTIO XII.

Vtrum in Filio sit potentia actiua generandi; & in Spiritu S. potentia spirandi.

ARTIC. I.

Probatur pars affirmatiua.

Sententiæ affirmatiuæ fundamen-

1 Multis visum fuit, tū Antiquis, tū Recentioribus, adesse etiam in Filio potentiam generãdi: hi sũt penes i'assol. in 1. d. 7. q. 3. quibus adhæret Mayron. ibid. q. 3. Marsil. 1. q. 11. art. 3. 4. Gabr. & alij in ead. d. 7. quos ex Recentiorib. sequuntur Valent. 1. t. disp. 2. q. 15. par. 2. Suar. de Trinit l. 4. cap. 10 nu. 7. pluresq; qui omnes licet non concedant in Filio potentiam proximam; nihilominus concedunt in eo remotam, ratione Essentiæ, quæ sit principium remotum generandi. probatur autem primo: absolutum in diuinis est commune tribus: talis est Essẽtia, ipsa autem est principium saltim remotum generandi, ergo. Secũdo potentia generandi est perfectio simpliciter; ergo est in Filio, & Spiritu Sancto; prob sequ. aliàs in Patre esset perfectio, quæ non in alijs, essetq; perfectior alijs. Confirmatur, potentia creandi est communis tribus; ergo & generandi. Cõfirmatur secundo, omnipotentia est communis tribus: sed potentia generandi cadit sub omnipotentia, ergo est communis Filio. Arguitur tertio, eadem memoria, quę est in Patre, est in Filio, quia eadem Essentia, idemq; Intellectus, sed memoria est principium generandi in Patre, ergo & in Filio. Quartò. passio subsequitur inseparabiliter subiectũ: potentia generandi est naturalis affectio memoriæ fœcundæ: hæc verò memoria est etiam in Filio. Quinto, si memoria de se non esset vbique principium generandi; ergo neque in Patre haberet rationem principij; igitur ex quo est in Filio, erit quoque principium generandi. Sextò. Filius est naturalis imago Patris; ergo debet exprimere, & repręsentare perfectè Patrẽ; non autem perfectè imitaretur, & repræsentaret si potẽtiam non haberet vniformem cum Patre, saltim remotè. Septimò, Pater creatus communicat filio non solùm naturam, verum etiam generandi potentiam, vt patet; ergo idem præstabit Pater increatus communicando Verbo nedum Naturam diuinam, verum & generandi principium. Ex Augustino etiam arguitur, qui 1. cõtra Maxim. ita scribit, *Dei Filius non genuit, non quia non potuit, sed quia non oportuit*; ergo ex Augustino est

potentia generandi in Filio.

Scotꝰ pro eadem afferunt sententia. 2 Ex Scoto etiam elici videtur sententia ista:& quidem in 1.d.2.q.7. litt.B. ait, *Ideo principium productiuũ carere quandoq; productione; quia vel est impeditum; vel iam prahabet in alio terminum adaquatum*: pariformiter, inquit, *discurrendum est de potentia generandi, si sit in Filio & de potentia spirandi si sit in Spiritu sancto.* Item in 2. d.1.q.1.& sæpissimè in toto tr.de Tri. docet, ideo non posse in Filio habere rationem principij, quia iam habet terminum adæquatum; ergo si non habere, vtique iam exiret in actum; igitur stãte productione termini adæquati, remanet, vt sit in eo saltem remotè & in actu primo ipsa potentia generandi. Demum quidquid habet Pater, totum communicat Filio, inquit Concil. Florent. *præter esse ingenitum*: quod maximè ponderat vbiq; Scotus;ergo hinc non excluditur potentia gignẽdi. Accedit Hilarius lib. 12.& 9.de Trinit.inquiens, *Filius habet naturam gignentem eandem numero cum Patre*. Itẽ Patres docent Filio cõmunicatũ fuisse à Patre quidquid potentialitatis habet in seipso. habet autem in seipso potentiam generãdi, ergo & hanc communicauit Filio.

ARTIC. II.

Nullam in Filio, & Spiritu sancto adesse potẽtiam producendi ad intra, nec proximam, nec remotam.

In Filio nõ est potẽtia generandi. 1 PLacet nihilominus amplius, in Filio nullatenus esse potentiam generandi: sicut nec in Spiritu sancto potentiam spirandi. Inprimis verò attendendum ad ipsum nomen potentiæ quid indicat: & ad verbum illud gerundiuum quid importet: quo habito, habebitur etiam planè sensus cõclusionis. Et quidem ea est natura gerundiui, vt *Quandocunq; gerundiuum construitur cum potentia, denotet actum egredientem, siue potentem egredi à subiecto talis potentia*: vt habeo potentiam scribendi: gerundiuum hoc denotat scriptionẽ egredi, vel posse egredi à me, in quo subiectatur scribendi potentia. Hoc præstito, videamus si potentia gignendi possit construi cum Filio: & quidem filius non potest habere actum generationis, sicut nec vnquam habuit, nec habebit, ergo in Filio nõ reperitur potentia generandi. ex bona grammatica comprobatur optima Theologia; deseruit enim grammatica tanquam ancillæ suæ dominæ Theologiæ, ex illo Sap. 9 *Sapientia vocauit ancillas suas* Assertio est Scoti, vt infra, & communior Scotistarum.

2 Hinc nedum excludimus istã, *In Filio est generandi potentia*; verum, & istam aliam *In Filio est scientia generandi*: sicut & in Spiritu sancto explodimus istam, *In Spiritu sancto est potentia spirandi.* & istam alteram, *In Spiritu sancto est volũtas spirandi*: Ratio de Spiritu sancto est eadem, quæ de Filio; quia gerundiuum constructum cum potentia, denotat actum posse egredi à potentia; at nunquam Spiritus sanctus spirauit, nec spirabit; ergo non habet spirandi potentiam. *In Filio nõ est scientia generandi.*

3 Sed redeamus ad Filium, iuxta conclusionem alteram, ista est falsa, *In Filio est scientia generandi*. prob. tale gerundiuum denotat actum egredi potentem à subiecto suæ potentiæ: igitur daretur intelligi per scientiam generandi, quod Filius de facto generaret, vel posset. Confirmatur, generatio diuina fit per Intellectum, & per D.Th fit per actum intelligendi; igitur si Filius haberet scientiam generandi, vtique generaret, vel posset generare. Distinguitur verò modus generandi in diuinis à Creaturis: quia pleræq; creaturarum genituræ fiunt absque præuia scientia, vt in brutis, plantis, & concubentibus dormientibus, atque in his omnibus per accidens est, vt accedat scientia, quia potius natura duce fiunt omnia: at in diuinis fit præuia cognitione, & scientia diuinæ Essentiæ, quæ cognitio est *Probatur.* *Spiritus S. non habet potentiam, nec voluntatem spirandi.*

est generationis initium; igitur si conceditur illa, Filius habet generandi scientiam, vtiq; verum erit Filiú aliquando genuisse, vel posse actualiter generare. Pariformiter de Spiritu sācto neganda est, Spiritus sanctus habet voluntatem spirandi; quoniam denotaretur actum spirationis posse egredi à Spiritu sancto, qui de facto aliquando spiraret. Confirmatur, quia voluntas est, quæ spirat: & Pater, & Filius spirando habent verè voluntatem spirandi, & secundum alios, volitione spirant, tanquam actu essentiali, non notionali; ergo & ipse quoq; spiraret; igitur negatur Spiritum sanctum habere voluntatem spirādi. Accedit, si voluntatem haberet spirandi, aut esset ea efficax, aut inefficax: non primum, quia iam spiraret: non secundum, quia frustanea. Immo impertinens est fingere Spiritum sanctū velle id, quod non potest fieri; impium est autem fingere, Spiritum sanctum spirare, & velle spirare, cum impossibile sit, eum posse spirare, Spiritus autem sanctus non vult impossibilia. Omnia ex Scoto, vt infra, & Scotistis.

Filius scit suam generationem.

4 Sicut autem negantur illæ, ita conceditur ista, *Filius scit suam generationem*, *Spiritus sanctus vult suam spirationem*. Ratio, quia tollitur hinc gerundiuū, quod indicabat potentiā, & actum: & apponitur generatio, & spiratio, non sub ratione termini producibilis, sed sub ratione obiecti, quod offertur Filio sub ratione intellecti, & cogniti: & Spiritui sancto sub ratione amati, & voliti: Filius enim intelligit, & scit generationem suam: sicut intelligit, & scit Patrem genuisse eum: & Spiritus sanctus amat, & vult spirationem suam, complacendo sibi summè, & summè amando, quod Pater, & Filius spirarunt ab æterno Spiritum sanctum.

Spiritus S. vult suam spirationē.

Filius non scit generare.

5 Verum est tamen, quod licet sit vera hæc, Filius scit generationem suam; nullatenus inde est concedenda ista, *Filius scit generare*. Ratio, quia coincidit cum illa prima constructa cum gerundiuo; etenim par ratio est de potentia constructa cum gerundiuo, & de potentia constructa cum infinitiuo; vtrumq; enim indicat actum posse egredi à potentia; exemplum sit, Michael scit Deum creasse Mundum, & scit creationem Mundi, & hoc totum est verum: non tamen erit verum hoc, Michael scit creare Mundū, habet scientiam, & voluntatem creādi Mundum; licet verum sit, Michael amat, & vult à Deo factam Creationē Mundi: non quidem vera est prima, quia habere scientiam creandi, & habere voluntatem producendi Mundū indicat in habente eam, principium, & potentiam creatiuam Mundi, qua Michael caret: vera tamen secunda, quia complacet, & acceptat, diligitq; operatiuam potentiam Dei in creando Mundum. ita Scot. quolib. 2. & in 1. d. 7. q. vn. atq; d. 20. q. vn. Basiol. sup. Herrh. in 1. d. 9. q. 8. cūq; magis communis in via Scoti, vt neutro modo sit in Filio, & Spiritu sancto potentia, nec proximè, nec remotè. Fauentinus autem cōcedit in omnibus remotam in 1. disp. 46. c. 2. & Tatar. 1. d. 20. q. 1.

Gerūdiuū constructū cum potentia denotat actū egredi à tali potētia &c.

5 Ex his omnib. colligitur prima ratio negans omnino potentiam in Filio ad generandum, & Spiritu sancto ad spirandum: Gerundiuum constructum cum potentia denotat actū egredi, seu posse egredi à supposito talis potētiæ: sed Filius per te, & Spiritus sanctus habent generādi, & spirandi potentiam, ergo vel generant, & spirant, vel saltim possunt id agere per talem potentiam. Occurri posset, argumentum concludere de potentia proxima, quæ omnino negatur, non autem remota, quæ in ipsis affirmatur. Sed contra hoc arguitur, ostendēdo negandam esse vtramq; potentiā, ideo secundo arguitur.

6 Secundo arguitur, supponendo eatenus potentiam cōstitui in ratione principij proximè operandi, quatenus concurrunt cum habente eam, omnia rèquisita ad operandum, vtpote approximatio passi, & amotio impedimenti, & huius generis: vice autem versa, remota erit potentia, quādo operandi principium remanet impeditum, & non habetur debita passi approximatio, vt conuenit: exemplū de igne debite non approximato ad passum, immo obstaculo intercepto, inter ipsum, & passum, remanebit in

sola

sola potentia remota ad combnrendum:hoc supposito arguitur,potentia generandi in Filio, & spirandi in Spiritu sancto non est impedita; ergo nō est potentia remota. anteced.prob.si impedita esset, aut posset impedimētum auferri,aut non: non primū,quia ablato impedimento iam Filius generaret, & Spiritus sanctus spiraret, & ita haberemus plures Filios, pluresq; Spiritus sanctos contra fidem: si secundum, ergo in diuinis ad intra reperitur impedimentum diuinæ virtutis, immo impedimentum perpetuum,& æternum: at hæc obstant infinitati virtutis Dei: quis namq; audebit impedimentum afferre infinitæ potentiæ Dei,non quidem Creatura, hæc enim quomodo impedire poterit Creatorem: nō ipse Deus,nec Pater,nam diuinæ Personæ sunt inuicē concordes vndequaq; Adde, quod maximam imperfectionē indicat ratio ipsa impedimenti in re impedita; indicat namq; attenuatiouem virtutis: sed quia est, qui impedire poterit ab operatione, præcipuè naturali ipsius Dei, qualis esset generatio alterius Filij, etenim generatio est opus naturæ.

7 Gabriel aiebat potentiam impeditam remanere, ob quod impedimentum non generat: sed arguitur contra,impedimentum hoc vel est ab intrinseco in natura, vel ab extrinseco,& per accidens: non primū, quia nulla natura ab intrinseco per se impedita postulat naturaliter id,ad quod ex natura impeditur:vt lapis non postulat ab intrinseco, & per se tendere sursum, quia natura non inclinatur ad sursum,sed ad oppositum deorsū; ergo nec ab intrinseco natura Filij postulabit vt generet, alias ab intrinseco impediretur, cum naturæ Filij, vt Filius est in diuinis non competat generare. nec secundum, quia quæro quodnam erit illud; non Deus, quia Deus non opponitur Deo, nec Filio Dei: non Creatura,quia virtus finita non potest impedire virtutem infinitam:ergo à primo ad vltimum,cum potentia generandi,& spirandi non possit remanere impedita,nullatenus habere poterit rationem potentiæ remotæ.

8 Tertio potentia generandi in diuinis, siue memoria fœcunda prius cōcipitur sub vno quasi effectu priori, antequam exeat ad producendum quasi effectum posteriorem: at in Filio memoria non concipitur sic, ergo non est in eo potentia generatiua: maior prob. in Patre prius habetur actus operatiuus, & inde productiuus, quia essentialia præcedunt notionalia: at in Filio memoria non est prius operatiua,quam productiua: sicut nec in Spiritu sancto prius per volitionem essentialem operatiua, quam ad intra spiratiua:patet,quia in ipsis tum Intellectus, tum voluntas habet solum rationem operatiui actu intellectionis, volitionisq; communis,& essentialis; non autem productiui,cum nullo modo producant.

9 Quarto habere formam,& potentiam quasi in abstracto, est omnino inutiliter, & inaniter illam habere;ratio,quia forma, & potentia,siuè virtus datur in ordine ad operandū; non enim potentiam scribendi habemus,siuè ratiocinandi, & videndi, vt eam otiosè,& quasi in arca occlusam teneamus,sed vt operemur per illam: & talis est verus modus habendi, sicut in capite de habere, docet Arist. sed Filius non generat, nec generare potest:nec Spiritus sanctus spirat,aut vnquam spirabit, ergo nullatenus dicentur habere potentiam aut generandi,aut spirandi: alias ipsam in abstracto haberent,non in concreto:sed ad quid deseruit sic in abstracto, vtique inutilis esset,& inanis: argumentum concludit etiam de potentia remota;etenim de hac est controuersia, non de proxima, de qua omnes negant: illa autem remota esset omnino frustra.

10 Quinto principium productiuum comunicatum alteri per productionem sibi adæquatam, non potest esse illi alteri ratio agendi: sed Filio communicata est potentia, & principium generatiuum Verbi per productionem adæquatam Verbi, siuè per productionem adæquatam principio productiuo Verbi,ergo nō poterit in ipso Verbo, & Spiritu sancto habere rationem principij generatiui,

ratiui, & spiratiui. maior patet de ligno, quod si acciperet calorem per productionem adæquatam tali calori, siue principio calefactiuo, nō vtiq; posset vltra calefacere lignum per talem calorem; alias calor nō esset terminus adæquatus sui principij: at Verbum, & Spiritus sanctus sunt termini adæquati potentiæ generatiuæ, & spiratiuæ, ergo non est in eis potentia vlterius productiua.

11 Item potest v.g. Filius generare, & Spiritus spirare: quæro aut eadem generatione, qua generat Pater, generat Filius: aut alia: item de Spiritu sancto, aut potest eadem spiratione spirare, qua spirat Pater, & Filius, aut alia: non eadem, quia Filius generaret seipsum, & Spiritus sāctus spiraret semetipsum; ergo alia: si hoc, ergo dabitur alter Filius, alterq; Spiritus, & ita erūt in diuinis plures productiones alterius rationis. Item si potest generare, ergo generat, quia in diuinis non differt posse ab esse.

12 Accedit, nulla per se passio potest separari à subiecto: sed generatio est per se passio, & per se effectus, à natura intentus, potentiæ generatiuæ; ergo si est potentia in Filio, & Spiritu sancto, necessario generat, & spirat, reddendo singula singulis. si dixeris esse impeditam, iam sequūtur inconuenientia, vt sup. Insuper vbicunq; est fundamentum relationis intrinsecus aduenientis, & necessario resultantis, ibi actualiter, & de facto inuenitur operatio, & relatio: at memoria est fundamētum relationis paternæ generationis, ergo vbicunq; erit, ibi etiam aderit operatio, & relatio generationis; ergo si est in Filio vtique resultabit in eo relatio nouæ generationis ad alium Filium, & ita de facto generabit Filius Filium. Deniq; contradictio apparet, quod habeat potentiam generandi, & nō generet, frustra enim poneretur, & inutiliter.

Memoria fœcūda remanet in Filio, & volūtas fœcunda in

13 Licet memoria fœcunda formaliter spectata, quatenus habet rationem potentiæ productiuæ non sit sic in Filio, nec voluntas fœcunda sub ratione potentiæ spiratiuæ in Spiritu sancto; nihilominus absolutè, & fundamentaliter tenta, præscindendo à ratione principij productiui tū proximi, tum remoti, reperitur vtique in Spiritu sancto, & in Filio; Assertio est communis, ex ea. s. parte, quod potentia fundamentalis sit in Filio, tenta absolutè: quidquid tamen sit, omnes cōcedunt idem absolutum esse in Patre, & in Filio, licet discrepent in ratione principij remoti. probatur autem, & est clara: omnia absoluta ad intra sunt communia trib. memoria igitur prout præscindit à relatione potentiæ, & prout etiam à tali ratione præscindit voluntas, erit communis trib. & ita in Filio erit memoria fœcunda, & in Spiritu sancto voluntas fœcunda. Item omnis perfectio simpliciter est communis trib. talis est memoria, & voluntas sub ratione absoluti. Insuper memoria statuitur quidem in Filio, sed solummodo sub ratione operatiui, non generatiui: sicut voluntas fœcunda in sancto Spiritu vt operatiua, non vt spiratiua: hæc vero non derogant rationi absolutæ entitatis fundamentalis memoriæ, & voluntatis, quia abstrahūt à productione. nec tamen per hoc absolutum dicimus reperiri potentiam producendi remotam; quia tale absolutum abstrahit in Filio, & Spiritu sancto ab omni ratione producendi, etiam remota: & hæc est verior opinio penes Scotistas, vt ad sensum Scoti sit neganda etiam potentia siuè generandi, siuè spirandi remota.

Spiritu S. declar.

14 Sed vrgeri potest, vnde est, vt Filius in humanis, cæterisq; tum sensibilib. tum vegetabilib. recipiat à Patre tum naturam, tum potentiam generandi, nedum remotam, sed & proximam, & mediante ea iam generare de facto: Filius autem in diuinis talē potentiam à Patre non recipiat. Ratio duplex est; prima, quia in diuinis tota generandi potentia iam habet terminum suæ productionis adæquatum: quo habito potentia non expetit vltro producere, & generare; quoniam, si vtamur loquutione Henrici, iam remanet exhausta, & euacuata potentia per terminum adæquatum: cum vero potentia completionem, & adæquationem habet per suam vnicā

Generandi potētia cur remanet in Filio in humanis, non autem in Filio in diuinis.

in

in diuinis productionem; non est cur vltro querendum sit, an possit esse iterum, vel in eodem, vel in alio supposito principium productiuum: at in humanis non sic; non enim Cain primogenitus Adæ adæquauit, siuè compleuit, siuè exhausit, siuè euacuauit totã potentiæ generatiuæ naturam, & cõditionem in Adam, quinimmo iterum genuit, propagauitq; naturam per tot sæcula, & de facto fit eiusdem naturæ propagatio per posteros. Secũda ratio, quoniam humana natura est corruptibilis; singularia namq; speciei sunt corruptibilia: vt igitur conseruetur species opus est Patrem communicare Filio nedum naturam specificam, verum & potentiam speciei conseruatiuam mediante generatione: quod si potentiam hanc non communicaret, vtiq; rueret tota humana, brutalis, & vegetalis species; etenim destructis singularib. nihil est amplius speciei inueniretat Natura diuina est omnino immortalis, tum in se, tum in diuinis suppositis; quapropter cum suppositum Filij geniti sit immortale, nõ est opus vt generet; si namq; mortale esset, vt Adam, vtique generaret, potentiamq; generandi suo Filio cõmunicaret, & Filius ille alteri Filio, & sic deinceps, ad conseruandam specificam naturam, vt contingit in hominib. at *Filius* est immortalis, incorruptibilis, necesse esse; igitur nõ opus est vt generet. nec communicetur ei à Patre generandi potentia: ita de Spiritu sancto, &c.

Obstatur. 15 Verum obstatur aduersus id, quod dicebatur, non esse concedendam istam, *Filius scit generare*. Videtur hoc limitare infinitam scientiam Filij. Et quidem per eandem notitiam essentialem, per quam Pater cognoscit suam generationem, per eandemmet cognoscit & Filius generationẽ eandem, quoniam notitia essentialis est communis; ergo sicut Pater scit generare, sic & Filius. Item ipsi appropriatur sapientia, & scientia, cum procedat per modum intellectus. Insuper benè nouit Filius, Patrem generasse per memoriam fæcundam, mediante intellectu, vna cum diuina Essentia sibi præsente sub ratione obiecti actu intelligibilis, & hoc negari non potest, ipsum nosse, ergo scit generare: Confirmatur, sciunt Scholastici quomodo fiat generatio in diuinis, ergo multo magis id nouit Filius. Denique *Filius* in humanis scit generationem, & modum generandi, scitque insuper generare, imo de facto *Filius* in humanis generat, ergo & *Filius* in diuinis.

16 Hæc tamen non obstant. Et ad primum, sicut & ad singula, respõsio pendet ex dictis, aliud namque est *scire generationem*, & aliud, *scire generare*. Differentia patet ex dictis: quapropter cõcedantur rationes ad primum sensum; etenim quia *Filius* est infinitæ sapientiæ, ideo bene nouit & generationem, & modum generationis, vnde scit quidnam sit generatio, & qualiter fiat, id namque norunt Theologi, quanto magis sapientia increata: at non concedit Scotus istam, *Filius scit generare* propterea quod sensus erit, *Filium* posse generare, qui tamen sensus non includitur in illa, *Filius scit generationem*. Qnod si fortè alicui dura videatur hæc expositio Scoti, addamus & aliam, Vnde cum dicitur, *Filius* scit quomodo Pater generat, scit enim modum ipsum generandi, ergo scit generare. Responderi insuper posset, scire quidem *speculatiuè non practicè*: illud est concedendum, ne *Filius* videatur ignorans: hoc vero negandum ne *Filius* dicatur generare in diuinis. Ad illud vero de *Filio* in humanis, vtique & scit generationem, & vltra hoc scit generare, ratio, quia stat in ipso potentia generandi; non enim natura humana extat adhuc adæquatè communicata, nec genitiua hominis potentia habet huc vsque terminũ generationis adæquatum, in diuinis autem adest potentiæ gignitiuæ Patris terminus iam adæquatus.

Occurritur (margin, beside §16)

AR-

ARTIC. III.

Occurritur argumentis primi artic.

Potẽtia generandi an perfectio simpliciter

1 AD primum concesso antecedenti, negatur Essentiam esse principium saltim remotum in Filio, & Spiritu sancto.

2 Ad secundum, potentia generandi fundamentaliter sumpta, & absolutè, est quidem perfectio simpliciter: at sumpta formaliter Scotus ait abstrahere à perfectione, & imperfectione: & per hoc negatur in Patre esse perfectionem, quæ non sit in Filio, & Spiritu sancto: quod si diceret perfectionem, benè sequeretur, vt arguit Scotus in quæst. de Relationib. *An sint entia quanta*: sufficit vero ad æqualitatem Personarum esse in omnibus absolutum illud, fundamentaliter connotatum per potentiam generandi, & id est Essentia, & hæc est perfectio simpliciter. Ad primam cōfirmationem, concesso antecedenti, negatur consequens, ratio, quia opus creationis est ab omnibus; etenim opera ad extra sunt indiuisa; opus generationis est notionale, & propriũ Patris solius, ita etiam potentia generandi. Ad confirmationem secundam, omnipotentia quidem essentialis, quæ est potentia causatina ad extra, est communis tribus: at negatur potentiam generandi ad intra contineri sub omnipotentia, sicut probatum est in quæst. de potentia generatiua Patris art. 6.

Potẽtia generandi est passio memoriæ fecũdæ, declar.

3 Ad tertium, est quidem vtrobique eadem memoria, at in solo Patre sub ratione principij fæcundi, non autem in Filio, & Spiritu sancto, nec fæcunditate proxima, nec remota. Ad quartum, concedo antec. minor autem indiget explicatione; aliàs committeretur multiplex fallacia: primo quidem amphibologiæ; nam amphibologica est hæc loquutio, *memoria est potentia generãdi*, etenim intelligeretur de Patre, Filio, & Spiritu sancto, cum de duobus istis sit falsa; ideo est sic addendum, *memoria est principium generandi, nempe in Patre*: aliàs daretur intelligi esse principiũ in omnibus, secundo fallacia *figuræ dictionis*, commutando *quale quid in hoc aliquid*, nempe à suppositione simplici, seu naturæ, ad suppositionẽ personalem, vt dicendo, memoria est potentia, ergo est potentia generandi in Filio, negatur, quia est potentia in supposito apto nato. Tertio fallacia consequentis, arguendo à superiori ad inferius affirmatiuè: seu ab vniuersali, abstrahendo à suppositis, ad particulare suppositum: vt memoria est potẽtia generandi: & hic nullum est suppositum, ergo Filis generat: nunc vero in consequenti applicat, & infert suppositum: vt animal currit, ergo Franciscus currit. Debet igitur in antecedenti, memoria applicari determinato supposito, vt memoria est principium generandi in supposito aptonato, cuiusmodi est Pater solus: quo stante non potest inferri ad Filium, & Spiritum sanctum, nec memoria ad generandum, nec voluntas ad spirandum, reddẽdo singula singulis.

4 Ad quintum, memoria de se sola non est adequatum principium, & totale, ideo in solo Patre complettur in ratione principij adæquari; ergo l cet sit in Filio; non inde erit sufficiens principium generãdi. Ad sextum, non mirum est si Filius creatus est Patris imagó etiam in ratione potentiæ generatiuæ; quia Pater creatus producẽdo Filium non communicat ei totam naturam, quia adhuc remanet communicabilis alijs: estq; talis Filius terminus inadæquatus generationis creatæ, ideoq; Filius poterit vlterius generare: Filius autem diuinus est terminus adæquatus potentiæ Patris, & vt loquitur Henricus, exhaurit totam potentiam generatinam Patris: quidquid autem sit de modo loquendi, iam potentia habet terminum vltimatum, & adæquatũ, quo habito nō habetur vltra productio. Ad septimum, patet responsio ex nunc dictis: & adde, quod ideo Pater creatus commũnicat filio potẽtiam generandi, ne natura pereat, sed conser-

Memoria de se sola nō est principium totale.

seruetur in Filijs per propagationẽ; natura namque, & species conseruatur in indiuiduis: quod non contingit in Deo, cuius natura, Essentia, & Personæ sunt æternales, immortales, incorruptibiles, apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obũbratio. Ad Augu. non fuit mens eius ponere hanc potentiam in Filio: sed ostẽdere intendebat contra Maxim. Filium esse æqualem Patri, & non minorem in Deitate ipso Patre, vt ostensum est citato artic.

5 Ad Scoti hæc, & similia loca, dicendum nolle tunc disputare de hoc, sed parum curat, habeat an ne rationem remoti: item loquitur iuxta mentem aliorum sic æstimãtium; vnde loquitur secũdùm communem vsum loquendi: nec enim quæstionẽ mouit vtrum in Filio habeat rationẽ potentiæ remoti, contentus solum ostendisse non habere rationem generandi in ipso Filio.

Ad Hilarium, Essentiam confessus fuit in Filio gignentem; at non reduplicatiuè, prout in Filio gignentem, sed prout gignentem in Patre: est autem eadem gignens Essentia in Filio specificatiuè: sumitur autem gignitio penes Essentiam, cautè loquendo contra Ioachimum, de sup. lib 2. quæst. Vtrum Essentia generer, vel generetur. Item sẽsus Hilari fuit, Filium esse consubstantialem Patri, quia habet in seipso eandem numero Essentiam, quam habet Pater.

Ad reliquos autem Patres, loquuntur de potestate agendi ad extra; quæ potestas est eadem in Patre, Filio & Spiritu sancto. Vel loquuntur aduersus Arrium docentes æqualitatem Filij, & Spiritus sancti cum Patre.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum Filij generatio sit æterna.

Verbũ est sapiẽtia genita, non creata.

1 VErbi generationis ęternitatẽ testantur passim scripturæ, vt Prou 8. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequã terra fieret.* hinc sequitur diuinam genitam sapientiam, & æternam esse, & creaturam non esse. dum enumeratis omnib. Creaturis, de seipsa dicit, *genitam, & ordinatam fuisse ante terram, cæterasq. Creaturas.* & confirmatur, quoniam ipsa Patris sapientia genita fatetur se vna cũ Patre creasse omnia, vt, *Quando præparabat cœlos aderam; quando certa lege firmabat abyssos, cum eo eram,* nempe cum Patre, *cuncta cõponẽs* Paulus hębr. 1. de Christo ait, *Iesus, qui heri hodie, & in sæcula:* per *heri,* sancti Patres exponunt, Diuinitatis Verbi æternitatem: sicut cõstat illud Io: Apocal. *qui erat, qui est, et qui venturus est.* ac ex plurimis, de quib. penes Scripturas, de eadem quoque, genita sapientia dicitur, *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* ibidem. per *creata,* intelligitur *genita*; habet enim creata, affinitatem aliquam cum genita, demptis tamen imperfectionib. Creatio enim non præsupponit materiam, nec cooperationem aliquam creaturæ, ita Verbum nõ producitur ex Essentia tanquam de *materia,* nec *quasi materia* vt supra in propr. quęst. Nec ad Verbi productionem cõcurrit Creatura, vt patuit: immo nec cognitio creaturarum, vt diximus; cęterum demendæ sunt imperfectiones creationis, ac merito per *creata,* intelligitur *producta.* Actum etiam fuit de hoc lib. 2. disput. de æqual. Perso-

narij. Accedat demum inter Patres Ambr. qui 1. de Trinit. cap. 6. inquit, *si Pater prius erat Deus, & postea genuit, ergo generationis accessione mutatus est; auertat autem Deus hanc dementiam.*

Probatur.

2 Afferamus verò rationes duas, vel tres ex Scoto in 1. d. 9. q. 1. prima sit, Agens sufficiens, & independens, & agens per modum naturæ habet terminum productum sibi coæuum si non agit per motum, & mutationem: at Pater æternus est agens independens, & sufficiens, atque agẽs per modum naturę in generando, & non agit per motum, ac mutationem, ergo ab æterno habuit terminum suæ generationis coæuum, sicq; Filius erit sibi coæuus, maior prob. si enim Agẽs esset insufficiens, & si ab altero dependeret, & si ageret liberè, hoc est, contingẽter: & si ageret per motum, & tempus posset quidem impediri; tũ quia insufficiens, tum quia ab alio ad nutum dependens; tum demum quia ageret liberè, contingenter, quando vellet, & nõ vellet: hæ autem imperfectiones non interueniunt in generatione Verbi æterna.

3 Secundo August. 6. de Trin. c. 1. ait, *si ignis esset æternus haberet splẽdorem sibi coæternum, sicut etiam si pes esset pulueri impressus ab æterno vestigium eius foret æternum*; prob. vterq; est agens naturale, ergo naturaliter, necessario, & subito peperissent hos effectus sibi necessarios, & coæternos. ergo Pater habens pro Obiecto diuinam Essentiam ab æterno, sub ratione actu intelligibilis per modũ naturæ, producit Verbum sibi coæternum.

In permanentib. & successiuis quid sit perfectionis, et imperfectionis.

4 Tertiò, ea quæ dicunt sparsim perfectionem in inferioribus debent vniri, semotis imperfectionibus in superioribus, at reperimus in proposito aliqua in Creaturis, dicẽtia perfectionem, ex quibus eleuari possumus ad cognitionem æternæ generationis. prob. min. In productione successiuorum, & instantaneorum illud est perfectionis, vt habeant esse, nempe completum, quando fiunt; etenim instans quando fit, habet totum esse completum: & pars illa successiua quando fit, tunc habet totum esse, quod tali parti competit, prout talis est: licet imperfectionis sit, vt nõ maneant, sed transeant, tum instantia, tum successiua: In generatione permanentium illud perfectionis est, vt habeant esse permanenter. imperfectionis verò vt non sint dum fiunt, sed interueniente motu, & mutatione procedant à non esse ad esse, siue ab imperfecto ad perfectum esse. capiamus ex his ea, quæ sunt perfectionis, vt puta, habere esse permanenter, & habere esse totum simul non per motum, aut mutationem, & tribuamus hęc Verbo Dei, & ita habebitur quod eius generatio erit secundum se tota simul, & sempiternaliter, Adde quod Verbi generatio non est generatio mutatio, sed generatio productio: quapropter cũ non mutetur Verbum de non esse ad esse, vtique erit æterna. Deceptus autem fuit Arrius nesciens abstrahere à generatione mutationem; vnde aiebat ad generationem omnino interuenire mutationem, & propterea generationẽ Verbi non esse æternam. Confirmatur ex Hylar. 7. de Trin. & Clem. Roman. lib. 8. Apostol. trad. *Inter gignere, & gigni diuini Verbi nullum adesse medium*; quod intelligitur, de medio *mutationis, durationis, & temporis.*

Verbi non est generatio mutatio; sed generatio productio.

Arrius nesciuit abstrahere mutationem à generatione.

5 Obstatur vbicunque sunt idem duratio, & esse, si aliquid est initium esse, erit & initium durationis: Pater est initium esse Filij, ergo & durationis Filij, non ergo ab æterno. Resp. Patrem esse principium tum esse, tũ durationis Filij. Principium verò vel sumitur originatiuè, vel initiatiuè; primo modo Pater est principium non secundo: ratio primi, quia originare est dare esse, quod verè dat Pater originando Filium. ratio secundi; quia initiũ de rigore indicat inceptionem temporis, & progressum à nõ esse ad esse; quare in hoc sensu negatur minor; est Pater quidem principium originans, non initium incipiens dandi esse, quasi prius Filius non habuerit esse. Dices Prou. 8. ait sapiẽtia de seipsa, *Ab initio, & ante secula creata sum*: stat ergo ibi initiũ. Resp. initium largè sumi, non pro initio

In diuina Generatione datur principiũ, non initiũ.

du-

Verbū nostrum cum inquisitione: non sic diuinum.

durationis, & temporis: item idem significant, ac ab æterno, quod declarat verbum subsequens, *ante sæcula*, idest ante tempus.

6 Arguitur, August. 15. Trin. 15. *Imperfectionis est in verbo creato, quod sit formabile antequam formetur*; ergo tale erit Verbum diuinum, vt procedat de non esse ad esse. Resp. verbo creato id competit, quia producitur via inquisitionis, & discursus, vt dictū fuit, Verbum autem increatum non sic, sed simul in instanti æternitatis.

Verba cuiuscunque temporis possunt dici de Deo ex Scoto.

7 Obstabis, si Generatio est æterna, ergo Filius semper nascitur, ergo nunquam genitus est, & ita nunquam est Filius: hæ duæ consequentiæ probantur per August. 83. quæst. q. 37. *Qui semper nascitur nunquam natus est.* Respondet Scot. quod August. videtur negare, Filium semper nasci, cū tamen Origenes dicat oppositum penes Magistr. Gregorius tamē 29. mor. in Iob. 38. dicit aliqua, quibus possunt concordari; vnde subdit inde Scotus, quod *Verba cuiuscunque temporis possunt dici de Deo*; etenim August. hom. 99. in Ioann. 161. *Quæcunque audiet, loquetur, inquit, Audiet, audiuit, & audit, quia Spiritum sanctum audire est à Patre, Filioq; procedere.* In his verò locutionib. consignificatur nunc æternitatis, prout coexistens omni differentiæ temporis, & ita cum dicimus Pater genuit, significatur nunc æternitatis coextitisse tempori præterito: generat, & generabit, significat instans æternitatis coexistere tempori præsenti, & futuro. verum tamen est, subdit Scot. quod secundum Gregor. expressius significatur diuinæ Generationis veritas per hunc sermonem, *semper natus est*, quàm per istum, *semper nascetur*; quia per primum significatur natiuitas iam perfecta, & completa, & sempiterna.

Pater genuit, generat, & generabit, declar.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Verbum sit imago Patris.

ARTIC. I.

Proponitur sententia Durandi.

Ex Durando neutrum Filius. sed & Spiritus S. est imago.

1 Docet Durandus in 1. d. 28. q. 3. nomen, & rationem imaginis nō propriè, & de rigore, sed impropriè, & largè reperiri in diuinis. Item dum sic largè ibi reperitur, ait, nedum competere Filio, sed etiam Spiritui sancto: licet per quādam appropriationem magis cōpetat filio. probari autem potest sua sententia primo, si imago propriè cōuenit in Diuinis, aut quidem competit Deo respectu creaturæ; aut competit vni Personæ diuinæ respectu alterius: nullum est dicēdum; probatur primum, imago est aliquid productū ad imitationem eius, cuius est imago: sed in Deo nihil est productū ad imitationem creaturæ; ergo non est in Deo imago respectu creaturę. probatur secundum, vna Persona non est imago alterius, probatur enim esset imago secundum relationem, & personalitatem, aut secundum essentiam: non primum, quia potius vna est dissimilis alteri, & distincta ab altera, quam sit imago eius: non secundum, quoniam cum imago consistat in similitudine, vna Persona ratione Essentiæ potius dicitur vna & eadem alteri personæ, quam similis, cum Es-

ſentia ſit fundamentum vnitatis, & identitatis, ergo ſi eſt ibi imago, erit ibi impropriè. Probatur etiam tum Filium, tum Spiritum ſanctum eſſe imaginem, ſiquidem vterque eſt ſimilis Patri, ratione Eſſentiæ, ergo vterq; imago: vterque itidem eſt productus, quæ duo requiruntur ad imaginem. Confirmatur, quia Patres Græci Spiritum ſanctum appellant *imaginem*: ita Damaſc. lib. 5. c. 18. Baſil. l. 5. contra Eunom. Athan. ad Serapion. Probatur denique Spiritum ſanctum eſſe imaginem; quia Filius ex ſui nominis ratione habet, inquit Dur. vt ſit ſimilis Patri, & producatur in ſimilitudinem Patris: ſed Spiritus ſanctus non habet ſimilitudinē ex modo proceſſionis ſuæ; ideo ſolus Filius per quandam appropriationē habet vt ſit imago, non ſic Spiritus ſanctus, ſeu non ſic vt Filius. Denique ipſemet Deus eſt Creaturæ imago, ergo non Verbū ſolum. prob. Boet. l. 3. de conſol. m. 9. *Mundum mēte gerens, ſimiliq; ab imagine formans*: at imago illa, ex cuius ſimilitudine educit Mundus erit ipſe Deus.

2 Inſuper Verbum eſt imago ratione intellectionis Obiecti primarij: at Intellectio diuina non eſt imago, ergo nec Verbum diuinum; prob. minor, imago dicit relationem realem ad exemplar: intellectio autem non refertur realiter, ſed ratione ad Eſſentiam. *Præterea Vir dicitur imago, & gloria Dei*, 1. Cor. 2. at ex eo, quod imago appellatur Dei nō ſequitur vt habeat veram, & propriam, perfectāq; rationem imaginis, ſed impropriè, vt conſtat, ergo nec eſt neceſſe vt Verbum ſit vera imago, licet Scripturæ ipſum appellent imaginem.

ARTIC. II.

Quid ſit imago, & conditiones imaginis.

Imago quid.

1 IMago ex D. Auguſt. & poſt eū, ex Theologis, taliter deſcribi pōt, *Imago eſt ſimilitudo totius, ad alterius imitationē expreſſa; ſiue ſimilitudo alterius expreſſiua, vt expreſſiua*. ita colligitur ex eo, … 83. quæ … q. 74. & ſuper Deute. q. 4. ac ſuper Gen. ſuper perf. c. 16. ex Scoto autem 1. d. 3. q. 9. D. Bonau. cæteriſq; Scotiſtis ibid. & ex D. Tho. 1. p. q. 35. art. 1. & q. 93. ar. 2. ex qua deſcriptione plura habemus: primo quod ſit ſimilitudo: ſecūdo, quod ſit expreſſa: & tertio, quod ſit alterius expreſſiua, ſiue imitatiua. vnum verò eſt deſcriptioni addendū, nempe, *totalis*; itaut imago ſit ſimilitudo totalis, ad alterius imitationem expreſſa: ſiue ſimilitudo totalis alterius imitatiua, & expreſſiua: & ſic habebitur adæquatè ratio imaginis: Ex quo habebimus quatuor hæc in imagine: primum, *ſimilitudo*: ſecūdo, *totalis*: tertio, *expreſſa*: & quarto, *alterius expreſſiua, & imitatiua*. de omnib. eſt ordinatè loquendo.

Imaginis requiſita.

2 Quoad primum: ſimilitudo in imagine ſtat loco generis; eſt namq; de ratione imaginis, ſimilitudo: itaut prædicetur de ea: & tāquam ſuperius includatur eſſentialiter in inferiori: valet namque prædicatio, imago eſt ſimilitudo, in primo modo dicēdi per ſe; nec enim poteſt eſſe imago ſine ſimilitudine, cum ſit eſſentialiter ſimilitudo. licet autem hoc verum ſit, nihilominus non valet prædicatio conuerſa; non enim omnis ſimilitudo eſt imago; multa namque ſunt inuicem ſimilia, quorum tamen alterum non eſt imago alterius: vt duo parietes albi, ſunt ſimiles; non tamen vnus eſt imago alterius: exemplo quoque rem confirmat Aug. quia vnum ouum eſt ſimile alteri ouo; non tamen vnum eſt imago alterius, ita loquitur lib. 83. quæſt. q. 74. *Omne ouum in quantum ouum, omni ouo ſimile eſt: & ouum Perdicis, quantumuis inquantum ouum, eſt ſimile ouo Gallinæ, nec tamē imago eius eſt*: & quæſt. 4. in Deuteronom. *Omnis imago, etiam ſimilitudo eſt, non omnis ſimilitudo imago eſt; vnde ſi gemini inter ſe ſimiles ſunt; ſimilitudo dici poteſt cuiuslibet alterius in altero, non imago.* habetur ergo imaginem eſſe ſimilitudinem, at non omnem ſimilitudinem eſſe imaginem, ratio differentiæ habebitur infra.

Similitudo requiritur ad rationē imaginis.

Imago infert ſimilitudinem.

3 Quo-

Imaginis, & veſtigij diſcrimen.

3 Quoad ſecundum, *Totius*: imago eſt ſimilitudo totius; hoc dicitur ad differentiam veſtigij: nam veſtigiũ eſt quidem ſimilitudo, ſed partis: imago autem eſt ſimilitudo totius; vnde ſi pes imprimatur in puluere: vtique impreſſio ſiue pedis, ſiue manus, ſiue alterius membri, repræſentabit ſolam partem impreſſam, & ob id vocatur veſtigium: quod ſi totum corpus imprimatur ipſi pulueri, impreſſio appellabitur imago, quia eſt repræſentatio ipſius totius: quod maximè aduertit Scot. q. 5. & 9. & hinc communis animi cõceptio, & loquutio de veſtigio, & imagine: vt veſtigium videre dicamur animalis, v. g. quod hinc pertrãſiit: imaginem: autem aliunde, cuius totum prototypum videmus: à veſtigio quidem arguitiuè dignoſcimus, & inueſtigando, vt ex *vngue Leo*, vt dicitur: ex veſtigio Vrſum, Lupum, Ouem agnoſcimus, non primo, & immediatè, ſed arguitiuè: ex imagine vero immediatè comperimus imagatum, vt ex imagine, Cæſar: interrogante enim Chriſto, cuius eſt imago hæc? reſponderunt Cæſaris: Cæſarem vero totum repræſentabat imago illa, non partem.

Imago, quaſi imitago ex D. Bonau. Competit eſſe expreſſiuum.

4 Quoad tertium: quod ſit alterius expreſſiua: hoc idem eſt, ac imitatiua: vnde fit, vt ad rationem imaginis eſſentialem pertineat expreſſiuitas, & imitatio; ratio, quia intantum eſt imago Cæſaris, inquantum imitatur Cæſarem: & inquantum exprimit, repræſentatq; Cæſarem: quod ſi non imitetur, ſeu non imitando exprimat, non erit imago. hinc D. Bonau. 1. d. 31. par. 2. art. 1. quæſt. 1. *Imago*, inquit, *dicitur, quaſi imitago.* eademq; ethymologia eſt communis apud omnes, vt ab imitando dicatur imago. iſta vero expreſſiuitas debet competere ei ex vi, & natura ſuę productionis, alias non eſſet imago, vt dicetur infra de Spiritu ſancto.

Imagini competit eſſe expreſſã.

5 Quoad quartum denique, quod ſit ab altero expreſſa; hoc etiam eſt de ratione imaginis: quod ſi enim cõtingat nõ eſſe expreſſam, ſeu productam ab alio, non erit imago: hinc Pater æternus nullius eſt imago, quia à nullo productus: Filius tamen eſt Patris imago, quia à Patre expreſſus, & productus. & quidem ſiue Natura, ſiue Ars ſui relinquat imaginem, iam de facto eam producit: primum patet in generatione, quæ eſt opus Naturę producentis: & ſecundum patet in Artifice effigiãte Cæſarem, ac producente imaginem Cæſaris: auferas vero omnem rationem expreſſi, & producti, & vtiq; tolles imaginem.

Similitudo an eſſẽtialis ratio imaginis.

6 Quænam verò ex his conditionibus ſit eſſentialior imagini, per quã propriiſſimè conſtituatur in ratione imaginis: dicendum non eſſe rationẽ ſimilitudinis; ratio eſt allata ex Diuo Auguſt. de duobus ouis, duobuſq; gemellis: qui quantumuis ſimiles, non tamen vnus eſt alterius imago; non enim frater geminus eſt fratris imago, licet ſimilis, nec ouum oui, licet in albedine, & rotunditate ſit ſimile. Inſuper exemplo theologico; nam Pater eſt ſimilis Verbo, & Spiritui ſancto, nec tamen eſt eorum imago: & Spiritus ſanctus eſt ſimilis Patri, & Filio, non tamen eſt ipſorum imago.

Totius ratio an eſſẽtialis imagini.

7 Nec ratio *totius* abſolutè conſtituit imaginem, licet ipſa ſit ratio ſufficienter diſtinctiua à *veſtigio*; quia etiam Spiritus ſanctus ſecundum totam rationem, qua eſt Deus, vtique repræſentatur ipſe vt totus Deus; nõ enim eſt ex parte Deus, quia non eſt diminutus Deus; & nihilominus non eſt Patris, & Filij imago; ergo repræſentatio totius nõ ſufficit. Dices, non repræſentat Spiritum ſanctum vt totum, quia ſolam Deitatem, non relationem: & penes vtrumq; deberet eſſe ratio imaginis. ſed falſum hoc; quoniam Filius non eſt imago Patris ratione relationis perſonalis Filij, et enim ſequeretur fortem gignere fortem: & Patrem gignere Patrem, non Filium: non enim Paternitas, & filiatio ſunt eiuſdem rationis formalis ſecundum ſe; igitur nõ hinc imago, quia nec hinc ſimilitudo; eſt autem ſimilitudo imaginis fundata in natura: & quidem Frãciſcus Pater, generat Petrum Filium; & hic eſt ei ſimilis in natura, & hoc ſufficit; non vero neceſſum eſt ſit ſimilis in hæccheitate, ſiuè ſingularitate perſonali; differunt namq; immo differunt ſæpiſſimè in

Filius quonam ratione ſimilis Patri, & imagogicus.

ipſis

ipsis accidentib. materialib. vt Pater sit albus, Filius discolor: ille sanus, hic infirmus, & huiusmodi. Dices, imago Cæsaris tunc perfecta erit, cum & naturam, & accidentia repræsentabit Cæsaris; ergo exigitur vtrumq;

Imagini accidentaria est repræsentare accidentia.

8 Resp. 1. per accidens est vt imago repræsentet accidentia, sufficit vt repræsentet naturam. Resp. 2. quod loquendo de imagine naturali nõ est opus vt repræsentet singula accidentia: artificialis vero imago repræsentabit necessario accidentia omnia, vt patet de pictura, siuè imagine depicta, siuè extracta de prototypo: quã oportet repræsentare singula accidentia, quæ sunt in prototypo, alias non erit perfecta imago, sed deficiet in repræsentando vndequaq; ipsum totum.

Imagini artificiali cõpetit necessario repræsentare etiã accidentia, non imagini naturali, nisi accidentia propria.

Respondetur tertio, quod loquendo de accidentib. proprijs naturæ, vtpotè à natura inseparabilib. vtiq; necesse est hæc repræsentari, etiam ab imagine naturali; etenim leunculus similis est patri leoni, nedum in natura leonis; verum & in singulorum membrorum effigiatione, in voce, rugitu, incessu, ferocitate, virib. pelle, pilo, vnguibus, voracitate, magnanimitate, & huiusmodi: & hæc quidem accidẽtia repræsentablt semper imago naturalis, illa, inquam, imago naturalis, quæ habetur per generationem, siuè per propagationem naturalem: at loquendo de accidẽtib. communib. quæ vtiq; sunt separabilia, & aduentitia naturę, non est opus in hoc fundari imaginem: quod si similitudo interueniat etiam hic, vtiq; erit per accidẽs, & per accidens spectabit ad naturalẽ imaginem. loquendo autem de imagine artificiali, hæc quidem debet repræsentare, modo suo, modo quo potest ipsa Ars repræsentare, etiam accidentia cõmunia: vt si Cæsar est pulcher, venustus, armiger, iuuenis, vtiq; talem debet exprimere ipsum Ars, & imago, aliter erit imperfecta Ars, & imago, & iure merito dicetur, non est Cæsaris imago: at si Pater est sanus, doctus, diues, bonus, & similia, non vtiq; necesse est Filium eius, eiusq; naturalem alioqui imaginem, esse itidem sanum, doctum, diuitem, sanctum; cum multi filij degenerent à sanitate, diuitijs, doctrina, & Patris sanctitate.

Ratio expressi quomodo ad imaginem.

9 Nec ratio expressiuè producti constituit imaginem; multa namq; producuntur ab arte, quæ tamen non sunt Artificis imago & Spiritus sanctus est iã productus, nec tamen est, aut Patris, aut filij producentis imago.

Imaginis per se constitutiuum quiddam.

10 Igitur id, quo primo, & per se constituitur ipsa imago, est ratio expressiui, & imitatiui; dictũ est enim, esse imaginem, quasi *imitaginem*. probatur ex Aug. vbi sup. cum namq; dixerit ouum non esse oui imaginem; subiunxit rationem, dicendo, *ideo non imago, quia vnum de altero exppressum non est; imago enim tunc est cum de alio exprimitur.* s. ad *imitationem eius, de quo exprimitur*. & hoc intimius constituit ratioñe imaginis, vt sit expressiua, & imitatiua imagati.

Imitatio quomodo de ratione imaginis.

11 Verum est tamen, quod imitatio absolutè tenta, nec quidem ipsa vt sic, constituit imaginem; sed vltro requiritur, vt *ex vi suæ expressionis* imitetur imagatũ, alias neč esset imago. exemplo rem confirmant Theologi, de Filio, & Spiritu sancto: vterque nãq; est similis Patri, quia vterq; Deus: at Filius solus imago; quia procedit similis, & vt similis, in sensu reduplicatiuo, atq; *ex vi* suæ generationis habet, vt sit similis: Spiritus autẽ sanctus procedit quidem similis, at nõ vt similis reduplicatiuè, sed specificatiuè: nec enim habet *ex* vi suæ processionis procedere vt similis, & propterea non est imago. Fundamenta autẽ huius in quęst. de differẽtia vtriusq; processionis. à primo autem ad vltimum, omnes quidem recensitæ conditiones requiruntur ad imaginem: istæ vero vltimæ, vt procedat vt similis ex vi productionis, & vt sit imitatiua, essentialius constituunt ipsam rationem imaginis.

12 Aduersus autem id de similitudine requisita ad imaginem instatur primo, Conceptus, & notitia est imago obiecti cogniti, quod quidem obiectum quandoque est substãtia, cum tamen notitia ipsa sit accidens: inter accidens vero, & substantiã non adest similitudo. Secundo 1. Cor. 2. *Vir est imago, & gloria Dei:* Creatura autem, &

& Creator non assimilantur in natura specifica. Tertio, statua, & pictura vocatur imago hominis; hic autem est viuens, illa non viuens, ergo cessat similitudo.

Cognitionis, & cogniti qualisnam similitudo.

13 Ad primum resp. inter cognitionem, & cognitum non quidem reperiri similitudinem in essendo, cum possit Obiectum esse substãtia, & cognitio sit accidens; reperiri tamen similitudinem in ratione repræsentantis, & repræsentati; exprimentis, & expressi; & hæc sufficit: ex quo autem cessat prima similitudo, sequitur vt similitudo non sit adæquata, & perfecta.

Verbum solummodo est perfecta Dei imago, Homo non sic.

14 Ad secundum, Verbum solũmodo diuinum est vndequaque, & perfectissimè imago Patris; Creatura autẽ est imago, at imperfecta, propter distinctionẽ naturæ, & perfectionum; vnde imago aliter dicitur de Verbo, aliud de Homine; de Verbo nãq; dicitur, quod est *Imago Dei*, de homine vero, quod sit *Ad imaginẽ ipsius Dei*; at hæc valde differunt; hinc August. lib. 7. de Trin. in fin. ait, *Quia non omnino æqualis fiebat illa imago Dei*, nẽpe hominis, *tãquam non ab eo nata, sed ab eo creata, huius rei significandæ causa ita imago est, vt ad imaginem sit, idest non æquatur parilitate, sed quadam similitudine accedit*. Nota non dicere, absolutè, *similitudine*, sed *quadam similitudine*, vt explicet imperfectam similitudinem imaginis. Subsequitur D. Tho. 1. p. q. 35. art. 2. inquiens, *Ideo ad designandam in homine imperfectionem imaginis, homo non solum dicitur imago, sed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur; sed de Filio Dei non potest dici, quod sit ad imaginem, quia est perfecta Dei imago.*

Esse imaginem, & esse ad imaginem differunt.

Ad tertiũ.

15 Ad tertium Resp. consimiliter, vt ad primum. Respondetur insuper ex Nazianz. Orat. 36. siue 4. de Theol. dicente, *Imago, vt eiusdem cum Patre substantia, & quia ex illo est, nõ autem ex hoc Pater: hæc siquidem imaginis natura est, vt exemplar suum imitando referat: quanquam hic imago exemplar suum expressius refert. illic enim rei viuæ, ac motu præditæ, mortua, & motus expers imago est: hic autem viui exemplaris viua quoque est effigies, multoq; minus à Patre differens, quam Seth ab Adam, filiusque omnis à parente suo.* Apertius vero confirmat id Dioryſ. lib. de diuin. nom. c. 9. inquiens, *Hæc quidem Deo similia dicenda sunt, & ad diuinam Imaginem, similitudinemque facta; neque enim eis Deus similis dicendus est, quod ne homo quidem similis est suæ imagini; nam ea, quæ sunt eiusdem ordinis fieri potest, vt inter se similia sint, & vtrinque reciprocetur similitudo, & sint ambo similia æquè ex principali specie: in causa autem, & effectu non approbabimus reciprocationem.*

ARTIC. III.

De modis assignãdi imaginem.

1 His visis, accedendum ad videndum in quonam consistat ratio imaginis; & quidem penes eundem Augu. duplex reperitur modus assignandæ imaginis. primus est 9 de Trin. c. 4. *Mens, notitia, amor*: secundus 10. de Trin. c. 10. *Memoria, intellectus, voluntas*. Declaremus singulos. Memoria denotat in Patre duplicem fœcunditatem, inquit Scot. tum generandi, tũ spirandi, ratio, quia memoria reperitur in Patre, tum etiam & mens, tanquam in perfecto Parente; sed Pater non esset completum principium Filij, & Spiritus sancti, si non haberet duplicem fœcunditatem; da oppositum, quod per memoriam, & mentem intelligatur sola fœcunditas intellectus, iam Pater non esset vtriusque productionis principium: & careret principio spiratiuo, haberet namque solam fœcunditatem generãdi, nõ spirandi: & si spirandi inde facultas ei communicaretur, vtique non haberet eam à se, sed communicatam ab alio, quod est impossibile. Dieeς, memoria, & mens sunt principium solius intellectionis, non amoris, ergo non dicunt in Patre vtramq; se-

Memoria quid in Patre denotet.

fæcunditatem: Resp. ista hæc formaliter spectata vtique sunt solius intellectionis principium, seu generationis. at quatenus reperiuntur iu supposito Patris copulantur cum altera fæcunditate, nō ratione sui, cum sint principium solius generationis, sed ratione Patris, qui est principium productionis. hinc verò habetur Persona prima Sancti ss. Trinitatis, adæquatè concepta sub ratione duplicis fæcunditatis generandi, & spirandi: Circa notitiam, & intelligētiam, importatur Persona secunda Trinitatis; etenim appellatur notitia genita: Circa tertiam, importatur Persona tertia, & hæc appellatur Amor spiratus.

Obstatur. 2 Ex doctrina autem tradita soluit Scotus instantiam, quæ fieri posset; etenim videtur adesse quaternitas, non Trinitas in assignatione ista: prob. memoria, & mens est prima pars imaginis Trinitatis: intelligentia, & notitia est secunda: voluntas est tertia: & amor spiratus est pars quarta:

Occurritur Respondet, voluntatem fæcundam comprehendi in assignatione primæ partis, vtpote mentis, & memoriæ: in qua comprehenditur vtraq; fæcunditas, ad hoc vt Pater sit perfectè Parens, vt est dictum, quo stante remanet Trinitas, non quaternitas.

Ex modis assignatis quinā melior. 3 Ex duabus verò assignationibus Augustini, quænam sit melior, vtrum illa de memoria, intelligentia, voluntate: an illa de mente, notitia, amore: ipsemet August. docet, quod illa de memoria est euidentior. Quid verò per volūtatem intelligat in eadem assignatione pro *parte tertia*: intelligit, inquit Scot. voluntatem non in actu primo, sed in actu secundo; ratio est dicta, quoniam voluntas in actu primo principij fæcundi comprehenditur in prima parte imaginis vna cum memoria: tum etiam quia voluntas vt voluntas formaliter, & principiatiuè non spectat ad tertiam partem; tertia namque pars habet ipsius voluntatis actum secūdum, qui est amor productus, e x eod. August. in prima assignatione: & licet voluntas sub ratione actus primi, seu principij sit principium tertiæ Personæ, nihilominus non ipsa voluntas producitur, nec spiratur, sed spiratur Spiritus sanctus, & Amor: ita Augustinum explicat Scot. dicta q.9. paulò supra litt.K.

4 Ex ambabus verò assignationibus, tria colliguntur reperiri debere in perfecta imagine. primo, originationem: secundo consubstantialitatem, & tertio realem distinctionem: deficiente autem altero non erit perfecta imago. Et quidē in perfectissima Trinitate reperiuntur hęc omnia: adest namque originatio Filij à Patre: & Spiritus S. ab vtroq: adest omniū consubstātialitas penes diuinam Naturam: & denique realis distinctio penes relationem personalē. vt verò detur aliqua natura creata, quæ perfecta sit Trinitatis imago, debet conditiones istas omnes habere, aliàs deficiet à perfecta imagine: videamus autem vtrum anima nostra, vel sensus nostri habeant illas perfectissimo modo, vt est Trinitas. *Tria ad perfectam imaginem.*

5 Et quidem de anima loquendo, est negatiuè asserendum, ait Scot. prob. memoria fæcunda animæ nostræ producit intelligentiam: at intelligentia est accidens, non substantia: distinguitur essentialiter, & non est consubstantialis animæ: est accidens informās animam: separabile ab anima: destructibile, corruptibile, & similia. Item voluntas fæcunda producit amorem, qui est accidens, separabile, distinctū essentialiter tum à voluntate, tum à memoria, tum ab intelligentia, & huius generis. intelligentia etiam, & memoria non producunt amorem; amor hic recipitur informando voluntatem, & alia huiusmodi: at in diuinis Intelligentia, & amor non sunt accidentia, sed vera substantia, quia sunt Filius, & Spiritus sanctus: nec informant, nec inhęrent voluntati, & Intellectui; nec sūt corruptibiles, sed æternales: item Pater, & Filius spirāt Spiritum sanctum; notitia autem nostra, & memoria nostra non producunt amorem sunt etiam diuinæ Personæ inter se consubstantiales; notitia, & amor noster inter se, & ab anima distinguuntur essen- *Anima an habeat conditiones perfectæ imaginis.*

essentialiter, cum sint alterius naturæ; hinc verò fit, vt anima nostra sit quidem Trinitatis imago, sed in plurimis deficiat à perfecta imagatione, seu imitatione ipsius Trinitatis, expensis imperfectionibus recensitis, & alijs, quæ superaddi facilè possunt.

Modus assignationis imaginis in Anima ex Scoto.

6 Nihilominus etsi multis sit admixta imperfectionibus nostra imago, non est tamen negandum eam esse imaginem; etenim de fide est esse Animam Trinitatis imaginem, iuxta illud Gen. 1. *faciamus hominē ad imaginem, & similitudinem nostram*; assignabitur vero eo modo, quo poterit, ipsa imago. Scotus ergo sic eam assignat, inquiēs: Anima habet in se aliquam perfectionem, secundùm quam formaliter est actus primus, habens vtramque fœcunditatem, tum intelligendi, tum amandi: habet etiam aliam perfectionem, secundùm quam recipit formaliter notitiam genitam: & habet in se aliam perfectionem, secundùm quam recipit volitionem: istæ tres perfectiones dicuntur memoria, intelligentia, voluntas: accipiendo igitur ista tria ex parte Animæ, vt sūt sub tribus actib. suis, adest consubstantialitas, ratione illarum trium realitatum quæ sunt ex parte Animæ: & est distinctio, & origo, ratione istarum realitatum receptarū in Anima. hic est modus assignandi Scoti. Petes, quomodo stet consubstantialitas in Anima vna cum actibus, vt ait Scot. cum actus non sint consubstantiales Animę: id non erit ratione actuum, sed ratione intellectus, & voluntatis. quæ duæ potentiæ sunt inuicem consubstantiales, ęedēque cum Anima, in via Scoti: & hinc habetur consubstantialitas, distinctio, & ordo.

Imago cōsistit in actib. primis vna cum secundis.

7 Ex his deducitur, imaginem consistere non in actibus primis solummodo: nec solum in actibus secūdis: sed in actibus primis vna cum secundis: patet primum, quia actus primi sunt duo; ergo inde haberetur dualitas, non Trinitas: actus etiam secundi sunt duo, ergo consimiliter inde dualitas; & patet hinc tertium, quia inde habetur Trinitas: ex memoria quidem complectente vtrāq; fœcunditatem sub actu primo: & ex notitia, & amore, vt sunt actus secundi: ex memoria sub vtraque fœcunditate habetur prima pars: ex notitia genita habetur secunda: & ex amore spirato habetur tertia pars imaginis Trinitatis.

Imago an in parte sensitiua.

8 Deducitur etiam in parte sensitiua nō esse imaginem; primo, quia deest consubstantialitas; siquidem operatio sensitina elicitur tū ab Anima, tum ab organo sēsitiuo. vt visio: at Anima, & organum oculi, sunt essentialiter distincta; illa est enim spiritus, hoc corpus, tum quoque quia deest alter modus producendi, nempe liberè, qui conuenit Patri, & Filio penes Spiritum S. liberè productum: potentia autem appetitiua sensitiua non liberè, sed naturaliter sentit, appetit, vnde Damasc. l. 2. cap. 29. *Bruta in suis actib. non agunt sed aguntur. non se ducunt, sed ducuntur.*

9 Licet hęc ita sint; nihilominus Augustinus addit adhuc, quod imago est perfectior quandiu habet Deū pro obiecto, quam quando speculatur Creaturas; Ratio, quia adest tunc perfectior repræsentatio; contemplēdo namq; Deum, assimilatur ipsi Deo etiam ratione actus quia actus est similitudo Obiecti: & ita duplici modo exprimit Anima Deum, primo ea ratione, qua est imago consistens in memoria, intelligentia, & voluntate, quæ quidem esse possunt circa quæcunq: obiecta, tum temporalia, tum æternalia; & secundo quatenus contemplatur solum æternalia: & quoniā ęternalia, & spiritualia, atque diuina sunt perfectiora tēporalibus, & creatis, atque corporeis; ideo habebit rationem perfectioris cum cōtemplatur Deum, quàm cum contemplatur Creaturam. Et si quandoq; idem August. dicat, in speculatione temporalium non esse imaginem, intelligendum est, ita perfectam, vt est in contemplatione æternorum, inquit Sco. nō enim fas est, Augustinum esse sibi contrarium, qui tantopere astruit in homine imaginem: vnde duplicem rationem imaginis assignat, vnam respectu Dei, seu æternorum: alteram respectu Creaturæ, & temporalium;

ait namq; 12. Trin. c. 4. *In eo solum, quod ad cõtemplationem pertinet æternorum, nõ solum est Trinitas, sed etiam imago Dei: in hoc autem, quod deriuatum est in actione temporalium, etiam si Trinitas possit, non tamen imago Dei inueniri potest.* loquitur verò comparatiuè. Ad hoc accedit cõmunis differentia inter imaginem, & similitudinem: vt illa sit in natura, ista fundamentum habeat in gratia; vnde dicitur, *Imago in naturalib. similitudo in gratuitis*: eo igitur erit perfectior, quo ad maiorem accedet similitudinem Dei, tum ipsum contemplãdo, tum imitando, tum amando, tum denique fruendo &c.

Imago in naturalib. similitudo in gratuitis.

10 Ab hac ratione gratuiti, & perfecti longe distat ratio vestigij; siquidem imago est in sola natura intellectuali; quia nulla altera creata natura est pximior. & similior Deo, quàm natura intellectualis, & propterea solus homo, & Angelus est imago Dei: vestigium verò commune est omni Naturæ, intellectuali, brutali, vegetali, omniq; Creaturæ: repræsentans Creatorem sub conceptibus communibus, & appropriatis, non autem proprijs, vt est cõceptus Trinitatis repræsentatus per imaginem.

Imago in sola natura intellectuali, vestigium in cæteris.

11 Conceptus autem vestigij ex communibus sunt ex Augu. 6. Trin. c. 10. *vnitas, veritas, bonitas.* vel alio modo, ex eod. consistit *in modo, specie, ordine.* Vnitas repræsentat Patrem; quia sicut vnitas est principium numeri, ita Pater est principium Trinitatis. Veritas repręsentat Filium, quia veritas est passio intellectus, siue obiectum, siue conditio obiecti intellectus: Filius autem procedit per modum intellectus. Bonitas est affectio voluntatis, siue eius obiectum, seu conditio: at Spiritus sanctus procedit per modum voluntatis. Circa aliam assignationem, *Modus* repræsentat Patrem, quia modus accipi etiam solet pro mensura producti, inquit Scot. & propterea repræsentat Patrem, quatenus potentem producere. Species quæ idem est, ac speciositas, seu pulchritudo, repræsentat Filium, de quo in psalm. 32. *Speciosus forma præ filiis hominum*: & Ordo repræsentat Spiritum sanctum, sumpto ordine pro tendentia ad operationẽ, ad operationem, inquam, voluntatis, qua producitur Spiritus sanctus. Omnes hi conceptus vtriusque assignationis sunt communes toti Trinitati, vt patet, quia de omnibus Personis prædicatur speciositas, vnitas, bonitas, veritas, modus, & ordo reddendo singula singulis at loquendo appropriatè. vnitas appropriatur Patri, veritas Filio, bonitas Spiritui sancto, vt est dictum.

Vestigij assignatio in suis modis.

Verbũ est imago, Homo est factus ad imaginem.

12 Quidquid tamen sit, nusquã Homo, vel Angelus æquari poterit Creatori, siue in ratione vestigij, siue in ratione imaginis: sed est similitudo quædam proportionalis, siue analoga. & colligitur inadæquatio ex loquutione ipsius Dei, qui teste Moyse dixit, *Faciamus hominem ad imaginẽ, & similitudinem nostram*: quo in loco non dixit, *faciamus hominem, imaginem* sed *ad imaginem*: prima quidem loquutio est nota perfectæ expressionis, & imitationis: secunda vero est nota imitationis imperfectæ: prima indicat imitationem in facto esse, secunda in fieri quia ly *ad*, dicit viam, & tendentiam ad perfectionem, seu ad imitationem: Dictum vero fuit, Verbum diuinũ esse *Imaginem*, Homo autem factus dicitur, *Ad imaginem*: & differentia constat ex dictis.

ARTIC. IV.
Verbum est propriè, & perfectè imago Patris.

Verbũ est propriè imago.

1 CVm in Creaturis reperiatur ratio imaginis admodum imperfecta, vt vidimus; restat, vt in solo Dei Filio sit vera, & perfecta Patris imago. Et Probatur in Filio stat vnitas, atque consubstantialitas, Essentiæ cum Patre: stat Origo à Patre: & Distinctio realis ab ipso Patre, vt cõstat, quæ omnia requiruntur ad perfectam imaginem. Similiter Scriptura ait 1. ad Coloss. de Filio, quod *sit imago Dei inuisibilis*: & Hæbr. 1. *Splẽdor,*

dor, & figura substantiæ eius: atque August. 6. Trin. cap. 2. *sic enim Verbū, quo modo imago.* & 7. Trin. cap. 2. *Cum dicitur nata sapientia, Verbum, & imago, et Filius intelligatur.* idem Rupert. 1. de Trin. c. 2. Richar. de Sant. Vict. 6. Trin. c. 19. Athan. ser. contra Arian. & in Epist. decret. Syn. Nicæn. Demum ex varia assignatione, seu nominatione imaginis Filij Dei, & hominis colligitur non solum esse imaginem, sed perfectissimam Patris imaginem; siquidē de homine dicitur, *faciamus hominem ad imaginem:* at de Verbo ait Apost. *Est imago Dei:* dictum autē in præcedenti artic. esse ad imaginē dicere motum, & tendētiam ad perfectionem, seu ad imitationem Dei, quæ quidem perfecta imitatio adhuc non habetur ab Angelo, & ab homine, propter diuersitatem naturæ: at Filius cum Patre habet eandem, & consubstantialem naturam, estq; vnū cum Patre, ratione Essentiæ, & diuinarum perfectionum; indeq; fit & esse imaginem, & perfectam imaginē, non autem ad imaginem, habuit nāque ab æterno totum, quod requiritur ad perfectam imaginem.

Est perfectissima Patris imago.

2 Probant Alij, ideo Verbum est imago, quia procedit vt simile, nedū quoad perfectiones absolutas, verum etiam quoad relatiuā, & personalem proprietatem communicādi alteri personæ plenitudinem Deitatis: quam similitudinem non licet reperire in Spiritu sancto, quę probatio est Richardi Victor. lib. 7. de Trinit c. 11. & 18. ad 21. sequiturq; Alex. p. 1. q. 62. m. 3. art. 2. Maior in 1. d. 13. q. 1. ac D. Bonau. in 1. d. 31. art. 1. q. 2. Confutat autem rationem hanc D. Tho loc. cit. & Opusc. contra errores Græcorum, Aureol. 1. d. 37. par. 2. art. 3. ac Albertus p. 1. quæst. 31. m. 2. inde enim sequeretur, Filium nō esse perfectissimam Patris imaginem, probant non enim habet potentiam cōmunicandi Essentiam duobus, vt Pater, sed vni tantum, vt Spiritui sancto, nec insuper est innascibilis vt Pater: neque est fons, & principium totius Deitatis, ergo. Addi potest, quoniam Pater omnia, quæ habet dedit Filio, pręter esse ingenitum, ex Concil. Florent. ergo non est similis quoad proprietatem relatiuam, & personalem.

Probant Alij.

Confirmatur.

3 Probant Alij, Verbum procedit à Patre immediatè, Spiritus sanctus mediatè: de ratione autem imaginis est, vt procedat immediatè, ergo solus Filius est imago. Cōfutatur; quia Spiritus sanctus procedit etiam à Patre immediatè, de quo disp. sequ. in propr. quæst. Item non implicat aliquem referri ad vnum immediatè, & ad alterum mediatè, vt Matth. 1. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob:* hinc verò Iacob referebatur ad Isaac immediatè, ad Abraham verò mediatè: fuit imago illius immediatè, huius tamen mediatè.

Probant Aly.

Confutantur.

4 Demum Alij probant, Imago est similitudo vnius solius: Spiritus sanctus refertur ad duo, Filius autem est ab vno, cùm Spiritus sanctus sit à duobus, ergo ille solus est imago. ita Rupert. lib. 2. de Trin. c. 1. Confutat insuper D. Tho. siquidem Pater, & Filius non sunt duo principia, sed vnum principium respectu Spiritus sancti: ex ratione autem Ruperti sequeretur etiam Spiritum sanctum fore imaginem. Item Homo est quidem imago Trinitatis, at est imago Dei, qui cùm sit trinus, est insuper vnus. Item quid implicat aliquem esse imaginem plurium?

Alij probāt

Improbantur.

5 Quidquid tamen sit de validitate istarum rationum, vltra rationes prius allatas confirmatur ex Patribus: & quidem Basil. homil. 16. in 1. Ioann. inde ostendit Filium esse Verbum, *Quoniam,* inquit, *Imago est Genitoris, totum in se monstrans Genitorem.* Athanas. de decre. Syn. Nycęn. *Quod si eum imaginem nomines, Filiū hoc ipso eum esse indicaueris: quid enim est simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Cyrillus explicans verba Ioann. 14. *qui videt me, videt & Patrem meum,* sic ait, *Quemadmodum si quis depictā Regis imaginem videat, et miratus pulchritudinem imaginis, ipsum Regem uidere desideret iure vtiq; imago ad eum diceret, qui me videt, & Regem videt, Ego, & Rex vnum sumus, quantum ad exactam similitudinem: Ego in Rege, & Rex in me est, quantum ad figuram, &*

formam, sic & Filius. & Nyssenus lib. de Trinit. ad Eustat. *Nec aliter videre licet hypostasim, siue personam Patrem, nisi quis per characterem in eum intuitus fuerit: character autem Patris hypostaseos, siue persona, Vnigenitus Filius est.* Cæteriq; insuper Patres Filium appellant imaginem, non Spiritum sanctum, vt Chrysost. homil. 74 in Ioann. Nazianz. Apol. seu Orat. 1. & 35. seu 3. de Theol. Clem. Rom. Ep. 1. ad Iacob. Origenes l. 1. Periarc. cap. 2. Gregor. l. 5. mor. c. 25. atque Concil. Ephes. in Confess. fid. Synodus Alexandr. Epist. ad Cyrill. Alexandr. Fęlix Papa 1. Ep. 3 Euaristus Ep. 1. ad Episcopos Aphricanos &c.

Imago in diuinis nõ est quid Essētiale, sed notionale.

6 Ex his deducitur primo nomē imaginis in Diuinis nō esse essentiale. prob. imago requirit originationē, & realem distinctionem: at diuina Essentia cum Essentialibus, non generatur, nec realiter distinguitur à Personis, ergo non stat essentialiter imago in diuinis. probatio patet ex cap. damnamus in Concil. Later. de Sum. Trin. & fid. cathol. Deducitur secundo, nomen imaginis stare notionaliter, personaliter. prob. quidquid est in diuinis, aut est essentiale, aut notionale: non est imago essentiale, vt est dictum; ergo est quid notionale. Et rursus, persona est, quæ originatur, non Essentia: Item, persona originata distinguitur realiter ab originante: Interuenit quoque vnitas, & consubstantialitas Essentiæ inter vtramq; ergo est quid notionale. Deducitur tertio, notionale hoc, esse personā Filij. Iam patet ex Scripturis, & Patrib. allatis, atq; ex Scholasticis, Scot. Bonau. cæterisq; sup. & D. Tho. 1. par. 35. 1. & 93. 2. & probatur, hoc personale non est Pater, quia non est originatus: non est Spiritus sanctus, quia non habet esse per generationem; nec procedit vt similis Patri, & Filio ex vi suę processionis, licet procedat similis, de quo infra suo loco; ergo à sufficienti enumeratione relinquitur, vt sit Filius: item August. 6. Trin c. 2. *Non autem Pater, & Filius simul ambo imago, sed Filius solus imago Patris.* Hoc autem amplius patebit ex quæst. sequ.

ARTIC. V.

Respondetur obiectis artic. primi.

Imaginis ratio an in Deo ad Creaturas.

1 Hinc verò soluũtur argumēta Durandi in artic. 1. & ad primum dicimus, nomen imaginis posse quidem Deo competere in ordine ad Creaturas, sed largè, & latè accipiendo imaginem, quatenus dicetur in solutione vltimi argumenti. strictè verò non competit Deo in ordine ad Creaturas, cum non Deus factus sit ad imitationē Creaturæ, nec dependeat à Creaturis, sed Creaturæ factæ sunt à Deo, & ad imitationem ipsius Dei, sed de hoc in quæst. sequēti. Cùm dicitur, vnam personam non esse alterius imaginem, quia non est altera alteri similis. Resp. non requiri similitudinē in ratione relatiua personali, sed sufficit in essentiali perfectione naturæ, & attributorum, penes quæ sunt similes: patet primum, quia Franciscus pater non est similis Petro filio in hæccheitate, & personalitate, vt constat; sufficit autem similitudo in participatione essentiæ specificæ, & perfectionis specificę naturæ: ita Verbum: Cum dicis, Persona est potius eadem, quam similis personæ, quia sunt eiusdem Essentiæ. Resp. ratione Essentiæ esse idem; at ratione perfectionum essentialium attributalium esse similes; quia sicut identitas fundatur super identitatem naturæ; ita similitudo super idētitate perfectionis, quæ vel habeat rationem qualitatis, vt in Creaturis. vel quasi qualitatis impropriæ dictæ, vt in Diuinis.

Similitudo non stat in hæccheitate, sed in natura.

2 Ad illud de Spiritu sancto, licet sit similis, quia tamen non procedit per Intellectum, neque vt similis ex vi productionis, ideo non est imago: de quo infra. Ad id de Patrib. Gręcis, intentum fuit agere contra Arrian. negantes consubstantialitatem diuinarum Personarum: & ob id, dicebant, Spiritum sanctum esse imaginem, eatenus, quatenus est similis

Patres Græci cur quãdoq; Spiritum sanctũ appellant imaginem.

milis Patri, & Filio ratione vnius, eiusdemq; naturę. Ad illud de appropriatè, vtique Filius propriè non appropriatè est imago, vt constitit.

Deus an imago Creaturæ.

3 Ad illud de Creatura, sumitur ibi imago largè pro exemplari, siue idea, ad cuius imitationem factus est Mundus: & ita naturam intellectualem expressit Deus ex exēplari Sanctissimæ, & indiuiduæ Trinitatis, ad cuius imaginem est creatus, propter vnitatem, originem, & distinctionem, iuxta modos assignatos imaginis: cęteras vero Creaturas expressit ex exemplari idearum contentarū in mente diuina. Cæterū imago strictè sūpta sub ratione imitantis nō est in Deo, quia Deus nō eget perfectione Creaturæ, vt eam imitetur: est vero Deus imago sub ratione exēplātis, & per Creationē exprimētis; Creatura autem sub ratione imitantis, & sub ratione expressi; vnde August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. aiebat, *Imago si perfectè implet illud, cuius est imago, ipsa æquatur ei, non illud suæ imagini.* Sed de hoc quæst. sequenti.

Verbū non est, nisi intellectio genita.

4 Ad illud de intellectione, non omnis intellectio est Verbum, sed sola intellectio genita: & hæc dicit realem distinctionem, & relationem ad Generantem: intellectio autem ingenita non est Verbum, quia Verbum est genitum. Quod vero diuina Intellectio dicat ad Essentiam non relationem realē, sed rationis, hinc elicitur, Essentiam non generare, realis namque relatio interuenit inter Gignentem, & genitum: sufficit vero vt relationem dicat realem ad Patrem gignentem.

Verbū ad Essentiā dicit relationem solius rationis.

Homo, & Verbū differenti modo sūt imago.

5 Ad illud de Viro, iam differentia consistit inter Verbum, & Hominem in ratione imaginis: Verbum namque est propria, ac perfecta Dei imago, homo imperfecta: proptereaque Verbū absolutè appellatur *Imago*, homo autē factus dicitur *ad imaginē*, vt ponderauimus. Insuper Scripturæ semper Verbum ipsum appellāt *imaginem*, & hominem semel tantummodo vocāt *imaginem*, vt D. Paulus, de quo tamen homine Genesis 1. dicitur, *faciamus hominem ad imaginem*: prima appellatio importat perfectam imaginem, secunda imperfectam: Ac denique nō dicitur homo *genitus*, sed *creatus, sed factus*; dicitur autem Verbum, & Dei Filius verè *genitus*, Psal. 10. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* & Ecclesia in Symb. *Genitum nō factum*, generatio autem est fundamentum imaginis.

ARTIC. VI.

Soluuntur argumēta probantia non solum Verbum, sed etiam Spiritum Sanctum, vel Patrem, esse imaginem.

1 EX Patribus græcis deduci videtur sententia Durandi art. 1. recensita. Et quidem fauere videntur plerique Patres, Spiritum sanctū esse imaginem in diuinis. In primis autem Epiphanius hæres. 76. ait *Spiritum sanctum esse æqualem per veram imaginem, & similitudinem non euariantem, sicut Filius.* Cyrillus Alex. lib. 13. thesaur. c. 1. *Deus igitur verus Spiritus sanctus est, quoniam Filij Dei, qui est verus Deus, imago perfectissima est.* Et de Trin. lib 7. *Quod autem similitudo vera Filij Spiritus sit, scribētem audias beatum Paulum, quia quos præcognouit, hos prædefiniuit conformes imagini Filij eius hos & vocauit.* Atha. ep. 1. ad seraph. *Spiritus est bonus odor, & forma Filij.* & ep. post. *Cum Filius sit imago Patris, est autem ipse spiritus imago Filij.* Et infra, *Quin etiam Filii imago est, & dicitur spiritus.* Epist. 4. *est ipse spiritus imago Filii scriptum est enim, Quos præsciuit, hos, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filii sui.* atque ep. 3. *Spiritus bonus odor, ac forma Filii est.* Denique Greg. Thaumat. in Reg. fid. *Spiritus sanctus imago Filii perfecta perfecti.* ac Basil. l. 5. contra Eunom. tit. 6. *Christus imago est inuisibilis Dei; imago vero Filii spiritus, quo*

qui

qui participant conformes Filii fiunt secundum illud scriptum, Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filii eius.

Cur Patres quandoque Spiritū S. appellant imaginem. 2 Responsio autem ea est, vt imaginem sumant Græci Patres, & si qui Alij, valde lato, & extenso vocabulo, vt sic namque large sumpta, appellāt Spiritum sanctum etiam imaginem: at rigorosè, & strictè loquendo, soli Filio competit propriè esse imago. Ratio autem cur adducantur ad sic loquendum prædicti Patres, est vt ostēdant consubstantialitatē Spiritus sancti cum Patre, & Filio, propterea que aiunt Spiritum quoque sanctum esse imaginem; sicut namque Filius quia est imago Patris est eidem Patri consubstantialis, sic & de Spiritu sancto aiunt esse insuper imaginem, vt profiteantur hinc consubstantialitatem cū Filio, & cum Patre.

3 Item arguitur, Filius appellari solet Character, & sigillum: at hæc eadem nomina contingunt Spiritui sancto; ergo ipse etiam imago dicitur. De charactere probatur, ait enim Clem. Rom. ep. 1. ad Iac. Frat. Dom. *Filius est verbū, character &c.* Gregor. Nyssen. l. de Trin. ad Eustat. *Nec aliter videre licet hypostasim siuè personā Patris, nisi quis per characterem in eum intuitus fuerit.* & Synodus Alexandr. Ep. ad Cyrill. Alexandr. *Imago & character, & splendor gloriæ eius.* De signaculo etiam probatur ex Cyrillo eodem in lib. 3. Ioan. c. 29. vbi ait, *Neminem esse arbitror, qui rebus ipsis cōpulsus non concedat charactere sigillum signare, & absque charactere signare non posse. Quoniam igitur diuina scriptura testatur characterem hypostaseos Dei Patris Filium esse, quia in ipsa, & ex ipsa est naturaliter, quo alio charactere Pater Filium suum signauit? aut ipse Pater quo charactere signatus est, vt Filium signare possit?* Et Nazianz. orat. 36. siue 4. de Theol. appellat Filium *characterem, & purum Patris sigillum.* Est ergo Filius character, & sigillum: At hæc eadem competunt Spiritui sancto, prob. 2. Cor. 1. *signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* atque Ephes. 1. *signati estis Spiritu promissionis sancto.* vbi Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto c. 6. ait *spiritu signamur, vt splendorem, & imaginem eius, & gratiam tenere possimus: quod est vtique spirituale signaculum.* Et Athanas. ep. ad Serap. *Ipse spiritus sigillum, & vnguentum est.* & inde, *sigillum porro formam Christi sigillantis habet, eiusque participes efficiuntur qui signantur.*

Characteris, & sigilli nomē an competat Spiritui S. 4 Responsione duplici occurritur argumento: Prima sit, sigillum, & characterem considerari vel formaliter, vel effectiuè: primo modo competit soli Filio; ipse namque est formaliter imago: secundo autem modo competit, licet appropriatè, Spiritui sancto; ratio, quoniam spiritualis animæ vnctio, iustificatio, & sanctificatio appropriatur Spiritui sancto, cui appropria bonitas, sanctitas &c. quamuis autem tres personæ operentur simul iustificationem, opus tamen hoc appropriatur Spiritu sancto; ipsique consequenter appropriatur signaculum, character, siuè signatio eorum, qui renouantur per gratiam, vt Ambrosius aiebat, *Spiritu signamur, vt splendorem & imaginem eius, & gratiam tenere possimus, quod est vtique spirituale signaculum* Confirmatur ex Cyrill. Alex. 14. thes. c. 4. qui loquens de Spiritu sancto ait, *Cum ipse Deus verus de Deo vero sit quasi quoddam sigillum in cordib. suscipientium, sicut in cera inuisibiliter imprimit; & sic communicatione, ac similitudine sua in pristinam pulchritudinem naturam nostrā depingit, & ad imaginem Dei rursus hominem renouat.* Verum quia signaculum hoc, & character hic gratiæ est inuisibilis, ideo additur & responsio altera de signaculo visibili: vnde est vt fideles secernantur ab infidelibus per signum aliquid sensibile, id autem est protestatio fidei per susceptionem Sacramentorum Ecclesiæ, & per sensibilem etiam cōmunionem, & vnionem eorundem fidelium: huius vero duplicis characteris, & signaculi sensibilis, & insensibilis licet Author sit tota Trinitas, quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, nihilominus appropriatè est Spiritus sanctus. Nisi addatur, & tertia responsio, Spiritum sanctum appellari sigillum, quasi ipse sigil-

ſigillet,& claudat numerum perſonarum Trinitatis,etenim ipſe eſt perſona vltima Trinitatis:& propterea idē Cyrillus ibid.c.3.ait, *Sanctæ Trinitatis ipſe complementum eſt*. & Baſil.lib. vn.de Spirit.ſanc.c.18. *Complet ſuper omnia glorificandam,ac beatam Trinitatem*,non enim datur proceſſio vlterior, nec ipſe Spiritus ſanctus perſonam vllam producit,vnde ipſe eſt terminus productionum in Trinitate. quod amplius recoletur agendo de perſona Spiritus ſancti diſput.1. q.8.

5 Arguitur demū probando etiā Patri competere eſſe imaginem; ait namque Athanaſ.ep.2.ad ſerap. *Quemadmodum in ſua imagine eſt Filius in Patre,ita & Pater in Filio*. Reſpond. intentum eſſe docere Filium eſſe in Patre,& Patrem in Filio per circumince ſſionem, non vero Patrem eſſe imaginem Filij.

QVÆSTIO XV.

Vtrum Verbum ſit imago Eſſentiæ, an Patris, an Creaturarum,an ſtet eſſentialiter,an notionaliter.

1 Videtur prima facie Imaginem ſtare eſſentialiter, atque eſſe Imaginem diuinæ Eſſentiæ, & probatur ex hebr.1. vbi Verbū à Paulo appellatur *figura ſubſtantiæ eius*: ſubſtantia autem in diuinis eſt Eſſentia: Item ſap.7.appellatur *ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius* ac ad Coloſſ.1. *Imago Dei inuiſibilis*.ſicut & 2.Cor.4. *Qui eſt imago Dei*. idem autem important hæ locutiones, ac Verbum eſſe imaginem diuinæ Eſſentiæ. Atque Gen.1. dicitur homo factus *ad imaginem Dei*. Inſuper dicitur, *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginē Dei creauit illum*.

2 Confirmatur ex Patribus, Et quidem Athanaſ. Dialog. 2. de Trin. ait, *Filium eſſe ipſius Eſſentiæ imaginem dixit Apoſtolus,qui,inquiens,ſplendor eſt gloriæ. & character hypoſtaſeos; nam character hypoſtaſeos nihil aliud eſt quam Eſſentiæ imago*. Gregor. Taumat.in Reg.fid. *Deus de Deo,figura,& imago Deitatis, Verbum efficax*. atque Chriſoſt.ſer.de Trin. *ſignificans Scriptura vnā imaginem Trinitatis*, inquit, *Et fecit Deus hominem,ſecundum imaginem Dei fecit illum, ſicut & Paulus clamat de Filio, Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ: & iterum, Qui eſt imago Dei inuiſibilis*. Hilarius denique lib.1. de ſynod. *Imago paternæ Eſſentiæ nata*. Acceditq; Euſeb.Cæſar.l.4.demonſtrat.Euang.c.2. *ſolus Filius diuinæ naturæ in ſeipſo ferat imaginem*. ac lib.5.c.1.appellat Filium, *primogenitam ingenitæ naturæ imaginem*.

3 Dicendum autem primo, Verbum non eſt imago diuinæ Eſſentiæ, ſeorſim,& præciſè conſideratę,atque abſtractè à perſona Patris. eſt communis Theologorum: vnde imago nō erit abſoluta,& eſſentialis, vt ſic tenta, in ordine ad ſolam Eſſentiam. Scotiſtæ cum Scoto hoc tanquam indubitatum ſupponunt tum in 1. d.31. q.1.tum d.10. q.1. ad 1. D.Tho. 1.p.q. 35.art.1.& vltra D.Bonau. in d.31.p. 2.ar.1.q.1.2.Henri. quol.4. q.2. Alex. 1.p.q.61.m.1. & vltra, Ferrar.4.contra Gent.c.11. Caetan. ad loc.cit.D. Tho.vna cum expoſitorib.cæteris. *Verbū an imago Eſſentiæ.*

4 Probatur, de ratione imaginis

eſt

est produci ab alio: Essentia autem nec generatur, nec generat ex c. *damnamus* de summ. Trin. & fid. Cath. Item imago dicit relationem realem ad exemplar: Verbum autem non refertur realiter ad Essentiam, sed ratione. Insuper Imago distinguitur realiter à suo exemplari, Verbum vero est idem realiter cum Essentia. Rursus inter imaginem, & id, cuius est imago, reperitur similitudo: Verbum nedū est simile, sed idē cum Essentia: nedū simile, quandoquidem similitudo extat inter realiter inuicem distincta, ac propterea similitudo reperitur inter Verbum, cæterasque personas inuicem realiter distinctas: Verbum vero est potius idem Essentiæ, quam simile eidem: ob idque magis exprimitur, & declaratur eius diuinitas contra Arium dicendo, Verbum esse idem, quam esse simile; per hoc nan que, si concederetur, occasionē sumerent fouendi suos errores, vtpotè Verbum esse quidem Creaturam, at similem ipsi Deo: ergo à primo ad vltimum, cum ad imaginem requiratur similitudo, & realis distinctio, stante identitate reali Verbi cū Essentia, sequitur vt non sit eius imago.

5 Et hinc secundo dicendū, Verbum esse imaginem Patris, & non se tenere absolutè, & essentialiter, sed notionaliter. Sequitur ex dictis, si nāque non est imago Essentiæ, ergo est imago personæ alicuius, at non nisi Patris, ergo est imago Patris. Assertio plures partes continet, prima, esse imaginem notionalem, relatiuam, seu personalem: secunda nō esse alterius personæ, quam Patris. Prima pars sequitur ex antecedentib. omne namque quod est in diuinis, aut est essentiale, aut notionale: imago non stat essentialiter vt est probatum, ergo notionaliter. Et confirmatur, Imago postulat produci ab alio, persona est, quæ producit ad intra, ergo imago est alicuius personæ: Item imago distinguitur realiter ab exemplari, ac refertur realiter ad illud, sic se habet imago ad personam à qua producitur. Quod autem sit personæ Filij terminati ad Patrem, probatur.

6 Ex Patribus Ambros. t. exam. c. 5. *Filius omnia Patris quasi imago exprimit*. & lib. 1. de fid. ad Gratian. c. 4. *Dum imago dicitur, Patrem significat esse, cuius imago sit Filius*. atque supra ad Hebr. 1. *Imago altera est ab eo, cuius refert formam: altera autem non in omnibus, sed secundum personā*. Cyrill. Alex. l. 1. th[e]s. c. 9. *Non voluntatis diuinæ, sed ipsius Patris imago est*. & lib. 2. c. 2. *Imago Patris Filius est, & in seipso Patrem ostendit*. atque lib. 3. c. 1. *Patris imago est, ipsum genitorem in se mōstrans*. Epiph. hære. 75. *Imago Dei per generatiuam coessentialitatem, tanquam à Filio ad Patrem exprimente*. Et in Ancor. *Qui ex Patre procedit, splēdor gloriæ, character substātiæ, & imago Patris in veritate*. Demū confirmatur ex Aug. l. 7. de Trin. c. 2. dicente, *Hæc duo cum dicuntur, idest nata sapientia, in vno eorum, eo quod nata est, & Verbum, & imago, & Filius intelligatur: & in his omnibus nominibus non ostendatur Essentia, quia relatiuè dicūtur*. Ecce quomodo apertè negat à ratione imaginis rigorosè acceptæ, Essentiam, asserens imaginē relatiuè dici.

7 Per rationem quoque, quia solus Pater generat, non Essentia, nō Spiritus sanctus, ergo est imago Patris. Item Filius non est imago sui, ergo Patris: antecedēs patet, nihil enim gignit seipsum, quod ad imaginē requiritur: nihil distinguitur realiter à seipso, quod interuenit inter exemplar, & imaginem: nihilque refertur realiter ad seipsum, sed sola ratione, quod etiam ad imaginem exigitur: ergo non est imago sui ipsius. Confirmatur ex Ambros. l. 1. de fide ad Grat. c. 4. *Nemo potest ipse sibi sua imago esse*. Nec esse poterit imago Spiritus sancti, cum non generetur ab eo; ergo à sufficienti partium enumeratione, Verbum erit imago solius Patris. Confirmant Scripturæ Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. & rursus, *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*. 2. Cor. 16. *ex vtero ante Luciferum genui te*.

8 Videretur vero posse obstari, quia Filius producitur ex cognitione Spiritus sancti, ergo erit eius ima-

imago. Respondet Suar. de Trin. l. 9. cap. 9. negando consequens quia pro ducitio illa non est realis, sed intentionalis: Item Spiritus sanctus tunc habet rationem termini, non obiecti motiui & productiui, quod requiritur ad imaginem. De hoc videnda quæ di cemus supra in propria quæst. Verum Verbum producatur ex cognitione diuinarum personarum.

Vtramque assertionem attigimus quæst. præced. art. 4.

Verbū non est imago creaturarū 9 Dicendum tertio Verbum non esse imaginem creaturarum. Hæc propositio facillima est in via Scoti, quoniam dum non producitur ex cognitione creaturarum, sequitur, vt nō sit imago earum. In omni autem sententia aliter probatur, Non est Deus imago Creaturarum, sed Creatura est imago Dei: ait enim scriptura. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, Item ad imaginem requiritur similitudo, at non Deus est similis creaturæ, sed Creatura similis Creatori, vt ibidem dicitur, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram.* Insuper Creaturæ producuntur à Verbo, vna cum cæteris personis, non Verbum exprimitur, aut producitur à Creaturis, non ergo est imago creaturarum.

Obstatur, 10 Dices, Hebr. 1. ait Paulus, *Portansque omnia Verbo virtutis suæ*: at per *omnia* intelliguntur Creaturæ. Itē August. lib. de fide ad Pet. cap. 1. Verbum appellat *Imaginem creaturarum*

Occurritur Ad primum, vel indicatur ibi omnipotentia Dei, qua omnia operatur, & gubernat ad extra, ex Chrisost. vel qua cuncta substentat, ex Theophilato, quasi *Atlas Orbem*. at absque labore, & fatigatione, iuxta illud Isa. 40 *Quis mensus est pugillo aquas & cælos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera?* Et Sap. 11. *Virtuti bracchij tui quis resistet? quoniam tanquam momentum staderæ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris ante lucem quæ descendit in terram.* Cur vero hæc dicantur de Verbo, cum omnes personæ operētur ad extra? ratio est Augustini, *quia Filius est Ars Patris*, vnde appropriate illi attribuuntur, *fecit enim cælos in intellectu* Psal. 50. & 52. *Sapientia fundauit Deus orbem terræ*, Verbum autem est sapientia genita.

11 Ad secundum ex Alex. Alens. 1. p. quæst. 61. m. 1. imago sumitur, vel proprie, & quasi actiue: vel improprie, & quasi passiue: primo modo denotat Artificem, siue exemplar, quod est principium agendi ad sui similitudinem: secundo modo est ipsum exemplatum, siue effectus repræsentans suum exemplar: vtique formaliter loquendo proprie, & passiue imago est ipsa res producta, actiue vero, & large sumpta imagine denotat ipsummet exemplatum efficiens, & exprimens effectum, & imaginem; hoc secundo modo Deus appellari potest imago ipse enim exēplat, & exprimit, facitque Creaturas ad sui imaginem: & hoc, eodem modo intelligendus est Boetius, inquiēs *Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.* *Imago actiue, & passiue.*

12 Ad opposita autem initio allata, respōdendo dicimus primo, quod vbi latinus interpres ait *figura substantiæ eius*, Græcus legit, *Hypostasis, seu personæ eius*: ergo Verbum erit imago personæ, personæ autem Patris. Secundo, cum in scripturis dicitur, imago Dei, *Deus* ibi se tenet personaliter; & suppositaliter; sicut etiam ibi *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero*: agitur autem de generatione. at cum dicitur, *Deus generat, Deus* stat suppositaliter, quia persona generat, & generatur, non Essentia. Tertio dicendum scripturas, & Patres ostendere intendisse consubstantialitem, & coæqualitatem Verbi cū Patre, & demonstrare esse ei simile. Atque denique ostendunt filium esse verum Deum, Ad illud etiam Genesis *Deus*, seu *imaginem Dei* ly *Deus* se tenet pro tota Trinitate; ratio quia tota Trinitas loquebatur cum dixit, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, tum etiam quia homo factus fuit ad imaginem totius *Trinitatis*, ergo imago ibi indicat totam Trinitatem.

13 Dices si prius scriptura ait, *factus est homo ad imaginem Dei: creauit*

Deus hominẽ ad imaginẽ suã cur inde adiecit, *faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram*: dum namq; prius dixerat, *ad imaginem Dei*, cur inde; *ad imaginem nostram*? Optima est solutio Augustini, vt inde explicaretur Mysterium totius Trinitatis, simulque ostenderetur Sacramẽtum Dei trini, & vnius: dum namque ait, *ad imaginem Dei*, ostenditur vnitas Dei, dum vero additur, *ad imaginem nostram*, demonstratur Trinitas personarum verba eius sunt ista, *Quoniã non tres Dij, sed vnus est Deus, ideo intelligendum est postea scripturam singulariter intulisse, & dixisse, & fecit Deus hominem ad imaginem Dei: ac per hoc quia verum est quod ait Deus, ad imaginem nostram, ita dictum est, fecit ad imaginem Dei, tanquam diceretur ad imaginem suam, quod est ipsa Trinitas.*

DISPVTATIO TERTIA.

De Persona Spiritus sancti.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum tertiæ Personæ conueniat nomen Spiritus sancti.

Spiritus S. nomen cõuenit tertię personæ.

1 PRimum, quod tertiæ Trinitatis Personæ nomen competit, est nomen *Spiritus Sancti*: vt de fide constat. Vtrũ vero nomen hoc ipsi competat propriè, an appropriate, est examinandum. Et quidem Durandus absolute respondet competere appropriate in 1. d. 27. quæst. 3. ratio, quia nomen hoc Spiritus, & Sanctus competit toti Trinitati; etenim vnaquæque persona Spiritus, & sancta est, vt constat: licet approprietur inde tertiæ personæ. Verum contra ipsum arguere possumus ex Christo Domino dicente Matt. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, & Spiritus sãcti*: quo in loco distinctionem apponit personarum, quæ quidem distinctio non videtur esse secundum appropriata, sed secundum propria; vt sicut nomẽ Patris, & *Filij* est proprium primę, & secundæ personæ; ita nomen Spiritus sancti sit nomẽ proprium tertiæ personæ. Confirmatur, quia per talia intendebat exprimere totam Trinitatem: at si nomen hoc esset appropriatum, non magis per illud exprimeret tertiam, quam primam, & secundam personam: Rursus talis expressio non indicaret nobis distincte tertiam personam, sed confuse; si namque nomen hoc non est proprium tertiæ, sed commune Trinitati, ergo per nomen

Vtrum propriè, an appropriate

Spiritus

Spiritus sancti non magis explicasset nobis personam tertiam, quam secundam, & primam: at per nomina Patris, Filij, & Spiritus sancti explicuit sigillatim, & distinctim, & seorsim vnam personam ab alia, ergo sicut nomen primæ, & secundæ proprium est Patris, & Filij, ita nomen tertiæ erit propriū Spiritus Sancti.

2 His stantibus resoluenda est dubitatio distinguendo de hoc nomine *Spiritus, sanctus*, vel namque Spiritus sumitur à spiritualitate, siue immaterialitate; vel sumitur à spiratione: significatis autem alijs infra 1 primo modo est quid commune Trinitati, & nullius proprium personæ: secundo modo est proprium tertiæ personæ. Ita resolutorie Scot. 1. d. 28. quæst. 1. d. Bonau. Rich. 1. d. 10. & ex parte d. Thom. 1. p. quæst. 36. art. 1. Ratio primi asserti clara est, quia Deus spiritus est, & hinc tota Trinitas spiritus quoque est: prob. Ioan. 4. *Spiritus est Deus: et eos, qui adorãt eũ, in spiritu & veritate oportet adorare* & 2. Cor. 3. *Dominus autem Spiritus est*. Ratio sanctitatis, quia tota Trinitas sancta est, patet Isa. 6. *Clamabant alter ad alterum, Sanctus, sanctus, sanctus*, & alibi, *sancti estote, quoniam ego sanctus sũ*: per tergeminã vero nominationẽ sãctitatis indicatur sãctitas triũ personarũ, & confirmatur ex Aug. l. 5. Trin. c. 11. *Spiritus sanctus*, inquit, *potest quidẽ vniuersaliter dici, quia Pater Spiritus, Filius spiritus; et Pater sãctus & Filius sãctus sitaq, Pater, & Filius, & Spiritus sãctus, quoniã vnus Deus, et vtiq; sanctus est, & Deus Spiritus est, potest appellari Trinitas, & Spiritus sanctus*. Cõgruit vero, ita appellare totã Trinitatẽ; vt ratione *Spiritus*, ostendatur simplicitas, spiritualitas, immaterialitas; & ratione *sanctitatis* manifestetur puritas, ac bonitas ipsius Trinitatis, hoc ergo modo sũpto *Spiritu*, & *sãcto* indicant quid cõmune toti Trinitati.

Spirit. vel sumitur à spiritualitate, vel à spiratione.

Nomen Spiritus, & sãcti an competens toti Trinitati.

3 Ratio secundi asserti prob. quoniam Spiritus sãctus spiratione producitur; ergo sumpto spiritu à spiratione, est proprium Spiritus sancti. Item nulla alia persona producitur per spirationem, nisi Spiritus sanctus vt de fide est. Insuper nulla procedit per modum spirantis voluntatis. Demum nulla procedit per spirationem amoris; ergo vt sic sumpta ratione spiritus, erit quid proprium ipsius Spiritus sancti. Et vt sic, est dicẽdum quod sit quid personale, & notionale; sequitur ex dictis, quoniam ipsius persona constituitur essentialiter ex ipsa spiratione, non autẽ ex generatione, ergo spiritus per spirationẽ spiratus est quid personale, & notionale.

4 Elicitur hoc ex citatis scripturis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, Matt. vlt. & 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo; Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*: in quib. dum traditur distincta nominatio personarum Trinitatis, vtique vnicuique personæ adaptatur nomẽ constitutiuum talis personæ, & ita dũ nomen Patris, & Filij est nomẽ personale, & notionale, erit quoq; notionale, & personale nomen ipsius Spiritus sancti. Colligitur, inquã, hoc ex diuinis scripturis, etenim scripturæ ipsi hoc nomen imponunt, sicut nomen quoque imponunt Patri & Filio, vt constat 1 hoc idem habet D. Thom. in corpore quæst. nisi quod respondendo inde ad primum subdit *Ex vsu Ecclesiæ hoc nomen Spiritus accommodatum esse ad tertiam personam*: ad quod respiciens Vulpes de Trin. disp. 67. art. 1. num. 3. notat de hoc D. Thomam, asserens non ex accommodatione tantum, sed propriè, sibi nomen hoc competere Spiritus, quod penes ipsum, negat, inquit D. Thom. Verum D. Tho. non negat id impositum sibi esse ex scriptura, id namque clare docet in corpore quæstionis inquiens, *Hoc nomen accommodatum esse ex vsu scripturæ*, quapropter nobiscũ sensit: & addit ad primũ, *id constare quoq; ex accõmodatione Ecclesiæ* vnde ex duplici cãpite censet id constare; ex vsu quidẽ scripturæ, & Ecclesiæ: Vulpes autẽ non viderat id, q docuit in corpore, ideo inuehitur.

Spiritus sãcti nomẽ ex scripturis.

In D. Thõ. inuehitur Vulpes, sed defensatur.

5 Solet quoque alijs sub terminis hoc totum declarari, vt ly, *Spiritus, sanctus* vel sumitur complexè in virtute duarum dictionum; vel incomplexè in virtute dictionis vnius, primo modo est quid essentiale, & cõmune Trinitati.

Spiritus nomen cõplexe sũptũ, & in complexe, an commune toti Trinitati.

Trinitati; quia tota Trinitas, & est Spiritus, & est sancta: secundo modo est quid notionale, prout est quid spiratum, & à spiratione proueniens & hinc magis exprimitur tertia persona dicendo, spiratus, quam spiritus, cum hoc sit commune.

Appropriatur Spiritui sancto.

6 Cum hoc tamen, quod hoc nomen: sit commune toti Trinitati, modo explicato; restat tamen, vt dicatur nihilominus appropriari ipsi Spiritui sancto; ratio quoniam dum per voluntatem procedit, (quæ quidem voluntas, *sancta est*, inquit Scotus,) vtique sanctitas appropriabitur Spiritui sancto; indeque cum influitur in nobis à Trinitate sanctitas, bonitas, puritas, vtique appropriate infundi dicatur nobis à Spiritu sancto, licet tota Trinitas ad extra influat, quia *Opera eius ad extera sunt indiuisa*. Ita de cæteris donis, quæ merito dicuntur dona Spiritus sancti, quia eorum influxus appropriatur Spiritui sancto.

Spiritus sancti nomini tria competunt.

7 Vnde est, vt nomen hoc, *Spiritus sanctus*, tria importet in ipsa persona Spiritus sancti: vnum, proprium, & notionale, quod est, esse *spiratum*, & à sancta voluntate spirante, inquit Scotus, spiratum: alterum essentiale, & commune Trinitati, quod est esse substantiam spiritualem, & sanctam, vt tota Trinitas: & alterum, appropriatum, quod est, esse Authorem omnis bonitatis, & sanctitatis appropriate, vt canit Ecclesia, *Veni Creator spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia quæ tu parasti pectora*, idemque docent Patres, vt infra.

Spiritus quare sic appellatus

8 Vltra hæc additur aliqualis ratio de voce illa *spiritus* quare sic appelletur spiritus: inquit enim D. Th. quod spiritus impulsum indicat, & motum: vt ergo ostendatur produci per amorem, & voluntatem, ideo insignitur nomine *spiritus*, quia est proprium amoris quod moueat, &

D. Thom.

impellat voluntatem Amantis ad Amatum; quia verò Spiritus sanctus procedit, per modum amoris, ideo spiritus nominatur. Verum obijci potest, potius debere *spiratum* appellari, quam spiritum, siquidem spiritus significat impulsum, & impetum iuxta Ezech. 1. *Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur*, non autem Spiritus sanctus impellit semetipsum impulsu productiuo, cum nihil ducat seipsum, de hoc enim impulsu loquitur D. Thom. ergo non erit appellandus spiritus, sed spiratus. Confirmatur, quia Spiritus sanctus non spirat, cum nihil producat ad intra, qua igitur ratione appellabitur?

9 Rationes hæ non magis millitant contra D. Thom. quam contra omnes, dum tertiam personam vocant spiritum, nihilominus magis pugnat contra D. Thom. quia dum nomini spiritus dat significatum motionis, & impulsus: atque impulsus iste ad intra idem est, ac impetus productionis, & spirationis, quomodo verum erit spiritum productum, & spiratum, esse spiritum impulsum, & motum seu spiritum impulsionis, & motus, quo producatur ipsa persona spiritus; nam sequeretur personam sancti Spiritus producere seipsam, si idem importatur per nomen spiritus, nempe persona spirata, & spirationis impulsus.

10 Respondendum quod sumitur causa pro effectu, & vice versa: dum namque ratio spirationis est Amor, & hic vocatur spiritus, ratione impulsus Amantis; & persona producta appellatur spirata, mirum nō est si a spiritu tanquam à ratione impulsiua amoris appalletur spiritus quoque terminus spiratus: nihilominus seruata inter vtrumque, sua distinctione, ea quidem, quæ intercedere potest inter actionem, & terminum, quales sunt ratio spirandi, & ipse terminus spiratus. Resp. 2. quod in tertia persona duo sunt circa eius nomē, est quidē ratio nominis substātiui, & ratio adiectiui: primū est Spiritus & secūdū est spiratus: primū indicat suppositum, & secundum indicat productionem, seu rationem formalem suppositi, quo stante remanet vt qualitercunque sumatur, semper indicet, sic notionaliter tentum, ipsum Spiritum sanctum.

Eadem persona dicitur spiritus & spirata.

11 Obstabis: Tertia persona est relati

lati

Nomen spiritus an absolutum an relatiuum.

latiua, sicut, & cæteræ personæ: at spiritus non est quid relatiuum: quomodo ergo tertia persona erit Sanctus Spiritus? Occurritur, quod nomen spiritus se tenet essentialiter, & notionaliter: primo modo est quid absolutum, secundo quid respectiuū. Cōtra, spiritus qualitercūque teneatur de sè non dicit relationem, non enim vox ista de sè est relatiua, sicut est relatiua vox Patris, Filij, Domini, serui, fratris, superioris, & huiusmodi ergo non est constitutiua Spiritus sancti, cum personæ constituantur per respectiua. Resp. cum in tertia persona sit ratio spiritus, & spirati, erit vtique tertia persona relatiua, & si non ratione spiritus, tamen ratione *spirati*, quia spiritus quidem est quid absolutum, *spiratus* autem relatiuum. Vel dicendum, quod spiritus erit quid respectiuum materialiter, & connotatiue, & appropriate, quia spiritus, idem connotat notionaliter ac tertiam personam Spiritus sācti; non tamen est quid respectiuum de sè formaliter necessario, quia spiritus potest sumi essentialiter, quatenus deriuatur à spiritualitate, & vt sic non est relatiuum, nec personale; sed commune.

Nominis spiritus significata alia.

12 Vltra vero acceptiones prætactas nominis *spiritus*. habet quoque & alia significata; siquidem sumi solet pro ipsa rationali Anima, quatenus spiritualis est, iuxta illud Ioan. 19. *inclinato capite tradit spiritū.* & psal. 39. *In manus tuas commendo spiritum meum.* Insuper pro Angelo, vt Paulus loquitur Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus.* & ps. 103. *Qui fecit Angelos suos spiritus*: pro Angelo insuper siue bono; siue malo: malus autem appellari solet *spiritus immundus* penes Luc. 24. *Spiritus immūdus ābulat per loca inaquosa, &c. Et tunc sumit secum septem alios spiritus nequiores se*: Insuper significare solet halitum, seu respirationem, vt Iob. 34. *Spiritum eius, & halitum eius in se trahet.* & 17. *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur.* Iosue 2. *Non remansit in eis spiritus.* ac Genes. 6. *Interficiam omnem carnem, in qua spiritus vita est subter cælum.* Rursus pro legitima cognitione, ac supernaturali interpetratione scripturæ, vt 2. Cor. 3. *Litera occidit spiritus autem viuificat.* & Ioan. 6. *Verba, quæ loquutus sū vobis spiritus, et vita sunt*, ac. 4. *Insuper In spiritu, & veritate oportet adorare.* Quandoque pro Animi affectionibus: siue bonis, siue prauis, 1. Ioan. 3. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint*, ac Deut. 5. *Spiritus Zelotypiei.* Isa. 29. *Miscuit vobis Dominus spiritū soporis.* Rom. 11. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis*; Pro donis Spiritus sancti, de quibus Is. 11. *Spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus cōsilij, &c.* Pro vehementi Animi motione Io. 11. *Infremuit spiritu*: & 13. *turbatus est spiritu.* Pro Vento, atque aere cōmoto Exo. 15. *Flauit spiritus tuus, & operuit eos Aqua*, Gen. 8. *Adduxit spiritum super terram, & imminuta sunt aquæ* ps. 47. *in spiritu vehementi conteres naues tharsis*, psal. 10. *Spiritus procellarum* Pro spiritu superbiæ, & elationis Isa. 19. *Disrumpetur spiritus Egypti.* psal. 75. *Aufert spiritum Principum* Et vt plura linquam, pro vita Gen. 45. *Reuixit spiritus eius.* Num. 27 *Deus spirituum omni carni.*

Spiritus nomē commune Trinitati.

13 His tamen sic stantibus, spiritus quoque nomen commune est omnibus diuinis personis: quod vltra dicta confirmat Cyrill. Hyerosol. Cathech. 17. *Dictionis huius, & appellationis spiritus, in sacris scripturis est etiam cum alijs communicatio: dicitur enim, & de Patre Spiritus est Deus vt in Euang. Ioa. scriptum est: & de Filio spiritus faciei nostræ Christus Dominus, vt dicit Ieremias: & de Spiritu sancto, Paracletus autem Spiritus sanctus &c.* Basilius quoque lib. 2. cōtra Eunom. *Non est solum hoc nomen sanctitatis cum Patre; ac filio ipsi Spiritui sancto commune. sed ipsa etiam spiritus appellatio.* Ita quoque Athan. ad Antioch q. 71, &c.

Appropriatum tertiæ perrsonæ.

14 Licet vero commune sit singulis personis, nihilominus, ex communi Patrum, & Scholasticorū vsu tribuitur Spiritui santo, sic Ambros. in symb. Apost. cap. 1. *Licet Pater sit Spiritus: & Filius sit Spiritus: et Pater sit sanctus, & Filius sit sanctus, sola ta-*

men

men tertia persona propriè Spiritus sā-ctus nuncupatur. & Thodor. Dialog. *Immutabilis idest scriptura spiritum vocauit Patrem, & Filium: Spiritum autem solam spiritus hypostasim nominat.*

QVÆSTIO II.

Vtrum Spiritui sancto conueniat nomen Amoris.

Amoris nomen Spiritui sancto.

ALterum Spiritus sācti nomen est *Amor* & huic simile, *charitas*, & *dilectio*: Est vero idem sensus omnium, vt ait August. lib. 15. Trin. cap. 18. si quę vero intercedet eorundem nominum, distinctio, non pertinet ad præsens; sufficit namque, vt de Deo dicantur, quatenus ei conueniunt, & vt tribuantur Spiritui sancto; etenim vocatur dilectio, & amor.

Vtrum eliciatur ex scripturis.

2 Quod in primis quæritur, est, vtrum id clare eliciatur ex scripturis prout tribuitur Spiritui sancto: & quidem Augustin. ibid. cap. 17. inquit. Non ita clare elici nomen amoris pro Spiritu sancto, sicut hoc nomen spiritus: existimat nihilominus id posse elici ex verbis Ioannis 1. 4. *Charitas ex Deo est*: vbi pro charitate intelligit Spiritum sanctum, tanquam procedentem ex Deo Patre, & Filio. Verum idem August. eatenus ex Ioanne elicit hoc, quatenus ex Eccles. 24. elicit Filium esse Dei sapientiam, vt dicit, *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*: at Filiū esse sapientiam ingenitam non proprie, sed appropriate constat, ergo consimiliter ex Ioanne infert August. Spiritum sanctum esse dilectionem, non proprie, sed appropriate, idemq; hoc ipsum explicat ad eum modum, quo Christus 1. Cor. 1. dicitur *Dei virtus*: at tum sapientia, tum virtus appropriate solum dicunt de Christo: de qua re August. lib. 1. de grat. Christi cap. 21. & 15. Trin. 17. Quidquid tamen sit de Augustino, nihilominus locum illum Ioannis de dilectione creata, & amore creato, intelligunt alij Patres, & Concil. Mileuitan. cap. 4. & idem Aug. loc. cit. de grat. itaut ly ex emanationem dicat ad extra, & per dilectionem intelligamus charitatem creatam, qua iustificamur, quāque Deus diffundit in corda nostra, iuxta Apost. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritū sanctum, qui datus est nobis*: magisque id explicat idem Ioannes dicens. Charissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est: igitur dum loquitur de mutua dilectione, quę est dilectio creata, qua mediante debemus nos mutuo diligere; sequitur, vt dum ait, *ex Deo est charitas, & dilectio*, vtique dilectio quoque illa erit creata.

Amor notionali est proprium, Spiritui S.

3 His tamen hinc inde se tenentibus, id primo certum est, Spiritum sanctum esse amorem notionalem productum: & id proprie, non appropriate. Hoc est de fide, vt patebit in sequentibus. Ratio quia procedit per voluntatem habentem pro obiecto diuinam Essentiam sub ratione obiecti infinite diligibilis: ex tali autem dilectione producitur tertia persona, quæ est Amor spiratus. Et quia productio talis, siue spiratio passiua constituit formaliter, & intrinsece personam Spiritus sancti; hinc fit vt esse amorem spiratum sit proprium Spiritus sancti. Confirmatur, qua enim ratione generatio passiua constituit formaliter, & intrinsece Verbum, ita ut nomen Verbi non sit appropriatū,

sed

sed proprium Verbi, ea etiam ratione passiua productio amoris notionalis sit constitutiua Spiritus sancti, & propria Spiritus sancti. Secundo certum est etiam, amorem essentialem,& communem, appropriari Spiritui sancto: itaut quandocunque de dilectione sit mentio,ea appropriata censeatur Spiritui sancto;Ratio quoniam sicut ipse procedit per amorē, imò ipse est amor,ita noster amor;ipsi appropriatur, vt Authori amoris, ac propterea Paulus aiebat,*Charitas Dei diffusa est in cordib. nostris per Spiritum sāctum*:vtiq;charitas à tota Trinitate diffunditur ad extra, at appropriatur id munus Spiritui sancto, vnde appellatur,*Charitas,Dilectio, Amor*,appropriate,& sicut denique sapientia quidem genita est propria filij:essentialis vero, & communis sapientia appropriatur Filio, vtpote procedenti per intellectum, qui est sedes sapientiæ; ita amor quidem notionalis, & spiratus est proprius Spiritus sancti,amor vero essentialis, & communis est ei appropriatus, quia spiratur per voluntatem, quæ est sedes amoris;Comparatio ista elicitur ex August.vbi supra cap.17. ait enim, *Sicut vnicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiæ, cum sit vniuersaliter,& Spiritus sanctus,& Pater ipse sapientia; ita Spiritus sanctus proprie nuncupabitur vocabulo charitatis, cum sit vniuersaliter Charitas Pater,& Filius.*

Amor essentialis, appropriatus

Obstatur.

4 Dices,Augustinus ait, Spiritū sanctum esse amorem *proprie*, non *appropriate*,sicut filium esse etiam sapientiam proprie: loquitur autem hic non de sapientia genita, nec de amore spirato, sed de sapientia,& de amore communi, cum dicat Patrem quoque, & Spiritum sanctum esse sapientiam, & Patrem, ac Filium esse charitatem:Scotus etiam ibid. §. *Ad aliam quæst.* inquit, *Spiritum sanctum ex vi processionis suæ, non quidem proprie,sed appropriate, esse amorem omnis amati necessario*. Videtur vero Scotus cum his, quæ diximus, tum Augustino contrarius; etenim Spiritus sanctus ex vi processionis suæ, vt omnes docent, & fides præcipit, est Amor proprie,& notionaliter, quatenus est productus; quomodo ergo ait ex vi processionis esse amorem appropriate.

Respond.

5 Ad Augustinum dicendum nō sumere stricte, & rigorose illud *proprie*, prout distinguitur contra appropriate, sed confundere simul vnum cum altero,itaut idem sit ibi proprie ac appropriate lato modo loquendo de *proprie*. Resp. secundo, appellasse Verbum *proprie* sapiētiam, quatenus distinguitur à Spiritu sancto, qui est charitas; vt sic enim adeo competit Verbo, vt sit sapientia, quod dum procedit per intellectum, non competit ei nisi sapientia proprie,loquendo de genita sapientia; sicut etiam Spiritui sancto charitas: Quidquid tamen erit, confunduntur hæc duo ibi, itaut *proprie*, idē sit,ac *appropriate* tū penes Verbum,tum Spiritum sanctū. Ad Scotum vero,dicendum loqui de amore essentiali, qui quidem appropriate, non proprie est Spiritus sancti,amor namque productus est proprius eius.cum vero inquit, *ex vi processionis suæ*, sumitur non in sensu reduplicatiuo,sed specificatiuo; seu nō in sensu composito,sed diuiso; nam in sensu composito,& reduplico Spiritus sanctus est amor proprie ex vi processionis quia ex vi processionis habet vt sit amor productus, amor personalis, & notionalis:in sensu autē diuiso, & specifico habet appropriate, vt sit amor talis,quia ei cōuenit talis appropriatio amoris,dum procedit per voluntatem principium amoris.

Amorē sese tenere essētialiter,vel notionaliter, vnde colligitur,idem de sapiētia.

6 Cum vero Amor distinguatur in notionalem, & essentialem, quanā ratione colligere possumus amorem se tenere *essentialiter,vel notionaliter*, dum sæpius mentio eius occurrit. Dicendum, quod cum absolute profertur, vtique pro *essentiali communi* sumitur;qui ob id communis erit omnibus,nulli proprius, licet Spiritui sancto appropriatus;Cum vero additur vel relatio,vel origo, seu productio,tunc sumitur *notionaliter*; nam non producitur Amor essentialis,sed notionalis, isque erit proprie Spiritus sanctus; Relatio autem illud demonstrat, quoniam esse amorem spiratum

ratum

ratum, relationem dicit; relatio autē talis est propria Spiritus sancti: pari formiter de sapientia, cùm absolute profertur, intelligitur de ingenita, & essentiali; cum vero additur origo, stat pro genita, iuxta illud. ex vtero ante Luciferum genui te.

Charitas, et amor dicitur de Deo

7 Sicut vero nomen amoris vere predicatur de Deo, ita vere charitatis ratio est in eodem Deo. Ratio, quia ex Augustino idem sunt. ergo si est in eo Amor, erit Charitas, & Dilectio. Ioannes etiam 16. id aperte docet, *Deus charitas est*. Adest, & optima ratio, quia Charitas de se est pfectio simpliciter; ergo est formaliter in Deo. Item Deus amat seipsum: est namque beatus ipse Deus: at beatificatur in amore sui, quæque diuinę Essentiæ. Insuper Pater, & Filius, vna cum Spiritu sancto diligūt se inuicē. Deniq; perfectio creaturarum, demptis imperfectionibus, debet attribui, & reponi in Creatore: maior autem, quæ in Creaturis sit perfectio, est Amor, & Charitas, ergo eadem erit in Deo. Spiritus quoque sanctus non spiratur, nisi amore, ex mutuaue dilectione Patris, & Filij.

Charitas ā sui ad seipsum.

8 Dices, Gregorius docet, *Charitatem non esse ad seipsum, & minus quam inter duos non posse consistere*: cum vero Deus sit vnus, quomodo poterit in eo esse charitas. Respond. vtique amantem debere esse distinctū ab amato: qualis vero debeat esse talis distinctio, non semper necesse est, vt sit essentialis: & realis: cum namq; Petrus diligit seipsum, non distinguitur personaliter à seipso; distinguitur vero ratione: licet Petrus, vt amans, siue prout sub accidenti amoris, distinguatur realiter à seipso prout est terminus talis accidenis amoris: talisque realis distinctio non prouenit ratione Petri amantis, & amati, cum idem sit Petrus sub vtroque termino, sed ratione illius qualitatis, quæ facit vt Petrus amans, quatenus informatus tali actiua qualitate, sit distinctus realiter à seipso prout est, terminus affectus passiuo amore, seu qualitate. Ad Deum autem applicando, ipse, vt amans seipsum, distinguitur à seipso amato; at sola distinctione rationis, non reali: ratio vero amoris non est sufficiens in eo ratio distinctionis realis, quia amor non est accidens, vt in Petro, sed idem cum Deo, estque eadem substantia Dei, licet distinctus formaliter: sufficit ergo distinctio rationis Dei amantis ad seipsum amatum. Respond. Secundo quod adhuc stat inter amantem, & amatum distinctio realis; etenim Pater amans Filiū, & Spiritum sanctū, & ē conuerso distinguuntur ab inuicem realiter, licet sint in eadem natura, qua propter adhuc habemus vlteriorem distinctionem, quam rationis. Et ad Gregoriū, dum ait, *Charitas non habetur minus, quam inter duos*. en hic in Deo Charitas habetur, & inter duos, & inter tres, quoniam tres personæ charitate mutua diligunt seipsas: sufficit autem distinctio personalis, seruata identitate essentiali.

Charitas quomodo nonnisi inter duos.

Charitas in Deo semotis imperfectionibus.

9 Dices, Charitas multis subiacet imperfectionibus: vtpotè quia accidens, quia forma, quia actus perficiēs subiectum, in quo est, & huius generis. Resp. eam in Deo admitti, semotis imperfectionibus: quibus inuoluta est prout reperitur in nobis; etenim imperfectionis est esse accidens, separabile, creatum, informatiuum, potens augeri, & intendi, ac remitti, atque dependi, & iterato acquiri. His quidem, & similibus imperfectionib. demptis, reponitur in Deo: quapropter in Deo Charitas erit substantia, nisi sumpto accidente pro extraneo: infinita, inaugmentabilis, indeperdibilis, & his similia. Ita habet August. in eod. cap. 17. *Neque enim dicturi sumus, non propterea Deum dictum esse charitatem, quod ipsa charitas nulla sit substantia, quæ Dei digna sit nomine, sed quod donum Dei sit, sicut dictum est Deo, tu es patientia mea; neque enim propterea dictum est, quia Dei substantia est nostra patientia sed quod ab ipso nobis est, sicuti alibi legimus, ab ipso patientia mea: hunc quippe sensum facile le refellit scripturarum ipsa loquutio, tale est enim, tu es patientia mea, quale est, tu es Dominus spes mea: Deus meus misericordia mea: non est autem dictum Domine charitas mea, aut tu ei charitas mea, aut Deus charitas mea, sed ita dictum*

dictum est, Deus charitas est, sicut dictum est, Deus spiritus est, Hæc Augu. quo in loco docet quædam de Deo prædicari formaliter, & quædam effectiuè: hoc modo prædicatur misericordia, spes, patientia, prouidentia, quia ipse prouidet, miseretur nobis, producitque in nobis donum spei, & patientiæ, & causa est tot virtutum, quas influit nobis; primo autē modo prædicatur de eo spiritus, charitas, quæ prædicatio est formalis, quia verè formaliter Deus est spiritus, charitas ex scripturis, nec per hoc quia est accidens charitas, est excludenda à Deo, quia in Deo est substantia, inquit August. vide Scot. in 1.d.26.q.1. licet autem sit realiter, & identicè substantia, tamen, prout formaliter distinctam, Scotus appellat eam *Accidens pro extraneo.*

QVÆSTIO III.

Vtrum Spiritui sancto conueniat appellatio doni.

Doni acceptio multiplex.

MVltiplicem habemus acceptionem Doni ex Scot. 1. d.18.quæst.vn. Sumitur enim primo cōmunissime pro quocunque liberaliter producto per voluntatem liberam; Secundo communiter pro amore concordi aliquorum; & tertio proprijssime, & rigorose. Primo modo Spiritum sanctum esse vere donum aperte constat, etenim ipse vere producitur per actum productiuum liberæ voluntatis. Hoc etiam modo sumptum donū est quid mere notionale personale, cum id, quod sic producitur, sit persona, & sit vnica solummodo persona, quæ est Spiritus sancti. Secundo modo est quid essentiale, commune saltim duab. personis: hoc namque modo Pater, & Filius se diligunt amore concordi, vt loquitur Richar. Victor. 3. de Trin. *Pater Filio impendendo, & Filius eidem Patri rependendo amorem*. scilicet in ordine ad Spiritum sanctum. Tertio autem modo tria requirit, primo rem, quæ donatur secundo relationem ad Donantem, & propterea exigitur, vt id, quod donatur, liberaliter donetur, & tertio relationem ad eum, cui donatur.

2 Quodnam istorum trium sit essentialius ad donum; vtique, quod liberaliter donetur, & gratis: dempto hoc, destruitur ratio doni: Et quidem si expectetur retributio à donante, non erit donum: si expectetur redditio, & pretium, iam non erit datio gratuita, nec donabitur gratis, ergo hoc exquirit, vt fiat *gratis*. Si etiam coacte fiat donatio, iam non erit donatio; fundatur enim donatio super liberalitate, alias deperit omnis donatio. Hoc totum docuit Aris. 4. top. cap. 4. *Donum*, inquiēs, *est datio irreddibilis*: idest datio liberalis, facta sine spe aliqua retributionis, & compensationis. Rationem etiam à priori assigat Scotus, eamque docet, esse Amorem; non enim Rosa, ait, habet rationem doni, nisi quatenus fundatur in amore, per quem actu amatorio communicatus Amico: omnium namque quæ amicabiliter communicantur, incentiuum, & motiuum est amor, ablato autem amore, cessat amicabilis communicatio, & ratio veri doni. *Donū quid*

Donum tripliciter sūptum.

3 Sumitur etiam ipsa ratio doni tripliciter, actualiter, aptitudinaliter, & po-

& potencialiter. Primo modo respicit donum in ordine ad actualem collationem fiendam alicui actualiter, & de hoc loquitur Augustinus 15. de Trinit. cap. 19. inquiens, *Spiritus sanctus in tantum donum Dei est, in quantum datur eis, quibus datur*, secundo modo indicat aptitudinem ad donandum, ita vt ex intrinseca ratione suæ productionis, seu ex modo procedendi, dicat aptitudinem, cum liberalitate ad donandum. Quamuis verò actualiter non donetur, non propter hoc destruetur ipsa ratio aptitudinalis doni, & de hoc idem Augustinus 5. de Trinit. cap. 11. aiebat, *Spiritus sanctus relatiuè dicitur, cum ad Patrem, & Filium refertur sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem, cum dicitur donum Dei, donum enim est Patris, & Filij, quia à Patre, & Filio procedit per modum amoris, quatenus scilicet donari aptus est.* Tertio modo idem est, ac non habere repugnantiam ad donandum, siue sit aptum donari, siuè non, de quo etiam Augustinus cap. 15. & de quò sancti magis infra.

Aptitudinis, & potentiæ differentia.

4 Est verò differentia inter habere potentiam, & habere aptitudinem ad donandum, vt Scotus docet, vbi supra, & in quolibetis quæst. 19. Et quidem potentia dicit non repugnantiam ad donandum; excludit verò naturalem inclinationem, & aptitudinem ad donandum, siuè ad aliquod aliud vlterius agendum, vel recipiendum, quomodo lapis habet possibilitatem ad mouendum sursum, licet non habeat inclinationem, & aptitudinem ad sursum; Corpus etiam circulare de sè non est aptum natum ferri sursum, vel deorsum, nihilominus habet potentiam, vt moueatur sursum, & deorsum, quam potentiam tum in lapide sursum, tum alterius consimilis mobilis, appellant Aliqui potentiam obedientialem, etiam in ordine ad Agens naturale; quidquid autem si de hoc sufficit pro nunc, vt talis potentia abstrahat ab aptitudine, & inclinatione naturali, ita vt ex vi suæ naturæ, minimè postulet, nec inclinetur ad id, sed solummodo sè habeat in potentia receptiua passiua; Aptitudo verò indicat, vt subiectum ex sui natura, siuè ex vi suæ processionis, possit ordinari ad id; Catulus namque antè nonum diem dicitur videns aptitudinaliter, non enim repugnat illi talis aptitudo. Sè habent etiam ista duo tanquam includens, & inclusum, tanquam superius, & inferius; omnis namquè inclinatio, & aptitudo est potentia, licet non vice versa, omnis potentia sit aptitudo; Hæc dicimus, vt discrimen pateat inter donabilitatem Filij, & Spiritus de qua infra.

5 Termini etiam isti, *datum*, & *donum*, non sunt idem; quandoquidè, datū significat collationem alicuius rei, siue expectata, vel non expectata retributione illius dati: Donum verò collationem respicit alicuius rei nullatenus expectata retributione eiusdem rei: Et propterea diximus iam in descriptione doni, quod *Donum est collatio irreddibilis*. Insuper donum abstrahit à *collatione actuali*, datum verò vnitur cum *actuali collatione rei*, prout est ex Augustino deductum.

Datum, & donum, an idem.

6 Denique nomen Spiritus sancti, vt doni, alio modo consignificant & alio modo connotant; & quidem nomen doni de primo, & per sè significato importat *donabilitatem ad aliū dicens respectum donantis ad donatarium*. Donans verò est ipse Deus, & Donatarius est Creatura. De connotato tamen dicit proprietatem tertiæ personæ, & ita connotat Spiritum sanctum, quoniam ex vi suæ processionis procedit, vt amor, primum autem, quod in donatione donatur, est ipse amor; nomen verò Spiritus sācti de principali significato importat tertiam personam, de connotato verò dicit relationem rei donabilis, & ipsius donantis ad donatarium.

Donum, & datū quid connotant, & consignificant.

7 His suppositis respondendum remanet consequenter ad quæst. Et primo, confundi solet quandoque ratio *Doni*, & *Dati*, vt pro eodem aliquando sumuntur. Quo concesso à Scoto, remanet, vt large sumendo, rationem *Doni*, prout extenditur etiam ad *Datum*, dicatur Essentia diuina ad intra sortiri rationem doni, prout da-

Datum, & donum confundi solēt.

ta,

tia, seu communicata Verbo. Probatur à Scoto per Hilar. qui 8. de Trin. cap. 8. *Diuinam naturam appellat donum.* Christus quoque Ioa. 10. de sè ait, *quod dedit mihi Pater, maius est omnibus*: id vero de diuina intelligit Essentia idem Scotus 1. d. 5. quæst. 2. cum igitur, extendendo rationem doni ad datum, & vice versa, vnum sumatur extensiue pro altero, poterit, saltem denominatiue rationem habere doni.

Essentiam appellat donum Rich.

Obstatur.

8 Verum facile obstatur contra hoc, Generatio Verbi nō est per voluntatem, non est libera, non est per amorem, ergo non habet rationem doni; omnia enim hæc requiruntur ad donum. Occurrere possunt Scotistæ, etiam ad Verbi productionem concurrere voluntatem, vt suo loco fuit visum, & si non sub ratione principij productiui, tamen sub ratione complacentis, complacet enim sibi Pater in communicatione Essentiæ, quam facit Filio. Verum contra obstatur, quia ad veram rationem doni nō sufficit voluntas, vt complacens, sed requiritur voluntas, vt eliciens: si namque sola complacentia adest, iam deest principium motiuum impellēs ad libere, & voluntarie donandum: quo principio, & motiuo impellente deficiente, deficit omnis ratiō vera doni, impulsus ergo exigitur: quod si complacentia faciat etiam, vt libera, & gratuita sit donatio, nihilominus liberior, & magis gratuita erit si ab impulsu prouenietliberalitatis donātis. Hinc est vt dicamus, Hylarium vsurpasse nomē *Doni* large, & hac ratione Essentiam sortiri rationem *Doni*, prout communicatam Filio per generationem, nō autem stricte, cum non fiat voluntate libere eliciente. Item si Pater voluntate complacentiæ communicat Essentiam Filio, vtique voluntas, vt complacens, est in gradu inferiori libertatis, quam sit voluntas, vt libere eliciens: quapropter cum communicet Essentiam Spiritui sancto voluntate nedum complacente, verum & eliciente, fit vt Spiritus sancti productio sit vere donum, vnde remanet, vt prius, vt Essentia Filio communicata non habeat, nisi late loquendo, rationem Doni.

Ad donum requiritur voluntas, nedum complacens, sed eliciens.

Essētia an habeat rationem doni in filio.

9 Addit Vulpes, quod ideo Essentia habet rationem doni in Filio, quia Pater eam *liberaliter* communicat Filio libertate prædicta, nempe com placentiæ. t. 3. d. 67. art. 8. num. 8. Verum hoc est inauditum, tum penes Thomistas, tum Scotistas: illi quidem aperte id negant; negant quidem de Spiritu sancto, cuius productionem negant esse vllo modo liberam, non obstante quod promanet à voluntate & multo magis id negabunt de Filio, cuius productio est per intellectum. Penes etiam Scotistas, non vidi qui eam concederet, aiunt quidem Scotistæ cum Scoto 1. d. 6. concurrere voluntatem ad productionem Filij licet non sub ratione principij eliciti, sed sub ratione complacentis; vnde inferunt voluntate complacentiæ, siue complacente, licet non eliciente, produci Filium; nihilominus, nullatenus concedunt produci Filium libere; hoc enim esset destruere naturam generationis, quæ est vt sit per modum naturæ non liberatis, ergo nec per consequens dicerent produci *liberaliter*, vt ait Vulpes; de qua rè egimus in propria quæst. vtrum Filij generatio sit libera, & concurrat ad eam voluntas.

Vulpis explicatio.

Nō placet.

10 Hoc item assertum Vulpis, neque potest habere fundamentum in Scoto; eo magis, quo locus, quem ipse citat Scoti, in 1. d. 6. lit. E. loquitur de voluntate, non vt principio, sed vt consequenti, ac complacente: siue etiam antecedenti, ea ratione solummodo, qua Essentialia sunt priora notionalibus: est autem voluntas quid Essētiale, Generatio notionale, ergo, vt sic erit quoque à voluntate antecedenti, licet non vt principio producente, vt iam diximus sup. Disputat. de Verbo quæst. octaua. Cæterum, asserere generationem fieri, cōmunicando Patre Essentiam Filio *liberaliter, liberalitate complacentiæ*, vt loquitur Vvlpes, nusquam in hoc sensu loquutus fuit Scotus. Aduertendū vero non esse idem dicere, *Generationem esse liberam libertate complacentiæ*: & *Patrem generare Filium liberaliter, libertate complacentiæ* primum con-

Idem.

Nō est idē generationem esse liberam, & Patrem generare libere.

concedit Scotus: secundum nusquam asseruit: Quod vero non sint idem, ostenditur, quia communicare Essentiam libere libertate complacentiæ, nil denotat, nisi voluntatem, vt complacentem subsequenter in generatione iam acta: at Communicare Essentiam Filio *liberaliter libertate complacentiæ*, duo denotat, primum quod importatur per *liberaliter*, & secundum quod importatur per *complacentiam*: primum autem denotat voluntatem, vt principium, sicque Filij generatio erit à voluntate tanquã principio productiuo: secundum vero denotat quid consequens ad generationem iam factam, vtpotè complacentiam solummodo, non principiationem: at vero constat falsum esse, voluntatem esse generationis principium, ergo falsum insuper erit, communicari Essentiã filio *liberaliter*. Assumptum patet, quia *liberalitas*, seu *liberaliter*, ex vi, & natura sua dicit circumstantiam principij sic agendi liberaliter. Ergo principium generationis Filij erit liberum, ergo *liberaliter* stabit pro principio generatiuo.

11 Vnum prima facie fauere posset Vulpi, nempe Scoti locus in 1. d. 2. quæst. 7. lit. E. vbi, cum ante literam D. docuisset, Patris Intellectum non informari, nec perfici à notitia genita, quemadmodum ex opposito informatur, & perficitur à propria notitia intellectus creatus; inde arguens aduersus hoc, infert, dicendo, si nõ perficitur intellectus paternus à notitia, ergo notitia talis esset frustra; probatur, adhoc namque producimus nos intellectionem, vt inde perficiatur, & actuetur noster intellectus, est namque intellectio forma perficiens intellectum: ac notitia genita non perficit Patris intellectum, ergo erit frustra.

Liberaliter agere quid.

12 Respondet Scotus negando esse frustra; quandoquidem per id ostenditur summa perfectio intellectus Patris; quoniam, inquit, Scotus, *In omni ordine Agentium est status ad aliquod principium actiuum simpliciter perfectum, quod agat ex plenitudine perfectionis, & dicitur Agens ex liberalitate secundum Auicenn. 6. Met. cap. vlt. Nullum autem agens agit liberaliter propter hoc, quod ex actione sua expectat perfici; sicut .n. in actibus humanis liberalis est ille, qui agit, nõ expectans redditionẽ, ita simpliciter agẽs dicitur liberale, eo quod nullo modo perficitur à productione, vel producto. Ex hoc arguitur sic. In omni genere principij productiui non includentis imperfectionem, possibile est stare ad aliquod primum simpliciter perfectum: sed intellectus est tale principium, & voluntas similiter, ergo in isto genere potest stari ad aliquod simpliciter perfectum: sed nihil est simpliciter perfectum agens, quod non agit liberaliter secundum prædictum modum, ergo hic est aliquod agens liberaliter modo prædicto, & per consequens in genere principij productiui est aliquod principium tale, quod nullo modo perficitur per suã productionem.* Hæc Scotus.

Agens eo perfectum, quo agit liberaliter declat.

13 Ex his autem deducitur, quod sumendo *liberaliter* prout opponitur *indigentiæ*: siue sumendo, communicare ex liberalitate, prout contra distinguitur à communicare ex indigẽtia, expectando retributionem; vtique productio filij appellatur à Scoto sic *liberalis*, seu modus agẽdi *liberaliter*: at sumendo communicare liberaliter relate, & in ordine ad voluntatem; nequaquam Scotus docet Patrem sic communicare *liberaliter*, quoniã sensus esset, quod liberalitas esset principium, seu conditio principij generatiui, & ita sequeretur voluntatem fore principium generationis Filij. Item quia liberalitas, seu liberaliter agere denotat circumstantim principij vere productiui, sistendo in vi, & natura termini *liberaliter*, siue *liberalitatis*. Valde namque diuersa sunt hæc, complacentia, & liberalitas: illa non dicit necessario circumstantiam principij, vt productiui, potest enim se tenere aliunde, sicque verum est, quod Pater complacet sibi in generatione filij, vt ait Scotus, abstrahit enim à principio productiuo, potestque stare complacentia absque productione fienda ab ipso complacente vt complaceo v. g. in genratione Caij facta à forte, quo in loco, ego nil influo

Filij productio appellanda liberalis.

fluo in generationem,non enim ego sum,qui genui, sed fortes: ita & Patris voluntas complacet sibi in generatione diuini Verbi,licet non volūtas genuerit,sed Intellectus produxerit Verbum:At liberalitas dicit omnino circumstantiam principij eliciciui:Exemplo declaretur,Complaceo quidem mihi in elargitione eleemosinæ facta à Sempronio: & hoc est bene assertum: at dicere, quod ego liberaliter me ago in eleemosinæ elargitione facta à Sempronio,hoc non est bene assertum;ratio quia ego nil influo, non enim sum ego, qui eleemosinam tribuo, sed Sempronius: tunc vero curreret discur us quādo vere ego eleemosinam elargirer,etenim tūc dicendum esset, ego liberaliter distribuo eleemosinas pauperibus.Ita à pari;non potest terminus *liberaliter,* siue *liberalitatis* habere locū in productione filij,alias Filius produceretur per voluntatem.

14 Nomen Doni iure optimo tribuitur ipsi Deo, totique Trinitati in ordine ad extra:prob.Ioan.14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eū faciemus* quo ex loco, Deus ipse,totaque Trinitas, dum dignatur per gratiam venire ad habitandum in animā Iusti, dicitur semetipsū creaturæ donare & eo magis, quo (non necessitati id tribuitur,cum nulli debeat Deus)sed voluntati suæ,ac summæ liberalitati.Confirmatur ex August.15.de Trin.cap.19.*Spiritus sanctus, ita datur, sicut Dei donum, vt etiam seipsum dat, sicut Deus.* & Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum;vt filium suum vnigenitum daret* ac Roman.5.*non sicut delictum,ita,& donum.* In hoc autem casu donum est quid essentiale,& quidem Ioa.14. est totum essentiale cum tota Trinitas veniat, ad eū veniemus, &c. alibi vero,vt Io.3.effectiue tantum erit essentiale, quia incarnatio effectiue est à trib.licet terminatiue sit notionale,cum solus Filius sit incarnatus, ita & de missione Spiritus Sancti. Obstare posset contra principale intentū,quod idem esset Dator,& Donum;si namque Deus dat seipsum,& tota Trinitas venit, ergo idem est Donans,& Donum;cum autem hæc sint correlatiua, non possunt simul efferri de eodem Sed occurritur, idē posse esse Donatorem, & Donum, & experientia id constat ex humanis, vbi Amans donat seipsum Amato,& ita idem erit Donans,& Donum.Ad rationem vero dubitandi,vtrique cor relatio producentis,& producti non potest prædicari de eodem, nihil enim gignit seipsum, at non est talis, relatio hęc Donātis,& Doni.Itē duę hæ relationes oppositæ non verificantur de eodem respectu sui metipsius,ita namque relationes oppositę in hoc casu non prædicantur de eodem; non enim dicitur proprie quis donare seipsum sibi ipsi, esset namq; impropria, & inualida ista donatio, cum donum dicat carentiam antecedentem rei donabilis; si autem ego possideo meipsum, quomodo potero donare me mihimetipsi, igitur donabo me,& mea alteri,in quo reperitur absentia, & carentia meorum,& mei:Hinc Deus donando se, non quidē donat se sibipsi,cū semper fuerit amantissimus suipsius, & coniūctissima tota Trintas sibi ipsi, sed donat se Creaturæ, à qua longe quidem erat per peccatum, nunc vero coniuncta per gratiam, itaut teste Apost. *Vbi abundauit delictum, super abundauit & gratia* immo magis gratia,& donum teste eodem, *Non sicut delictum ita & donum.*

Doni nomen an toti Trinitati.

Donum, et donans an dicātur de eodem.

15 Donum de formali primario & principali significato non importat primo,& per sē aliquam proprietatē Spiritus sācti.personalē,est Scoti vbi supra,& probatur Nullū nomē personale diuinū importat de formali significato habitudinē, & relationē ad Creaturā.Sed donū dicit istā habitudinē,ergo donū non importat dē prō per sē significato aliquam proprietatem personalem. Item relatio ista ad Creaturam inclusa in proprietate personali, vel est relatio rationis vel prædicamentalis, vel transcendentalis,vel originis,nullum istorum ergo. Probatur primum, quia nullum ens rationis est de intrinseca ratione entis realis; Probatur secundum, quia Deus non est in genere,& præ-dica-

Donum de principali significato, an importet aliquā personam.

d camento, Probatur tertium, quia omnis relatio est ad terminum aliquem, ergo vel est ad Creaturam, vel est ad Creatorem, sed probatum est, & probabitur amplius, nullum respectũ ad Creaturam esse de intrinseca ratione diuinæ personæ. Probatur quartum, quia cum relatio originis diuinarum personarum sit ad intra, & constituat personas per ea quæ sunt ad intra, non poterit constituere personas per ea quæ sunt extra. Insuper vna persona simplex non constituitur in esse personali per duas relationes, siue proprietates distinctas, ergo Spiritus sanctus non constituitur simul per relationem ad Patrem, & Filium spirantem, & ad creaturam sub ratione doni. Maior patet, quia licet in Patre sint tres proprietates scilicet innascibilitas, paternitas, & spiratio actiua, & in Filio reperiantur duæ, vt putá generatio passiua, & spiratio actiua, nihilominus vnusquisque ipsorum constituitur solummodo per vnicam, vt Filius per filiationem, & Pater positiuè per paternitatem. Præterea nullum ens in actu constituitur in esse suo per aliquod habituale, vel potentiale, probatur, quia ens in actu requiritur, vt sit à causa in actu, sed donabilitas non est, donatio in actu, ergo ipsa non est de intrinseca ratione per sè constitutiua Spiritus sancti. Denique relatio hæc ad Creaturam non est ens necesse esse; Probatur quia Creatura non est ens necesse esse, ergo nec relatio donabilitatis erit ens necesse esse, sed Persona Spiritus sancti est ens necesse esse, ergo relatio doni non est de primario formali significato Spiritus sancti. Quod vero Creatura non sit ens necesse esse, tum in esse reali, tum in esse ideali, idpatet; de esse autẽ ideali, & cognito id intelligendũ est, quatenus cõsideratur formaliter pro vt est idea Creaturæ, non autẽ subiectiuè, & idẽticè ratione diuinæ cognitionis, diuinæque Essentiæ, etenim, vt sic est idem, ac ipse Deus. Scot. in 4. d. 1. quæst. 1. Linquo rationes alias, quæ deduci possunt ex quæstione in proprijs terminis agitata, vtrum Verbum, & Spiritus sanctus producantur ex cognitione, & amore Creaturarum, quæ rationes militant etiam in casu isto.

16 Respondet Vasquez donabilitatẽ considerari posse, vel fundamẽtaliter, vel formaliter, loquẽdo primo modo ipsa est de intrinseca ratione Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus ex vi suæ processionis includit relationem, saltem aptitudinalem donabilitatis ad Creaturas. Ita in prima parte disp. 154. cap. 2. Sed obstatur contra, quia vt deduximus, nullum ens actuale constituitur per aliquod potẽtiale, siue aptitudinale, sed Spiritus sãctus est ẽs actuale ab æterno, ergo non potuit constitui per donabilitatem aptitudinalem, & potentialem. Item Spiritus sanctus ab æterno fuit ens reale, sed donabilitas ad Creaturam est ens rationis, nullum autem ens rationis, & temporale siue aptitudinale siue actuale, est de ratione formali constitutiua entis realis actualis, & æternalis. Insuper nullus respectus ad posterius est de formali constitutiuo prioris, sed donabilitas, siue actualis, siue aptitudinalis, est posterior Persona Spiritus sancti, ergo nec formaliter nec fundamẽtaliter erit de per sè ratione constitutiua Spiritus sancti. Sententiam hanc Scoti sequutus est etiam Caietanus, qui contra morem relinquens Diuũ Thomam sequitur in hoc Scotum. *Vasquez refellitur.*

17 Licet autem ratio doni non competat Spiritui sancto pro per sè significato nihilominus competit ei pro per sè connotato. Deducitur assertio ista ex præsuppositis, etenim Spiritui sancto, vt diximus, competit primo, & per sè proprietas tertiæ personæ, quæ est esse Amorem productum, & spiratum per modum voluntatis, & amoris; secundario verò, & de connotato competit ratio doni, siue ratio donabilitatis. Hoc supposito probatur assertio, ratio doni competit Spiritui sancto, vt omnibus cõstat; sed non competit ei prò sè significato, vt in antecedenti assertione deduximus, igitur restat, vt competat ei pro per sè connotato. Itẽ ratio doni fũdatur in amore, vt supposuimus sed Spiritus sãctus est ille q. procedit, vt amor, ergo donum de connotato importat *Doni ratio competit Spiritui sã cto pro per sè cõnotato.*

portat Spiritum ſāctum. Inſuper omnia quæ nobis donantur à Deo mediante diuina gratia, & liberalitate, dicuntur donati nobis per Spiritum ſanctum, ergo per donum cōnotatur ipſe Spiritus ſanctus.

Donum rigoroſè ſumptū cuius nam Perſonæ ſit?

18 Donum proprijſſime ſumptum, & in rigore actentis omnibus conditionibus requiſitis ad donum, eſt quid notionale proprium ſolius Spiritus ſancti. Aſſertio hæc etiam à Scotiſtis eſt concedenda, & probatur ſolus Spiritus ſanctus procedit liberè elicitiuè, ergo ſoli Spiritui ſancto, & non filio, competit proprie ratio doni. Item Amor eſt fundamentum Doni ex Scoto, ſed Spiritus ſanctus procedit vt Amor non autem Filius; ergo Spiritus ſancti eſt, vt ſit proprie, & rigoroſe donum. Hęc quidem procedunt comparando Spiritum ſanctum ad Filium. Aſſertio autem iſta intelligitur connotatiue, non enim eſt contraria aſſertioni antecedenti, & eo magis quo Scotus ait, donum, *dicere proprietatem perſonalem per connotationem.*

Donum an appropriatum Spiritui ſancto ex Scot.

19 Sed vtrum concedi poſſit donum competere Spiritui Sancto ſolummodo appropriatè in via Scoti? Ratio dubitandi eſt, quia Scotus ait, donum dicere proprietatem perſonalem per connotationem: ſi dicit propietatem, ergo non erit appropriatum, ſed proprium. Nihilominus dicendum in eius via, donum competere Spiritui ſancto, ſolummodo appropriate. prob. quidquid Perſonæ competit diuinæ, vel competit proprie, vel appropriate: ſed donum non eſt de per ſè ratione intrinſeca conſtitutiua Spiritus ſancti, vt Scotus docet, ergo non competit proprie, quod namque in Diuinis proprie eō petit, eſt conſtitutiuum illius; igitur reſtat, vt competat appropriate. item ipſe Scotus ſub litt. G. exponendo Auguſtinum dicentem, quod donum dicat proprietatem perſonalem Spiritus ſancti, ait, dicere proprietatem per connotationem, non ſecundum ſuam principalem ſignificationem, Dum autem negat dicere proprietatē per cōnotationē, non ſecundum ſuam principalem ſignificationem, excludit dicere proprietatem, & docet dicere appropriatum, idem namque dicere per connotationem, ac per appropriationem. Et hoc idem ſæpe repetit fere in tota quæſt. Rurſus eatenus rationem doni tribuit Spiritui ſancto, quatenus procedit, vt Amor: at Amor eſſentialis non eſt proprium, ſed appropriatum Spiritui ſancto. Rurſus Auguſt. 15. Trin. cap. 17. docet *Amorem, & Donum eatenus eſſe proprium Spiritus Sancti, quatenus ſapientia eſt proprium Filio:* Sed ſapientia non eſt proprium ſed appropriatum Filio, ergo, & donum Spiritui ſancto. Denique ita tenendum eſſe ex eo conuincitur, quod ad extra Deus, & diuinæ Perſonæ habent omnes rationem doni, ergo dum ſpecialiter de Spiritu ſancto eſſertur, vtique id erit appropriate. antecedens patuit ex loco Ioa. *Ad eum veniemus*, vbi Deus, & diuinæ Perſonæ ſeipſas donant veniendo: ergo eſt quid commune, quid eſſentiale ad extra; igitur ſi Spiritui ſancto ſub ſpeciali quadam ratione attribuitur, id non erit, niſi *appropriate*. Hoc idem habet Smyſing. d. 2. quæſt. 8. in fin.

Dono an eſſentialius donari liberaliter, an habere eſſe per proceſſionem.

20 Dices, ad rationem doni requiritur proceſſio: at Pater non procedit: Deus, ſeu Eſſentia non producitur. Requiritur quoque, vt proceſſio ſit libera, at ſolius Spiritus ſancti eſt libera: ergo ipſe ſolus habet proprie, nō appropriate rationem doni. Reſp. eſſet quærendum verum ad rationem doni ſit eſſentialius, quod donum habeat eſſe per proceſſionem, an vero quod donetur liberaliter gratis, & ſine redditione ex inſtinctu, & impulſu amoris. Vtique eſt eſſentialius vt donatio fiat ex inſtinctu amoris, & hoc ſufficeret ad rationem doni: quod vero habeat eſſe per productionē, id nō eſt de per ſè principali, & primaria ratione conſtitutiua doni: prob. Pater dat ſeipſum Creaturis, vna cum cæteris perſonis, inquit enim, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: at Pater à nullo procedit, ergo hoc non pertinet ad Eſſentiam doni: idem vero Pater dat ſeipſum Creaturis ex impulſu amoris ergo impulſus amoris eſt ratio eſſentiali

Spiritus ſanctus ex duplici capite donum.

tiali

tialior constitutiua doni. Ad rationē ergo dicimus id procedere de facto, loquendo de persona Spiritus S. quia ipse est donū ex duplici capite, tū quia procedit, tū quia procedit vt amor: at φ pcedat, id extraneatur à ratione essentiali doni, quia si Spiritus sanctus à nullo procederet, vt Pater, nihilominus posset seipsum Creaturis donare, & ita haberet rationem doni: quod vero sit amor, id est omni no essentiale doni. Quę vero obstare possunt contra hæc adducemus inde.

Doni ratio an etiā ad intra.

21 Quæres vtrum sicut Deo, & Personis competit ratio doni ad extra, ita etiam competat ad intra, vt sicut Personæ donantur ad Creaturas, ita donentur ipsismet personis. Suarez tract. 3. lib. 11. cap. 4. refert Scotum docere Spiritum sanctum dici donum etiam ad intra, eo quia à Patre donatur Filio, & à Filio Patri, & eo magis quò Scotus vtitur authoritate Riccardi dicētis Spiritum sanctum esse amorem concordem Patris, & Filij; verum errat Suarez & quidem licet Scotus raferat sententiam Ricchardi nihilominus addit Augustinum loquentem de dono, nō loqui iuxta modum Riccardi, modus verò Augustini est loqui de dono quatenus dicit ordinem ad Creaturas, igitur Scotus loquitur de dono iuxta mentem Augustini in ordine ad extra ex quo patet minimè docere Scotum Spiritum sanctum esse donum ad intra.

Durandi sentētia de dono.

22 Habemus Durandum qui toti tefragari videtur quæstioni, & quidem in primo d. 18. q. prima duo habet, primum est quod in diuinis nihil sit cui competat ratio doni, neque essentiale, neque notionale, probat quia quod non communicatur liberè non habet rationem doni, sed omnis communicatio fienda personis sit necessario, & non libere, siue sit generatio, siue spiratio, ergo non reperitur ibi ratio doni. Secundum quod dicit est; quod in ordine ad Creaturas ratio doni competit tum Diuinæ Essentiæ, tum omnibus Personis, licet conueniat appropriatè Spiritui sancto, probat assumptum, quoniam nihil diuinum datur Creaturæ, vt possideatur ab ea subiectiuè, sed solummodo, vt possideatur obiectiuè, sed tām Essentia, quam Personæ sunt obiectum intellectionis, & amoris, ergo omnes habent rationē doni; quod verò approprietur Spiritui sancto, inde probatur quoniam ipse est amor; omne autem donum pro sua radice habet amorem.

Scotistæ an sentiāt idē cum Durādo.

23 Sententia hæc Durandi occasionem præbet Scotistis quærendi, vtrum donum competat Spiritui sancto appropriatè; Et quidem iam est responsum ex eorum sententia, quod conuenit appropriatè. Hoc stante vrget contra eos, sententia Durandi est falsa, ergo etiam sententia Scotistarum, antecedens patet, etenim exploditur ab omnibus de hoc argumenro scribentibus, quid ergo dicemus. Smysingus, & Vvlpes supracitatus exprofesso, licet paucis, asserunt competere Spiritui sancto aporopriatè; nihilominus difficultatem hanc non attingunt, sicut nec attigisse visi sunt (vt reor) Scotistæ, quos vidi. Puto autem differentiam, esse inter Durandum, & Scotistas, ita vt, quamuis conueniant in nomine, differant nihilominus in rè ipsa, Et quidem Durandus docuit diuinas processiones non fieri per intellectum, & voluntatem; quo fundamento posito, sequitur in eius doctrina, vt negandum sit Filio, & Spiritui sancto omne id quod propriè tribui deberet vnicuique personæ, ex vi suæ processionis, siue per intellectum, siue per voluntatem, indè etiam sequitur, vt ratio doni, Spiritui sancto competat, sola quadam denominatione extrinseca, siue appropriatione extrinseca: Et confirmatur, quia si productio Spiritus sancti est ratio fundamentalis doni, cui per talem modū procedendi conuenit verè, & realiter ratio doni, igitur negata ōni vera pductione, negabitur etiā ratio veri doni, igitur à primo ad vltimū, ex sententia Durandi sequitur, vt appropriatione extrinseca, siue extrinseca denominatione habeat rationem doni, & non sit in eo ratio veri doni: Scotistæ verò sicut, & communi-

ter Theologi, concedentes veras pro ductiones in Diuinis, inquiunt Spiritum sanctum habere rationem veri doni, & fundamentum talis doni esse suam veram, & liberam processionem: quo stante, & si Scotistæ dicant competere ei appropriatè donum, nihilominus talis hæc appropriatio habet fundamentum in sua processione, quale fundamentum non habet appropriatio facta à Durando de ipso dono, patet ergo discrimen inter Scotistarū, & Durādi appropriationem. Insuper nomen doni in ordine ad Spiritum sanctum est nomē notionale, siuè personale & merito à Scotistis appropriatur ipsi Spiritui sancto: Durandus verò negat nomen doni esse notionale, vnde consequenter negat ab eo rationem doni, nisi quadam solummodo extrinseca imputatione; Et denique appropriatio facta à Scotistis est proueniens, & promanans ab intrinseco quia ideo appropriarur donum Spiritui sancto quia procedit, vt amor, sed Durandus negat procedere, nec simpliciter nec vt amor; Quod si à primo ad vltimū ratio processionis, & ratio liberalis processionis, siuè liberæ productionis, siue productionis, vt amor, in causa est, vt Scotistæ attribuant Spiritui S. appropriatè donū, vtique totū oppositum sequitur in sententia Durandi, vt negata omni processione, negetur quoque à Spiritu sancto ratio veri doni; quod si tamen, & Scotistæ, & Durandus dicant competere ei appropriatè donum, nihilominus est valdè differens sensus eorum, quia apropriatio Durandi est appropriatio sine fundamento processionis, appropriatio Scotistarum fundatur super processione; Appropriatio Durandi est solummodo per quandam extrinsecam denominationem, cum non habeat fundamentum in processione: Appropriatio verò Scotistarum est facta per intrinsecam denominationem, cum pro fundamento, & radice habeat ipsam per amorem processionem, licet ergo connenniant in nomine, & in modo loquendi, discrepant nihilominus in rē circa ipsam doni appropriationem.

24 Quidquid tamen sit, non est linquedus communis loquendi modus Theologorum; aiunt enim omnes, Donum esse proprium Spiritus sancti, cum vero constiterit non esse de ratione formali constitutiua eius, in alio sensu est accipiendum ly *proprium*, non quidem proprium *formaliter*, sed proprium *connotatiue*. Sed quare dicitur *proprium*, cum non sit eius proprietas constitutiua? Respo. quia dono, saltim de facto cōpetit, tū procedere, tū procedere p modū amoris; hæc duo soli cōpetūt Spiritui sancto, ideo dicitur proprium Spiritus sancti. Et quidē Patri nō est propriū esse donū quia nec procedit, nec procedit, vt amor. Filio nec etiam sic cō petit, quia licet procedat, nō tamē procedit, vt amor, Spiritus vero sanctus & procedit & procedit vt amor, ergo hac ratione optime cōstat donū esse propriū Spiritui sancto, & ita loquūtur sancti, & Theologi communiter. *Donum ex cōmuni loquutione est propriū Spiritui S. declar.*

25 Obstatur principaliter contra dicta passim in tota quæst. Ita se habet ratio ad Spiritum sanctum, sicut se habet ratio nati ad Filium: sed ratio nati est proprietas, & de ratione formali Filij, ergo & donum est de ratione formali Spiritus sancti. maior est August. 15. Trin. cap. 20. aientis, quod *Sicut natum esse est à Filio à Patre esse, ita Spiritui sancto donum esse est à Patre filioque procedere.* Respon. Aug. intelligi appropriate nō proprie Secūdo intelligitur loqui per connotationē, itaut sit Donu Spiritus sanctus connotatiue, & tertio intelligitur fundamentaliter, non formaliter: siquidē formaliter tētū donum dicit relationem ad Creaturas, hęc autem nō est de formali significato Spiritus sancti: donabilitas autem fundamentaliter tenta, hæc est proprietas eius, quia fundatur in amore producto, qui est proprius Spiritus sancti. Dices Augustinum facere comparationem inter filiationem penes Filium & Donum penes Spiritum sanctum, at illa est de Essentia Filij, ergo istud de Essentia Spiritus sancti; Respond. comparationem non currere in omnibus, nec eodem modo: vnde est, vt sit comparatio materialis, non for- *Obstatur.* *Respond.*

malis, quia Filio competit filiatio formaliter tanquã de essentia eius. Donum competit sancto Spiritui de connotato, cũ nõ sit de eius essentia.

25 Obstabis, idem August. 5. Tr. ait. *In eo, quod propriè dicitur Spiritus sanctus, relatiuè dicitur, cum ad Patrẽ & Filium refertur, quia Spiritus sanctus, & Patris, & filij Spiritus est; sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem, cum dicitur, Donum est enim Patris. & Filij. quia à Patre procedit, & Filio*. Ex hoc autem apparet eadem relatione dici *Spiritum sanctum*, & *Donum*. Respond. vtrumque nomen competere tertiæ personæ, sed nomen Spiritus sancti propriè, & formaliter, nomen autem Doni connotatiuè. Verum est etiam quod nomen Doni magis facit innotescere nobis tertiam personam, quia magis eam manifestat, quam nomen Spiritus sancti; siquidem nomen *Spiritus, sancti* commune est Deo, & toti Trinitati, vt fuit dictum, est. n. Deus *Spiritus* & *sanctus*, ita de cæteris personis sumẽdo præcipue prout nomen hoc est plurium dictionum, licet prout facit vnam solummodo ex varijs dictionibus compactum, sit proprium solius Spiritus sancti; quo etiam loco magis manifestatur per nomen *Spiratus*, quam per nomen *Spiritus*: Quidquid tamen sit, licet vtrumque ei conueniat, & Doni, & Spiritus, nihilominus hoc ei conuenit formaliter, & proprie, illud de connotato.

Tertia persona dicitur Spiritus sanctus formaliter Donum cõnotatiuè.

Doni nomẽ est magis notificatiuum, quã nomen Spiritus s.

26 Contra, quod est ratio alicuius distinctiua, est etiam eiusdem constitutiua: sed per rationẽ Doni distinguitur Spiritus sanctus à cæteris personis, ergo per eandẽ rationẽ etiã constituitur. Resp. veram maiorẽ, eo scilicet modo, quo distinguit eo modo constituit: si enim distinguit essentialiter, constituit essentialiter, si accidentaliter, accidentaliter: vt rationalitas essentialiter hominem à Bruto, ideoq; cõstituit eũ essentialiter; distinguit, Risibilitas distinguit quasi accidẽtaliter, vel accidentaliter accidenti proprio, ideoque accidentaliter constituit. Ita Donum distinguit quidem non primo, & per se, nec essentialiter tertiam personam à reliquis, ideoque nec constituit personaliter; distinguit vero *connotatiuè*, ideoque est proprietas eius connotatiuè.

Donũ qualiter distinguat Spiritum s. à cæteris personis.

27 Arguitur, illud est proprium, alicui, quod competit illi soli ex vi processionis suę: sed esse Donum conuenit Spiritui sancto soli ex vi suæ processionis, ergo. Respon. maiorem esse veram, vel primò, & per se; vel per se, & non primò, sed secundario: vt homini ea ratione, qua est homo, cõpetit ei ex vi suæ naturæ esse rationalem, & risibilem: at id diuerso modo; siquidem rationalitas competit primo, & per se, risibilitas secũdario; ita hic, ex vi processionis suæ competit Spiritui sancto esse donum, non primo, & per se, sed secundario, & connotatiuè.

Spiritui s. cõpetit esse donum ex vi processionis non per se primo, sed secundario & connotatiuè.

27 Dices, ergo saltim denominatione quadã extrinseca erit Donũ. Respon. negando sequelam; siquidem denominatio hęc habet fundamentum intrinsecum in re ipsa, quandoquidem fundatur Donabilitas super eius modo procedendi libere per modũ amoris: eatenus vero extrinseca dicitur, quatenus non est de ratione eius formali intrinsece cõstitutiua

An Spiritus s. dicatur donum denominatione intrinseca.

QVAE

QVÆSTIO IV.

De pluribus alijs nominibus competentibus Spiritui sancto.

Vltra recensita nomina tradita Spiritui sancto, adsūt & vlteriora alia, quæ si non omnia, recēsebimus tamē insuper aliquapluta.

Appellatur ignis. 2 In primis autem appellatur *Ignis*. Et quidem ignis amoris, iuxta loquutionem Ecclesiæ in benedictionibus matutinis, *Ignem sui amoris accēdat in nobis Dominus Omnipotens* Et hic est ignis ille, de quo Christus Dominus Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram*: ex Ambros. ibi, Gregorio hom. 30. in Euang. August. serm. 108. de temp. & Chrysostom. 6. in Matt. Quinimo ipsemet Spiritus sanctus apparuit in figura ignis, vt Act. 2. *Apparuerunt eis dispartitæ linguæ tanquā ignis*. Sicut, & Matt. 3. *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igni*. Et hinc Gregor. Nazianz. orat. 49. ait, *Populū Israel in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis, quasi dux itiner s præcedebat, vt baptismi gratiā per nubem, & Donum Spiritus sancti per ignem ostenderet: vnde & Apostolus in nube* Patres *baptizatos scribit, et Spiritum sicut ignem esse Apostolorum acta declarant.*

Aqua. 3 Appellatur *Aqua*: ita Ioann. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Isa. 44. *Effundam aquam super sitientem. & fluenta super ar dam: effundam spiritum meum super semen tuum*. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini*. ac. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas*. & Ioann. 7. *Si quis sitit veniat ad me, & bibat; Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de eius ventre fluent aquæ viuæ: Hoc autem dixit de Spiritu, quē accepturi erant credentes in eum*.

4 Appellatur *Digitus* Luc. 11. *Si in digito Dei eijcio Dæmonia* Ioann. 8. *Digito scribebat in terra*, & Marc. 7. *Misit digitos suos in aures eius*. Ex August. infra, & Ambros. ser. 15. in psal. 118. ac Greg. Homil. 10. in Ezech. & Exod. 8. *Digitus Dei est hic*. Hinc Athanasius Disput. aduersus Arium in Concil. Niceno ait, *Certe Magi in AEgypto inexpugnabilem potentiam Spiritus contemplantes, exclamauerunt dicentes, hic est digitus Dei: quibus verbis nihil aliud illi, quam consubstantialem Spiritus sancti virtutem confitebantur, quam habet cum Deo Patre; per hanc vocem Digitus Dei: Vocem Domini ausculta, qui id, vt recte dictum approbauit, si ergo, inquit, in digito Dei* Hieronym. Matt. 12. *Manus, & brachium Dei Filius est, & digitus eius Spiritus sanctus*. Cum etiam digitus in scripturis nominatur, Spiritus sanctus per id intelligitur aiunt Patres, præcipue August. Epist. 119. de Rit. Eccles. cap. 16. Et super psal. 8. expendēs illud, *Opera digitorū tuorum*. sicut & ibi *Digitus Dei est hic*, Exod. 8. & Deuter. 9. *Tabulas lapideas scriptas digito Dei*. Cur autē Digitus appelletur Dei, varia afferuntur à Patribus, & quidem Ambros. lib. 7. in Lucam ait, *Digitus cum dicitur, operatoria virtus significatur, quod diuinorum operum, sicut Pater, & Filius, ita etiam Spiritus sanctus operator sit; dicit enim* psal. 8. *Videbo Cælos tuos, opera digitorum tuorum*. Ricchard. de Sanct. Victor. 6. de Trinit. cap. 9. *Digitum sane protendimus, cum aliquid ali-* Digitus Dei.

qui ad oculum ostendere volumus, quando igitur Deus alicui interna, & occulta sapientiæ suæ Spiritus sui illustratione reuelat, quid aliud, quam quod vi deri, vult, digito suo demonstratur. Cyrillus lib. 13. thes. cap. 2. *Digitum hic Dei Spiritum sanctum nominat: modo enim quodam ex substantia Dei emanat. & naturaliter inde pendet, sicut ex humana manu digitus: brachium enim & dexteram Dei, Filium Dei scripturæ vocant, saluabit enim, inquit, dextra eius, & bracchium sanctum ejus: quemadmodum igitur brachium toti corpori naturaliter coaptatur, omniaque facit, quæ menti videntur, iniungere quoque solet digito, si Filium Dei ex ipso, & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus &c.* Ac demum August. lib. 2. Quæst. Euang. q. 17. *Ideo dicitur Spiritus sanctus digitus Dei, propter partitionem, donorum, quæ in eo dantur; in nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quam in digitis.* Alludit ad id, quod ait Apostolus 1. Cor. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idē spiritus diuidens singulis, prout vult.* Concludit vero inde Augustinus, cū tali partitione stare vnitatem, vt in Diuinis ostendat Spiritus sancti personalem à cæteris personis distinctionem, atque Essentiæ consubstantialitatem, inquiens, *Verumtamen in digitos agnoscimus vnitatem, diuisionem operationis, & tandem radicem vnitatis* in psal. 143. Ait insuper Concil. Nicæn. lib. 3. *Consueuit scriptura manum, aut bracchium appellare Spiritum Dei; dexteram autem Filiū eius* hæc autem dicuntur quoque de Filio ex Patribus.

5 Appellatur *Vnctio, Odor Signaculum* Actor. 10. *Vnxit eum Deus Spiritu sancto.* ait etiam Apost. 2. Cor. 1. *Qui vnxit nos Deus, qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et Ephes. 1. *In quo credentes signati estis in Spiritu promissionis sancto.* Vbi Ambros. *Spiritus signamur, vt splendorem, & imaginem ejus, & gratiam, tenere possimus quod est vtique spirituale signaculum.* Athanas. Epist. ad Serap. *Ipse Spiritus sigillum, & vnguentum est, in quo omnia inungit, & signat Verbum*. Et inde *Vnguentum fragrantiam, & halitum vnctionis habet, quo cum inuncti fuerint, & participes redditi, dicunt de sè. Christi bonus odor sumus. Sigillum porro formā Christi sigillantis habet, eiusque partici pes, efficiuntur, qui signatur secundum eā speciem. confirmati, dicente Apostolo, Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et rursus, *Hæc vnctio halitus est filij, ut qui habet spiritum dicat, Christi bonus odor sumus*, atque dial. 1. de Trinit. *Spiritus est suauis odor, quem Christus spirat: & quemadmodum ex odore suaui vnguentum per nares percipitur, ita est Christus ex Spiritu*, ac Cyrill. Alex. l. 11. ex Ioan. c. 2. *Quemadmodum aromatum odor ex ipsis in olfactum prodit, virtutem illorum naturaliter, ac semper habens; tale quid, imò verò, etiam super hoc, de Deo, & de Spiritu sancto intelliges.*

Vnctio. *Odor.* *Signaculū.*

6 Appellatur *facies* quandoque: ait namque Psal. 138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* quem locum de Spiritu sancto Cyrillus exponit, *Spiritum sanctum faciem Patris appellat, quoniam ostendit ipsum essentiam Dei*, lib. 13. Thes. c. 2.

Facies.

7 Appellatur *Virtus*, sic Actor. 10. *Vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute*, Rom. 15. *Vt abundetis in spe, & virtute Spiritus sancti*: Lucæ 24. *Quousque induamini virtute ex alto*, & 4. *Regressus est Iesus virtute Spiritus in Galilæam*, atque 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*: & denique Actor. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos*, vbi Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto c. 1. *Accipietis virtutem Spiritum sanctum superuenientem.*

Virtus.

8 Et vt plura linquam, August. lib. 6. de Trin. c. 10. appellat eum *Cōplexum ineffabilem Patris, & Filij*, & serm. 28. de Temp. *Spiritus sanctus communio est Patris, & Filij*, sicut Epiphanius hæres. 62. appellat *Vinculum Trinitatis*, quod idem est cum eo, quod est apud Theologos, nempè *Nexus*, quoniam *Pater, & Filius diliguntur se Spiritu sancto*, Sicut & Paulus consimiliter loquitur 2. Cor. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei Patris, & communicatio Spiritus*

Cōplexus. *Nexus.* *Vinculum.*

ritus sancti sit omnibus vobis.

9 Atque demum complendo discursum, consimilem titulum tribuunt Spiritui sancto aliqui Patres, ait enim Anastasius Synait. lib. 1. de rectis fid. dogmat. *Spiritus sanctus complet sanctam Trinitatem.* Cyrill. lib. 14. thes. c. 3. expendens citata verba Apostoli ait *Ecce rursum hic completiuus sanctae Trinitatis Spiritus ostenditur.* Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 109. *Cum Saluator noster Spiritum sanctum diuinam Trinitatem complere tradiderit, &c.* ac Basil. lib. 1 de Spiritu sancto cap. 18. *Per seipsum complet super omnia glorificandam, ac beatam Trinitatem.* Complementum vero hoc est numerus diuinarum productionum, quoniam numerus productionum terminatur in Spiritu sancto, qui vlterius non producit, cum ipse sit tertia, & vltima persona totius Trinitatis.

QVÆSTIO V.

Vtrum voluntas diuina, vt voluntas est, sit principium productiuum alicuius personæ.

Cum de fide sit, & constabit amplius infra, voluntatem esse principium productiuum Spiritus sancti; quæritur quomodo id fieri potest, & quomodo declarari; Ratio dubitandi oritur, quia voluntas creata non est principium communicandi naturam, vt constat; nec est principium alicuius suppositi pro ductiuum, sed solius actus volendi, qui quoddam accidens est; vnde fit, vt nec videatur diuina voluntas diuinam posse communicare naturam, diuinumque producere suppositum Spiritus sancti.

Henrici sententia. 2 Respondet ad difficultatem Henric. in summ. art. 6. quæst. 1. id diuinæ competere voluntati propter assistentiam diuinæ Naturæ cum ea; vnde docet, quod Natura in diuinis dicitur quadrupliciter, primo natura appellatur diuina Essentia; & stat pure essentialiter; secundo sumitur pro principio actiuo naturali, & vt sic, *est vis productiua similis ex simili*; & sic potentia generandi in Patre est natura; & hos duos modos tangit Hilar. 5. de Trin. cap. 17. Tertio modo dicitur natura quælibet vis naturaliter existens in natura primo modo sumpta: quæ vis, & si sit libera, tamen hoc modo potest dici natura, & sic voluntas in Deo dicitur Natura, quia est naturalis potentia existens in Natura diuina naturaliter. Quarto modo dicitur natura incommutabilis necessitas circa aliquem actum; & isto modo non est nisi conditio, & modus circa actum elicitum. Ex his concludit, voluntatem communicare naturam, & esse principium Spiritus sancti, quatenus habet secum annexam quandam eiusdem Diuinæ Naturæ vim, propter cuius coexistentiam, seu coassistentiam sit principium talis productionis. Consimiliter asserit de intellectu, vt ipse quoque sit principium communicandi naturam, cum differentia tamen, quia natura penes intellectum habet rationem prioris, & intellectus se habet, vt concomitans, propter quod, actum suum elicit naturali modo, atque ex impetu naturæ; voluntas vero, ita se habet, vt natura penes illam non habeat rationem

tionem prioris, quoniam id esset contra suam libertatem, sed potius natura se habeat tanquam annexa, & consecutiua ad libertatem: non quidem tanquam ratio, qua voluntas eliciat suum actum principiatiuè, sed tanquã coassistens voluntati, vt voluntas ipsa ex impetu, & vi, quam recipit ab ipsa natura, possit producere terminum consimilem naturæ, & sic erit cõ nunicatiua naturę. Hęc Henricus.

Improbatur. 3 Sententiam hanc ex professo impugnat Scot. 1. d. 10. quæst. vnic. §. *Quantum ad primum dubium.* Impugnatur vero primo sic quantum ad talem coassistentiam naturæ, probando non videri necessariam talem coassistentiam, prob. Stante principio agendi perfecto, & completo non est opus aliquo alio vlteriori ad agendum: sed per Henricum voluntas non recipit à natura principium operandi, ergo de sè sola sufficit, & non erit necessaria talis coassistentia. Secundo, quando aliqua sic se habent, vt secundum prius, & posterius concurrãt ad actionẽ, id, quod est prius, principalius concurrit: sed essentia, seu natura est prior voluntate, ergo concurret cum voluntate tanquam quid principalius, & voluntas de sè tanquam quid minus principale: ergo contradictio est, vt concurrat tanquam, vt coassistens, seu concomitãs, & non vt præueniens. Tertio, per Henric. à parte rei, nulla est differentia inter voluntatem, & naturam, nisi solius rationis: ergo male attribuit vni, quod negat alteri.

4 His actis, dicimus primo, *Voluntas diuina, est vere principium productiuum Spiritus sancti.* Est conclusio de fide: & passim infra probabitur. modo sufficit, quod cum ipsa habeat diuinam Essentiam sibi præsentem sub ratione obiecti actu infinite amabilis, constituitur sub ratione voluntatis fœcundæ, & consequenter sub ratione principij productiui. Suadetur ex August. qui 5. de Trin. cap. 14. ait *Spiritus sanctus exit à Patre, & Filio non quomodo natus, sed quomodo datus:* exire vero per modum doni, est produci per modum voluntatis. Confirmatur, quia dono competit, vt ex radice prodeat amoris, vt est supra deductũ loquendo de dono amor autem est partus voluntatis. Item voluntas creata potest producere amorem creatum sibi adæquatum, idest, talem, ac tantum, ad quantum possunt se extendere vires voluntatis creatæ; ergo voluntas quoque diuina poterit producere amorem sibi adæquatum: at voluntas est infinita, ergo amor productus erit infinitus: sed amor productus non est accidens inhærens, vt in nobis, ergo erit amor subsistens, & consequenter erit amor personalis, & hic est Spiritus sanctus Denique principium simpliciter productiuum, & perfectum, & non præhabens terminum productum sibi adæquatum, potest producere terminũ sibi adæquatum: sed in Deo reperitur volũtas sub ratione principij productiui perfectissimi amoris, & sine imperfectione vlla, & nõ pręhabet terminum adæquatum productum, ergo potest producere illum: hic autem erit Spiritus sanctus.

5 Secundo dicimus, *Voluntas diuina est principium communicandi naturam, & producẽdi Spiritum sanctum non quatenus absolute sola voluntas est, sed quatenus infinita est.* Traditur à Scoto vbi supra. Declaratur, voluntas creata non communicat naturam nec producit suppositum, vt constat: voluntas diuina, & communicat Essentiam, & producit Spiritum sanctum: hinc autem primo deducitur, vt communicare naturam non competat voluntati, vt absolute voluntas est, alias competeret etiam voluntati creatæ: ergo non competit voluntati, vt indifferens est ad voluntatem creatam, & increatam. Insuper amor, quem voluntas creata producit, est accidens: quem vero producit amor voluntas diuina, est substantia: amor ille est inhærẽs, hic per se subsistẽs; ille separabilis, & essẽtialiter distinctus à suo principio, hic essẽtialiter idem, & inseparabilis à diuina volũtate; ergo non currunt pariter in ratione amoris producti diuina voluntas, & creata. Quod si ratio postulatur, ea erit *infinitas*; Cur ergo voluntas Dei Naturam communicet, & Spiritum *Voluntas qua infinita est productiua personæ.*

san-

sanctum producat, id prouenit ab infinitate.

Idem. 6 Declaratur amplius, diuina voluntas est infinita, Essentia est infinita, & terminus productus est infinitus: stante infinitate ex parte voluntatis, & obiecti, sequitur, vt voluntas adæquetur obiectos ex tali autẽ adæquatione sequitur, vt partus quoque productus sit adæquatus voluntati, & obiecto: quod si omnimoda contingit ex parte omnium adæquatio, mirum non est, si communicet naturam, & producat subsistẽtem amorẽ, ergo infinitas est ratio cõmunicãdi naturã.

Idem. 7 Dã oppositum, da quod voluntas diuina sit finita, verum diuinam posset communicare naturam, & Spiritum sanctum producere, minime quidem, quia finita potentia non potest exhaurire, vt secundum Henricum loquar, infinitum obiectum: nec potest super infinitum potentia finita; igitur quia diuina voluntas est infinita, merito, quatenus obiecto adæquatur infinito, communicat ipsum infinite, & modo perfectissimo, quo communicabile est: sed diuina natura est secundum essentiam, omnesque sui perfectiones, communicabilis Spiritui sancto, ergo diuina voluntas ipsam perfectissime communicat Spiritui sancto, & sic producit Spiritum sanctum. Denique voluntas diuina amat Essentiam tanto amore, quanto amabilis est: est vero amabilis amore infinito, ergo cum ei adæquetur; producit amorem infinitum. infinitas igitur erit ratio communicãdi Naturam, & Spiritum sanctum spirandi à diuina voluntate, non vt præcise voluntas est, sed vt *infinita* est. Confirmatur, quia voluntas finita non producit suppositum, nec substãtiam, sed inhærens accidens.

Voluntas finita non producit suppositũ, sed accidẽs

Obstatur. 8 Dices, infinitas est modus intrinsecus, sed modus intrinsecus non variat naturam, cuius est modus. ergo illa non erit ratio, propter quam voluntas Diuina communicat Naturam, & non voluntas creata: Respon.

Occurritur modo, relictis alijs expositionibus propositionis illius, quia non faciunt ad rem, quod modus intrinsecus licet non variat essentialiter, variat tamen modaliter, & ideo licet voluntas Diuina, & creata vniuocentur in re, non tamen in modo operandi, quapropter soli Diuinæ compe rit voluntati, communicare Naturam, quia producendo amorem modo infinito communicat consequenter id, quod est infinitum, & cum sit infinita substantia, cõmunicat infinitã substantiã, & cum amor eius non sit accidẽs, sed substantia & substantia infinita, ideo communicat naturam infinitam: cum autem amor Creaturę sit accidens, & voluntas sit substantia, non potest mediantẽ accidente præcipue finito, producere, & communicare substantiam: tum etiam quia accidens non est principium substantiæ, vt supponimus ex physicis.

Modus nõ variat naturam, cuius est modus declar.

Voluntas creata, & increata vniuocantur in re, non in modo operandi.

Arguitur. 9 Arguitur contra. Voluntas est potentia actiua in creatis, & non factiua. ergo in Diuinis voluntas erit operatiua, & nõ pductiua: probatur cõsequẽs, sicut in creatis se habet potentia factiua, & actiua; ita in Diuinis se habet potẽtia operatiua, & productiua, sed potẽtia actiua in creatis præsupponit obiectũ, & habet actũ immanẽtẽ; factiua, pducit terminũ, & habet actũ trãseũtẽ. Ergo in Diuinis potẽtia operatiua habet immanẽtem; & productiua non præsupponit terminum, & habet actum tran euntem. Ergo talis operatio non remanet: quod si non remanet in Diuinis, nec remanebit terminus: vel si est potentia productiua, producet terminum, seu formam recipiendam in subiecto: & ita non poterit producere personam subsistentem. Respondetur, potentiã productiuam, actiuam, & factiuam esse quid inferius ad potentiam in se: & potentiam productiuam esse communem ad actiuam, & factiuam: omnis autem potentia productiua, vel est actiua tantum: vel si est factiua, vel quidem terminus eius recipitur in aliquo, vel in nullo, & sic erit quid per se subsistens: si potentia productiua erit actiua, habebit actum immanentem in se receptum: si autem factiua primo modo, erit receptum in alio, vt forma in materia: neutro tamen modo voluntas Diuina producit, quia non infumatur ab actu suo imma-

Potentia productiua est quid cõmune ad actiuam, & factiuam.

immanēte:nec etiam recipitur actus suus in alio: & hi duo modi agendi reperiuntur in Creaturis, quibus cōpetit potentia actiua, & factiua: volun tati autem diuinę, sicut, & intellectui, competit potentia productiua tertio modo, prout est productiua alicuius tertij subsistentis, atque in nullo alio recepti: & ita producit Spiritum sanctum.

Voluntas non fertur nisi in præcognitum Declar.

10 Quæres, quomodo poterit voluntas esse principium Spiritus sancti, cum Spiritus sanctus non præsupponatur ad eam: Ratio dubitandi est, quoniam *voluntas non fertur, nisi in præcognitum*: vt habet August. lib. 15. de Trinit. cap. 21. vel ergo voluntas non erit principium eius productiuum, vel Spiritus sanctus erit præcognitus ante voluntatem, & ità præcognitus æquè produceretur. Tūc vlterius quęro, qua cognitione pręcognosceretur, aut intuitiua, aut abstractiua: non primo modo, quia intuitiua cognitio est rei præsentis in sua præsentia, seu existentia. Sed Spiritus sanctus ante voluntatem non est, quia producitur per eam, nec secundo modo, quoniam talis est imperfecta, & obscura, quę Deo non competit. Respond. regulam illam August. & Arist. *voluntas fertur in præcognitum* intelligi necessario de præcognitione *obiecti*, non autem de præcognitione *actus* voluntatis circa obiectum: est namque necessarium primum, & non secundum: vt verbi gratia si proponitur mihi obiectum amandum, est quidem necessarium, vt intellectus præcognoscat obiectum, non autem est necesse, vt præcognoscatur actus amoris antequam producatur à voluntate: ita Pater, & Filius spirando per voluntatem, sufficit quidem, vt præcognoscant obiectum, de quo spiratur Spiritus sanctus, nempè Diuina Essentia, non autem est necesse, vt pręcognoscatur amor ipse spiratus, & hęc sit prima respōsio. Resp. secundo. Ante spirationē, Patrē, & Filium præcognoscere Spiritū sanctū, nō abstractiuè sed clarè, & intuitiuè, & hoc nō in seipso; quia adhuc non intelligitur habere esse; sed præcognoscitur in Essentia Diuina; omne autem quod

Spiritus à præcognitus æquè spiratus.

ex Essentia cognoscitur, dicitur intuitiue cognosci, ex regula in superioribus tradita, quod intuitiua cognitio vel est obiecti præsentis in sua existētia, vel contenti in Diuina Essentia tanquam in perfectissimo repræsentante & eminenter continente, ita se habet Essentia Diuina pænes Spiritū sanctum: ita Sotus hoc in loco.

Finitas, & infinitas quid præstant volūtati.

11 Dices aduersus secundam Conclusionem, quid facere poterit in finitas illa in Dei voluntate, cum non aliud præstare queat, quam intensionem actus: at magis, minusque intense producere, non variat essentiam, & naturam potentiæ, ergo nec infinitas erit ratio communicandi, nec finitas impediet. Respond. infinitatem facere, vt principium productiuum possit attingere adæquate obiectum, & terminum producibilem, ad oppositum, & finitas potentiæ creatæ non attingit; Ratio, quia potentia per infinitatem adæquatur obiecto infinito, & per finitatem inadæquatur: Stante vero adæquatione, producit infinita voluntas suppositum æquabiliter infinitum, & communicat naturam infinitam; & modo infinito stante autem inadæquatione ex parte voluntatis non poterit communicari natura, & produci suppositum etiam finitum.

12 Dices, voluntas creata, quia est finita saltem producet suppositum finitum, sicut voluntas infinita producit infinitum. Respond. negatur pariter; volitio namque, & actio voluntatis creatæ est accidens; nullum vero accidens est principium productiuum substantiæ, item ex non substantijs non fit substantia: cum vero volitio, quia accidens, non adęquetur cum principio substantiali, tum termino suppositali, mirum non est, si non producat suppositum, quod est substantia.

13 Dices demum, omnis voluntas est productiua, ergo infinitas non erit ratio producendi. Respond. concedo, quod omnis voluntas est productiua, absolute loquendo. & in genere suo; etenim etiam creata voluntas producit volitionem: at non omnis voluntas est productiua suppositi sub-

ſubſtantialis, & communicatiua naturæ,ſed ſolummodo infinita: omnis ergo erit productiua,ſed ſine termini ſubſtantialis, vt in finita,ſine accidentalis,vt finita reddendo ſingula ſingulis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum voluntas diuina ſit principium producendi Spiritum ſanctum libere, naturaliter, & neceſſario.

Sententia Thomiſt. de volũtate ut volũtas eſt, & vt natura.

1 Viſo Spiritus ſancti principium eſſe voluntatem; modo quæritur vtrũ voluntas ſit eiuſdem principium naturale, an liberum,an neceſſarium. Thomiſtæ ex D. Thom. 1. part. quæſt. 41. artic. 2. colligunt eſſe principium tum liberum, tum naturale: ſpectant enim voluntatem dupliciter, vel vt volũtas eſt, vel vt natura eſt, vt voluntas quidem eſt, principium erit liberum; vt natura vero, naturale. Ex aduerſo Scotus 1. d. 2. quæſt. 7. & quodlib. 16. D. Bonau. 1. d. 19. OKam, Gabr. Marſil. Baſſol. ad eum loc. cum cæteris Scotiſtis negat principium eſſe naturale, affirmãs principium eſſe liberum, & neceſſarium.

Voluntas eſt principium neceſſarium Spiritus ſancti

2 Initio non probamus ſententiam aduerſariorum exiſtimantium idem eſſe *neceſſarium*, & *naturale*: falluntur autem: & profecto, aliud eſt quærere, vtrum voluntas ſit principium *naturale*: aliud vtrum ſit principium *neceſſarium*: de ſecundo nemo diſcrepat, & eſt de fide, voluntatem eſſe Spiritus ſancti principiũ neceſſarium: prob. Spiritus ſanctus eſt Deus: ſed Deus eſt neceſſe eſſe, ergo voluntas eſt principium Spiritus ſancti neceſſarium. Item diuina voluntas habet potentiam operatiuam, qua neceſſario operatur ad intra per amorem eſſentialem amando Deum; ergo habet quoque potentiam productiuam, qua neceſſario producat Spiritum ſanctum. Circa hoc ergo non eſt controuerſia; De primo autem oritur lis vtrum in tali productione ſit principiũ naturale. Hæc duo aliq. cõfundunt, vt Thomiſtæ, ſed immerito.

Naturale ſumptum multipliciter.

3 Inſuper, naturale ſumitur, vel pro eo, quod procedit, iuxta *inclinationem* naturæ: vel prout opponitur *principio libero*. Primo modo opponitur *Violento*, ſicut etiam *Neutro*. opponitur quidem *neutro*, quoniam eſt *determinatum ad vnum*, igitur non erit *neutrum*: natura namque eſt determinata ad *modum agendi vnum*, ergo non habet modum agendi *neutre*, & *indifferenter*. opponitur quoque *violento*, quia ex definitione violenti; *Violentum eſt illud, cuius principium eſt extra, non conferente vim paſſo*, ergo vbi paſſum habet *vim*, ideſt *naturalem inclinationem*, ibi non eſt violentum; igitur ſumptum naturale pro principio operante iuxta naturalem inclinationem, excludit violentum, & opponitur ei. Hoc modo dicimus Hominem naturaliter diſcurrere, Brutum, Equum, Leonem, Bouem naturaliter mugire, nitrire, rugire; intellectum naturaliter intelligere: ſicut etiam voluntatem naturaliter operari libere; Ratio, quia connatura-

 le eſt

le est intellectui intelligere, Equo nitrire, & sic de singulis; & id necessario à sui natura, & naturali propensione; ita connaturale erit voluntati operari libere, & hoc ex sui natura, quia talis est naturæ, vt operetur libere. Secundo modo sumptum, naturale est illud, quod ex sui ratione formali intrinseca est *determinatum ad vnum*, nempe ad *modum agendi vnum* quo stante excluditur indifferētia, excluditur etiā & libertas ad vtrūlibet, imò excluditur libertas ipsa absolute, seu absolutus modus agēdi nō coactè, sed libere: libertas.n. excludit determinationē oppositi violēti.

4 Expendendum item omnino est, vtrum indifferentia ad opposita, tum contraria, tum contradictoria, sit de essentia voluntatis (loquimur autem in ordine ad subiectam materiam de spiritu sancto, non intendentes sermonem vertere ad controuersias de auxilijs, de quibus modo nihil intēdimus intētare, nec alicui præiudicare) Et quidē dicere indifferentiā, & indeterminationē esse de essentia voluntatis, idē est dicere, ac Deū esse indifferentē, & indeterminatum aliquando, saltim in actu primo, ad amādū seipsū: sed quis hoc dicet, cū necessario necessitate absoluta, & necessitate omnimodę ineuitabilitatis amet seipsū. Itē si indifferētia est de essētia volūtatis, ergo Pater, & Filius fuerūt aliquando indifferētes, & indeterminati ad producendum Spiritum sanctum per voluntatem: licet vero dicas, nusquam locum habuisse talem indifferentiam in Deo, nihilominus hoc non effugies, quod saltim in actu primo eius voluntas erit indifferens, vel saltim posset concipi vere sine contradictione, & absque mendacio in actu primo esse indifferentem: at hæc dicunt imperfectionem repertam in sola voluntate creata: igitur negandum est indeterminationem, & indifferentiam esse de absoluta, & intrinseca ratione voluntatis etiam, vt prædicabilis de diuina, est vero determinatus omnino Deus, & ad amandum, & ad spirandum, determinatus, inquam, ab intrinseco principio libero essentiali, ergo non est indifferens ad amandum, & non amādū; ad spirandum, & non spirandum.

Indifferentia an de essentia volūtatis.

5 Dices, argumentum concludere de voluntate, vt diuina est, non autem de voluntate in sè, vt voluntas est prout ad diuinam, & crearam voluntatem communis est: nam primo modo non erit de eius essentia indifferentia, sed bene secundo modo: Sed contra arguitur, quia non est Metaphysice, & Logice dictum, arguitur autem, Prædicata superiora, vniuersaliora, atque essentialia non possunt, separari ab inferioribus, ita vt non sint de essentia eorum; nec .n. inferiora possunt esse sine ipsis, cū illa sint de intrīseca, & essētiali ratione constitutiua eorum; sed per tē indifferentia est de intrinseca ratione voluntatis in sè, ergo erit de intrinseca ratione ōnis volūtatis inferioris ad illā in cōmuni, & in sè. Assumptū patet, Rationalitas est de intrinseca ratione hominis in sè, & in cōmuni; ergo est de intrinseca ratione volūtatis in sè ergo erit de intrinseca ratione ōnis hominis in particulari; si igitur indifferentia est de intrinseca ratione volūtatis in cōmuni, ergo erit de ratione intrīseca omnis volūtatis in particulari, & ita tū volūtatis creatæ tū diuinæ; erit ergo Dei voluntas indifferēs ad amandū & nō amandū Deū; ad spirandum, & non spirandū.

6 Quod si petas, si de ratione intrinseca voluntatis non est indifferentia, quid ergo erit de eius ratione. Respond. erit libertas: & ita est, quia adeo voluntas est libera, vt sit essentialiter libera: alias si libera non esset, vtique voluntas non esset, ex Anselm. & August. libertas autem, quæ de intrinseca est ratione voluntatis, vt voluntas est, appellatur libertas essentialis, & libertas simpliciter, & hæc dicit perfectionem; & quia est perfectio simpliciter ideo ponitur in Deo: libertas autem contradictionis & contrarietatis, sunt conditiones siue voluntatis creatæ, quia potest se habere indifferenter ad vtrumlibet, tum voluntatis increatæ, ratione non quidem obiecti diuini, sed ratione obiecti creati, de quo potest facere siue contradictorie, siue contra-

Libertas est de essentia volūtatis.

Indifferentia cōditio modi agendi.

gie

rie quodcunque libuerit: nō quidem ad intra, quia non potest spirare: sed ad extra quia potest creare, & non creare; potestque de creatura disponere ad nutum voluntatis suæ.

Idem confirmatur. 7 Et hinc restat, quod cum indifferentia non sit de ratione intrinseca voluntatis in sè, sit nihilominus conditio accidentalis voluntatis, seu quid accidentaliter consequens ipsam voluntatem: patet de voluntate creata, ad quam consequitur ipsa indifferentia, & indeterminatio, itaut ipsa & non diuina, sit indifferēs, & indeterminata antequam determinetur, ad contradictoria, ad disparata, & contraria, penes quodcunque obiectum, tum creatum, tum increatum; potest namque amare, & non amare, & quantum est ex se odisse Deum: ita etiam circa obiectum creatum: diuina autem circa obiectum increatam non se habet indifferenter, quia necessario necessitate simpliciter, quæ dicit perfectionem simpliciter, amat Deum, & spirat Spiritum sanctum: circa vero obiectum creatum se habet indifferenter, indifferentia vero est solummodo obiectiua, nō formalis: obiectiua, quia libera est ad faciendū de creatura quodcunq; libuerit, siue dādo, siue negādo ei esse: non autem formalis, quia non habet actuum suorum pluralitatem: & vicissitudinem, vt voluntas creata est ergo indifferentia conditio voluntatis quidem creatæ, non autem ratio essentialis constitutiua voluntatis in sè, ne demus Deum esse indifferentem ad amandum, & non amandum seipsum: ad spirandum, & non spirandum, alias Spiritus sanctus esset ens contingens, & non necessarium.

Libere agere quid. 8 Hinc vero distinguimus inter hæc duo, aliud namque est loqui de libertate, aliud de arbitrio: & quidem libertas in sè absolutè tenta, est modus agendi oppositus modo agendi violenter: itaque libere agere idem est, ac non agere per modum naturæ:

Libertas et arbitriū idem est, ac agere eligibiliter: idem est, ac non esse aliunde, sed à seipso determinatum pro sui libertate ad agendum: & licet determinatum sit quandoque ad vnum, nihilominus determinatio talis erit à voluntate eadem: vt licet Dei voluntas sit determinata ad Deum amandum, & spirandum, tamen talis determinatio libera est, quia est à principio voluntatis intrinseco, non autem extrinseco, alias esset violentum. hæc de libertate, vt libertas simpliciter est: loquendo vero de libertate, prout libertas arbitrij est, illa vtique consistit in indifferentia, & ideo appellatur libertas arbitrij, quia in eius potestate est, & arbitrio, faciendi quodcunque libuerit: Penes Spiritum sanctum producendum, & Deum amādum est quidē in ipso Deo libertas, quam vocant Scotistæ libertatem *simpliciter*, & *essentialem*, non tamen libertas *arbitrij*, quatenus est de rè contingenti, & mutabili in alteram partem contradictionis, alias posset amare, & non amare Deum, spirare, & non spirare Spiritum sanctum: fertur tamen libertas arbitrij in obiectum creatum, de quo facere poterit quidquid libuerit libero arbitrio Dei.

9 His actis, dicimus primo diuisionem illam voluntatis in voluntatem, & naturam, esse inutilem, & non veram. Dicimus vero reddendo singula singulis, quod sumpta natura pro principio agendi conformiter ad cuiusque naturam, talem distinctionem non respuimus, vt dictum est; sed refutamus illam ad sensum Thomistarum: est Scoti vbi supra fundamentum vero huius assertionis sit, quod naturæ voluntatis, vt natura est, nulla competit actio; ratio, quia agere competit potentiæ voluntatis, quæ potentia est ipsa voluntas: natura autem nil aliud indicat, nisi inclinationem, & propensionem, & propterea appellatur natura, quia inclinatio talis est naturalis. Ex hoc autem arguitur, Natura non dicit potentiam, & principium operandi, ergo falsò asserunt voluntatem diuinam, vt natura est, operari, & producere Spiritum sanctum; antecedens patet ex dictis, quia natura

Voluntas, vt natura, impugnatur.

tura, vt sic, non dicit, nisi naturalem inclinationem. Confirmatur primo, quia *Natura dicitur de principio passiuo non actiuo*: igitur Natura, vt natura, non habet rationem, & principium operandi. Confirmatur secundo, quia sequeretur, naturalem inclinationem lapidis ad descendendū deorsum esse actū elicitū ab aliqua potētia operatiua lapidis, id vero falsum, cū natura eius non importet, nisi naturalem illam propēsionem in actu primo, deductum tamen ad actum secundum à grauedine, vel à motore extrinseco. Probatur etiam. Sicut se habet naturalis appetitus intellectus ad intelligendum, ita se habet naturalis appetitus volūtatis ad volendum; sed intellectus non operatur per inclinationem naturalem præcise, nisi accedente potentia formali intellectiua, ergo, & voluntas non operabitur, vt natura est præcise, sed vt potentia est volitiua.

Natura dicitur de principio non actiuo sed passiuo.

10 Rursus, modus agendi naturaliter, & modus agendi libere sunt differentiæ specificæ oppositæ; ergo non possunt competere eidem voluntati, ergo diuina voluntas, vel erit in operando solummodo libera, vel naturalis solummodo. antecedens probatur ex Arist. 9. met. t. 6. qui distinguit liberum à naturali tanquam differentias omnino pugnantes, & oppositas. Respondet Bann. modum agendi naturaliter præcise, vt in Brutis, & modum agendi libere præcise, vt in Rationalibus, esse quidem oppositos modus, quia modus vnus nō stat cum altero; vbi autem reperitur vterque modus non repugnat esse simul, ita se habet Dei voluntas, in qua simul adest vterque modus agendi naturaliter, & libere. Contra arguitur, primo, quia gratis id dicit, & non est maior ratio cur vterque modus stet simul in Deo, & nō in Creaturis: Vbi namque aliqua ex suis intrinsecis rationibus formalibus pugnat, vtique in quocunque secundum tales rationes, nec poterunt esse simul; pugnant vero secum inuicem modi isti, ergo etiam in Deo pugnant: probatur maior, quia vbicunque sint, semper retinent suas naturas; vt albedo, & nigredo, in quocunque sint, semper pugnant; Item obstatur, Aut voluntas, vt natura, est eadem cum voluntate, vt voluntas est, aut distincta ratione, vel formaliter: si sunt prorsus idem, ergo modus agendi naturaliter, est modus agendi libere: nec distinguendum erit amplius de voluntate vt voluntas, & vt natura: si secundum, aut distinguuntur ratione, & redit idem inconueniens, quia à parte rei erunt prorsus idem distinctione pendente à solo intellectu, & ratione: non quidem distinguentur formaliter, cum negent distinctionem formalem.

Modi agendi libere, et naturaliter sunt differentiæ specificæ opposita.

Effugium Bannes.

Arguitur.

11 Dicent, modos istos non esse omnino, & prorsus distinctos, sed censebuntur vnus, & idem prorsus, tamen ordinatos inuicem, vnus ad alterum, & alter erit fundamentum alterius, vt modus agendi per naturam, erit fundamentum modi agendi libere; Exemplum de Anima intellectiua, intelligente quidem principia sine discursu, conclusiones autem cū discursu, & nihilominus vna erit anima, & intellectus vnus. Sed contra, obstatur, quia non est par ratio de intelligere, cum discursu, & sine discursu, ac de modis agendi libere, & naturaliter; siquidem, intelligere cum discursu, & sine discursu opponūtur disparate, & accidentaliter: producere autem Spiritum sanctum per modum naturæ, & libertatis sunt differentiæ specificæ oppositæ.

Effugium aliorum.

Refellitur.

12 Respondet Caie. modos istos nō opponi specifice, quoniam tēdunt ad idem prorsus obiectum formale; distinctio autem specifica modorum operandi se tenet penes obiecta distincta: at vero modus producendi per naturam, & liberè habet terminum prorsus eundem. At obijcitur contra, ostendendo doctrinam illam esse falsam, & probat. ad idem prorsus obiectum potest tendere voluntas, & intellectus sub eadem prorsus ratione formali, vt intelligendo ens, sub ratione veri, & voluntas amando illud ens etiam sub ratione veri, & nihilominus ex vnitate obiecti formalis, falsum erit colligere modos istos potentiarum specificè distinctarum esse eiusdem rationis, ergo voluntas vt

Caetan. responsio eliditur.

vt natura,& eſt libera; ſen modus agẽdi per modum naturę,& per modũ libertatis eſſent differentiæ ſpecificæ omnino oppoſitæ.

Arguitur. 13 Denique arguitur. Vel iſta natura ſumitur pro principio oppoſito libertati, vel ſumitur quatenus eſt quid commune indifferens ad principium liberum,& naturale: non primum, vt probanimus: tum quia, vt natura eſt, non operatur: tum etiã quia modus agendi per naturam non ſtat cum voluntate: Nec eſt concedendum ſecundum, quia non poſſet operari: probatur quoniam actio ſingularis requirit principium determinatum:& ſingulare; ergo natura, vt eſt communis, & indifferens, non poteſt habere rationẽ principij productiui, niſi cõtrahatur ad ſuum ſingulare. Vide etiam Scot. Quodl. 16. *Scot. quol. 16.*

14 Hinc infertur Prima Concluſio. Spiritus ſanctus non producitur naturaliter: Concluſio hæc remanet probata hucuſque, quia voluntas, vt natura, non eſt principium productiuum: Dices productio Spiritus ſancti eſt naturalis, ergo Spiritus ſãctus producitur naturaliter: Reſpondimus diſtinguendo antecedens; illud enim *naturale*, poteſt multipliciter ſe tenere, vel namque *natura* ſumitur extenſiuè, prout extenditur ad omne ens, immo etiam ad negationes, & priuationes, vt docet Scotus quolib. 16. litt. R. & ſic vocamus, atque dicimus naturam voluntatis, & naturam negationis, &c. Alio modo ſumitur ſtrictè prout idem importat, ac modũ agendi; ſeu principium operandi *per modum naturæ*, prout diſtinguitur contra principium agendi *per modum libertatis*: vel clarius ly *naturaliter*, vel accipiur pro habitudine, & conformitate, *ad principium productiuum*: vel ſecundo pro *principio productiuo per modum naturæ*: Primis quidem duobus modis, ſpiratio vocari poteſt naturalis; & Spiritus ſanctus dici poteſt produci naturaliter, negamus autem id concedendum eſſe in poſterioribus modis.

Spiritus s. non producitur naturaliter.

declaratur

Spiritus s. producitur neceſſario. 15 Secunda Concluſio: Spiritus ſanctus producitur neceſſario: ſupponendum autem pro Concluſione iſta, multiplicem eſſe neceſſitatem: alia namque eſt neceſſitas *coactionis*, & *violentiæ*: alia eſt neceſſitas *immutabilitatis*: & hæc excludit poſſe oppoſitum ſuccedere ei, quod ineſt: tertiò denique eſt neceſſitas *ſimpliciter*, & *abſoluta* ſeu neceſſitas omnimodæ *ineuitabilitatis*, & hæc non ſolum excludit potentiam ad oppoſitum, verũ etiã indicat omnimodã repugnantiam ad ipſum oppoſitum: Prima neceſſitas de ſe patet, quam diffinit Ariſtot. cum dicit *Violentum eſt illud cuius principium eſt extra non conferente vim paſſo*; ideſt ſubiecto nullam habente inclinationem ad id, hæc vero excluditur omninò à Deo, quia importat triſtitiam, atque prædominiũ, & coactionem. Deus autem ſemper beatitudine fruitur, & nullus reſiſtere valet ſuæ voluntati: ſecundę neceſſitatis exemplum ſit pænes Beatos, qui ſemper erunt, atque neceſſario, Beati, neceſſitate tamen immutabilitatis, non quod non potuerint damnari, atque carere beatitudine, ſed quia ſtante decreto perennitatis beatitudinis, nunquam Deus determinabit oppoſitum, poſtquam decreuit ipſos beatificare: tertia verò exemplificatur in eodem Deo penes ſemet ipſum, qui adeò neceſſario ſeipſum amat, vt repugnet euenire oppoſitũ: & numquam poſſibile fuit, vel ſoret eſſe in oppoſito, etiam de ſui potentia abſoluta: hoc præſuppoſito, Spiritus ſanctus producitur neceſſario nõ prima neceſſitate, quia nihil triſte in Diuinis, & nihil coactum, Nec quidem neceſſitate ſecunda, quia ſequeretur, quod aliquando potuerit non produci, Beatus enim ante decretum non erat neceſſarium, vt præordinaretur ad beatitudinem, at Spiritus ſancti ſpiratio ſemper fuit neceſſaria, remanet igitur, vt neceſſario ſpiretur neceſſitate ſimpliciter, ac ineuitabilitatis; quia adeò neceſſario ſpiratur, vt nunquam potuerit euenire oppoſitum: ſuadetur verò breuiter Concluſio ex dictis: Spiritus ſanctus eſt Deus: ſed Deus eſt ens neceſſarium, ergo neceſſario ſpiratur: Denique da oppoſitum, & ſequitur ſpirari contingenter. Ergo erit Creatura:

Neceſſitas, multiplex.

rathie autem fuit error Eunomij hæretici: foret enim ens contingens, mutabile, dependens, & huius generis.

Spiritus s. producitur libere.

16 Tertio dicimus: Spiritus sanctus producitur libere. Vt verò intelligatur Conclusio, est distinguendum de multiplici libertate: Alia quidem est libertas *contradictionis*, alia *contrarietatis*, alia *complacentiæ*, & alia denique est libertas *essentialis*, seù libertas *simpliciter*; prima vocatur etiam libertas indifferentiæ: & est, qua mediante voluntas libera est ad velle, & non velle, atque indifferēs ad vtrumque: secunda, qua libera est ad contraria, seù contrariè opposita: vt velle, & nolle. Tertia de se patet, & de qua egimus supra: & denique quarta est ipsamet ratio formalis, immò essentialis voluntatis.

Libertas multiplex.

Hoc supposito declaratur, & probatur Conclusio principalis; Spiritus sanctus producitur liberè non libertate contradictionis, quia esset ens contingens, nec libertate contrarietatis, quia posset esse, & nō esse; nec solumodo libertate complacentiæ, quoniam sequeretur Filium produci per voluntatem, & libere. Probatur quoniam supra diximus, voluntatem concurre ad productionem Verbi *complacenter*: ergo remanet, vt producatur libere libertate simpliciter, quæ est libertas essentialis competens naturæ, & essentiæ voluntatis: quod idem est, ac dicere, Spiritum sanctum produci per voluntatem, tamquam per principium liberum: Suadetur tamen breuiter; Amor producitur liberè à voluntate: sed Spiritus sanctus est amor ergo spiratur liberè. Item Spiritus sanctus est donum: vt docet Ecclesia, atque D. August. dicendo *Filium nasci*, & Spiritum sanctum *donari*: sed donum gratuitum pendet à voluntate gratuita, ergo producitur liberè. Et denique voluntas non est principium productiuum, vt natura, sed vt voluntas, ar vt voluntas, est libera, ergo producitur liberè.

Spiritus s. producitur liberè, & necessario.

17 Quarto dicimus; Spiritus sanctus producitur liberè, & necessario: & hinc infertur, libertatem stare, & conuenire aliquando cum necessitate: Probatur primo ex Patribus, atque ex August. in Enchirid. vbi supra dicente, *Oportebant prius fieri hominem, vt bene posset velle, et male; nec gratis, vel frustra, si benè nec impunè, si male*: loquitur autem de statu primatio: subsequitur verò: *Si erit, vt male velle non possit, nec ideò carebit libero arbitrio; multo quippe liberius erit liberum arbitrium, quod omninò seruire peccato non possit: neque culpanda est voluntas: aut namque voluntas non est, aut libera dicenda non est: quia beati etiam sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam velle possimus*: Ecce quomodo August. in statu beatitudinis copulat necessitatem non peccandi vna cum libero arbitrio. Item Anselm. de libero arbitrio cap. primo sic habet, *Quod decet, & expedit, vt hoc amittere nequeat, liberior est quam ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere*; ergo voluntas quia non potest declinare à rectitudine, liberrima est: Sed voluntas Diuina Patris, & Filij necessario diligit Essentiam Diuinam: & necessario diligendo spirat: ergo liberè quoque diligit, & spirat.

Libertas simul, cum necessitate.

Probatur etiam ratione, Potentia operans circa vnum obiectum ordinatum ad alterum est operatiua circa vtrumque obiectum: sed voluntas Diuina refert obiecta creata, & amat illa in ordine ad obiectum increatum, tamquam ad finem: ergo sub eadem ratione est operatiua circa vtrumque; sed circa volibilia creata se habet contingenter, & liberè; ergo circa obiectum increatū etiā se habet liberè, licet nō cōtingēter, & ita liberè amabit Dei Essentiam; Maior est Arist. 2. de Anima tex. com. 146. dicētis, *Potentia apponēs differentiā inter aliqua obiecta, cognoscit vtrumque*: probatur etiam, perfectiones simpliciter ex D. Anselm. sunt compossibiles in eodem subiecto, sed libertas est perfectio simpliciter, & necessitas in essendo, atque in amando in primo ente penes semetipsum est perfectio simpliciter; ergo stat simul necessitas, & libertas; Denique Diuina voluntas producit amorem liberè; eademque voluntas necessario fertur in vltimū finem; ergo restat Conclusio, necessitatem, & libertatem stare simul circa

pro-

productionem Spiritus sancti; vide Scotum litt. C. quolib. 16. in artic.2.

Voluntatē necessario amare Deū cōtingit ex multiplici capite.

18 Quærit verò amplius ibi Scotus quomodo stare poterit, & quomodo poterit saluari libertas ista, cū necessitate: hucusque quidem probatum remanet simul coire vtrumque: res vero expostulat, vt fiat clarior, atque euidentior: pro solutione autem aduertimus, voluntatem aliquam necessario amare Deum, posse prouenire ex multiplici capite; Vel quidem ex summa perfectione voluntatis: vel ex eius summa rectitudine: vel ex eiusdem infinitate; vel denique ex parte obiecti amabilis infiniti: & quidem constat obiectum infinitum expostulare, vt ametur infinitè: Insuper voluntas Diuina est infinita; ergo adæquatur obiecto amabili infinito, amando illud infinito amore; Item voluntas de se est summe perfecta: ergo numquam declinabit à perfectissimo, & infinito amore Dei: & denique eadem voluntas est necessario recta, ergo necessario se conformat obiecto amabili, igitur ex his constat Diuinam voluntatem necessario amare Diuinam Essētiam, & hic amor est Spiritus sanctus: ob idque spirabitur simul necessario, & libere. Quod si tamen aliquod istorum deficiat, vel ex parte voluntatis, vel ex parte obiecti, non sequitur amor necessarius, nec infinitus: vt verbi gratia si voluntas Diuina terminetur ad obiectum creatum, quia obiectum hoc non est summè perfectum, nec infinitum, nec necessarium, sed contingens, ideò Dei voluntas non amat illud summo amore, nec amore infinito, nec necessario: sed contingenter: ita quoque si voluntas sit finita, & obiectum infinitum, quia videlicet voluntas finita non est summè perfecta, nec est ens infinitum, nec necessarium, ideò amando Deum infinitum, non amat illum summo, & infinito amore, ac immutabili, sed contingenter, & defectibiliter; Declaratur amplius necessitas ista, & libertas ex eo, quod subdit Scot. *Voluntas Diuina à nullo determinatur, sed seipsam determinat*, Ergo libera est; antecedens patet. Alias non esset libera; Item habet amorē sui eligibiliter, & delectabiliter: atq; hoc eodē modo se firmat in amore: Deniq; mouet seipsā ad amorē ex cognitione finis. vt finis est: quia verò est necessariò recta ideò necessariò elicit hunc amorem rectum erga Deum; ex quo excludimus, Agentia naturalia, quæ tendunt ad finem, sed non liberè, quia non agunt propriè ex cognitione finis: excludimus etiā potentias sensitiuas, quæ neque ex propria cognitione finis mouentur; non enim propriè cognoscunt finem, immò non mouent seipsas, sed potius mouētur, & trahūtur ex obiecto: non enim *Bruta seipsa ducunt, sed ducuntur*: ità Damasc. lib. 2. de fide Ortodox. cap. 24. Ex his ergo constat qualiter, & quomodo Spiritus sanctus procedat liberè, & necessariò: quam sententiam sequitur D. Bonaue. Riccard. & cæteri plures. His stantibus, sequitur, quod voluntas Diuina amat libere, & necessario, etiam spirabit liberè, & necessario.

An D. Th. contrarius Scoto.

19 Verum verò nobis cōtrarius sit D. Thomas, affirmant Thomistæ negant verò qui extra sunt, vt Suarez Vasquez, Rada, Fauentinus, & pleriqne: Docet namque in proprijs verbis D. Thom. Spiritum sanctum produci liberè, non autem naturaliter per modum naturæ, nisi sumēdo pro producere naturaliter, ipsam naturalem habitudinem, & inclinationem naturalem ad obiectum; quem etiam modum amplexati sumus nos: cuius etiàm Doctoris loca multa congerit idem Rada, sed multò plura affert Fauent. atq; ex recentioribus alij cōtro versiā esse existimāt de solo nomine.

Necessariū & contingens an simul.

20 Ad faciliorem verò argumentorum in oppositum solutionem, immò quæstionis totius breuiorem solutionem, aduertimus vnum ex eodē Scoto, & eodem quolib. litt. C. Necessarium, & contingens non opponi: & affertur instantia de agente naturali, ac necessario; siquidem agentia naturalia, atque necessitate naturæ operantia impediri possunt à sua actione ergo naturalis necessitas, & contingentia stant simul; Assumptum patet de causis naturalibus ordinatis ne-

cessario ad generationem perfectam & completam, verum quia sepe impediuntur propter generationem monstri; ideò dicendum, quò naturale, & contingens non opponuntur: Exemplū etiam experimur de fornace Babilonis, in qua, ex Danielis, 10. ignis agebat quidem necessariò, & expendebat virtutem suam naturalem, qui nihilominus fuit à Diuina prouidentia suspensus, ne combussisset pueros; ergo ista duo non repugnant: Confirmatur de casu, & fortuna, quæ sunt causæ contingentes impedientes cursum agentium naturalium, & liberorum: Item naturale, & liberum sunt illa, quæ repugnāt, quia ex supra dictis, Agens per modum naturæ, & Agens à proposito, non conueniunt simul: insuper contingentia, & libertas stant simul, patet clarissimè apud voluntatem creatam; patet etiam in ordine ad voluntatem Diuinam, quæ circa obiectum primarium se habet liberè: circa verò secundarium liberè, & contingenter: Denique necessitas, non quidem naturalis; de qua supra, sed necessitas simpliciter, atque immutabilitatis, immo etiam ineuitabilitatis stat simul cum libertate; patuit de voluntate Diuina circa Diuinum obiectum, vt probauimus; Necessitas quoque immutabilitatis stat cum libertate, & contingentia: patet in Beatis, in quibus voluntas necessario, & liberè, atque contingenter, sed vna cum tali necessitate, amat, & detinetur in fruitione obiecti diuini.

Liberè producit, ergo non necessariò an valeat.

21 His suppositis respondetur ad argumenta; & primò arguitur: voluntas per Scotum liberè producit Spiritum sanctum, ergo non necessario: Respond. negando consequens: quòd quidem sequeretur, si produceret liberè libertate *contradictionis*, *vel contrarietatis*: & si ipsius necessitas esset *naturalis*: hæc enim cum libertate pugnat, non autem necessitas *simpliciter*; nec libertas *essentialis*. Dices. liberè producit, ergo contingenter: Respond. id esse verum; loquendo de voluntate creata: non autem de voluntate Diuina, quæ amat etiam necessariò. Respondemus secundo: voluntatem respicere, vel obiectum primarium, vel secundarium: si namque voluntas Diuina tendat in primarium, amat solummodo libere non contingenter, si verò in secundarium; liberè, & cōtingenter. Ratio primi est adducta superius: & ratio secundi hæc est, quia in obiecto creato non reperitur omnis ratio boni, nec est ens summè perfectum, nec necessarium: ideò Diuina voluntas non necessario amat: Deus namque ideò est volitus, & amatus, quia est bonus: sed Creatura non ideò à Deo volita, quia bona, sed ideò est bona, quia volita à Deo, inquit Scotus: Tum etiā quia Diuina voluntas depēderet ab obiecto creato, atque determinaretur ab illo, si necessario amaret illud.

Libere producit, ergo contingenter: an teneat.

Necessariū & contingēs sū differentiæ incōpossibiles in ente sed non in modo operādi

22 Dices; omne ens, vel est necessarium, vel contingens; ergo omne principium productiuum, vel producit necessario, vel contingenter, ergo non potest Diuina voluntas habere vtrumque modum operandi: si igitur producit necessario: ergo non operatur contingenter ad extra, & si producit solum contingenter, ergo vel non producit Spiritum sanctum, vel producit eum contingenter; Respond. negando sequelam: quoniam necessarium quidem, & contingens sunt benè differentiæ entis: ita vt idem ens non possit esse simul necessarium, & contingens: attamen non est necesse, vt modos operandi faciat esse incompossibiles penes obiecta diuersa, & ita Diuina voluntas erit quidem in se ens necessarium: sed in operando, si referatur ad Deum operabitur necessario: si autē referatur ad creaturā: contigenter.

Natura est determinata ad vnū declaratur

23 Dices: Natura est determinata ad vnum: ergo Diuina volūtas non habebit plures modos operandi liberè, necessario; & contingenter. Respond. mentem Aristot. esse, non quod natura sit determinata ad vnum effectum: nam potest plures producere inadæquatos, vsqueque peruenerit ad adæquatum: sed est determinata ad vnum nempe ad vnū modum agendi: vt habet in primo

d.2.

d.2. quæst.4. Scotus: ità ad propositum, si voluntas de se spectetur, est quidem determata ad vnum modum agendi per se,& primò:qui modus est liberè operandi: & hic modus est de Essētia volūtatis,vt diximus; quod si referatur ad obiecta, habebit plures modos agendi,vnde quatenus ordinata ad Deū,& Spiritū sanctū,habebit modum agendi necessario, quatenus verò ad Creaturas, habebit vlteriorē modum operandi,scilicet contingenter.

Natura est determinata ad vnū modū agendi per sè & primo: ad plures verò per sè,nō primo.

24 Si institetis:natura est determinata ad vnum modum agendi, ergo Diuina voluntas non poterit habere plures modos agendi.Respond. Naturam esse determinatam ad vnū agendi modum per se,& primò: esse autē determinatam ad plures modos agendi per se quidem,sed non primò: & ita contingeret voluntati competere per se primo, modum agendi liberè circa quodcumque:deindè verò competere modos alios agendi, siue necessario,siue contingenter, attenta qualitate,conditione,& natura obiectorum ad quæ fertur.

25 Arguitur vlterius; Spiritus sanctus producitur per voluntatem, ergo contingenter: probatur consequens, communiter Patres,& Philosophi docent, id,quod producitur liberè, & voluntarie, esse ens contingens;ita namque D. Hieronym.Aristotel.3.eth.cor.atque D.August.lib. 3.de libero arbitrio,& p.2. *Illud inquit,est liberum in nobis, quod in nobis est facere,& non facere.*ergo malè asserimus, Spiritum sanctum alioqui necessarium, produci liberè: & hinc Thomistæ nos redarguunt, quasi minus propriè loquamur in explicatione Spiritus sancti.

26 Respond. Scotum loqui proprijssime,& Catholicè veritatem exprimere quandoquidem attestatur rē,& verbis Spiritum sanctum esse ens necessariū, & produci simul per principium liberum;negare vero producere voluntatem libere, & se habere ad instar Naturæ,est destruere eius libertatem,inquit Scot.quia voluntas, vt natura, non est libera ex August. dicente; *Aut voluntas non est,aut libera dicenda non est*: tribuere etiam voluntati,vt natura est,principium agendi, existimat Scotus esse contra Philosophiam.

Ad Patres.

27 Ad Patres verò dicimus: ipsos diuersimodè loqui iuxta occurrentiam subiecti: quandoque enim copulant libertatem cum contingentia: & quandoque libertatem miscent cum necessitate: primo modo ostenditur libertas penes Creaturas; secundo modo attenditur penes ipsum Deum;atque penes Beatos ex Augustino, & Anselm. loco citato.

28 Dices ex authoritate Nicetæ lib.3.Thesari fidei cap.19.habetur *Naturalis voluntas hominis est vitæ amor*; ergo voluntas, vt natura producit.Respond.primo,sumi ibi *naturale* non pro principio agēte per *modum naturæ*; sed pro *inclinatione naturali* potentiæ ad obiectum; Respond. secundo sumi *naturale* non prout distinguitur contra *liberum*: sed prout distinguitur contra *violentum*;& *coactum*.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Spiritus sanctus producatur à Patre, & Filio.

ARTIC. I.

Sententia Græcorum.

Græcorum sententia Spiritum sanctum à solo Patre procedere.

1 Græci à Latinis adeo dissident, vt non vereantur eos appellare hæreticos, dum contra Concilij Constantinopolitã. Determinationem (vt ipsi dicunt) asserunt Latini Spiritum sanctum nedum à Patre, verum & à Filio procedere. quapropter docent à Patre solum, & nullatenus à Filio procedere, ita in primis Theodoret. in refutat. anathem. Diui Cyrilli circa ann. 430. quem sequuti sunt Nestoriani, quib. Theodor. fauit, vt colligitur ex Concil. Ephes. tit. 2. cap. 31. & quinta Synodo collat. 4. Theophilatus etiã super Ioann, 3. repræhendit Latinos, adhæserunt ipsis Armeni, Ruthei, Moscouij: denique factus est error hic communis Græcorum: qui ex Symbolo penes D. Gregor. in Dial. delerunt verba illa, *Filioque procedit* vt narrat Ioannes Diaconus lib. 4. de S. Gregor. cap 75. non adeo autem aperto Marte pugnabant ab initio Græci, vt inde agere cæperunt circa ann. Dom. 1054. ex quo manifestius, & apertius erupit schisma eorum, tantæ. e fuit Michaelis Patriarchæ Constantinopolitani dementia, vt Pontificem Romanum, cum cæteris Latinis excommunicatum proclamasset eo quod in symbolo addidissent particulam illam, *Filioque procedit*; indeque sibi primatum Ecclesiæ arrogauit, vt colligitur ex epist. Leo. 9. ad Constantin. Monomac. quamuis vero multoties ab hoc errore fuerint reuocati, & Ecclesiæ Romanæ adhæserint, vt in Conci. Lugdun. opera Diui Bonauenturæ, atque prius in Concil. Florent. vbi interfuit D. Bernard. Nihilominus iterum redeuntes in idem schisma inciderunt.

2 Quibus vero innituntur fundamenta hæc sunt, Nihil est de fidei mysterijs, & præcipuè de Sanctissimæ Trinitatis arcano, sentiendum, quod non reperiatur definitum in scripturis: Spiritum sanctum à Patre, filioque procedere non habetur in scripturis. *Fundamenta Græcorũ* Secundo, in symbolo Concilij Constantinopolitani, solum habetur, *qui à Patre procedit*, nulla facta mentione di Filio: in eo etiam Concilio anathema fuit impositum ei, qui aliter doceret, quam fuerit determinatum in Concilio, atque hinc Græci Latinos incurrisse anathema incurrisse addendo, *Filioque* contra determinationem Concilij, & confirmatur, quoniam Leo III Synbolum Constantinopolitan. lamina argentea in sculpi fecit sine particula *Filioque*, ac retro altare D. Pauli Romæ reposuit, teste Magist. 1. d. 11. Tertio. additio hæc, *Filioque*: non constat, à quo facta fuerit, igitur tanquam illegitime facta, & sine authoritate, est reijcienda. Quarto Patres id docent plurimi, & quidem Dion. de diu. nom. cap. 2. *Solum Patrem*, ait, *esse fontem diuinitatis* Basil. epist. 43. *Nullam secundum propriam notionem, communionem habet Filius cum Patre.* Damasc. lib. 1. cap. 11. *Spiritum sanctum per Filium esse dicimus ex Filio non dicimus*, & Nazian. omnia

qua

quæ habet Pater sunt Filij, hoc solo excepto, nempè causalitate, inquit Nazia. orat. ad Episc. qui ven. ex AEgypt. Idem Damasc. lib.1. cap.8. *à Patre procedentem, & in Filio quiescentem Spiritum sanctum dicimus*, & Hylar. de Trin.12. *Spiritum sanctum, qui à te per Vnigenitum tuum est, promerear*: in qua loquutione conuenit cum Damasc. dicente, *Spiritum sanctum per Filium dicimus.*

3 Arguitur ratione: Spiritus sãctus est vnus, ergo procedit ab vno: prob. sequ. spiratio passiua, seu persona spirata est vna, ergo spirans actiue est vnus. Item Pater de sè solo est ad spirandum sufficiens, frustra ergo secum concurrit Filius. Insuper verbũ nostrum non producit amorem, ergo nec Verbum diuinum, producet Spiritum sanctum.

4 Adsunt, & capita alia, quibus conqueruntur Græci, vel non vocatos fuisse ad Concilium, vel additionem factam fuisse absque Concilio, de quibus tamen artic.4.5.6.

5 Atque hinc occasionem sumpserunt, Authore Michaele Patriarcha Constantinopolitano, & patrocinante Imperatore Constantino Græco, Monomacho, Ann.1054. se separandi à Latina Ecclesia: indeque impie oblatrantes Ecclesias Latinas esse excommunicatas, atque Romanũ Pontificẽ ob id, prima sede priuatum, primatum Ecclesiasticum peruenere ad Patriarcham Constantinopolitanũ: vnde, & claudi insteterunt omnes Latinorum Ecclesias, in ipsorum ditione fundatas; quia & Imperator ipse propositis præmijs incitauit, quos poterat, ad scribendum contra ipsos Latinos, vt colligitur ex Ansel. epist. de Process. Spirit. sanct. aduersus Græcos. Et ex Epist. Leonis IX. ad Michaelem Episcopum, & Constantinum Monomachum, penes 4.tom. Concil. atque ex Antonin. part.3. tit.2. cap. 13.§.11.

ARTIC. II.

Spiritus sanctus à Patre, Filioque procedit.

1 Est nihilominus veritas catholica, & de fide tenenda Spiritũ sanctũ non solũ à Patre, verũ etiã à Filio procedere. Ostendamus eam breuiter, scripturis, autoritatibus, & rationibus. scripturę autem hę sũt, primo Ioann.5. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*, & cap. 16. *si abiero, mittam eum ad vos*, hinc verò argumẽtũ desumitur theologicum: mittere personam aliquam ad extra, est *Declarare personam illam procedere ad intra à persona illa, quæ mittit*: Sic docet Augu. lib.4. de Trin. c.19. & probatur, quoniã solus Filius & Spiritus sãctus mittũtur ad extra, & nõ Pater, etenim Pater venit, & venit à sè, iuxt illud Ioan.6. *Ad eum veniemus*, non autem ab aliqua persona mittitur, quia à nulla procedit: igitur cum solus filius, & Spiritus sanctus mittuntur, signum est quod etiam Spiritus sanctus procedit: sed mittitur etiam à Filio, ergo procedit etiam à Filio, hoc est optimum argumentũ fundatum super communi Theologia de missione, de qua suo loco. *Catholicã sententia Spiritum sanctum procedere etiam à Filio.*

2 Recensita Scripturæ huius ponderatio confirmatur authoritate Patrum; Et quidem Anselmus exagerãs illud Ioann. 15. *Quem ego mittam à Patre*. Non aliud significari, inquit lib. de process. Spirit. sanct. cap.7. *Nisi quia non aliter se habet ad Patrem Spiritus sanctus, & aliter ad Filium: nec magis est vnius, quam alterius. Quamobrem impossibile est ostendere, quomodo non procedat ab vtroq; Vnde enim Filio cum Patre dare simul, vel mittere Spiritum sanctum, & hunc esse vtriusque, si simul non est de vtroque? Cur enim magis dat Filius Spiritum sanctum, quam Spiritus sanctus Filiũ? Aut cur magis Spiritus sanctus est Filij, quam Filius Spiritus sancti, nisi quia* *Ex scripturis, & Patribus.*

Filius non est ita de Patre simul, & de Spiritu sancto, sicut Spiritus sanctus est de Patre simul, & Filio? Si ergo Spiritus sanctus non est de Filio, non datur à Filio, nec dicitur esse Filij; sicut filius non datur à Spiritu sancto, nec dicitur esse Spiritus sancti, quoniam non est de Spiritu sancto. Beda hom. 11. de Tēp. in Domin. 1. post Ascens. ait, *Mittitur Spiritus sanctus à Patre, mittitur à Filio; procedit à Patre, procedit et à Filio, quia eius missio est ipsa processio.* Greg. homil. 26. in Euang. *Spiritus sancti missio, ipsa processio est, qua de Patre procedit, & Filio; sicut igitur Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita, & Filius non incongrue mitti dicitur, quia generatur.* Augustinus lib. 4. de Trin. cap. 20. *Mitti Spiritum sanctum à Patre est cognosci quod ab illo procedat: nec possumus dicere, quod Spiritus sit et a Filio non procedat. Mitti igitur Spiritum sanctum à Filio, est cognosci, quod Spiritus sanctus à Filio procedat.* In fine autem concludens subdit, *Quod ergo ait Dominus, quem ego mittam vobis à Patre, ostendit, Spiritum, & Patris, & Filij: quia etiam cum dixisset, Quem mittet Pater, addit, in nomine meo, non tamen dixit, Quem mittet Pater a me, Quemadmodum dixit; Quem ego mittam vobis à Patre: videlicet, ostendens, quod totius Diuinitatis, vel melius dicitur, Deitatis principium est Pater.* Ac denique Gregor. Nazianz. tract. de Fide, loquens de Filio, inquit, *Misit nobis Spiritum sanctum de propria sua, & ex vna eademque substantia.* Accedit Ioannes Theologus, Latinorum nomine in Concil. Florent. sess. 24. dicens, *Verbum, mittam, quid aliud obsecro significat, quam quod ex aliquo mittitur? Qui vero quidpiam mittit is suum mittere videtur; & id quod mittitur, ex ipso dicitur esse.*

3 Secundo Ioann. 14. 15. loquens de Spiritu sancto Christus Dominus ait, *Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Hinc arguitur, Vna persona nō accipit ab alia, nisi quia procedit ab illa: prob. Filius accipit esse à Patre, quia procedit à *Patre*: & Pater accipit esse à nulla persona, quia est à sè, & à nulla procedit; ergo si ait Christus, quod Spiritus sanctus *de meo accipiet*, signum est quod procedat à Filio: Obstat contra hoc Theophil. sensum esse, *de meo accipiet*, idest, ex meo thesauro, qui est Pater; & sicut ego accepi à solo Patre, ita Spiritus accipiet à solo Patre: vel sit alius sensus *de meo accipiet*, idest, loquetur Spiritus consentanea ijs, quę ego docui, iuxta illud alterum, non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur. Verum si Pater est thesaurus Filij, vtique Pater, & Filius est thesaurus Spiritus sancti, dum ei diuinum communicāt thesaurum diuinæ Essentiæ; igitur bene dicit Filius, de meo thesauro accipiet; accipere autem in diuinis est procedere: sed accipit de thesauro Filij, ergo procedit à Filio. Et subdit Christus Dominus *Quæcunque audiet loquetur*: hinc arguitur Spiritus sanctus non loquetur nisi consentanea Filio, quia eadem sapientia, quæ est in Patre, & Filio, est quoque in Spiritu sancto: nec persona vna, est vel minus sapiens, vel sapiētior altera: dum vero Spiritus audiet à Filio, vtique procedit à Filio, quia audire est procedere, & sapientiam recipere à Filio: ac denique dum non à semetipso loquetur, sed quęcunque audiet, ea loquetur: Dum ea audiet, idest per processionem recipit omnia quæ habet, à Patre, & Filio, sequitur, vt non à semetipso loquatur, sed quatenus procedens à Patre, & Filio. Nec obest verbum illud futurum, *accipiet*, siquidem per id demonstratur æternam Spiritus sancti processionem nullo vnquam tempore fuisse, vel esse, vel fore interruptam pendam; durat enim in omni differentia temporis, vt spiratus fuerit, spiretur, & spirabitur, semper permanente sine interruptione, vna eadem spiratione ex August. in eum loc. de quo etiam infr.

4 Confirmat hoc Didimus lib. 2. de Spiritu sancto, & habetur inter opera Diui Hieronymi, qui exponēs prædicta verba, inquit, *Non enim loquetur à semetipso, hoc est, non sine me; & sine Patris arbitrio; quia inseparabilis à mea, & Patris est voluntate; quia non ex sè est, sed ex Patre, & me est, hoc*

enim,

enim quod subsistit, & loquitur, à Patre & me illi est: & infra *Neque quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur à Patre; Neque alia substantia est Spiritus sancti, præter id, quod datur ei à Filio* Ambrosius de fide ad Gratian. lib. 5 cap. 6. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur; vt aduerteremus, quod quidquid Spiritus loquitur, loquitur & Filius: & quidquid loquitur Filius, loquitur et Pater, quia vna sententia, & operatio Trinitatis est.*

5 Occurrunt Græci idem esse Filium mittere Spiritum sanctum, ac care hominib. illa dona, quæ confert Spiritus sanctus: non autem quod idem sit, ac producere. Hoc nihil est: & quidem verum est primo, quod ne dum Filius mittit Spiritum sanctum cum gratijs, & donis conferendis hominibus, sed etiam ipsemet Filius confert eadem dona hominibus, cum opera ad extra sint indiuisa, nihilominus sistendo in ratione græcorum sequitur magnum absurdum; si namque mittere idem est, ac dare, & donare, ergo etiam Pater mittitur à Filio, prob. quia etiam Pater dat, & donat dona hominibus: etenim teste Iacobo, omne donum optimum descendit à Patre luminum: item Pater mitteret seipsum, quando donat hominibus, & Filius etiam, atque Spiritus sanctus mitterent seipsos quando dant dona hominibus, vtique sequuntur hæc, si dare est mittere; omnes tamque personæ dant dona ad extra, omnesq; effectiue se habent indiuisim ad extra, ergo vnaquæq; persona dãdo ad extra, siue esse, siue dona, siue quid quid aliud, vtique semetipsam mittet ad extra: at id falsum, quia mittere competit soli personæ producenti, at nihil producit seipsum; ergo nulla mittit se ad extra: item mittens à missa persona distinguitur realiter, & personaliter, nihil vero distinguitur sic à seipso; & inde est, vt personæ ad extra non dicantur mittere seipsas, cum mittere sit ab alio, sed dicantur venire, & propterea per Ioannem ait, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

6 Tertio in eod. cap. subiunxit Christus. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* per ly omnia, nedum intelligitur essentia cũ diuinis perfectionibus, verum etiam vis spiratiua communicata sibi à Patre: & per eã producit spiritum sanctum. & hinc merito deducitur ista causalis, Filius habet à Patre omnia, & consequenter vim spiratiuam, ergo spirat Spiritum sanctum, ideoque subiunxit Christus, *propterea*, quod est ratio causalis, dixi, quia de meo accipiet. Licet verò ly *omnia*, non adeo sit vniuersale, vt comprehendat etiam paternitatem, esse ingenitum, & posse generare; iuxta Damasc. lib. 1. cap. 9. *Omnia, quæ habet Pater, sunt Filij, hoc solo excepto, quod Filius ingenitus non est*: & Concil. Florent. in litt. vn. sess. vlt. *Omnia quæ habet Pater dedit Filio, excepta paternitate*: & ex Augustin. 5. Trin. cap. 14. nihilominus ea, quæ Filio non repugnant, vtique omnia fuerint à Patre communicata, inter cætera autem est spiratio actiua Spiritus sancti.

7 Confirmant hæc Patres, Hila. lib. 8 de Trin. ait, *Si nihil differre creditur inter accipere a Filio, & a Patre procedere, certe id ipsũ, atq; vnũ esse existimabitur a Filio accipere, quod sit accipere a Patre. Hoc, quod accipit, siue potestas est, siue virtus, siue doctrina est, Filius a sè accipiendũ dixit, et rursum hoc ipsum significat accipiendum esse a Patre. Cum enim ait, omnia, quæcunque habet Pater, sua esse, & idcirco dixisse, de suo accipiendum esse, docet etiam à Patre accipienda, a sè tamen accipi, quia omnia, quæ Patris sunt, sua sint.* Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. *Omnia de Filio Spiritus sanctus accepit: Accepit autem per vnitatem substantiæ, sicut accepit à Patre Filius. Ille, inquit, me clarificabit, quia de meo accipiet. Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, de meo accipiet.* Cyrillus lib. 11. in Ioann. cap. 1. de Spiritu sancto inquit, *Quoniam consubstantialis Filio est, proceditque per eum, omnem eius habens virtutem, ideo ait, quia de meo accipiet*, & infra. *Nihil detrahitur Spiritui, cum à Filio accipere credatur, nam cum per Filium naturaliter*

liter procedat, vt proprius eius, cum omnibus, quæ absolute habet, accipere dicitur quæ ipsius sunt. Atque Anselmus ibidem cap. 8. *Sicut cum dicitur, non loquetur a semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur, significatur ab eo esse, & procedere a quo audiuit ita cum profert Filius, De meo accipiet, palam ostendit, eum de suo, hoc est, de Essentia sua. Essentiam habere, & procedere.*

8 Quarto Rom. 7. Galat. 4. *Spiritus sanctus appellatur Spiritus Filij*: at hinc arguitur, Genitiuũ illud quid indicat, vel quidem dominium, vel causalitatem, & productionem: non primum, cum personæ sint æquales sicut in essentia, ita in potentia; scribente Athanasio Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus; ergo processionem, ergo erit Spiritus Filij, quatenus productus à Filio. Confirmatur, scriptura vocat tertiam personam, *Spiritum Domini*, & *Spiritum Patris*, quia procedit à Patre; ergo cum eundem appellat *Spiritum Filij*, indicat procedere à Filio. Dixeris, Genitiuum importare consubstantialitatem, ita vt sit constructio quasi intransitiua, sitque sensus, Spiritus Filij, idest, Spiritus, qui consubstantialiter est Filius. Sed contra, nam ex hoc sequitur debere, & posse etiam dici Verbum Spiritus; probat, quia Verbum est consubstantiale Spiritui: item valeret hæc, Pater est Pater Spiritus, quia Pater etiam est consubstantialis Spiritui: & tamen hæc non est vera Verbum est Verbum Spiritus, quia Verbum non producitur à Spiritu: nec Pater est Pater Spiritus, quia Pater non generat Spiritum, nec per paternitatem, sed per spirationem producit Spiritum, ergo sensus erit, Spiritus Filij, idest productus à Filio.

9 Hinc Anselmus cit. Epist. cap. 14. de Græcis ait, *Confitentur nobiscum Spiritum sanctum esse Spiritum, Dei, & Spiritum Patris, & Filij, & quod ipsi dicunt, aliter esse Patris, aut Filij nec authoritate nec ratione, nec ex his, quæ certa sunt possunt ostendere.* In deque subdit, *Sed nullus sensus capit, Spiritum sanctum esse Spiritum Patris aut Filij, secundum quod alter est Pater, alter Filius; sed secūdũ quod vterque vnus idẽq; Deus est; Quare idẽ est intellectus, cum dicitur Spiritus sāctus Spiritus Dei, & Spiritus Patris, et Spiritus Filij; sed Spiritus Dei et Spiritus Patris dicitur, quia est, & procedit de Deo, et de Patre: Itaq; est, & procedit de Filio, quia eodem sensu Spiritus Filij dicitur aliter, aut separabimus Filium a nomine Dei, aut bifariam intelligetur Spiritus Dei.* Cyrillus lib. 13. Thesau. cap. 1. pertractans illud Pauli Roman. 8. *Si quis autem Spiritum Christi non habet*, inquit, *Disce a Paulo rectas de Spiritu sancto sententias hinc eum habes, ex Saluatoris substantia Spiritum sanctum esse, nec alienum ab vnius Deitatis Essentia; Nam cum Spiritum Dei vocauerit, statim, & Spiritum Christi appellauit, vt ostenderet omnia, quæ Patris sunt, in Filium suum, dum ex eo nascitur naturaliter pertransire.* Et infra c. 3. subdit, *Saluator in Euangelys veritatẽ seipsũ appellat. Deinde ostendens, Spiritum sanctũ ex substantia Patris, & Filij esse Spiritum, inquit, veritatis qui a Patre procedit* & infra. 10. in Ioan. li. *Non enim est alienus a substātia Filij, Spiritus, sed ex eo naturaliter procedit.* Basilius lib. 5. contr. Eunom. *Apostolus Spiritum per Filium effulsisse, clarum fecit, cum Filij Spiritum, sicut Dei ipsum nominauit.* August. tractat. 99. in Ioann. *Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filij quoque sit Spiritus?* Ac demum Bessarion Oration. Dogmat. cap. 6. ita scribit, *Cuncti etiam Patres occidentales communi sententia ideo dicunt, Filij Spiritum, & esse, & dici, quia ex eo procedit.* Accedit Ioannes Theologus, qui latinorum nomine in Concil. Florent. sess. 24. sic ait, *Porro, quoniam apud Sacram Scripturam, Spiritus Patris, ac Filij est, sequitur, vt ambo simul Spiritum spirent.*

10 Atque demum Ioann. 2. de Christo inquit, *insufflauit, & dixit, accipite Spiritum sanctum*, at hinc deducitur quod sicut aer, quem inspiramus in alium, procedit ex nobis: ita Spiritus sanctus, quem insufflando dabat Christus, procedebat à Filio: & hoc spectat ceremonia hæc Christi in sufflandi in discipulos ex August. lib. 3. con-

3. contra Maxim. cap. 14. Cyrill. lib. 12. in Ioann. cap. 56. habemus ergo scripturas aduersus Græcos, ex quib. deducatur processio Spiritus sancti à Filio.

11 In Concilijs quoque reperitur definita hæc veritas; & quidem D. Cyrillus in epist. ad Nestor. sic inter cætera habet, *Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est; vnde ab isto similiter, sicut ex Patre procedit*. Quam epistolam approbarunt Concil. Ephesin. & Synod. 4. generalis act. 1. 5. Synod. 5. act. vlt. & Synod. 6. act. 17. atque Synod. 7. act. & in hac nedum receptum fuit quod dixerat Cyrillus; verum & approbatum quoque fuit Symbolum Constantinopol. cum illa additione, *Filioque*. quę etiã Synodus fuit magna ex parte Græcorum. Insuper ante Græcorum schisma eadem veritas asserta fuit in Concil. Tolet. 1. cap. 21. & Tolet. 4. cap. 1. & Tolet. 3. cap. 1. & in 8. cap. 1. atque in 11. cap. 1. Indeque tempore schismatis, in Concil. Lateran. sub Innoc. 3. cap. 1. cui consenserunt Græci ex cap. 4. item in Concil. Lugdun. sub Greg. X. vbi Græcis etiam consentientibus cãtatum est symbolum cum illa additione, *Filioque*, ter Græce, & ter Latine: atque in Concil. Florent. vnanimi consensu Græcorum, & Latinorum: ac demum in Concil. Trid. sess. 3.

12 Denique conuincitur ex Patribus, & quidem ex ipsismet Græcis prodeunt Patres aperte rem hanc testantes, est in primis Athanasius in symbolo fidei, vbi *Spiritus sanctus a Patre, & Filio, non factus, &c.* testatur vero Nazianz. orat. de laudib. Athan. symbolum hoc edidisse Athanasium, vnde immerito negant Græci esse Athanasij, addentes, malitiose suppositam fuisse à Latinis particulam illam *a Filio*, idem repetit iterum 4. contra Arian. & in epist. de Spiritu sancto ad Serap. vbi ex professo docet procedere à Filio. Basil. lib. 3. contra Eunom. vbi inquit *Cur necesse est, si dignitate, & ordine tertius est Spiritus sanctus, natura quoque tertium esse; dignitate namque ipsum secundum a Filio, cum ab ipso esse habeat*. Licet vero in Græco codice Basileæ impresso Ann. 1551. hæc non habeantur, vnde Græci aiunt, à Latinis fuisse addita; nihilominus in Concil. Florent. sess. 20. in hac disceptatione latini protulerunt alium vetustiorem Codicem ãte sexcentos annos manuscriptum, in quo talia verba referuntur: his etiã & alia similia subiungit Basil. ibidem Epiphan. hæres. 69. de Spiritu sancto ait, *Ex Patre procedens, & de Filio accipiens*. & in Ancho. *Spiritum sanctum esse ex Patre, & Filio*. Chrisost. homil. 1. t. 5. *Spiritum sanctum de Patre, & Filio* ait, Didimus lib. 2. de Spiritu sancto, super Ioann. 16. *non enim a seipso loquetur*, quia inquit, *non ex se est, sed ex Patre, & me est*. Sunt, & alij plures ex Græcis ex quib. plurimis id confirmat Bessar.

13 De Damasceno, autem quid sentiendum, an negauerit esse à Filio, D. Thom. 1. p. quæst. 36. art. 2. ad 3 ait negasse procedere à Filio subdit que D. Thomas inquiens, *Hunc errorem sequutus fuit Theodoretus Nestorianus & plures post ipsum, inter quos fuit etiam Damascenus: vnde in hoc, eius sententiæ non est standum: Quamuis a quibusdam dicatur, quod Damascenus sicut non confitetur Spiritum sanctum esse a Filio, ita etiam non negat ex vi verborum illorum* hæc D. Thomas D. Bonauentura ad vlt. ait primo *non esse in hac parte ei assentiendum*. Et secundo, inquit, *Caute loquitur, quia non dicit, quod non sit a Filio, sed dicit, non dicimus a Filio*. Verba autem Damasceni hæc sunt, *Spiritum sanctum ex Patre dicimus: & Spiritum Patris nominamus: ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus: Spiritum vero Filij nominamus*. Verum alij exponunt Damascenum, vt minime negauerit procedere à Filio: quod si negare videntur verba relata, exponunt, vt eatenus negarit procedere à Filio, quatenus non procedit à sè, siue à Filio, tanquam à primo principio, seu fonte totius Trinitatis, sic procedit à Patre, & Pater spirat à sè, Filius vero spirat à Patre. Cõfirmari potest ex verbis sequentibus, subdit namq; *Quemadmodum autem ex sole radius, & splendor (ipse enim est* Damascenus quid.

fons

fons radij, & splendoris) at per radium nobis splendor tribuitur. quo in loco, *radium* tribuit Filio, *splendorem* Spiritui sancto: quod si à radio promanat splendor, à Filio quoque produci similiter confitetur Spiritum sanctum. Eo magis, quo metaphora vtitur solis, de quo ait ipsum solem esse fontem radij & splendoris, vt ostẽdat Spiritũ sanctum procedere quidem à Filio, at non tanquam à fonte, fons enim est ipse Pater: itaut sub ratione ista fontis inficietur produci à Filio.

14 Quamuis Patres ita hinc inde certent, nihilominus, discrepantiam eorum, esse potius *verbalem*, quam *realem*, inquit Scotus: vt in art. 4. habitur in respons. ad enitum. Confirmat hoc Tharasius Patriarcha Constantinopol. penes Concil. Nicæ. 2. Act. 3. inquiens *Nusquam equidem discrepantẽ animo Patres inuenimus, verũ omnes, velut eiusdẽ Spiritus eadẽ prædicant, eadẽq; docẽt.* Et infra, *In omnibus Patres sibi cõsoni scribũt, cõtrarietasq; inter ipsos nulla reperitur: sed illi videntur sibi contraria apud illos notare, qui dispositionem dictorum, & scopos eorum non intelligunt.*

Græcos an latuerit processio à Filio: & quare non explicaue runt.

15 Hinc vero D. Bonau. ad 6. ait *Nunquam latuit sanctos Patres processio Spiritus sancti à Filio.* Quæres autẽ si non latuit, quare non dixerunt procedere à Filio? Respondet sanctus Doctor inquiens, *Non fuit expressum quia non erat opus: nullus enim negabat, nec negare volebat: sed hæretici multa, quæ erant inplicita fidei nostræ, sua importunitate compulerunt explicare.*

Ex D. Th. & Henric. probatur rationibus.

16 Accedũt rationes aliquę Theologorum: & quidem D. Thom. 1. p. quæst. 36. art. 2. probat ex hoc, si Spiritus sanctus non est à Filio, ergo nõ distinguitur realiter ab eo; quia ergo distinguitur, ideo concludendum censet procedere ab illo. Ratio hæc non placet Scoto; etenim negat assumptum: & vt videbimus suo loco, vtique distingueretur etiam si non procederet à Filio. Probat Henricus. In rebus creatis amor procedit à verbo creato; ergo in diuinis Spiritus sanctus procedit à Verbo increato.

Scotus impugnat.

Nec ista ratio conuincit: siquidem est falsum assumptum; etenim creata intellectio non est causa amoris; sicut, nec intellectus producit amorem: principium verò causale, & productiuum amoris est voluntas, & volitio siue amatio, seu dilectio non vero intellectus, nec dictio, nec intellectio. si dixeris, voluntatem non amare sine preuia intellectione: conceditur, at non infertur præcedere, vt principiũ amoris, licet præcedat, vt conditio, sine qua non posset voluntas producere amorem: appræsentat namque voluntati obiectum intellectus ipse, circa quod antecedenter cognitum, & voluntati propositum, ipsa producit amorem, fertur enim voluntas in præcognitum, qua precognitione negata non posset producere amorem: est ergo conditio sine qua non: causa autem est ipsa sola voluntas. Dixeris, iam Verbum diuinum producit spiratum amorem, ergo concludit ratio. Respond. argumentum concludere gratia materię, non gratia formę quia iam ex verbo nostro non producitur amor noster, vt constat: ergo nec valebit hinc gratia formæ inferre spiritus productionem per Verbum; nihilominus infertur gratia materiæ, non quidem arguendo à verbo nostro, quia est inualida argutio, sed arguendo ex eo, quod aduenit in diuinis, vbi Verbum diuinum non est accidens, sed substantia, & est Deus, atque merito producit amorem, qui itidem est substantia, & Deus, qualis est Spiritus sanctus: cætera huc spectantia dicta sunt in art. de Verbo, & natura, ac conditionibus Verbi, tum creati, tum diuini. hæc est ratio Henrici. Dices pro eodem Henrico, intelligere præcedit velle, ergo dicere præcedit spirare; ergo Verbum dictũ seu productum spirat. Occurrit Scot. vtrumque esse verum, at diuersimode se habere; siquidem, intelligere præcedit tanquam ostensiuum obiecti ipsi voluntati, circa quod inde producit velle, quia voluntas non fertur, *nisi in præcognitum*, at *Dicere* præcedit quidem velle secundum ordinem potentiarum, non autem, vt ostensiuum obiecti, ratio, alias Pater esset sapiens per *Dicere*, siue sapiens sapientia

Intelligere & dicere non eodem modo præcedunt velle.

tia genita; quia tamen intellectus in actu primo præcedit voluntatem in actu primo; ita etiam intellectus in actu secundo per *Dicere*, præcedit voluntatem in actu secundo per *spirare*: vnde infertur, quod ordo talis ibi est secundum ordinem potentiarum solummodo: quo stante non infertur, vt Verbum per talem solummodo ordinem producat Spiritum sanctum; non enim ex tali præcedentia infertur necessariò spiratio Spiritus sancti, nisi loquendo de facto, & gratia materiæ. Scot. 1.d.11.quæst.1.litt.B. C. & 12.quæ.1.vn.

17 His autem probationibus minime concludentibus, probat sic Scotus intentum. Habens principium producendi perfectum antequam intelligatur habere terminum productũ potest per principium illud producere, si non est impeditum: sed Filius habet voluntatem fœcundam tãquam principium productiuum amoris, & habet eam, antequam intelligatur productus Spiritus sanctus; ergo potest per eam producere Spiritum sanctum: sed si potest producere, ergo producit, quia in diuinis ad intra *posse non differt ab esse*, ergo Filius producit Spiritum sanctum. Item Filius præcedit Spiritum sanctum, quia qualis est ordo potentiarum intellectus, & voluntatis, talis est ordo Verbi producti, & Spiritus sancti spirati: sed in illo priori Pater communicat Filio omne quod habet, excepta paternitate: communicat autem inter cetera, voluntatem fœcundam, seu vim spiratiuam, eandem numero quam habet ipse Pater, ergo Filius spirat simul cum Patre Spiritum sanctum; Confirmatur denique irrationabiliter dixisset Christus discipulis Ioann.22. *Accipite Spiritum sanctum*: probat: seq. dare Spiritum sanctum est declarare rem datam procedere ex Dante, & Donante, ex dictis: Filius dat Spiritum sanctum, ergo spirat Spiritum sanctum.

18 Non est vero prætereunda modestia, & pietas, atque reuerentia Scoti in sanctos, tum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ, Doctores; sic enim loquitur d.11.quæst.1.litt. A. *Si forte duo sapientes, vnus Græcus, alter Latinus, & vterque veritas amator, & non propriæ dictionis, de hac contrarietate disquirerent, pateret vtique tandem ipsam contrarietatem non esse veraciter realem, sicut est vocalis; alioquin vel ipsi Græci, vel nos Latini sumus hæretici: sed quis audet Damascenum, & Basilium, & Gregorium Theologum, Gregorium Nazianzenum Cyrillum & similes Patres Græcos arguere hæreseos? quis iterum arguet hæreseos Beatum Hieronymum, Augu. Ambros. Hylar. & consimiles Latinos? verisimile igitur est, quod non subest dictis verbis contrariis contrariorum sanctorum sententia discors; multipliciter enim dicitur, sicut hoc huius, sic hoc ex illo, vel ab illo: qua multiplicitate forte intellecta, & distincta, pateret contrariorum verborum non discors sententia*. Hæc Scot. Hoc stante, facile, vel conciliari explicari poterunt Patres ipsi, qui videntur inter sè discordantes, prout patebit in solut. argum.

Scoti modestia, & reuerentia in Sanctos vtriusq; Eccles. Docto.

ARTIC. III.

Vtrum quia expressis verbis non reperitur in scriptura Spiritum sanctum procedere à Filio, ideo sit negandum procedere ab eo.

1 VIderi minime traditum in scripturis, Spiritum sanctũ procedere à Filio, authoritas est Cyrilli Hierosolimitan. Catechef. 16. inquiens, *Dicemus de Spiritu sancto ea tantum, quæ scripta sunt; si quid autem scriptum non est, non scrutabimur, curiose: ipse Spiritus sanctus loquutus est scripturas. Ipse etiam de seipso dixit; quantum voluit, aut quatenus fuimus capaces. Dicantur ergo quæcunq; dixit nam quæ ille non dixit, nos non audeamus.* Insuper Dionisius cap.1. de Di-

Arguitur pro parte negatiua.

 uin. A

nin.Nomin. *Non est audendum dicere aliquid de substantiali diuinitate, præter ea, quæ diuinitus nobis ex sacris eloquijs sunt expressa*: at in scriptura non exprimitur, quod Spiritus sanctus à Filio procedat, sed solum, quod procedat à Patre, vt patet Ioann. 26. *Spiritum veritatis, qui à Patre pocedit*, ergo, &c.

2 Duo præstanda breuiter sunt: primum, an reperiatur in scripturis. Secundum vtrum valet hæc illatio, non reperitur, verbi gratia, in scripturis expressis verbis, igitur neganda erit processio Spiritus sancti à Filio.

Procedere à Filio habetur in scripturis. Declar. Ex Theologis.

3 Quoad Primum, primo dicendum, *Spiritum sanctum procedere à Filio, habetur quoque ex Sacra Scriptura.* Dicendũ secundo, *Et si Spiritus sancti processio à Filio non habeatur expressis verbis, habetur tamẽ quoad sensũ verborum.* Prima assertio probata remanet artic. præced. ex varijs scripturis adductis, vna cum Patrum expositionibus. Secunda autem assertio est aperte D.Thomæ 1. p. quæst. 36. art. 2. ad primum, vbi ait, *licet autem per verba non inueniatur in Sacra Scriptura quod Spiritus sanctus procedit à Filio, inuenitur tamen quantum ad sensum.* Et in responsione ad secundum inquit, *continebatur implicite in hoc ipso, quod dicebatur Spiritus sanctus à Patre procedere.* Diuus Bonau. in 1. di 11. artic. 1. quæst. 1. ad 4. inquit, *Ad illud, quod obijcitur, quod non reperitur in scriptura, dicendum, quod si verba non reperiantur, reperitur tamen sensus.* Atque Scotus in 1. d. 11. quæst. 1. ad 1. ait, *Dico quod Christum descendisse ad Inferna, non docetur in Euangelio, & tamen tenẽdum est, sicut articulus fidei, quia ponitur in symbolo Apostolorum: ita multa alia de Sacramentis Ecclesiæ non sunt expressa in Euangelio, & tamen Ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab Apostolis: et periculosum esset errare circa illa, quæ non tantum ab Apostolis descendunt per scripta, sed etiam quæ per consuetudinẽ vniuersalis Ecclesiæ tenenda sunt. Nec Christus in Euãgelio docuit omnia pertinentia ad dispensationem Sacramentorum, dixit enim discipulis suis in Ioanne, adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Multa igitur docuit eos Spiritus sanctus, quæ non sunt scripta in Euangelio, & illa multa, quædam per scripturam, quædam per consuetudinem tradiderunt. &c.* hæc Scotus.

Ex Ansel.

4 Confirmemus autem præfatam doctrinam ex Anselmo, & quidem Anselm. Epist. de process. Spiritus sancti cap. 14. inquit *Nos reprehendere non debent, quod dicimus, Spiritum sanctum procedere à Filio, quamuis his verbis non legamus, quoniam ex his, quæ pariter credimus, hoc consequi monstramus.* Item, *Cur nos reprehendunt, cum dicimus Spiritum sanctũ procedere de Filio? ideo, quia hæc verba non legunt, cum ex his quæ legunt, et credunt, hoc ex necessitate sequi intelligimus. Iudicent quoque ipsi quid potius suscipiendum sit, quamuis in sacra pagina taceatur vtrumque, an hoc, quod nos dicimus Spiritum sãctum procedere de Filio; quod ostendimus ex his consequi, quę veraciter credimus: an quod ipsi dicũt, Spir. s. aliter esse Patris aliter esse Filij: quod nec autoritate, nec ratione, nec ex his, quæ certa sũt, possunt ostẽdere.* Ex quib. verbis Ansel. arguit, dicendo, cũ taceatur vtrumq; quod procedat, vel non procedat à Filio, cur potius Græci alteram negantem partem suscipiunt, quam affirmantem? Cum vero suam ipsorum intentum nec ratione probare possint, nec autoritate, standum potius nobis affirmantibus illud, & ratione ductis, & autoritate.

5 Et cap. 17. sic pergit, inquiens. *Si error est, hanc credere de Filio Spiritus sancti processionem, ipsa diuina autoritas nos in errorem inducit: cum, & illa, ex quibus hæc sequitur processio, & quæ illam sequuntur, nos docet, nec alicubi, aut illa negat, aut quod illi repugnet, aliquo modo pronuntiat autoritas.* Stat ergo resolutio Ansel. circa prim. cap. artic. *quod quamuis his verbis non legamus procedere à Filio, tamen ex his, quæ pariter credimus, hoc consequi monstramus.* Et quod nullibi negatur talis processio Spiritus sancti à Filio in scripturis: quo fit, quod si error hic est, *Ipsa diuina authoritas nos in erro-*

rem

est inducit. inquit Ans. At impossibile est, Deum fallere, & mentiri; estque etiam impossibile posse diuinas scripturas mentiri, cum Scripturæ Sacræ anthor sit Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, hinc est, vt dicendum sit procedere quoque à Filio. Hæc quoad primum.

An valeat consequentia non reperitur in scripturis, ergo negandum.

6 Quoad secundum, Vtrum valeat consequentia ista, non reperitur in scripturis expressis verbis, ergo est negandum. In primis responsio adhibeda est scolastica; etenim Scholastici in vniuersum loquentes, negare solent hanc consequentiam, tum in Philosophicis, tum in Theologicis, vt verbi gratia, loquendo in philosophicis, *Non dixit hoc Aristoteles, ergo negandum?* loquendo quoque in Theologicis, in genere, *Non dixit hoc Augustinus, Magister sententiarum, scholarumque theologarum Principes D. Thomas, D. Bonauent. & Scotus, Alexander, Albertus, & huius generis, ergo erit negandum:* negatur potius consequentia, etenim si Aristoteles, quid philosophicũ tacuit, asseruit id fortasse Plato, cæterique Philosophi: si tacuit Augustinus, cæterique ex his forte nec tacuerunt alij; vnde cum id dixerint alij, inde erit authoritas desumenda. Dices, casum ponamus, nemine id fortasse dixisse, ergo erit negandum: Respondetur, negandum fore quoq; hoc consequens; Ratio autẽ vtriusq; consequentis negati, est axioma illud, quod *argumentum ab authoritate negatiue non tenet.* Hæc verò quæ dicta sunt in genere, applicando ad subiectam materiam de Spiritu sancto: dum arguitur à Græcis, non dixit hoc expressis verbis scriptura; ergo est denegandum, responsio prima iam datur, negando consequens, quia *Arguere ab authoritate negatiue non tenet.* Vltra quod plures sunt, tum Scripturarum, tum Cõciliorum, tumque Patrum authoritates, id fatentes, vt adduximus.

7 Respondetur secundo à D. Bonauent. dicente, *Argumentum non valet; non reperitur in scriptura, ergo non est verum; quia scriptura mos est quadam tacere propter insinuandam humilitatem: vnde Dominus nos volens erudire ad humilitatem, omne, quod suum est, Patri attribuit, sicut in Ioanne, Mea doctrina non est mea: similiter dicitur, Qui à Patre procedit, loquens de Spiritu sancto, & tamen ipse subiungit, omnia, quæ Pater habet, mea sunt, & ideo argumentum non valet.*

Respondetur insuper à Scoto, qui post plura, supra relata, ita scribit, *Dixit Christus discipulis suis, Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Multa igitur docuit eos Spiritus sanctus; quæ non sunt scripta in Euangelio: & illa multa, quædam per scripturam, quędam per consuetudinem tradiderunt: similiter diuersa symbola diuersis temporibus sunt edita contra diuersas hæreses de nouo orientes; quia quando insurgebat noua hæresis, necessarium erat declarare veritatem, contra quam erat illa hæresis: quæ veritas, & si prius erat de fide, non tamẽ erat prius tantum declarata, sicut tunc, contra errorem illorum, qui eam negabant.* Accedit demum, vt reliquos linquam D. Thomas, qui loco citato ait, *Licet autẽ per verba non inueniatur in scriptura, quod Spiritus sanctus procedit à Filio, inuenitur tamen quantum ad sensum, & præcipue, vbi dicit Filius Ioan. 16. de Spiritu sãcto, ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Regulariter etiã in Sacra Scriptura tenendũ est, quod id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi: etiã si dictio exclusiua addatur nisi solum in illis in quibus Pater, & Filius secundum oppositas rationes distinguuntur. Cum enim Dominus Matt. 11. dicit, Nemo nouit Filium, nisi Pater, non excluditur Filius, quin seipsum cognoscat: sic igitur, cum dicitur, quod Spiritus sanctus à Patre procedit, etiam si adderetur, quod à solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius; quia quãtũ ad hoc, quod est esse principiũ Spiritus sancti, non opponuntur Pater, et Filius: sed solum, quantum adhoc, quod hic est Pater, & ille Filius.*

8 Accedat denique Anselmus idem, qui eodem cap. 17. sic ait, *Si ergo opponitur, quia nusquam profert eã diuina authoritas, ideo non esse dicendã: Dicatur similiter; quia nusquam illam*

negat, nec aliquid dicit, quod repugnet, non esse negādam. Dicimus etiam quia satis illam affirmat, cum illa asserit, vnde probatur; & nullo modo aliquid significat, vnde negetur. Quo in loco duas adhibet responsiones, prima est quod dum Aduersarij opponūt, scripturas processionem à Filio non asserere, satis est, inquit Anselmus, quòd *Illam non negant, nec aliquid dicunt, quod repugnet*. Secunda, quod *satis illam affirmant, cum illa asserunt, vnde probatur, & nullo modo aliquid significat, vnde negetur.*

Cur in scripturis dicitur explicite de Patre & non de Filio procedere.

9 Posset vero obijci, cur est, vt expresse quidem à Patre procedere explicetur, non item à Filio, ergo nō procedit à Filio. Responsio iam tradita est ex Bonau. inquiens. *Mos est Scripturæ, quædam tacere propter insinuandam humilitatem: vnde volens Dominus nos erudire ad humilitatem, omne, quod suum est, Patri attribuit, sicut in Ioanne, mea doctrina non est mea &c.* D. Thomas citatus ait, *non inde excludi Filium*, idemque est sensus Scoti, & scholasticorum, & Patrum, Conciliorumque.

Anselmi luculentissima quæst. solutio.

10 Attamen ipsemet Anselmus rem hanc minutius discutiens sic loquitur, cap. 12. *Si autem quæritur, cum Dominus dixit, cum venerit Paraclitus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit cur non addidit, & à Filio, vel à me, si sic voluit intelligi?* Respondens autem ad quæstionem sic ait, *Non est hoc inusitatū in dictis illius, vt cū attribuit aliquid Patri, quasi soli, vel sibi, vel Spiritui sancto, velit in alijs intelligi, quod de vno loquitur; nam cùm dicit, Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguinis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est, nonne ipse Filius & Spiritus sanctus intelligendus est reuelasse cum Patre? Quoniam enim Pater non reuelat per hoc quia Pater est, sed per hoc, quia Deus est: & idem Deus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sequitur, vt quod reuelat Pater reuelet Filius, et Spiritus sanctus. Item cum dicit nemo nouit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare, (quasi solus Filius cognoscat, & reuelet Patrem, & solus Pater cognoscat Filium) intelligendum est ibi reuelare, & nosse tribus personis esse commune: quoniam non per hoc, quod alij sunt ab inuicem, sed per hoc, quod vnum sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, cognoscunt, & reuelant. Cum enim dicit, Patrem nosse Filium, & Filium nosse Patrem, & reuelare sè, & Patrem, aperte vult intelligi, quia Pater cognoscit Spiritum sanctum, & Filius noscit, & reuelat Spiritum sanctum, quoniam id ipsum, quod est Pater, & Filius, est & Spiritus sanct. Similiter cum dicit, Qui me videt, vide & Patrem, non est separandus Spiritus sanctus, quoniam qui videt hoc, vnde vnum sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non potest videre vnum de his tribus sine alijs duobus. De Spiritu sancto quoque dicit ad Apostolos, cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, (quasi solus Spiritus sanctus doceat omnem veritatem) cum nec sine Patre, nec sine Filio doceat omnem veritatem; Non enim per hoc, quia est Spiritus alicuius, scilicet Patris, & Filij Spiritus, sed per hoc, quod vnum est cum Patre, & Filio, idest, per hoc, quod Deus est docet omnem veritatem. Videtis igitur, quomodo in his, quæ posui, vni, quasi soli, attribui, ab alijs non possit personis separari. Multa huiusmodi in Sacra Scriptura legimus: vt quod de vna persona singulariter dicitur, indifferenter de tribus intelligatur: quidquid enim de vna persona pronuntiatur, de alijs pariter oportet personis intelligi, nisi cum de hoc, vnde aliæ sunt, vt dixi, ab inuicem obuiare cognoscitur. Quapropter cum credimus Spiritum sanctū de Patre procedere, quoniam Deus de Deo, idest, Essentia Spiritus sancti de Essentia Patris, quæ vna est, in tribus esse intelligitur, necesse est, vt de Filio eum similiter esse confiteamur.* Hucusque Anselmus, qui rem illā adeo conspicue: & minutatim discutit, vt nil amplius desiderari valeat.

ARTIC.

ARTIC. IV.

A quonam, qualiter, & Quando facta fuerit Additio Filioque.

Marci Ephesij allocutio ad Patres Conc. Flor.

1 Marcus Ephesius, qui Græcorum partes in Concilio Florentino tuebatur, in Sess. 3. ita aduersus Latinam Ecclesiam conquerebatur, *Scire inquiens, vos Patres amplissimi velim, nos de symboli additione verba esse facturos, quod neque vera, neque prorsus conueniens sit, quam sane constat nostri schismatis, ac diffidij præcipuam causam esse.* Et infra *A mutua erga sororem suam Orientalem Ecclesiam. beneuolentia, Romana Ecclesia iam defecerat, dogmaque sibi proprium finxerat, ac sibi perpetuo conseruauerat, quod neque literis relictum, neque ab vniuersalibus Concilijs celebratum, neque à Maioribus nostris susceptum, et prolatum fuerat: idque propterea soluenda nostræ amicitiæ causam, simultatumque nostrarum initium, dubio procul fuisse constat.* Et hinc aduersus Latinos verba Synodi Ephesinæ 1. tom. 2. cap. 33. iaculabant, quibus habetur, *Sancta Synodus definiuit, nulli in posterum, aliam Fidem, praeter eam, quam Sancti Patres Niceni exposuerunt, offerre, vel conscribere, vel componere fas esse, Eos vero, quia aliam fidem componere, aut proponere, aut ijs, qui ex Paganismo, aut Iudaismo, aut alio quocunque errore ad veritatis cognitionem redire volunt, offerre ausi fuerint siquidem Episcopi extite- int, ab Episcopatus gradu; si vero Clerici, à Clero alienos censendos esse: si autem laici, anathematis vinculo obstrictos teneri censuit.* Iactabant insuper aduersus eosdem verba illa Concilij Chalcedonensis act. 5. vbi dicitur, *Decreuit sancta, ac vniuersalis hæc synodus aliam fidem nemini licere proferre, siue conscribere, aut exponere, vel aliter tradere; sed eos, qui audent, vel componere aliā fidē, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud symbolū volentibus ad cognoscēdam se conuertere veritatem ex ritu pagano, siue Iudaismo, vel qualicunque heretico; eos siquidem Episcopi siue Clerici sunt, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clero: quod si Monachi, vel laici fuerint, anathematizari.* Hinc autem Greci ipsi Latinos, hæreticos, nedum schismaticos appellant. Insuper addentes, Orientalem Ecclesiam Latinos tolerasse, eo quod Latinorum genus maius, ac fortius esset: proptereaque Grecos à Latinis disiunctos esse, quia latini hæretici sunt: ac nequaquam fore Græcos cum Latinis reconciliandos, quousque additionem illam, *Filioque* non abolerent.

Quatuor obiecta græcorum contra latinos.

2 Atque hinc tria inter cætera obijciebant Latinis: primum, quod non poterant facere contra decreta Conciliorum, addendo particulam illam, *Filioque*; Secundum, quia non poterant, mutationem illam, seu additionem, facere absque conuocatione Concilij. Et Tertio, quod nec in Concilio poterant, quidquam statuere absque interuentu, siue inaudita parte Græcorum. Addetur & quartum, quod neque quo loco, quo tempore, quoue Pontifice facta fuerit talis additio, reperitur.

Additio an in 1. Conc. Gener.

3 De his autem singulis obiectis Græcorum est discurrendum. Incipiēdo vero ab vltimo, quæritur à quonam facta fuerit hæc additio. Et quidem neque in symbolo primi Nicæni Concilij, neque in pluribus aliis subsequentibus reperitur facta talis additio. Etenim in symbolo Nicæno de Spiritu sancto dicitur, *Credimus, & in Spiritum sanctum.* De eo namque ait Nazianz. Epist. 2. ad Clidoniū *Minus plene de Spiritu sancto dictum est, propterea, quod hæc quæstio nondum fuerat agitata.* Et Basilius Epist. 60. idipsum scribit, inquiens, *Propterea quod nondum comparerent bellum contra Spiritum gerentes: & non mota esset quæstio; sed adhuc credentium mentibus securus, nullis obiectus insidijs, in esset de Spiritu sancto intellectus Paulatim vero peruersa impietatis semina sese exeruerunt, &c.* Nulla ergo in

hoc

hoc primo Conc. mentio de processione à Filio.

An in 2. 4 Secundum Generale Concilium quod fuit Constantinopolitanum primum, ita cap. 7. de Spiritu sancto loquitur, *Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum.* Nec in hoc Concilio facta fuit mentio de processione Spiritus sancti à Filio.

An in 3. 5 Tertium, quod fuit Ephesinum nullo alio symbolo vsum fuit, nisi *Niceno* ex tom. 2. cap. 3.

An in 4. 6 Quartum insuper Chalcedonense Act. 2. cap. 3. 3. confirmat Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum.

An in 5. 7 Quinta Synodus Generalis Constantinopolitana secunda Colla. 6. idem præstitit, confirmans quoque id ipsum ijs verbis inquiens, *Non quod præcedentibus al quid deesset, adijcientes, sed de Spiritu sancto eorundem intellectum aduersus eos, qui Deitatis dominationem eius tentatur adimere, scripturarum testimonijs plenius manifestantes.* Ex his ergo vsque huc recensitis non habetur processio Spiritus sancti à Filio. Vnde ergo habetur?

D. Tho. responsio. 8 D. Thomas ad 2. respondet, *In quodam Concilio in occidentalibus congregato expressum fuisse authoritate Romani Pontificis.* At qualenam fuerit Concilium illud, non explicat.

Stanislaus Socol. 9 Stanislaus Socolouius in Annotat. ad cap. 1. Censuræ Orientalis Ecclesiæ, ait additionem hanc *Filioque* facta fuisse Symbolo Nicæno à Damaso Papa in Concil. Rom. prob. autem ex inde, quod cum literæ ad Patres Orientales missæ fuerint, vt Romam ad Concilium Romanum venirent: Cumque ob itineris non pauca incommoda Romam venire non potuissent, ad Concilium Romanum propriæ fidei confessi nem miserunt: quam inde Damasus in Concilio Romano approbauit, atque insuper addidit particulam, *Filioque*, hoc etiam probat ex Epist. ad Damasum, habita in Concil. Constantinopolitano; & in lib. 9. Histor. Tripart. cap. 14 atque ex Symbolo eiusdem Damasi, penes Hieron. tom. 9. siue ex Vgone Etheriano lib. 3. de process. Spiritus sanct. cap. 16. Verum, hoc alij confutant, eo quod Bellarminus de Script. Eccles. circa 9. tom operum Hieron. probat illud non esse Damasi, nec Hieronymi ad Damasum, sed Pelagij ad Innocentium, quod sequuntur etiam Recentiores, ex quibus Vasqu. 1. part. disp. 96. cap. 4. quod etiam confutat idem Bellarm. tom. 1. de Christo cap. 21.

10 Andreas Archiepiscopus Colossensis testatur factam fuisse tempore sextæ Synodi Generalis; inquit autem, *Maximo in Gallia, & in Hispanijs schismate imminente, cum iam ex Filioque, passim celebraretur, Romano Pontifici fuit necesse in multorum Occidentalium ampla dignitatis magnique Consily Patrum conuentu, addito ex Filioque, Symbolum magis illustrare.* Confirmari potest hoc, quod in sexta Synodo, Constantinopolitana tertia, in actione quarta ponitur secunda Epistola Agatonis Papæ, & Romanæ Synodi centum viginti quinque Episcoporum, quæ fuit, velut instructio legatorum, qui missi fuerant ad sextam Synodum celebrandam, vbi in professione fidei, inter cætera dicitur, *Credentes, & in Spiritum sanctum, Dominum, & viuificantem, ex Patre, Filioque procedentem.* Compertum est tamen corruptum fuisse hoc fidei exemplar, in pluribus namque exemplaribus non legitur, *Filioque.* Vnde conquestus de hoc ibidem fuit Iulianus Cardinalis, dicitur enim in ead. Epistola, *Hunc locum deprauatum fuisse conquestus est Iulianus Cardinalis in ea disputatione, quam habuit contra Græcos in Concil. Florent. & sublatam esse particulam, Filioque.* Quam deprauationem animaduertit quoque Emanuel Chaleca Græcus, ante Iulianum plusquam centum annis, in lib. aduersus errores Græcorum, vt notatur in Margine eiusdem Epistol. Quo stante sequitur, vt septima inde Synodus Generalis, Nicæna secunda Act. 7. in symbolo posuerit, *Qui ex Patre, Filioque procedit.* *Andreas Episc. Coloss.*

11 His tamen sic ventilatis, concludunt Vasquez loc. cit. & Suar. de Trin. lib. 10. cap. 1. pluresque alij, incertum *Vasq. Suar.*

certum esse, vbi, quando, & à quo, *authentice* facta fuerit talis confessio: dixi *authentice*, seu, *tanquam de fide*, quoniam ad Pontificem spectat, proponere, tanquam de fide vniuersaliter ab omnibus credendum: secretum, tanquam Doctor, hoc antiquitus docuit Athanasius in suo Symbolo, *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. At proponere hoc, tanquam publice, & ab omnibus credendum, tanquam de fide ad Pontificem spectat. Hæc quoad quartum caput obiectionum Græcorum.

Ad primū. 12 Ad primum autem respondendo, ait D. Thom. loc. cit. & de potent. quæst. 10. art. 4. ad 13. *Sicut posterior Synodus potestatem habet interpretandi symbolum à priori synodo compositum, ac ponendi aliqua ad eius explanationem, ita Romanus Pontifex hoc sua authoritate potest. &c.* & rursus; *Processio Spiritus sancti à Filio, implicite in symbolo Constantinopolitano continetur*; & infra, *Conueniens fuit*, vt in symbolo poneretur, non quasi additum, sed explicite interpretatum, quod implicite continebatur. Item exemplo confirmat, *Sicut si insurgeret heresis negans, Spiritum sanctum esse factorem cæli & terræ, oporteret hoc explicite poni, cum in prædicto symbolo, hoc non dicatur, nisi de Patre, &c.*

De voce Additionis quid Andreas theologus, 13 Circa tamen vocē *Additionis* Andreas Latinus Theologus penes Concil. Florent. sess. 6. contendit, illam non fuisse additionem, sed potius priscæ fidei declarationem: ita namque ait, *Omnis additio ex rebus extraneis fit; expositio vero, atque dilucidatio ab intrinsecis, ex ijs, quæ in eadem ipsa re insunt: sole clarius sequitur, cuiusuis scientia expositionem ex rebus his factam, quæ in eiusdem scientiæ subiecta materia sint additionem, vel augmentum neutiquam appellari debere, Nam que si nullam inter expositionem, & additionem, differentiam posuerimus, multa profecto nobis acciderint incōmoda; sacris enim literis additio facta fuisse videretur, & ad Nicænum symbolum secunda Synodus, accessionem fecisse censeretur, quam tamen constat fuisse professum quæcunque protulerat, à suis maioribus accepisse. Quemadmodum etiam Gregorius, cognomento Theologus, qui in eadem secunda synodo affuit, ad Cledonium scribens inquit, nos fidei Patrum sanctorum, qui ad Arianam hæresim euertendam Nicænam synodum celebrarunt, nil vnquam āte posuimus, neque quidpiam possumus præferre: et verum eiusdem fidei sumus, ac semper erimus, addentes tantum id, quod de sancto Spiritu ideo imperfecte prolatum fuisset, quod ante hac nunquam in controuersiam fuerat vocatum, an Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vna Diuinitas sit, ipsumque Spiritum Deum esse, nos oporteat credere. Et ex his verbis, Præstantissimi Patres, credere debemus, quam plurima fuisse à secundo Concilio declarata, quæ tamen minime diceremus additiones fuisse; nam in Nicæno symbolo Visibilium omnium, & inuisibilium: & Filium natum ante omnia sæcula: & in Spiritum sanctum Dominū, & viuificantem, neutiquam erant scripta, quæ licet ab ipso Concilio, symbolo fuerint addita, non tamen propterea putauit accessionem nouam ad symbolum ipsum fecisse, vt is beatus Gregorius testatur, qui nil aliud sentire profitetur, quam quod Nicæna synodus edidisset.*

14 Addit vero inde inquens, *Quinimo si diligenter vultis attendere vobis notissimum fiet, nullum Generale Concilium post primū celebratum fuisse, quod quidquam Nicæno symbolo non addiderit, aut, non ademerit ab eodem: Alterum enim Concilium illud Nicæni symboli, (ex substantia Patris) in Consubstantialem Patri secundum Diuinitatem, nobis autem secundum humanitatem, mutauerat, vt Euthychis hæresim euerteret. Apparet igitur manifeste cuiuspiam rei declarationem non esse additionem*, Et Rursus, concludens inquit, *Syllabæ igitur, & dictiones, quæ Nicæno symbolo videntur appositæ, nullam ad illud fecerunt accessionem, propterea, quod eundem symboli seruauerūt sensum.* *Idem.*

15 Responsiones alias de *Additione* tradenius artic. vltim. in responsione ad secundum argument. principale, ibi enim ostendetur, à qua additione sit abstinendum, & quænam possit adhiberi.

16 Ad

16 Ad secundum argumentum Græcorum, ait D.Thom.de Potentia loco cit. *Non est necessarium, quod ad eius expositionem faciendam, vniuersale Concilium congregetur, sed Romanus Pontifex sua authoritate potest.* Additque Bellarmin.supr.citatus, *Papa Romanus potest; etiam sine Concilio definire res fidei:* Ita habetur cap.28.

17 Ad tertium respondet D.Bonau.in corp.in fin.inquiens, *Eos vocare non fuit oportunum, quia Ecclesia sine eis poterat: Et quia erat laboriosum propter distantiam: Erat infructuosum propter insipientiam, quia iam non erat in Græcis sapientia tanta sicut olim fuerat, imò transierat ad latinos. erat periculosum, quia quod pro certo habendum erat, periculum, erat ducere in dubium.* Item dum conqueruntur non fuisse vocatos, dicendum, non esse certum, non fuisse vocatos, vt dicitur in Concil.Florent. dum namque ignoratur in quonam Concillio fuerit facta additio; ignoratur quoque an interfuerint Græci, nec ne. Addunt alij non fuisse necesse vocare eos, quia quæstio erat facilis, prout iam supra deducta fuit ex scripturis, Augustinus autem lib.4.ad Bonifac.cap.12. Pelagianis petentibus generale Conciliũ, respondit, non omnem hæresim esse talem, vt propter eam vexari debeant ad conueniendum de longiquis Regionibus Prouinciæ.

ARTIC. V.

De causis erroris Græcorum, & de statu eorum ex D.Bonau.

Liceat vero insuper adnectere, quæ idem Bonauentura eadem quæst. scribit de iisdem Græcis, ait autem in corpore quæst. *Negatio huius articuli venit ex triplici causa, s. ex ignorantia, ex superbia, et pertinacia, qa nec scripturam intellexerunt, nec habuerũt congruam rationem, nec apertam reuelationem. Ex superbia, quia eum reputarent se sciolos, & vocati non fuerint, noluerunt profiteri quod non erat per eos inuentum. Ex pertinacia, ne conuincerentur, & irrationabiliter moueri viderentur, inuenerunt pro se rationes cõtra veritatem, & ideo suam sententiam defendere ausi sunt, & authoritati Ecclesiæ Romanæ obuiare, & ideo facti sunt hæretici, quia negant fidei veritatem, & schismatici, quia recesserunt ab Ecclesiæ vnitate. Sed quia mos est hæreticorum, & schismaticorum, (cum non possunt rationibus communire) aduersam partem accusare, ideo nos accusant, & arguunt, tanquam curiosos, & tanquam excommunicatos: curiosos, quia si sine huius articuli professione salus erat, quare, ergo intromiserunt se Latini hoc perquiere, quod non fuit necessarium? sed adhoc patet responsio, quia oportunũ fuit propter periculum, in quod inciderunt. Similiter dicunt nos excommunicatos. quia symbola corrumpimus, in quibus per Sanctos Patres sub excommunicationis pæna hoc erat prohibitum: At ad hoc patet responsio per prædicta, quia non corrumpimus, sed perficimus: nec sententia lata est contra perficientes, sed contra corrumpentes. Vel potest dici, sicut dicit Anselmus, quod nouum edidimus, quod quidem facere potuimus Romana Ecclesia plenitudinem potestatis à Petro Apostolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia, nec interdictum ponere, nec arctare potuit, nec ei præiudicare, nec ligare eam ad aliquid. similiter dicunt nos schismaticos, quia à nobis incipit diuisio, cum enim hoc vellemus afferre, noluimus eos vocare: & ad hoc respondere potest pro latinis, quod eos vocare non fuit oportunum, quia Ecclesia sine eis hoc poterat, & quia erat laboriosum propter distantiam, & infructuosum propter ipsipientiam, quia iam non erat in Græcis sapientia tanta, sicut fuerat, imo ad Latinos transierat. Erat nihilominus periculosum, quia quod pro certo habendum erat, periculum erat ducere in dubium.* Et in responsione ad vltimum in fine quæstionis, ita concludit, inquiens, *Græci nempe antiquiores aliqui, non confitebantur*

nec tamen negabant, nempe procedere à Filio, *Sed modo*, inquit, *eorum maledicta progenies addidit ad paternam dementiam, & dicit, quod non procedit à Filio, nisi temporaliter: & ideo, tanquã hæreticos, & schismaticos Romana damnat eos Ecclesia.* Hucusque D. Bonau. is vero bene notat statum, & errores Græcorum, fuit enim testis oculatus eorum, qui ad Concilium Lugdunense vocatus, cõfutans errores eorum, ipsos quoque Græcos ab hoc errore reuocauit, & reconciliauit Ecclesiæ. En quale iudicium Seraphici Doctoris de Græcis. Accedit vero hinc Bellarminus cap. 3. inquiens. *Vsque ad tempora schismatis ita floruit Græcia uiris doctis, & sanctis, vt omnia Cõcilia generalia apud Græcos celebrata sint: post schisma autem, per annos fere 800. nullum habuerunt Concilium. nullum virum sanctum miraculis clarum, paucissimos homines doctos; latini vero, hoc eodem tempore habuerunt duodecim generalia concilia, & innumerabilia particularia. Item singulis ætatibus viros miraculis clarissimos, nouos ordines Religiosorum, plurimos homines doctos. Præterea hoc tempore fides latinorum propagata est accessione Indorum Orientalium, & noui orbis in Occidente: fides Græcorum minuitur quotidie in dies: Græci in Concilijs conuicti, ad nostram Fidem conuersi sunt quater, aut quinquies, & fortassis etiam sæpius et semper ad vomitũ sunt redierũt. latini vero semper in disputationibus superiores in eadem fide, & doctrina permanserunt. Denique apud Latinos Regna, et Imperia potentissima adhuc florent, Imperium vero Græcorum per Turcas Christi hostes euersum, ac destructum est penitus: ipsique omnes in miserrima seruitute degere, grauissimumque iugũ captiuitatis perferre coguntur. Ac vt intelligant causam exitij sui esse pertinaciam in errore de Processione Spiritus sancti, in ipsis festis Spiritus sancti capta fuit Constantinopolis à Turcis, Imperator occisus, & Imperium omnino extinctum, vt probat Gerardus Mercatus in sua Chronologia Ann. 1452.* & hucusque Bellarminus.

ARTIC. VI.

Occurritur argmentis primi artic.

1 AD primum negatur minor; constat enim ex allatis scripturis procedere etiam à Filio Spiritum sanctum. Respondetur etiam nihil esse tenendum de fide, nisi quod habetur in scriptura, vel quidem quoad verba, vel quoad sensum: velut, ait D. Thom. ad 2. *implicite, vel explicite: Continebatur autem implicite in eo, quod dicebatur Spiritus sanctus procedere à Patre*, Et D. Bonauent. ad 6. *Henrici multa, quæ erant implicicita fidei nostræ sua importunitate compulerunt explicare*. veritas autem hæc constat ex scripturis. Respondet tertio Scotus multa esse de fide, quæ tamen non sunt in scriptura, exemplum, cum D. Bonauentu. ad 6. affert de Christi descensu ad Inferos, qui non habetur in Euangelio, sed in symbolo Apostolorum, *Descendit ad Inferos*: Multa etiam de dispensatione Sacramentorum, inquit Scot. non sunt in Euangelio, & nihilominus tenenda sunt, quia Ecclesia tenet ea certitudinaliter, tanquam tradita ab Apostolis: & sicut Christus non omnia simul docuit discipulos, dicens, *Non omnia potestis portare modo, cum autem veneris ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, Ioann. 14. 16. ea vero de die in diem pro hæresum, & temporum oportunitate ipsemet Sanctus Spiritus reuelat Ecclesiæ, & Ecclesia tradit, & demandat fidelibus declarando, & determinando, vt amplexentur tanquam de fide: sicut iam de facto accidit, nouis namque insurgentibus hæresibus noua indicta sunt Concilia, in quibus magis, ampliusque declarata, & manifestata est nostra fides: ita quoque nouis insurgentibus motiuis, fuit inde declaratum Spiritum sanctum procedere etiam a Filio: quæ quidem decla- Ad primũ.

declaratio non fuit facta statim ab initio, quia tunc nō vrgebant, occasio & motiua, quæ inde tensim insurrexerunt pro hæresum confutatione, & exterminatione; primitus namque declaratum fuit in Nicæn. Concil. *Credo in Spiritum sanctum*: inde occasione porrecta, definitum in Constantinop. Spiritum sanctum à Patre procedere: ac denique nouis insurgentibus motiuis, tota res declarata fuit vt simul à Patre procederet, & à Filio, & veritas hæc, inquit Scot. prius quidem erat etiam de fide, attamen non erat tunc ab Ecclesia declarata, sicut nunc, propter errorem illorum, qui eam negabant.

Quare nō prius facta additio. 2. Ad secundum, iam constat quid dicendum; Etenim tempore Concil. Constantinopol. non vrgebat tale motiuum articulum hunc declarandi, sicut vrgere incæpit sequētibus temporibus, tunc verò sufficiebat solum declarare, à Patre procedere; inde autem vrgebat necessitas, vt declararetur tempore opportuniori procedere etiam à Filio: Quod tamen dicitur de imposito anathemate, ne tali Concilio fieret additio, vtique agebatur contra Arrium negantem consubstantialitatem Filij cum Patre: stante autem fide Concilij, quod Filius procedat consubstantialis Patri, & quod Spiritus sanctus consimiliter sit à Patre consubstantialis eidē Patri, vtique nihil adhoc est addendum, quod deroget consubstantialitati vtriusque cum Patre, alias incideretur in anathema, negando Spiritus sancti diuinitatem, & processionē à Patre: quod vero non sit addendum procedere etiam à Filio, hoc vtique non vetuit Concilium, nec fecit mentionem de eo Et hinc adest altera responsio, non valet ista consequentia, non dicit Concilium, & Patres procedere à Filio, ergo non procedit à Filio. nego cōsequent. quia *arguere ab authoritate negatiue non tenet*. Item additio prohibetur, quā vetat Concilium, est additio destructiua, non autem declaratiua Concilij: & in hūc sensum exponenda sunt verba Apocal. vlt. *Qui addiderit ad hæc, addat ei Deus plagas; quæ scripta sunt in libro hoc*; quod intelligitur de additione sensus destructiui ipsius sacræ paginæ Apocalypsis; quin potius tot in dies exeunt commentaria, ex quibus plura sunt piissime explicantia ipsam Apocalypsim Ioann. nihil detrahentes scripturæ: Quo etiam sensu intelligenda veniunt verba Christi Domini, quæ de Diui Francisci Regula protulit, inquiens, *Volo vt obseruetur ad literam, sine glosa*; quod quidem intelligitur de glosa destructiua Regulæ, non autem declaratiua: talis vero fuit declaratio inde facta ab Ecclesia de Spiritu sancto post Concil. Constantinopolit. dum namque Ecclesia addit, *Filioque*, vtique additio hæc fuit declaratiua ipsius catholicæ fidei, non destructiua; ideo nedum in anathema non incurrerunt, imme maxime Patres illi apud Deum meruerunt, pugnabant enim pro fide, quam Catholice in Spiritus sancti productione, & sanctissime, atque sapientissime docuerunt, quod si omnis in vniuersū prohibetur additio, quomodo igitur, & sub qua ratione facta fuit additio ad Concil. Nicæn. in Concil. Constantinopol. cum namque ibi agebatur solum de fide in Spiritum sanctum, dicendo, *Credo in Spiritum sanctum*, addidit inde Constantinop. *qui à Patre procedit*: quod si potuit Concilium facere additionem hanc potuit etiam inde Ecclesia, occasione porrecta, facere alteram additionem dicendo, *Filioque*: & hoc non est doctrinam peregrinam addere contrariam fidei, sed consonam fidei, & de substantia fidei: opposita est illa, quæ inhibetur, vt destructiua fidei, iuxta Apost. Galat. 1. *Si quis aliud euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit*; & de hoc anathemate loquitur Concil. iuxta Apostolum. Vide sup. art. 4. num. 13.

D. Francisci Regula qualem glosam respuit

3 Ad Confirmat; id egit Pontifex, vt memoria relinqueretur posteris eorum, quæ acta fuerunt in tali Concilio: expedit enim habere certa antiquitatum testimonia, vt sciatur quid nam in vno quoque fuerit definitum Concilio; non autem intendebat

bat Pontifex particulam illam *Filioque*, excludere, & reprobare, sed posteritati relinquere eatenus, quatenus in illo fuerint decretata Cōcilio. Ad tertiū, responsio patet, ex art. præc.

4 Ad Patres in vniuersum primo Scotus, vt supra, ait inter latinos, & græcos esse controuersiam verbalem, non realem, loquendo quidem de Doctoribus sanctis, prout eos nominatim ipse recenset; vide sup. art. 2 sensus Scoti esse poterit, quod Damascenus, alijque Sancti Patres Græci si forte id non ita expresse confessi fuerint, nihilominus parati erant id ipsum asserere, quod asseruit Latina Ecclesia, si tunc, tempore eorum fuisset talis veritas, ita aperte determinata: vnde est, vt virtualiter saltem, & implicite sentiebant tunc, id quod nunc latini sentiunt post declarationem explicite: quapropter ex tali implicita credulitate remanet verū q̄ docet Scotus, inter sanctos græcos, & latinos fuisse controuersiam non de rè, sed de nomine: quæ tamen controuersia, non quidem sola verbalis, sed vera, & realis extat modo, & extitit lōgo tempore cum græcis alijs, non quidem sanctis, & sapientibus, sed schismaticis, & insipientibus, volunt enim sapere plusquam oporteat sapere, contra verum sensum, & catholicam doctrinam Sāctæ Romanæ Ecclesiæ.

Ad Patres in genere.

Idem.

5 Secundo, responsio vniuersalis est ad omnes, vt negauerint à Filio procedere, tanquam à sè, sic enim procedit à Patre, qui spirat à sè: procedit autem à Filio, tanquam ab habente vim spiratiuam ab alio, quoniā licet ipse Filius spiret, nihilominus spirat ab alio, virtute recepta à Patre. Tertio, non procedit à Filio, tanquam à fonte, Pater namque est fons primarius diuinarum productionum. Quarto, negant procedere à Filio, tanquam à primario principio, Pater enim est principium primarium totius Trinitatis ex August. Quinto, à Filio negatur procedere authoritatiue, quia talis prima authoritas est in Patre: procedit autem ab eo subauthoritatiue, vel quasi subanthoritatiue: hæc vero intelliguntur semotis imperfectionibus dependentiæ, alteritatis, & sine præiudicio diuinæ æqualitatis Filij cum Patre, & huiusmodi, hæ sunt generales interpretationes, quibus exponi possunt Patres Græci, vt consonare videantur cum latinis.

6 Cæterum deueniendo ad singulares eorum authoritates, ad illud *de fonte*, ex Dyon. sensus est, vt nomine fontis intelligat Patrem, quatenus est principium omnino primum habens vim spiratiuam à se ipso, quam vim spiratiuam merito possumus appellare fontalem in Patre, quia eam nō habet ab alio, & vt sic Filius vtique non est fons: possumus nihilominus eum vocare fontem de fonte, pro vt sic eum appellat Epiphan. hær. 69. dicens, *fontem de fonte*: sicut etiam, ait, *Deum de Deo*. Ad Basil. loquitur de vi generandi, non autem spirandi: & quidem vis generandi adeo est sola Patris, vt eam Pater non communicet Filio; itaut circa eam minime conueniant, & propterea in hoc nihil Filius habet commune cum Patre: & in hoc eodem sensu loquitur Nazianz. dicens, *omnia, quæ habet Pater, habet Filius, excepta causalitate*, idest, excepta virtute generatiua Verbi ad intra: quo itidem sensu, & alio superadiuncto loquitur Damascen. *omnia, quæ habet Pater sunt Filij, hoc solo excepto, quod Filius ingenitus non est*; Pater quidem solus est ingenitus, Filius vero solus genitus; & in hoc Filius non habet quid commune cum Patre: ceterum loquendo de virtute spiratiua, ea est communis Patri, & Filio.

Ad Patres in speciali.

7 Ad Damascenum, D. Thom. de pot. quæst. 10. art. 4. ait Damascenum descendisse in sententiam Theodoreti, ac Græcorum, vt verè negauerit procedere à Filio. Verum obstat contra hoc, quia Theodor. negat omnino procedere, & à Filio, & per Filium: at Damascenus licet negauerit ex Filio, tamen concedit procedere per Filium; ergo non negat spirare etiam, & Filium. Hinc est, vt Scotus benigne interpretur Damascenum, tum in principio illius quæst. tum in resp. ad 1. quapropter obseruandum

Damascen. quid.

vādum, quod Damasceno visum fuit particulam à, vel ex, denotare primarium omnino fontem, primumque omnino principium suppositale spirans: verum quia noverat id non esse Filium, sed Patrem, ideo ait, *Ex Patre dicimus, ex Filio non dicimus*; at quia æstimauit dictionem *per*, denotare suppositum producens per virtutem receptam ab alio, vt à Patre, ideo potius dixit, *Spiritum sanctum per Filiū dicimus, ex Filio non dicimus*; & sensus hic catholicus est: & eo mediante astruere intendit Spiritum sanctum spirari etiam à Filio, licet solo nomine differat, dicendo, *per Filium*, & de hoc infra in propr. quæst. Confirmatur, quia ipsemet cap. 9. inquit, *Omnia, quæ habet Pater sunt Filij, hoc solo excepto, quod Filius ingenitus non est*; en quomodo à Filio solum esse ingenitum excepit: cæterum omnia ei competere, ait, quæ Pater habet, at Pater spirat, ergo etiam Filius spirat, & cap. 18. Spiritum sanctum appellat imaginem Filij: & Spiritū Filij c. 12. comparatque ibidem *Patrem soli, Filium radio, & Spiritum sanctum splendori*, vt sicut Filius veluti radius promanat à Patre, veluti à sole, sic Spiritus s. à Filio veluti à radio, ex quibus colligitur non negare procedere etiam à Filio. Hinc respondens Scot. ad illud, *in Filio quiescentem*, ait, quod loquendo de voluntate, quæ est principium spirandi, vtique ea communicatur à Patre Filio, & per eam ambo spirant: & talis communicatio sub ratione principij spiratiui quiescit in Filio, quia non communicatur vlterius sub ratione voluntatis, licet eadem voluntas essentialis communicetur etiam Spiritui sancto in sè.

Præpositio per explicatur. 8 Ad illud eiusdem Damasc. & Hilar. *Per Filium dicimus, per Vnigenitum tuum est, &c.* Expendenda est præpositio illa per; etenim ait Scot. 1. d. 12. quæst. liter. C. distinguenda est; vel namque construitur cum verbo transitiuo, vel intransitiuo: primo modo denotatur in suo casuali subauthoritas in ratione principij productiui recepti ab alio; vt Pater per Filium: & quidem virtus creandi ad extra est in Filio, sed communicata à Patre, & per eam, vna cum Patre creat, & ipse Filius: pari modo hic, Filius recipit vim spiratiuam à Patre, Patrisque vis spiratiua transit quoq; in Filium, non tamen abscedendo à Patre: dum vero eam recipit à Patre, dicitur per Filium spirare Pater, ipse quidem Pater authoritatiue, Filius subauthoritatiuè. Secundo modo denotatur in suo casuali auctoritas: & id vel efficientiæ, vel in genere causæ formalis: exemplum primi ex illo Gen. 2. *Possedi hominem per Deum*: exemplum secundi, *homo sapit per sapientiam*, quidquid tamen sit, dum Damascenus, & Hylarius vtuntur præpositione illa *per*, denotat quatenus cadit super Filium, sub authoritatem in ipso Filio, nempe virtutem spirandi non quidem authoritatiuè in Filio, quia eam non habet à sè, sed subauthoritatiuè in Filio, quia est à Patre communicata ipsi Filio. Talis vero subauthoritas femouenda est ab imperfectionibus dependentiæ, & inæqualitatis: quod si Basilius 3. contra Eunom. dicat, *Spiritum sanctum esse dignitate secundum à Filio cum ab ipso habeat esse, immo & dependeat*; vtique verbum *dependere*, idem importat ibi in hac materia, ac *produci*; sed motis imperfectionibus, sicut, cum idem scilicet contra eund. vocat Spiritum sanctum *Verbum, & imaginem Filij*, vt significet idem, ac processionem Spiritus sancti à Filio, subauthoritas ergo erit in Filio, & authoritas in Patre, absque tamen detrimento æqualitatis, cum Patre, denotata solummodo prioritate, & posterioritate originis. Scio D. Thomam 1. p. quæst. 36. art. 3. admittere propositionem hanc, *Spiritus sanctus procedit per Filium*; ratio, quia ea reperitur penes tot Patres, Damasc. Hylar. plerosque alios Græcos, & Latinos, immo, & in Concil. Florent. in hær. vn. nihilominus sensum, & si bonum possit habere iuxta dicta; tamen ne propter ambiguitatē vocabuli crederet aliquis ly *per* dicere circumstantiam instrumenti, & ministerii, quasi Filius sit Patris instrumentum, ideo per modū loquendi Latinorum per particulam à vel ex, clarius, & expressius declaratur,

tur, & exprimitur processio Spiritus sancti, talisque fuit mens Latinæ Ecclesiæ contra Græcos: eo maxime, quia particula, *per*, importare solet rationem instrumenti, quatenus Artifex scindit per securim, veluti per instrumentum: sicque videretur Verbum esse instrumentum Patris, non autem eiusdem naturæ, idemq; comprincipium spirationum cum Patre: modus autem Latinæ Ecclesiæ eruit nos ab his scopulis. At de hoc infra ex professo in propria quæstione, vtrum Pater spiret per Filium, quæ erit quæst. 10.

Ad ration. 9 Ad rationes, ad primam, non est par ratio; nam vna persona non potest pluribus productionibus produci, alias simul esset, & non esset, igitur necessario est vna: alias etiam Spiritus sanctus non esset vna persona, sed plures; cum alijs incommodis, quæ sequuntur sustinẽdo oppositum: at bene plures personæ possunt concurrere ad productionem vnius. Itẽ non sequitur, Creatura producta est vna, ergo producitur ab vna sola Trinitatis persona, cum opera ad extra sint indiuisa: ita quoque opus spirationis Patris, & Filij est indiuisum, & est à duobus, vnde non sequitur quod si spiratio passiua est tantum in vno, actiua quoque sit in solo vno.

Filius cur concurrat; cum Patre ad spirãdũ. 10 Ad secundum, non concurrit Filius, vt suppleat insufficientiam Patris; nam si de se solo esset Pater, vtique sufficientissimus esset, amando diuinam essentiam, ad producendum Spiritum sanctum: quemadmodum, ait Rich. de Sancto Victor. *Si vna sola persona esset, vtique ipsa sola sufficiẽs esset ad creandum mundum*: sed ideo concurrit Filius, quia iam reperitur communicata sibi eadem virtus spirandi antequam censeatur Spiritus sanctus spiratus: indeque fit, vt stante in ambobus eadem vi spiratiua, spirẽt simul Spiritum sanctum, de quo infra.

Verbum nostrum non spirat. 12 Ad tertium, verbum nostrum est imperfectum, quia est accidens, & non substantia: Verbum diuinum est perfectissimum, & substantia, immo, & Deus, meritoque potest Spiritum sanctum producere: verbo etenim nostro non communicatur, nec natura animæ, nec libertas voluntatis, Verbo autem diuino communicata est eadem Dei essentia, eademque voluntas fœcunda Patris, & ideo spirat.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Pater, & Filius spirent vniformiter: proprie, vel minus proprie: principaliter, vel minus principaliter, &c.

1 Vniformiter spirare opponitur ad spirare difformiter. Quæritur autē vtrū difformiter, vel eodem prorsus & vniformi modo spirent Spiritum sanctum: Verum quia vniformitas se tenere posset, vel circa virtutem spirandi, vel circa actū spirandi: vel tertio circa terminū spiratū, vel quarto circa modū spirandi, vel quinto, & deniq; circa ordinē spirandi, quēo bseruant Pater, & Filius, ideo singula discutiemus.

2 Circa primum, spirant vniformiter, quia vna, eademque prorsus virtus spiratiua est in amobus.

3 Circa secūdū, idē est iudiciū, quia vnico, eodēq; spirationis actu spirant.

4 Circa tertium adest quoque pariformitas, quia idem, vnusque est terminus spirationis, qui est Spiritus sanctus, est enim vnus, & non plures, idemque procedit à duobus.

Spirāt vniformiter ex multiplici capite. 5 Circa quartū, sunt quoq; pariformes, siquidē per modū voluntatis, spirat Pater, & Filius: amādo spirātivolēdo spirant, adest ergo his, consimilibusq; rationib. spectatis pariformitas prorsus in spirando.

An spirent vniformiter spectato ordine spirandi. 6 Circa vero quintum adest disparitas: & quidem, spectando spirandi ordinem, differenti modo se habent: Pater enim habet virtutem spirandi à sè, Filius habet eam à Patre: Pater spirat à sè, actum spirandi à sè habet, non communicata virtute spiratiua sibi ab alio; Filius spirandi actum producit quidem ipse Filius, nihilominus spirat ab alio, virtute recepta à Patre. Pater virtutem spiratiuam exercet in primo signo originis, spirat enim in primo signo originis, quia est in primo signo originis; Filius virtutem spirandi exercet in secundo signo originis, quia spirat in secundo signo originis. Adest ergo diuersus ordo spirandi, igitur remanet, vt in ordine spirandi non vniformiter spirent, & ratio, quia eo modo, seu ordine persona spirat, quo ordine habet esse: at Pater habet esse in primo signo originis, Filius in secundo; ergo Pater spirat in primo originis signo, Filius in secundo. Ita aperte Scot. in tot. tract. de Trin. & præcipue hanc quæst. sic decidit in 1. d. 12. q. 2. consulendi sunt quoq; formalistæ, sic exponentes Scot. & Scotistę commu.

7 Hinc Vasquez 1. part. d. 148. num. 10. non bene intelligens quid sit spirare in primo, & secundo signo, negat esse ordinem penes actum spirandi, adstruens solummodo eum in habendo vim spiratiuam. Sine ratione tamen id negat, non enim ponimus ordinem penes actum ipsum spirandi, quasi vnicus spirandi actus sint plures, est namque vnicus: & ordo talis nō est ordo signorum in quibus, sed à quibus, si namque Pater spiraret in vno signo, in quo non spiraret Filius, rationabiliter id negaret, verū quia spirant ambo in eodem signo *in quo*, licet in diuersis signis, *à quibus*, ideo sine ratione negat; per talē autē ordinem datur intelligi, solummodo quod Pater spirat à sè, Filius nō à sè, sed ab alio, virtute recepta à Patre: spirare autem à se, est spirare in primo *Vasq. arguitur de intelligentia Scoti.*

ſeo ſigno originis,& ſpirare ab alio,eſt ſpirare in ſecundo ſigno originis,vt cõmuniter docent cũ Theologis Scotiſt. & clarius habetur penes formaliſtas, de quo Mai.,1.,d.12,q.2.Baſ.1,d.12,q. vn.,ar.3,Marſil,Gabr.& amplius infra.

Non idem ordo inter Patrem generantem, & ſpirantem, ſicut inter Patrẽ & Filium ſpirantem.

8 Addit ibid.Sco.quod non eſt cõſimilis ordo inter Patrem generãtem, & ſpirantem,ſicut inter Patrem ſpirãtem,& Filium ſpirantem: ratio,quia inter generantem,& ſpirantem eſt ordo naturæ; inter vero Patrem, & Filiũ ſpirantem eſt ordo originis. Deſumitur vero ordo naturæ inter generantem, & ſpirantem ex ratione principiorum generationis, & ſpirationis, quæ ſunt intellectus, & voluntas; ſed inter intellectum, & voluntatem eſt ordo naturæ,ergo talis quoque erit inter Patrem generãtem, & ſpirantem; Inſuper quia generatio præcedit ſpirationem ordine naturæ; nam qualis eſt ordo inter potentias, ſeu actus primos,talis eſt inter actus ſecũdos: ſed inter intellectum, & voluntatem eſt ordo naturæ, ergo talis quoque ordo erit inter actum generandi, & ſpirandi,Dices,Scotus ibid.hunc ordinem appellat ordinem originis,ergo non erit naturæ: Reſpond.penes Scotum ordinem originis quandoq; confundi cum ordine naturæ, & in hoc caſu per ordinem originis intelligit ordinem naturæ,& hoc Scotiſtæ negare non poſſunt,alias admitterẽt ordinem ſolum originis inter intellectum, qui eſt principium generationis,& voluntatem, quæ eſt principium ſpirationis; cum oppoſitum ſit apertum etiam in Scoto,eſſe ordinem naturæ inter intellectum, & voluntatem: Adde quod Scotus ordinem, quem appellat,licet improprie,*originis*, deſumit ex ordine principiorum producendi, vt ibi patet, ſed principia productiua admittunt inter ſe ordinem naturæ, ergo inter Patrem generantem,& ſpirantem Scotus admittere debet ordinem naturæ, alias eſſet contrarius ſuæ doctrinæ, quapropter ibi confundit originis ordinem,cum ordine naturę,intelligendo originem pro natura: Vel ordinem originis ſumit pro ordine, qui eſt inter Origines,nempe generandi,& ſpirandi,ſed is eſt ordo vere naturæ.

Ordo Originis pro ordine, qui eſt inter origines.

Idem ordo diſcutitur.

9 Aliæ differentiæ inſurgunt inter vtrumque,quia inter Patrem generantem,& ſpirantem eſt ordo actus generandi,& ſpirandi; inter vero Patrem, & Filium Spirantem eſt ordo ſuppoſitorum, non autem actuum: patet primum, quia generandi actus eſt prior actu ſpirandi, ergo eſt ordo actus ad actum: patet ſecundum, quoniam eſt idem actus ſpirãdi in vtroq; ſuppoſito,ergo non eſt ordo actus ad actum, vnico exiſtente ſpirationis actu: eſt autem ordo inter ſpirantia ſuppoſita, quia prius origine ſpirat Pater,quia à ſè; Filius poſterius ſpirat origine,quia ab alio habet vim ſpirandi in ſecundo ſigno originis.Item ſigna interuenientia inter Patrem generantem,& eundem Patrem ſpirantem ſunt ſigna à *quibus*, & *in quibus*; ſigna autem inter Patrem, & Filium ſpirantem ſunt ſigna à *quibus*, non *in quibus*; prob.primum; ſiquidem generatio eſt in primo ſigno, in quo non eſt ſpiratio: quando namque Pater generat, non intelligitur ſpirare: tum etiam quia potentia generandi non eſt potentia ſpirandi: & intellectus præcedit voluntatem per ſigna in quibus; Igitur qualis ordo ſignorum intellectus ad voluntatem, talis ordo generationis ad ſpirationem; ergo ſunt ſigna,*in quibus*;patet quoq; eſſe ſigna à *quibus*, quia Pater generando vtrumque præſtat à ſè:probatur ſecundum,nam Pater, & Filius ſpirant in eodem prorſus inſtanti,ergo ſpirant in eodem ſigno, *in quo*: Itẽ per eundem numero actum ſpirant, ergo in eodem ſigno, in quo eſt ſpiratio Patris. erit quoque ſpiratio Filij: inſuper idem non eſt prius, & poſterius ſeipſo,ex Auguſt. & Anſelm. ergo idem ſpirationis actus Patris,& Filij nõ erit ſucceſſiue in alio,& alio ſigno *in quo*: reſtat igitur,vt ſit ibi ordo ſignorum à *quibus* dum vnus ſpirat à ſè,alter ab alio,ſpirare autem à ſè, & ab alio, eſt ſpirare in primo, & ſecundo ſigno originis. Idem currit penes operari ad extra, etenim creatio,& conſeruatio,& huiuſmodi cum fiant à tota Trinitate, fiunt etiã ordinate à ſingulis perſonis:ordo vero

Non eſt ordo actuum ſpirãdi. ſed modi, & ordinis ſpirandi.

ſigna à quibus in ſpiratione, nõ in quibus.

Signa in quibus, & à quibus in generatione, & ſpiratione.

ro non est signorum *in quibus*: cum *opera Trinitatis ad extra, sint indiuisa*; quod si opus omnium est vnum, & indiuisum, ergo in tali opere non erit ordo signorum *in quo*, alias vel idem esset prius, & posterius seipso, vel idem bis, vel ter produceretur; remanet igitur, vt sit ordo signorum *à quibus*: itaur Pater creet à se, Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque, id autem est, Patrem creare in primo, Filium in secundo, & Spiritum sanctum in tertio signo originis. Denique conuincitur, ordinem Patris, & Filij spirantis non esse ordinem actuum, sed suppositorum; quandoquidem si esset ordo actuum, sequeretur bis Spiritum sanctum produci; primo quidem à Patre per actum suum: secundo à Filio per spirationem suam: & simul haberet esse, & non esse: primum, quia mediante spiratione Patris reciperet esse: secundum, quia tunc iam Filius non produceret, quia iam haberet esse: quę omnia cum implicent, sequitur, vt vniformitas habeatur penes actum spirandi. Habeatur etiam penes terminum spiratum, cum sit vnica persona spirata, licet cesset vniformitas in modo, seu ordine spirandi penes diuisa supposita spirantia.

10 Probatur vero ex script. vt Ioann. 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, sed opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam facio semper*, Licet autē loquatur de opere Redemptionis, nihilominus indicat eundem operandi modum exercere in diuinis ad intra, quatenus virtutem spirandi dedit illi Pater: vnde Spiritum sanctum non spirat à sè, sed per virtutem receptam à Patre: Manifestius id declarat August. 15. Trin. cap. 17. inquiens, *Quia, & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur, hoc quoque illi Pater dedit, non dum existenti, & nondum habenti, sed quidquid Vnigenito Verbo dedit, gignendo dedit: sic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, vt Spiritus sanctus amborum esset.*

11 Obstatur contra dicta: August. 15. Trinit. cap. 17. ait. *Spiritus sanctus procedit à Patre principaliter*; quod si ita est, igitur à Filio non procedit principaliter, & consequenter non spirant vniformiter. Scotus refert responsioné cuiusdam, & inquit, *Dicit quidam Doctor, quod Pater spirat principaliter, & principalius, Filius autem tantum principaliter.* subdit inde Scot. *Alius autem Doctor, contradicit, quod non est ibi aliqua comparatio proprie dicta in aliqua forma vna, sed est tantum ibi comparatio in voce, sicut Michael dicitur Sanctior Dæmone, vbi est tantū comparatio secundū vocē, & nō secūdū rē aliquā cōmunē vtriq; extremo; sed illa forma est tātum in vno extremo*, hæc Scot. sensus est, quod D. Bonauent. aiebat, procedere à Patre. *principaliter*, & *principalius*, vnacū Marsilio. Contra vero hoc, obstatur, quia *comparatiuum supponit positiuum*, & comparatio debet fundari super vnitate formæ: non enim est bona ista comparatio, Michael est sanctior Dæmone, quia Dæmon non est sanctus: sed bene cadit comparatio inter duos sanctos, quorum alter sit altero sanctior; etenim forma sanctitatis iam reperitur in ambobus, penes quam sit henda comparatio: cum vero spirare *principaliter* non competat Filio, sed soli Patri, non erit valida comparatio dicendo, Pater spirat *principalius* Filio. Quidquid tamen sit, intentio D. Bonauent. erat ostendere Patrem spirare à sè, quod quidem non competit Filio, cum spiret virtute accepta à Patre, & hoc est, quod dicit Patrem spirare principalius, quo in loco errat Suar. qui 10. de Trin. cap. 3. responsionem hanc imponit Scoto: fallitur vero, cum solummodo eam referat de mente alterius, vt constat: & Marginistæ notant Alensem, Bona. & Varronem, quos tacito nomine Scotus citat in referendo illam responsionem, & impugnationem. Respondet vero ipse Scotus ad August. quod de mente Augustini idem est Patrem *principaliter* spirare, ac spirare *à seipso*: prout idem Augustinus semetipsum declarat, inquiens, *Ideo principaliter dixi, quia quod Filius spirat, hoc habet à Patre.* Cum hoc tamen, quod Pater principaliter spiret, non est inferendum, Filium spirare minus principaliter; tum ob rationem recensitam de comparatiuo; tum etiam quia suspitionem daret locutio illa, quod in Filio esset inæqualitas

Comparatiuum supponit positiuum.

Suarij impostura ad Scotum.

Principaliter. & minus principaliter spirare quid sit,

virtu-

virtutis in spirando: sed loquutiones sanctorum sunt cautè examinandæ, & intelligendæ, vt idem sit principaliter, ac non principaliter, seu minus principaliter, ac spirare à sè, & virtute accepta ab alio, sine tamen dependentia, & inæqualitate virtutis.

Obstatur. 12 Dices. Pater spirat principaliter, ergo Filius spirat minus principaliter: consequentia tenet, quia Filius non est Pater, sed distinguitur ab eo personaliter; ergo, & distinguetur in eo, vt spiret minus principaliter. Item Pater est prima persona, Filius secunda: ergo Patri competit spirare principaliter, Filio minus principaliter. Tertio virtutem spirandi Filius non habet principaliter à sè, ergo nec spirabit principaliter, sed minus principaliter. Quarto, Filius non spirat principaliter, quia non est Pater, ergo spirat minus principaliter.

Respondetur. 13 Respondetur formam hanc arguendi syllogisticam tenere *logicaliter*, non *theologicaliter*; Vnde logice loquendo, valet quidem inferre, fortes operatur, & non operatur principaliter, ergo operatur minus principaliter; Consequentia tenet, tum gratia formæ, logicè loquendo, tum gratia materiæ, loquendo physicè; Ratio, quia fortes, verbi gratia, distinguitur nedum personaliter, sed & essentialiter à Caio Patre: in ipsisque sicut reperitur diuersitas personæ, & naturæ singularis, ita, & diuersa virtus agendi cum dependentia vnius ab alio, &c. ac propterea Caius Pater esse poterit causa principalis: at in diuinis, & si Pater, & Filius distinguantur personaliter, nihilominus habent eandem communem naturam, communem virtutem, communemque spirandi operationem, ex quo fit, vt ratione talis identitatis dicatur quidem Pater spirare principaliter, at nullatenus asserendum, Filium spirare minus principaliter; nisi ad sensum datũ, quatenus Pater à sè, & Filius spirat à Patre. Sicque soluta sunt omnia obiecta; inferunt enim solummodo vnum spirare à sè, alium ab alio.

Forma arguendi aliquando tenet logice, non theologice.

Idem. 14 Ad obiecta vero in forma, respondendum non concludere *logice*, non *theologice*, in subiecta materia: multa namque sunt *logice* dicta, quæ non bene dicuntur *theologice*, vt præsertim Scotus passim insinuat.

15 Petes, vtrum Filius spiret *principaliter*, an non: si dederis primum, ergo spirabit à sè: si secundum, ergo spirabit minus principaliter. Respondetur, non spirare *principaliter* ad sensum relatum, etenim sic sumpto *principaliter*, quatenus indicat spirare *authoritatiue*, & *à sè*, nequaquam sic spirabit principaliter, inquit Henricus in summ. art. 54. quæst. 7. ad argument. & art. 160. quæst. 9. ad 2. spirare namque sic principaliter *à sè*, est solius Patris: at cum infers, non spirat sic, ad sensum relatũ, *principaliter*, ergo spirat minus principaliter, neganda est consequentia, sufficit enim, subdit Henric. *non spirare principaliter*, ergo art. 6. q. 9. liter. X. quia spirat, sed non spirat à sè. Ait aũt Bonau. Filiũ quoq; spirare *principaliter*: at loquitur cõparatiue, quia Pater, inquit, spirat *principalius*; nẽpè à sè, ille à Patre. *q. 2. in fin.*

Filius an spiret principaliter, an minus principaliter.

16 Stante autem, quod non sic spiret, nihilominus non est asserẽdum, Spiritum sanctum esse perfectius ab alio; magisque ab vno, quam ab altero; hæc namque, & similia indicant inæqualitatem naturæ, virtutis, & spirationis; quo pacto exploditur communiter Iau. llus, inquiens, *Potest dici Spiritus sanctus spirari magis à Patre, quam Filio*: quem præcipue impugnat Nazarius 1. part. q. 36. art. 3. dub. 1. Et contra eum facit Anselmus, Epist. de process. Spiritus Sanctus cap. 10. inquiens, *Spiritus sanctus cum procedit à Patre per Filium, procedit à Filio similiter*, idemque significauit Eugenius IV. in liter. vnion. dicens, *Filium esse principium Spiritus sancti, sicut, & Patrem.*

Spiritus sò an sit perfectius à Patre, quam à Filio.

17 Redeũdo autem ad principale intentum, non sequitur, vt Filius spiret minus principaliter. Qua occasione præbita, dicendum est, in diuinis abstinendum esse ab huiusmodi irrationabili comparatione, & sic de alijs irrationabilibus, quia denotatur inde inæqualitas: Addit Vasquez *Aduerbium comparatiuum non carere suspicione.*

Comparatio an in diuinis.

18 Confirmemus vero decisionem

nem totam peculiariter ex August. & Anselm. Et quidem August. 15. de Trin. cap. 17. ait, *Non frustra in hac Trinitate non dicitur de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater, ideo autem addidi principaliter, quia, & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur: sed hoc quoque illi Pater dedit.* Anselmus autem loc. cit. cap. 16 inquit *Si ergo dicitur, quod Spiritus sanctus principaliter, à Patre sit, non aliud significatur, quam quia ipse Filius de quo est Spiritus sanctus, à Patre habet hoc ipsum, vt Spiritus sanctus de illo sit; quoniam id, quod est, habet à Patre non quemadmodum in rebus creatis, cum aliquid asserimus esse principaliter, volumus significare, quod magis sit hoc, quod dicitur esse principaliter, quam illud de quo differtur.* Et paulo ante, *Quod si dicatur, inquit, quia Spiritus sanctus principaliter est de Patre, quasi magis sit de Patre, quam de Filio; Non ita dicendum est, vt intelligatur vlla prædictarum varietatum inesse, sed quoniam Filius, hoc, quod est, de Patre habet* constat ergo sensus assertionis.

Proprietarius quis sit.

19 Arguitur ex Hieron. epist. 88, *Spiritus sanctus proprie à Patre procedit.* si sic, ergo improprie procedit à Filio. Ad solutionem notat Scotus, naturam *Proprietarij* qualis nam sit: ait vero, *Proprietarius dicitur ille, qui in habendo rem, nullo modo dependet ab alio: Vsuarius autem, qui in vtendo re, dependet ab alio, non est propietarius.*

Vsuarius, quis.

Hæc semotis quidem imperfectionibus dependentiæ, & vsus applicat ad propositum, & inquit in tantum Patrē dici propriè spirare, inquantum virtutem spirandi non habet ab alio: Filius vero eam habet ab alio: licet vero Filius habeat ab alio, non tamen est dicendus improprie spirare, hoc enim diceret imperfectionem, & difformitatem in spirando, sed eatenus dicitur non sic proprie inquit Scot. *quia non habet à se, nec à se spirat, licet* subdit *proprie etiam Filius spirat, quia non improprie, nec imperfecte spirat, sed ita perfecte, vt Pater.* Quia tamen in Vsuario duo sunt; alterum, quod dependet à voluntate proprietarij, itaut pro libito possit proprietarius eum expoliare vsu rei: alterum, quod Vsuarius habet solum vsum, non dominium, nec essentiam rei; ista vero magnam dicunt imperfectionem, ideo, semotis imperfectionibus applicanda sunt ad nostrā materiam: & quidem Filius Dei non dependet à Patre; dependentia namq; est cum alteritate, & distinctione naturæ, Filius autem, & Pater sunt eiusdē prorsus naturæ, Item Filius non est Deus contingenter pro libito voluntatis Patris, sed est necessario, ex sui natura Deus, vnde dicit Apostol. Ad Philip. 2. quod *Christus non rapinam arbitratus est esse Filium Dei*; est namque Filius naturalis Dei; necessario genitus: genitus per intellectum, cuius opratio est necessaria, & naturalis: non genitus per voluntatem, nec contingenter, immo est ens necesse esse, & est impossibile aliter se habere, quo stante, omnia quæ habet, competunt sibi necessario, vt tum esse Dei, tum diuinæ perfectiones, tum denique virtus ipsa spiratiua: & hæc non potest Pater ab eo tollere prolibito voluntatis suæ cum ista necessario sibi insint; insuper nedum habet vsum virtutis spiratiuæ, verum habet quoque in sè, licet non à sè, ipsammet virtutem, naturam, & potestatem talis virtutis spiratiuæ, ita ut per eam spiret tanquam verus spirator, constitutus per eam in ratione veri spiratoris; quo fit, vt exemplum Scoti de *Vsuario*, & *Proprietario* sit sane intelligendum, prout diximus semotis vtrinque imperfectionibus: Atque hinc idem Hieronymus, seu quicunque sit author illius epist, subdit, *Spiritus sanctus propriè, verèque de Patre, Filioque procedit.* Quapropter, & si dixerat prius, procedere *proprie* de Patre, confessus quoque inde fuit, non *improprie*, sed *proprie* procedere etiam de Filio.

Spiritus s. procedit proprie à Patre, & à Filio.

20 Obstatur, Richar. 6. Trin. *Spiritus sanctus procedit à Patre mediate, & immediate, à Filio autem immediate.* Respond. quod hic nulla est difformitas, & differentia penes spirādi actum, cum in vtroque, & ab vtroque procedat ab eadem virtute, & æque perfecte ab vno, sicut ab vno, sicut ab alio: licet sit difformitas in modo, & ordine vt est dictum: Nunc vero additur immediatio & mediatio: & vtique ambo

Spiritus s. an à Patre mediate, an immediate.

sunt

sunt principium immediatum, tum quia eadem virtus est in ambobus; tū quia per eandem actionem spirant; tum denique quia sunt eiusdem essentiæ,& sunt vnum,& idem in diuina natura: quod si Richard. vocat Patrem principium non solum immediatum, sed etiam mediatum: inde quidem est, quia dum inter ipsum, & Spiritum sanctum intervenit etiam Filius, vtiq; appellat sic mediatum; quia vero virtutem,qua Pater spirat,non habet mediante alio, sed à seipso,ideo appellat quoque immediatum. de Filio etiam, vtique est immediatus,quia inter ipsū & Spiritum sanctum non mediat alius spirans. poterit quoque appellari mediatum, non quidem mediatione suppositi, cum nihil mediet inter sè, & terminum productum, sed mediatione virtutis, quatenus virtutem spirandi non habet à sè,sed à Patre, quam recipit generatione mediāte. At de hoc inquæst. seque ti.

21 Obstatur,ex Hilar.12.de Trin. *Spiritum sanctum, qui per Vnigenitum tuum est, promerear.* Responsio patet ex præced.quæst.art.3.num.9.& infra in propria quæst. Vtrum Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium.

Spiritus, s. quomodo prius à Patre. 22 Obstatur ratione,Pater prius producit; ergo Filius vel non producit, vel productum reproducit; sequitur, siquidem posterius Filius producit, ergo Spiritus sanctus est iam productus anterius. Respond. id sequi si ordo prioris, & posterioris esset,vel naturæ,vel tēporis:non enim Pater sic prius producit,sed prius solum origine: quo stante potest simul tempore,æternitate, & natura ab ambobus produci, non obstante priori, & posteriori originis: primæ,quidem prioritates faciunt, vt principium subsequens non possit producere,quia iam inuenit terminum productum; at priortas solius originis,hoc non præstat,sed solummodo indicat ordinem producendi, & non quidem ex parte producti, sed ex parte producentium, item vera sequela de prioritate signorū,in quibus non à quibus,vt est dictū.

Causa prima plus influit in effectum, quā secunda declaratur. 23 Obstatur,*Causa prima plus influit in effectum, quam secunda*; ergo Pater,qui est Trinitatis persona prima plus influet in Spiritum sanctum, quam Filius,qui est persona secunda. Anteced.patet ex prima proposit.de causis, & causatis, & ex 1.post.t.c.5. & 2.met.c.4. Respond. verum esse de *causis,& causatis,non de principijs, & principiatis*: ibi enim reperitur diuersitas naturæ, & virtutis,& virtus causæ primæ, vt est Deus, est perfectior virtute causæ secundæ, vt est creatura;quapropter non mirum est, si effectus,nobilius & principalius pēdeat à causa prima,quā à causa secūda:at in diuinis,Pater,& Filius habēt eandem Essentiam,eandemq;vim spiratiuam, & vtraque est infinita,& est æqualis in omnib.igitur æquanimiter & vniformiter spirāt,& non plus nec perfectius Pater,quam Filius:itē eadē volūtas,eademq; spirationis actio infinito conatu,& omnino çquali, est ab ambobus, ergo æquanimiter spirant,& nō plus vnus,quam alter. Propositio igitur illa est vera in causis,& causatis,non autem in principijs, & principatis,vt in Deo;in diuinis enim non est ratio causæ,& causati,sed principij,& principati. Denique est vera propositio non ad intra,sed ad extra.

Pater cur generet prius natura; & non spirat prius natura quā Filius. 24 Obstabis, vis generatiua est prior natura vi spiratiua; ergo Pater spirat prius natura,quam Filius;ergo non sola prioritate originis,ergo difformitas magis patet. Resp.concedēdo antec.& negādo cōseq. ratio,quia non est tantus ordo inter spirare Patris,& spirare Filij,quantus inter generare,& spirare, etenim comparando geneare ad spirare,est cumparare actus duarum potētiarum,intellectus & voluntatis, quæ profecto se præcedunt natura,meritoq;inter suos actus erit ordo naturæ,vt generare;& spirare; at loquendo de spirare Patris, & Filij,fit comparatio nō actus ad actū, nec potentiæ ad potentiam; cum sit vnica in ambobus volontas, & vnicus ambotum spirandi actus, sed fit comparatio spirantis ad spirantem per eundem prorsus actum, penes quē ea sola adest disparitas, vt Pater eum eliciat à se,Filius à Patre: hic in primo signo originis,ille in secundo signo originis.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio mediatè, an immediatè,

Agere mediate, vel immediate, mediatione virtutis.

1 Recolendum initio est, in quonam consistat ratio agendi mediate, id vero constitit ex primo Physic. & quidem duplici modo Agens aliquod dicitur agere immediate; tū immediatione, vel mediatione virtutis; tum immediatione, vel mediatione suppositi; immediate agere immediatione virtutis, *Est agere per virtutem formaliter in agente existentem, non tamen mendicatam ab alio saltem intra genus talis actionis*: huiusmodi est Deus, qui sicut in essendo, ita & in facultate operandi non dependet ab vllo; habet namque à sè quidquid habet. Dixi inde, *saltem intra genus talis actionis*, quoniam bene poterit etiam tale Agens dici agere immediatione virtutis, quamuis virtus hæc sit sibi communicata à Deo, dummodo tamen non sit communicata ab alia creatura in eo instanti actionis. huiusmodi est ignis, qui igniēdo se habet immediate immediatione virtutis, non enim obstat, quod communicata fuerit ei virtus à Deo, sufficit vero sibi communicatam minime fuisse à ligno, quod ignit. Hæc autem virtus sic immediate agendi terminari potest, & ad præsens, & ad distans: exemplum primi de eodem igne, qui per congenitum, propriumque sibi calorem, aquam immediatam excalfacit. Exemplum secundi, de sole, qui in altis existens, propria tamen virtute, inferiorem terram illuminat. Mediate vero mediatione virtutis agere, opposita immediationi, *Est per virtutem sibi accommodatū ab altero, siue distanti, siue proximo agere* Exemplum primi, vt luna, quæ mutuatum sibi lumen à sole, in aerem immittit; exemplum secundi, vt cum eadem luna in sphæram ignis sibi cōtiguam iaculatur.

Immediatione suppositi.

2 Immediate agere immediatione suppositi, tunc fit, *quando inter Agens, & passum, siue effectum, nullum aliud, siue singulare, siue suppositum intermediat*; E cuius opposito, mediate sic agere, est, *dum inter vtrumque mediat interiectum suppositum*. Primū patet in aqua abluente manum, dum inter hæc nil mediat: secundum, inter Artificem, eiusq; opus, inter quæ mediat securis. Addendū vero est, in immediatione suppositi, posse quidquā intermitti, dummodo tamen talis interiectio nec faciat agens distare à passo, nec impediat ipsius actionem, quod si distantiam causet, non appellabitur inde suppositi immediatio; contingit enim talis interpositio, nec tamen destruetur immediatio suppositi principaliter agentis, cuiusmodi se habet Deus, qui adhuc immediatione virtutis, & suppositi agit in in craturas immediate, licet inter ipsam causam primam, & effectum, mediat causa secunda. Impediet autem in creaturis ipsis talis interpositio immediationem, etenim securis medians inter agens principale, & effectum, facit suppositaliter distare agēs ab effectu, quam tamen distantiam nullum interiectum medium producit in Deo, quoniam Deus est intime præsens omnibus, nō sic agens creatū.

Immediatio suppositi duplex.

3 Contingit vero insuper, agens dici posse immediatum immediatione suppositi dupliciter, vel quidem

in *existendo*, vel in *agendo*: locum habere potest hoc in doctrina Scoti, quādoquidē sol existēs in Cælo, producit nihilominus aurum inuisceribus terræ: hoc autem casu dicitur agere immediate immediatione suppositi *in agendo*, ibi namque producit aurum, non tamen immediatione in *existendo*, quia ibi secundum essentiam non existit, sed longe distat. Exemplum vero vtriusque habemus in Deo, qui cum per immensitatem vbique existat, & vbique sit præsens, appellabitur agens immediatione suppositi in *existendo*; quia tamen est omnipotens, atque operari potens vbicumque voluerit, hinc fit, vt dicatur quoque agens immediatione suppositi in *agendo*.

Obijcitur, 4 Petes, dum inter causam primam, & effectum, mediat causa secunda, quonam pacto causa prima appellanda erit immediata effectui immediatione suppositi, ergo erit mediata, non immediata. Rursus si sit immediata, destruetur ordo causarum probatur, etenim ordo est, vt vna sit effectui immediatior, & propinquior, altera remotior, & mediata: hæc erit causa prima: illa secunda. Item si Deus esset causa immediata, superflueret causa secūda, quoniā adhuc ipsa est immediata, saltem immediatione suppositi.

Causam secūdam mediare inter primam, & effectum declarat. 5 Ad primum istorum respondetur, quod rigorose, & stricte loquendo falsum est, causam secundam mediare inter causam primam, & effectum, sensus enim esset, causam primam distare ab effectu, nec immediate attingere illum: Ad communem vero phrasim dicendi, quod *inter effectum, & causam primam, mediat causa secunda*, respondetur, sensum esse, eatenus mediare causam secundam, quatenus ipsa secunda cooperatur primæ: ergo mediatio dicit cooperationem. Est, & sensus alter, eatenus mediare, quatenus causa, in essendo, & cooperando dependet à prima, non enim habet esse, & virtutem cooperandi à sē. Et tertio est sensus, eatenus mediare, quatenus effectus prodocitur etiam à causa secunda, siue per causam secundam quam tamen causa prima sibi subordinat, vt effectus prodeat simul à secunda, & prima. Et hinc corruit opinio Ferrariensis, qui 3. contra Gent. cap. 70. ait, Deum agere quidem immediate, immediatione virtutis, non tamen immediatione suppositi, quia inter causam primam, & effectum, mediat causa secunda, vnde agere immediate immediatione suppositi excludit cooperationem alterius causæ, at exploditur ab omnibus, præcipue ex his, quæ diximus quid sit causam secundam mediare inter effectum, & causam primam.

6 Ad secundum, ordo causarum non stat in eo, vt secunda sit effectui propinquior, sed vt secunda dependeat à prima, & in tantum agat, inquantum mouetur à prima.

7 Ad tertium, vtique causa prima potest supplere vicem causæ secundæ, (loquendo quidem de causis extrinsecis, non intrinsecis) nihilominus Deus statuit, etiam causas secundas cooperari simul cum causa prima: vnde negatur consequens, quia stante decreto, & de facto non est superflua: & hoc non ex insufficientia virtutis causę primæ, sed ad ostendendam immensitatem suæ bonitatis, dum virtutem operandi communicauit etiam creaturis: & ne insuper sint otiosæ, &c.

8 Stante hoc de immediatione, & mediatione in ordine ad creaturas, consequenter, demptis tamen imperfectionibus, discurramus de productione Spiritus sancti, an Pater consimiliter, vt se habet ad creaturas se habeat ad Spiritum sanctum immediate.

9 Arguitur autem esse principiū mediatū, similis est processus Spiritus sancti, processioni imaginis creatę: at amor creatus procedit à mēte, mediāte intelligētia, ergo, & amor increatus à Patre, mediante Filio: ergo à Patre mediate. Cōfirmatur, quoniam imago repræsentat ordinem, & originem personarum. Itē spiratio conuenit Patri per sē, Filio autem per Patrem, ergo Pater spirat mediante Filio. Insuper Hilaris lib. 12. de Trin. ad Patrem loquens, ait, *Spiritus sanctum, qui ex tē per eum est, promerear*. Ergo Spiritus sanctus est à Patre per Filium, & consequenter mediate. Insuper *Argumentū in oppositum.*

per Richard. Victorin. lib. 5. de Trin. cap. 8. processionem Spiritus sancti, *appellat etiam mediatam.*

10 Ex opposito arguitur: sicut se habet per sè ad per accidens, sic se habet mediatum ad immediatum: at Deus, nullius, cuius est causa per sè, est causa per accidens, ergo nullius, cuius est principium immediatum, erit principium mediatum. Item nobilius est principinm immediatum, quam mediatum. Pater autem est nobilissimum principium. Insuper, dato Patrem esse principium mediatum, sequeretur, Patrem, & Filiũ non spirare vniformiter: probatur, etenim Flius immediate, & Pater spiraret mediate.

Spiritus s. à Patre mediate, & immediate ex Scholastic.

11 Ad quæstionem hanc Scolastici communiter respondenr, Patrem spirare immediate simul, & mediate. Resolutionem autem hanc desumunt ex Richardo loc. cit. vbi inquit, *Spiritus sancti productio est simul mediata, & immediata.* Explicans verò D. Bonan. in 1. d. 12. quæst. 3. artic. 1. inquit, *Mediata est, inquantum est à Filio, & Filius à Patre; sed immediata, inquantum ipse Spiritus sanctus ab ipso Patre spiratur.* Afferens autem exemplum de hoc, subdit, inquiens, *Exemplum ponitur in exitu Abel de Adam; Abel namque immediate exijt de Adam, quia è lumbis suis genuit eum; nihilominus exijt etiam mediate, quia exijt ab Eua, quæ fuit ab Adam, siue de Adam deducta.* Est vero sensus, Adam, & Eua genuerunt Abel immediate, etenim parentes sunt causa immediata prolis: at quia Eua formata fuit ex costa Adæ, hinc est, vt Abel dicarur genitus ab Adam quidem immediate, quatenus Adam fuit Pater eius: & ab eodem Adam dicatur genitus mediate, quia genuit eum per Euam, seu mediante Eua, quæ habuit esse ex costa Adæ. Sic pariformiter Spiritus Sanctus procedit à Patre quidem immediate, quia est vere principium eius; at etiam mediate, quia producit eum per Filium, qui Filius haber esse per generationem à Patre. Consentiunt D. Thom. 1. part. quæst. 36. art. 3 ad 1. & in 1. sente. d. 12. quæst. 1. art. 3. Alensis 1. p. quæst. 46. mem. 6. Richar. Durand. Aureol. Carthusia. pluresq; penes eum in d. 12. atque Henric. in sum. arti. 54. q. 7. & Recentiores tum ad 12. dist. primi sent. tum ad locum D. Tho. atque Scotus in 1. d. 12. q. 2.

Spiritus s. à Patre immediatione virtutis.

12 Singularius vero declarando singula, primo dicimus, *Spiritus sanctus procedit à Patre immediate immediatione virtutis* Probatur, Pater spirat à sè, ergo immediatione virtutis spirat Spiritum sanctum, tenet consequens ex iam dictis de natura immediationis virtutis: Habet Pater spirandi virtutem nõ sibi cõmunicatam ab alio, sed à sè, ergo sequitur vt spiret immediate immediatione virtutis

à Patre immediatione suppositi.

13 Dicendum secundo. *Pater spirat immediate immediatione suppositi,* Probatur, Deus est intime præsens omnibus creaturis ratione suæ immensitaris, ob quod à creatura nulla distat: hæc autem præsentialiras in causa est, vt operetur circa creaturas immediate immediatione suppositi; ergo cum Pater sit quoque præsens Spiritui sancto immediate, in causa erir, vt spiret eum immediate immediatione suppositi; Minor constat ex relatis de natura immediationis suppositi. Confirmatur, nedum Pater est intime præsens Spiritui sancto, sed est quoq; per circumiusessionem in Spiritu sancto, & habet eandem prorsus naturam Deitatis cum Spiritu sãcto, ergo spirat immediate immediatione suppositi. Denique virtus spiratiua; quæ est in Filio, est quoque eadem numero in Patre: Actio insuper spiratiua licet sit à Filio, est quoq; à Patre at à Filio procedit Spiritus sanctus immediate immediatione suppositi, ergo, & à Patre.

14 Dicendum tertio, *Quamuis Pater spiret immediate tum immediatione virtutis, tũ suppositi, nihilominus scholastici concedunt quoq; spirare mediate.* Assertio paret ex Doctoribus relatis. Rationes autem adhoc, adductæ iam sunt, penes D. Bonanent. quibus probatur vtraque pars; ac propterea ad bonum sensum relatæ, adaptari possunt ad assertionem. Præcipue vero exemplum allarum de Abele, qui immediate exiuit, vt loquitur Bo-

nauent.

cauent, ab Adam, atque etiam mediate immediate quidem quatenus fuit eius parens, & genitor immediatus, mediate etiam, quoniam exiuit etiam ab Eua, siue exijt per Euam, quæ Eua habuit esse ex costa Adæ, ita, & Spiritus sanctus est à Patre *immediate*, vt est probatum: est quoq; ab eodem *mediate*, quia est insuper à Filio, qui habuit esse à Patre, & vt sic dicitur spirari per Filium à Patre.

Mediatio qualis in Patre.

15 Dicendū tamen quarto, quod *Mediatio ista non est formalis, & rigorosa, siue stricta mediatio, sed erit mediatio late sumpta, & secundum quid.* Ratio, quia vbi intercedit verum mediū, ibi destruitur immediatio suppositi, patet in Artifice, instrumento, & operedum namque inter arcam, & fabrū mediat securis, faber minime erit immediatum suppositum arcæ, sed mediatum; immediatum autem erit securis: Filius vero non se habet veluti instrumentum ad spirandum Spiritum sanctum, Item instrumentum distinguitur essentialiter à principali agente: non sic Filius à Patre, sed solum realiter, &c, Mediatio ergo in eo consistit, vt in tantum dicatur procedere Spiritus sanctus à Patre, *mediate*, inquantum procedit etiam à Filio, qui quidem Filius fuit prius productus, atque eidem fuit communicata virtus spiratiua à Patre. Stat ergo mediatio in ordine productionum; nam prior fuit generatio Filij à Patre, inde spiratio Spiritus sancti, ergo vt sic, generatio, ratione ordinis, appellabitur immediata, & sic dicitur spirare mediate.

16 Dicendum quinto, *Spiritum sanctum procedere à Filio, etiam mediate, & immediate, at longe diuerso sensu ab assertione præcedenti.* Vnde est, vt procedat à Filio immediate quidem immediatione suppositi; Ratio, quia inter Filium, & Spiritum nullum mediat suppositum: procedit autem mediate mediatione virtutis, Ratio, siquidem spiratiuam virtutem non habet à sè, sed sibi communicatur à Patre, quod competit naturæ mediationis virtutis; ergo spirat mediate, quia mediante virtute sibi communicata à Patre.

17 Confirmat, quæ diximus, Gregor. Nissenus, qui ad Ablab. ita scribit, *Rursus aliam differentiam consideramus: nam aliud quidem continenter, (& sine medio) ex primo est; aliud vero per id, quod immediate, & ex cõtinenti est, vt Vnigeniti proprietas absque ambiguitate in filio maneat, & ex Patre Spiritum esse non dubitetur. Filio, qui medius intercedit, & sibi Vnigeniti proprietatem seruante, & Spiritum à naturali ad Patrem habitu non arcente.*

QVÆSTIO X.

Vtrum Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium.

Patres concedentes Spiritum s. esse per filium.

1 VSitata est penes Patres plures phrasis ista loquendi, *Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium.* Ita Cyrillus Alexandrinus lib. 13. Thesau. cap. 3. inquiens, *Spiritus sanctus nobis datus, conformes nos Deo efficit; & quoniam ex Patre per Filium prodit, patet, quod Diuinæ substantiæ est, &c.* Damascenus lib. 1. de Fid. cap. 15. *Spiritus sanctus potentia Patris est, Diuinitatis latebra: à Patre quidem per Filium procedens.* Hilarius, penes Scotum citandum, *per Filium dicimus; per Vnigenitum tuum est.* Tharasius Constantinopolitanus Antistes in literis suæ confessionis, quas septimæ Synodo legendas præsentauit, *Credo,* inquit *In Spiritum sanctum Dominum viuificantem, qui ex Patre per Filium procedit.* Maximus Abbas à Bessarione in Concil. Floren. relatus, orat. pro vnio. c. 6. ita habet, *Spiritus sanctus, quemadmodum natura secundum Essentiam Dei, & Patris est; ita, & Filii secundum Essentiam est, tanquam ex Patre essentialiter, per Filium ineffabiliter procedens.*

Concedebant Græci, negabant Latini in Conc. Floren.

2 Circa tamen præpositionem istam *per* valde controuersum, & disputatum fuit in Concil. Florentino à Græcis, & Latinis, vtrum admittenda esset in diuinis: etenim latini nolebant eam acceptare: adstipulantibus tamen eam ex aduerso Græcis: prout refertur ibi sess. 25. quapropter propositionem hanc *Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium,* amplexabantur Græci, negantibus ex aduerso Latinis.

discriminis causa Græcorum à Latinis.

3 Ratio vero discriminis inde ortum habebat, quoniam negantibus Græcis, Spiritum sanctum procedere à Filio, concedebant nihilominus procedere, *per Filium*; Quia tamen Latini, præpositionem *per* existimabant significare organum, & instrumentum, non autem principium verè spiratiuum, hinc negabant eam, ne daretur intelligi Filium esse organum, & instrumentum Patris, non autem vere principium productiuum Spiritus: quo etiam modo existimabat Arius, Filium esse instrumentum Patris ad extra in ordine ad creationem non autem verum principium creatiuum consubstantiale cum Patre, hæc ergo erat ratio discrepationis.

Authoritatiue Pater: sub authoritatiue Filius spirat.

4 Descendendo tamen ad Scholasticos, vtrum admittendam sit, Spiritum sanctum procedere per Filium? Scotus in 1. d. 12. quæst. 2. liter. C. ponderando præpositionem istam *per* sic scribit, *per idem patet ad Hylarium, quando dicit. quod Spiritus sanctus est à Patre per Filium; distinguitur tamen quod aliquid determinatum per hanc præpositionem (per) cum suo casuali, comparatur ad verbum transitiuum, vel intransitiuum; si ad transitiuum; tunc notatur in casuali huius præpositionis sub auctoritas, vt Pater creat per Filium: sed si absolutum, vel intransitiuum, tunc notatur in casuali huius præpositionis auctoritas; & hoc vel efficientiæ sicut, Homo viuit per Deum, vel causæ formalis, vt homo sapit per sapientiam.* A primo autem ad vltimum, sensus est, quod ly *per* dicit authoritatem in Patre, sub authoritatem in Filio. Authoritas autem ista non est, qualis reperitur in ordine ad creaturas, exercendo eam per imperium, & subiectionem, per dominium, atque seruitutem; hæc namque est inter

inæqua-

Authoritas & subauthoritas an in diuinis ad intra.

inæquales, vt inter Dominum, & seruum; superiorem, & subditum; & in his reperitur diuersitas potentię, potestatis, & naturæ: hæc vero longę sūt à diuinis; non ergo, vt sic, stat ibi authoritas, & subauthoritas, stat enim inter personas diuinas æqualitas, eademque Essentia, atque potestas; sed authoritas, & subauthoritas significat tibi ordinem, & modum producendi, vt Pater, eatenus dicatur authoritatiue spirare, quatenus spirat à se: Filius vero eatenus subauthoritatiue, quatenus spirat ab alio, per spirationem virtutem sibi communicatam à Patre.

Præpositio per quid significat.

5 Hoc stante, dicimus primo, Propositio *per* si denotet principium productiuum etiam in Filio, (licet subauthoritatiue) vtique concedenda esset: erit autem sensus, Pater spirat per Filium, quatenus Spiritus sanctus est etiam à Filio, qui tamen Filius vim spirandi non habet à sè, sed communicatam à Patre, seu Pater spirat per Filium, quia spirat simul cum Filio: vel denique, spirat per Filium, quatenus dedit vim spirandi etiam ipsi Filio. Ita cōmuniter Scholastici, Scotus citatus. Durand. in 1. d. 12. quæst. 3. Canariens, quæst. 76. ar. 3. D. Thom. ibid. & contra Gent. lib. 4. cap. 24. atque opusc. 1. cap. 23. Confirmatur ex consimili loquendi modo, & sensu, reperto in scripturis, & quidem Roman. 11. dicitur, *Ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.* 1. Corinth. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii sui.* 2. Corint. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei.* Ad Galat. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum. & Deum Patrem.* Genes. 4. *possedi hominem per Deum.* Prouerb. 8. *per me Reges regnant.* Præpositio autem sic accepta, denotat principium, & rationem à quo eundi ad extra, sicut Cyrillus etiam loquitur Cathech. 4. cap. 3. *Cum Patre simul regnans & per Patrem opifex*; ergo consimiliter in diuinis stare poterit præpositio illa in ratione principij spiratiui, & in hoc sensu conceditur à Latinis, & negatur à Græcis, & confirmatur ex Chrisostomo homil. 60. in Matt. 18. dicente, *Cōsueuit scriptura (per quem) nonnunquam (a quo) dicere, vt ibi Genes. 2. possedi hominem per Deum, non enim secundam quandam causam posuit, sed primam.*

6 Dicimus secundo, si præpositio hæc indicet circumstantiam causæ instrumentalis, negant eam Latini, & concedit eam Arius, asserens Filium esse creaturam, esseque instrumentum Patris in operando. aiebant namque differentiam esse inter *ex quo*, & *per quem*, nam *ex quo* significat Conditorem: at *Per quem* significat *Ministrum & instrumentum*. At *Per quem* significari quoque veram causam, non autem instrumentum, probatur ex illo Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, & Coloss. 1. *Omnia per ipsum creata sunt*. In specie autem de *Ministro, & instrumento*, ita confutatur ex Basilio, lib. de Spiritu sancto ad Amphil. cap. 8. loquens enim de Patre operante per Filium, ita ait, *Non quod auxilys vtatur ad operationem, neque quod particularibus permissionibus vnius cuiusque operis ministerium ipsi commissum sit: seruile enim hoc esset: & valde à diuina dignitate alienum, sed plenum est Verbum paternis bonis, & à Patre resplendens, omnia facit ad Genitoris similitudinem, si enim iuxta essentiam nihil euariat à Patre, nihil euariabit etiam iuxta potentiam; Quorū autem potentia æqualis est, eorum sane æqualis est omnino, & operatio. Christus enim Dei potentia est, & Dei sapientia: & sic per ipsum omnia facta sunt, & omnia per ipsum, & in ipsum creata sunt: Non quod instrumentali, ac seruili ministerio fungatur, sed quod velut Conditor paternam perficiat voluntatem.* Et infra *Patrem ereire per Filium, neque imperfectum Patris opificium, ac creationem declarat; neque infirmam Filij operationem ostendit sed vnitatem voluntatis explicat; Quare vox (Per quē) principalis causæ confessionē habet, &c.* Accedit Cyrillus lib. 1. in Ioann. cap. 5. inquiens, *Nec tamen, quia omnia, quæ sunt, per ipsum facta dicuntur, quasi alienæ voluntatis Minister credēdus est.* & Rursus, *Nec vna cum Patre in creando Filium idcirco intelligimus*, *Idem*

quia Pater ad creãdum impotens sit, sed quia propter incommutabilitatem, atque substantiæ identitatem natura coniunctus sit.

Idem

7 Item vero totam definit Eugenius quartus, qui in literis vnionis ita decernit, inquiens, *Declarantes, quod id, quod sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, Filium quoque esse, (secundum Græcos quidem causam) secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti sicut & Patrem.*

An Filius spiret per Patrem.

8 An vero, quemadmodum conceditur, Patrem spirare per Filium, ita concedatur, Filium spirare per Patrem? D. Thomas 1. part. quæst. 36 art. 3. ad 4. & 1. d. 12. quæst. vnic. artic. 3. negat, rationem affert, quia ad hanc conuersionem nedum requiritur diuersitas suppositorum, prout est inter Filium, & Patrem, sed etiam ordo virtutum, qui tamen non est hic, cum eadem omnino virtus sit in Patre, & Filio: vnde conceditur ista, *Rex operatur per Balliuum*, & conceditur quoq; sua conuersa, vt *Balliuus operatur per Regem*, quoniã in ambobus adest, & distinctio suppositorum, & virtutum. Ex opposito autem argui posset, fore concedendum, Filium spirare per Patrem. idque probatur ex consimili deducto ex Cyrillo Hierosolymitan. is namque Cathech. 4. cap. 3. loquens de Filio operante ad extra, ait, *Omnium per Patrem opifex*: quod si conceditur, Filium esse opificem, seu operari ad extra per Patrem, non videtur denegandum, operari quoque ad intra per eundem, ac proinde spirare per Patrem. Pro resolutione autem attendendum est ad sensum propositionis istius; nam in sensu relato a D. Thoma non potest concedi, prout nec ipse concedit, etenim non diuersa, sed eadem reperitur virtus in Filio, & Patre, quod non contingit in Balliuo, & Rege: At in sensu altro potest concedi, esset autem sensus, vt idem sit, *Filium spirare per Patrem*, ac Filium spirare *per virtutem sibi communicatam à Patre*; hic autem sensus est verus. Eodemq; sensu explicatur Cyrillus, vt eatenus appellet *Filium opificem per Patrem*, quatenus virtutem omnem ad extra accepit à Patre: at vero accepit à Patre virtutem etiam operãdi ad intra; ergo vt sic concedendum erit, spirare per Patrem. ita quoque sentit Durandus in 1. d. 12. quæst. 3. num. 7. & Canariensis 1. part. quæst. 36. art. 3. Et confirmatur ex illo Genes. 4. *Possedi hominem per Deum* atque Prouerb. 8. *per me Reges regnant, per me iusta decernunt*. Quibus accedit Molina: licet modus talis loquendi sit vix aliquando vsitatus, ac proinde à D. Thoma minime vsurpatus.

QVAE-

QVÆSTIO XII.

Vtrum ſicut Spiritus ſanctus eſt à Filio, & per Filium, ita ſit concedendum eſſe etiam ex Filio.

Damaſceni ſententia negatiua.

SPiritum ſanctum procedere, & à Patre, & à Filio, fuit iam ſupra demonſtratum: Nunc vero quærimus, verũ cõcedendum quoque ſit eſſe *ex Filio*. Ratio dubitandi fundamentum habet in Damaſceno, is namque lib. 1. de fid. cap. 15. inquit, *Filij quoque Spiritus dicitur non vt ex ipſo; ſed per ipſum ex Patre procedens*, & cap. 11. *Spiritum ſanctum & ex Patre eſſe ſtatuimus, & Patris Spiritum appellamus: at vero non ex Filio eſſe dicimus.*

Procedere, ex Filio probatur ex a ijs patribus.

2 Nihilominus eſſe etiam ex Filio concedunt aliunde Patres alij: nã Gregor. Nyſſenus homil. 3. ſuper *Pater noſter*, ait, *Spiritus Filij dicitur, quia ab eo accipit, ab eoque procedit, & ex eo eſt, quemadmodum ex Patre.* & ibid. homil. 4. *Sanctus autem Spiritus, & ex Patre dicitur, & ex Filio præterea eſſe oſtenditur*, Cyrillus Alexandr. lib. 13. Theſaur. cap. 1. *Ex Filio autem naturaliter, ac eſſentialiter Spiritum ſanctum ſicut ex Patre, prouenire credimus.* Item ſeptima ſynodus Generalis ſeſſ. 1. cum Tharaſij confeſſionem approbaſſet, dicentis, Spiritum ſanctum procedere *per Filium*, ſubiecit inde in Symbolo, *Et in Spiritum ſanctum Dominum, viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit.* Quo in loco, duo inſinuaſſe videtur, vnum, nempe, procedere *per Filium*, ſicut id approbauit in confeſſione Tharaſij, & alterum, ſ. procedere *ex Patre, & ex Filio*: ex quo colligitur idem eſſe procedere *per Filium*, ac *ex Filio*. Quod ſi Damaſcenus concedit procedere *per Filium*, non intendit negare procedere etiam *ex Filio*, quod vero concedat procedere *per Filium*, authoritas eius adducta fuit quęſ. præced. aiebat namque loc. cit. *à Patre quidem per Filium procedens, &c.*

Damaſcen. non negat ex Filio.

3 At vero, ſi bene expendatur eius mens, non negabit procedere *ex Filio*, dũ cõceſſit procedere per Filiũ. Et quidẽ exiſtimans Damaſcenus prępoſitionem *Ex* dicere *modum producendi à ſe*, ſiue *principalitatem* vt loquitur Ægydius in 1. d. 11. quæſt. 1. ad 1. ſiue *authoritatem*, vt loquitur Scotus in 1. d. 12. quæſt. 2 non autem modum ſpirãdi ab *Alio*, nec modum ſpirandi *ſubauthoritatiue*, vtique hoc ſenſu negauit procedere *ex Filio*; Pater etenim eſt ille, qui ſpirat *à ſe*, veluti fons, & *principium Trinitatis, vt loquitur* Auguſt. lib. 18. de Trini. cap. 26. Filius autem *à Patre*, & hinc eſt, vt ad ſenſum hunc negauerit Damaſcenus procedere *ex Filio*; cæterum ſpectando præpoſitionem Ex in ratione principij ſpiratiui non negat produci ex ipſo Filio, etenim ipſe quoque Filius habet vim ſpiratiuam.

Confirmatur.

4 Confirmatur hoc totum ex diſcurſu Beſſarionis aduerſus Græcos, is namque vbi ſupra cap. 6. ex teſtimonio eiuſdem Damaſceni, hæc inter cætera loquitur. *Communis enim linguæ Græcorum vſus, cum per præpoſitionem, ex, principalem ſignificat cauſam, & Damaſcenum coegit, non ex Filio, ſed per Filium dicere, procedere Spiritum ſanctum & Maximũ, quod à Romanis dicitur, ex Filio procedere, idem ſignificare ſentire, ac ſi dicerent, per Filium procedere. Quanquã enim (ait) ex Filio Spiritum ſanctum*

prodire Romani asserant. præpositio autem. ex, principalem significat causam, non tamen ideo, quia dicunt. vt talem causam significent, Filium esse. Damascenus etiam ex Filio quidem Spiritus, (inquit) minime est, per Filium autem conceditur, solus namque Pater est causa talis, videlicet, qualem ipsa ex. significat; quare talem quidem causam negant Filium esse: Præpositionem autem, Per, attribuunt Filio, per quam simul cum Patre causam, siue principium Spiritus sancti esse significatur. Quia enim (inquit Maximus) per eum prodit Spiritus sanctus, id est, vt alibi dicit idem Doctor, quia per eum procedit, ideo à Romanis ex Filio prodire dicitur; & Damascenus, ex Patre per Filium procedit, quæ omnia aperte Filium etiam significant, causam, seu principium esse, & tale principium, qualis est Pater, cum nihil imperfectum apud Filium sit, quanquam non principalem, &c.

5 Patet ergo, quonam sensu loquatur Damascenus: vnde dum *per Filium prodire* concedit, ex Filio *quoque procedere* non negat, ad sensum allatum, vtraque namque præpositio, per, & ex, principium denotant spiratiuum. *Præpositio per, & ex Principum denotat.*

QVÆSTIO XIII.

An Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus sancti, & spirent inquantum vnum.

Est communis Theologorū propositio Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus sancti, vt inde etiam patebit, nihilominus Durand. & Greg. Arimin. non concedunt eam nisi sub quadam modificatione, aiunt enim nō esse accipiendam in rigore, vt sonat, nec in sua proprietate, sed esse declarandam, & Durandus subdit esse magis propriam istam, in Patre, & Filio esse vnum principium, quo spirant, quam istam Pater, & Filius sunt vnum principium sic in 1. d. 29. quæst. 2. & Gregor. d. 12. quæst. 5. & quidem ita pro eis arguitur, primò quærendo quidnam importet nomen illud principii, vel nanque sumitur pro principio *quo*, vel pro principio *quod*, si primum, ergo potius debet dici in patre, & Filio est principium vnum, probatur, quia principium quo est vis, & potentia spiratiua, at ista est in Patre, & Filio, ergo dicendum, in Patre, & Filio est vnum principium spirandi, si secundum, ergo dicendū, Patrē, & Filium esse duo principia, & non vnum, probatur, nam sūt duo supposita, ergo sunt duo principia *quod*, siue quæ, nam principium *quod* enumeratur ad numerationem suppositorum, igitur à primo ad vltimum inpropriè dicitur, Pater, & Filius esse vnum principium Spiritus sancti.

2 Secundo, si propter vnicam vim spiratiuam Pater, & Filius sunt vnum, seu vnum principium spirandi, ergo Pater de se solo erit duo principia, probatur habet in se vim generatiuam, & vim spiratiuam; Confirmatur multiplicantur principiandi rationes quibus, ergo multiplicantur in eodē Patre principia quæ, vel quod, Insuper, si Pater, & Filius assumerent eandem numero naturam humanam, essent duo homines propter pluralitatem suppositorum, ergo dum Pater

ter, & Filius habent vnam vim spiratiuam erunt duo principia, probatur sequela, ideo essent duo homines non propter naturam humanam, quia esset v a, sed propter duo supposita, ergo, & hic. T rtio Concil. Lugdu. sub Greg. X. dicitur *Spiritum sanctum esse à Patre, & Filio, non absolutè ab vno, sed tanquam ab vno principio*. dictio autem illa, *tanquam* est diminutiua, itaut sit sensus, nō quod sint absolute vnū, sed se habent tanquam vnum, vel ad instar vnius, seu quasi vnum principium, ergo vera est sententia istorūm, quod locutio hæc est impropria, quod sint vnum principium.

3 Nihilominus veritas est iam certa a ud catholicos, & Theologorum communis, itaut propositio hæc Pater, & Filius sunt vnum principiū non sit impropria, sed proprijssima, & in rigore vera, ita Scot. t. d. 12. q. 1. lit. B. D. Thomas Bassol. cæterique sententiæ ij ibid. probatur contra Grecos ex Concil. Lugdun. & habetur in cap. fideli de summa Trin. & fid. Catholica, vbi dicitur, *Fideli, ac deuota pr fessione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter à Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, vnaque sp. ratione proced.t*, & infer us *Damnamus omnes, qui temeraria ausu præsumpserint asserere, quod Spiritus sanct. ex Patre, & Filio tanquam ex duobus principijs et non tanquam ex vno procedat*; fuit idem definitum in Concil. Floren. in litt. sanctæ vnionis, vbi habetur, *& ex vtroque scilicet Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit*. Probatur item auctoritate Augustini, qui 5. de Trinitat. cap. 14. ait Pater, & Filius sunt vnum principiū respectu S. iritus sancti, sicut sunt vnū principiū respectu creaturæ: Creatura autē est à Patre, & Filio, & Spiritu sancto, tanquā ab vno, non tanquam à distinctis, ergo sic tanquam vnum se habent ad Spiritum sanctum, idem habet de Ciuitate Dei cap. 25. & Anselm. monolog. cap. 12. & lib. de processione Spiritus sancti contra Græcos.

4 Probatur ratione contra Græcos Duran. propositio hæc non est vera in rigore per vos, ergo in rigore est falsa; ergo Concilium determinauit propositionem in rigore falsam, ergo proponit fidelibus credendum falsum. Item si modificatio aliqua est necessaria ad talem propositionem, ita ut de impropria reddat veram, & pro priam, vtique Concilium eam apposuisset, at proposuit simpliciter, & absolutè propositionē illam, ergo simpliciter, & in sensu proprio est intelligēda. Insuper Græci inferebant si Pater, & Filius producūt Spiritum sanctum itaut sit à duobus, ergo inquiunt est Spiritus sanctus à duobus: Occurrit Concilium, ac definit oppositum dicendo produci à duobus: tanquam ab vno principio. Item est in Patre, & Filio vna vis spiratiua, & vna numero spiratio, ergo sunt vnū principiū. Vlterius si in Patre, & Filio diuideretur vis spirā iua, vtiq; essēt duo principia quod etiam sequeretur si distinctis spirationibus spirarent, tunc enim ad distinctionem principij *quo*, sequeretur distinctio principij *quod*. verum quia est vnicum principium *quo* in ambobus, hinc est etiam vnicum principiū *quod*. Præterea ab ijsdem non producitur quid numeraliter multiplicatū; sed est vnus omnino terminus vtriusque spirationis: quare si concordant in vnitate principij, & termini, qua ratione multiplicabuntur inde principia, vt debeant esse plura?

5 Insuper multiplicatio concretorum non sequitur ex multiplicatione formarum, & abstractorum, nisi multiplicentur etiam & supposita; non enim sequitur, Franciscus habet plures scientias, ergo est plures scientes: cum namque non multiplicetur in eo suppositum, nec multiplicabitur concretum, licet multiplicentur formæ in concreto: ita viceuersa, licet in diuinis, penes spirationem, multiplicentur supposita spirantia, non tamen multiplicari necesse est concretum principij spirantis, nisi multiplicetur in ijsdem suppositis ratio, & vis ipsa spiratiua. Item dualitas principiorum, vt *quod*, requirit dualitatem principij *quo*: at vnum est principium *quo*, & vis spiratiua. Dualitas etiam principiorum vt *quod*, requirit dualitatem

Ad multiplicationē abstractorū ā sequatur multiplicatio concretorum.

tatem spirationis, seu actionis spirandi: est autem vnica spiratio amborum. antecedens patet, non enim vnicum suppositum agit simul duabus actionibus prouenientibus ab vna, eademque numero potentia; ergo si plures simul habeantur operationes, vtrique prodibunt à distinctis operantibus: spirant vero vnica, eademque numero spiratione, ergo signum est, quod se habent sub ratione non multiplicis, sed vnius principij, vt quæ d. Denique antequam Spiritus sanctus intelligatur spiratus, Pater generando Filium communicat ei eandem fœcunditatem spiratiuā; ergo post quam est genitus, spirat simul cum Patre sub ratione eiusdem principij spiratiui. Adde, non spirant in quantum sunt vnum in Essentia, nec in quātum sunt vnum in persona; ergo in quantum sunt vnum in ratione principij. prob. primum, alias etiam Spiritus sanctus spiraret, quia est vnum in essentia cum cæteris personis: patet secundum, alias confunderemus, vel destrueremus Trinitatem, cū sint realiter distinctæ personæ; ergo sequitur inter m vel ... quatenus sunt vnum in ratione principij.

Probat. ex D. Thom. 6 Vltra hæc, quæ deducta sunt ex doctrina Scoti, probat insuper id ipsum D. Thom. 1. part. quæst. 36. art. 4. Nomen principij non habet determinatam suppositionem, sed confusam pro duabus personis. ergo est à duob. vti ab vno principio. *Ex alijs.* Probat OKam 1. d. 12. quæst. 1. Principium est quid constitutum ex Essentia, & spiratione: & hoc constitutum est realiter Pater, & Filius, licet non formaliter; ergo ambo sunt vnum principium. Probat Cameracensis, non en Trinitas est non en collectum ex tribus personis: ergo nomen principii supponit pro duab. personis. Guilie. Rub. 1. 12. 1. probat, sicut Trinitas est vnum principium respectu Creaturæ, quatenus sunt vnus Deus, ita hic, quatenus sunt vnus Deus, sunt vnum principium. Sed contra quia spirare inquantum sunt vnus Deus, posset etiam competere Spiritui sancto, quia etiam ipse est Deus; ergo aliunde est petenda ratio, vt est dictum.

Principiū, substantiuè & adiectiuè. 7 Vltimo animaduertenda est ipsa ratio principij, siquidem sumi solet pro formali: & est ipsa met relatio principiati ad principiū, & è conuerso: sed sic hoc non loquimur: sumitur & pro materiali, & hoc vel *substantiuè*, vel *adiectiuè* gramaticaliter: primo modo indicat concretum substratum talis formalitatis, & est ipsa ratio, seu virtus, & potentia principiandi, vt est vis spiratiua, quæ vere est principium, tum theologice, tum gramatice tentum: secundo modo indicat suppositum adiectiuum talis concreti, seu cui adiacet tale substantiuum, & circumfertur gramatice, sub hac ratione, *principians*, quod de sè est adiectiuum, sicut gramaticale nomen, *principium*, est substantiuum. Hoc supposito, Nomen numerale ponit suum significatum super primum determinabile: sed primum determinabile, est substantiuum principii, & hoc est vnum, quia vis spiratiua est vna, ergo tur principiū erit vnū: Nō ergo numerus est expetendus ex numeratione principii se tenentis *adiectiuè*, licet supposita sint plur., & ita quāuis sint duo supposita spirantia, quia tamen principium est vnum, hinc ipsa quoque dicentur principium vnum. Accedit, quod Pater, & Filius sunt vnus spirator, licet sint duo spirantes; quia licet multiplicetur adiectiuum suppositorum spirantium, nihilominus est vnum principium substantiuū virtutis spiratiuæ, & ob hoc, vnus spirator, vt infra. Quamuis autem multiplicentur adiectiua, quia tamen non multiplicatur substantiuum, ideo remanet ratio principii vnius, hoc ex Scoto.

8 Scotum notant plerique, vt Canariensis, & Vasquez disp. 148. asseruisse quæstionem esse tantum de nomine, & gramaticalem. Sed hi falluntur, vt contingit sæpius exteris nō callentibus doctrinam Scoti: nullum namque tale verbum dicit, de re hac: sed absolutè, & sine dubitatione vlla id docet, quod omnes Latini, & affert pro decisione Concilium Lugdunense, & cap. fideli, vt supra, vt patet lit. B in §. *In ista quæst.* in princ. inde vero, §. *Iuxta quæst.* quærit vtrum Pater, & Filius debeant dici vnus spirator, an duo *Canariens. & Vas. error de Scot.*

duo

duo spiratores: & pro re hac quidem docet esse recurrendum ad significatum gramaticale substantiui, & adiectiui, prout infra decidetur: sicut ad gramaticale significatum recurrunt cæteri Theologi decidentes istam de spiratore litem: non ergo in prima quæstione de principio, id docet Sco. sed in secunda de spiratore, & ob hoc falluntur,

Pater, & Filius vnũ principium quod, & quo.

4 Ad argumenta, ad primum resp. esse vnum principium *quo*, & vnum *quod*. Cum probas esse plura supposita, ergo plura *quod*, Respon. negando sequ. quia ad multiplicationem principij *quod*, requiritur multiplicatio principij *quo*, & non sufficit multiplicatio suppositorum; & ita multiplicantur quidem adiectiua, non tamen substantiuum, seu forma productiua, seu vis spiratiua, quæ si multiplicaretur in Patre, & Filio, vtique essent plura principia *quod*, & *quo*.

Principium, quod quando multiplicatur.

10 Ad secundum, nego sequ. quia ex dictis non sufficit multiplicatio formarum ad multiplicationem concretorum, sed requiritur etiam multiplicatio suppositorũ: at licet in Patre multiplicentur principia generãdi, & spirãdi, quia tamen non multiplicatur suppositum, ideo non erit duo producentia, sed vnum producens, vt patet de exemplo adducto de Artib. & sciẽtijs, quæ licet multiplicentur in Petro, non tamen dicetur Petrus plures scientes, sed vnus sciens ratione vnius suppositi scientis. Dices, actio est suppositi, ergo multiplicatis suppositis multiplicantur actiones: explicatio huius axiomatis habita est sup. Nunc autem ad argument. dicendum tunc multiplicari actiones ad multiplicationem suppositorum, quando multiplicantur etiam formæ, & principia talium actionum: at hic adest vnica vis spiratiua in ambobus, ergo, licet multiplicentur supposita, non tamen multiplicantur spirationes: exemplum, si vna albedo esset in duabus superficiebus, vtraquè superficies immutaret vnica actionẽ.

Multiplicatis suppositis agentibus, an multiplicẽtur actiones.

11 Ad illud de assumptione, essent vnus homo ratione vnius humanitatis & non plures homines: ad multiplicandum namque homines non sufficit multiplicatio suppositorum, nisi fiat multiplicatio quoque naturarum, quemadmodum multiplicatis personis Trinitatis, non sequitur multiplicatio Deorum, quia in eis non multiplicatur Diuinitas, quæ si multiplicaretur, vtique plura supposita Trinitatis essent plures Dij; ergo multiplicatis suppositis assumentibus eandem naturam humanam, non sequitur multiplicari homines: ita à pari licet supposita Patris, & Filij sint duo, non tamen sunt duo principia, quia non multiplicatur in eis virtus spiratiua.

Si plurẽs assumerent eandem naturam humanam, an essent plures homines.

12 Ad modum loquendi Concilii, ly *tanquam*, non se tenet diminutiue, sed declaratiue; est namque declaratiua modi principii, itaut Pater, & Filius si quæras quomodo se habeant penes Spiritum sanctum, Respod. se habere tanquam vnum principium spiratiuum; idest sicut vnum principium: est ergo modus declarandi, quo vtitur Cõcilium dictione illa, *tanquã*. quo etiam modo sumitur loquutio illa Ioann. *Vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre*: vbi *quasi*, non se tenet improprie, sed proprijssime, & eo in loco idem importat, ac verum Patris Vnigenitum, explicatum per ly, *quasi*, vel *sicut*, vel *tanquam*. quibus explicandi modis passim vtuntur etiam Scriptores.

QVAR

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Pater, & Filius spirent voluntate tanquam vna, vel tanquam concordi.

Henrici sententia.

1 HEnricus in summa art. 54. quæst. 6. sustinet Patrem, & Filium spirare *voluntate cōcordi*; cōcordant enim in voluntate spirādi, ideoque spirari dicūtur *voluntate concordi*. Consistit vero talis concordia in mutuo amore vnius ad alterum, seu in amatione, & redamatione vicendali: Vel in amando, & rependendo amorem. Hinc vero deducit, oportere eos concurrere aliquo modo, vt distinctos; Ratio, quia vbi reperitur concordia, ibi est & distinctio; quæ namq; concordant, signum est, quod sunt, siue fuerunt aliquo modo distinctæ Et hinc duo sequuntur, primū, quod considerati quatenus elicunt, seu spirant, & producunt, vtiq; non spirant, vt plures, nec vt distincti: secundo, quatenus concordāt in voluntate, seu spiratione, sic concurrunt, vt plures, & vt distincti. Infert vltimo, quod spirant non quidem voluntate, vt vna est omnino, sed vt aliquo modo in suppositis distincta, & vt concordi, cōcordia enim supponit distinctionem. Suadetur hæc sententia authoritate Richar. de Sancto Victo. qui 3. de Trinit. sic ait, *Intellectus diuinus perfectam fœcunditatem habere potest, prout existit in vna sola persona, ideo sufficit ad productionem Verbi, quoniam fœcunditas intellectus consistit in plenitudine sapientiæ, quæ potest esse in vnico supposito dicente, seu generante; voluntas autem perfectam fœcunditatem habere non potest, ad perfectā productionē Spiritus sancti, nisi sit in geminata persona.* idem repetit cap. 16. inquiens, *fœcunditas voluntatis consistit in plenitudine veri amoris, quia amor esse non potest, nisi in duobus ad minus.* Et ex eod. ibid. cap. 3 *Amor non potest esse iucundus, nisi sit mutuus*, ergo Spiritus sanctus non poterit esse iucundissimus Amor productus, nisi procedat à Patre, & Filio iucundissime, & reciproce diligentibus seipsos, & ita necesse erit habere aliquē, qui amorē impēdat, & alium, qui rependat amorem, & cap. 7. subdit, *Summe diligenti non sufficit si summe dilectus summam dilectionem non rependit.* Et denique cap. 11. ait, *Quod in amore mutuo, multumque feruenti nil præclarius, quam ab eo, quem summe diligis, & à quo summe diligeris, alium æque diligi velis.* Est ergo a primo ad vltim. sensus Richard. vt discrimen sit inter productionem Verbi, & Spiritus sancti, quatenus ad productionem illius sufficit persona vna, quia in ea poterit reperiri plenitudo sapientiæ: ad productionem vero istius requiratur amor alterius, qui tunc iucundissimus erit, quando ab amato rependetur, vnde fit, vt spirent consequenter amore mutuo, & voluntate concordi. Confirmari potest ex August. 6. de Trinit. cap. 5. dicente, *Quod Spiritus sanctus, est nexus, & vnio Patris, & Filij.* at non potest esse nexus nisi aliquorum distinctorum, ergo procedit à Patre, & Filio, tanquam mutuo amore, & concordi voluntate connexis.

Impugnatur à Scoto

2 Opinionem hanc de voluntate concodi impugnat Scot. 1. d. 12. quæst. 1. & merito; etenim recedere videtur & a ratione, & à mente Concilij Lugdun. vt patebit: quapropter asserit voluntate *vna*, & *vt vna*, produci Spiritum

Quomodo Scotus cõuenit cum Henrico.

ritum sanctum, non autem voluntate *concordi*, non tamen propter hoc, asserit voluntate discordi produci; etenim si voluntate omnino vna, & spiratione vna producunt, sequitur, vt omnino concordent, & nullo pacto discordent: sed voluntate concordi negat ad sensum, qui ex probationibus, argumentisque desumitur. probat vero sic:

Spiritũ s. spirant, Pater, & Filius voluntate, vt vna

Concordia amoris mutui, quo Pater, & Filius se inuicem diligunt, est actus essentialis, & communis; sed mediante actu essentiali nihil producitur; ergo non producitur amore isto concordi. maior patet, etenim omnes diuinæ personæ se inuicem diligunt dilectione essentiali: & minor probata remanet ex quæst. de productione Verbi, vbi conclusum fuit, Verbum non produci per actum essentialem intelligēdi, sed per notionalem dicendi, ita etiam, & Spiritus sanctus producatur non per actum essentialem mutui, & concordis amoris, sed per actum notionalem spirandi. Item Spiritus sanctus non producitur per actum secundum, sed voluntatem fœcundam habentem diuinam Essentiam sibi præsentem in ratione obiecti amabilis in actu primo sicut ibid. probarum est de productio

Non spirãt voluntate cõcordi, nõ tamen discordi.

ne Verbi ex memoria fœcunda, habēte diuinam Essentiam sibi præsentem in ratione obiecti *actu primo* intelligibilis; ergo non per concordem, seu mutuum amorem, qui est actus secundus. Insuper voluntas si esset in solo Patre, vtiq; esset ita pfectũ principiũ spirandi in eo solo, sicut quando modo est in Patre, & Filio, ergo non requiritur cõcordia, amatio, & redamatio: probat. antec. alias principium spirandi esset perfectius in Patre, & Filio, quam in Patre solo; perfectius in duobus, quam in vno. Confirmatur, quia Patris vis spiratiua reciperet maius incrementum ad spirandum ex concordia Filij, quam haberet ex sē sola: totum vero est falsum, cum Pater nullã perfectionē recipiat à Filio, immo totũ qđ est in Filio, Filius habet à Patre. Vlterius sequeretur Patrem beatificari in amore Filij, prob. nam beatitudo consistit etiam in amore, atque completur in actu voluntatis: id vero est contra id, quod dicitur, quod *Pater antequam generet Filium est perfecte beatus*. Denique memoria fœcunda in Patre solo est perfectum principium generandi, ergo si non esset Filius, etiam in solo Patre voluntas esset perfectum principium spirandi; igitur concordia mutui amoris non est per sē essentialiter requisita ad spirandū. prob. sequ. si per impossibile non esset Filius, iā cessaret mutuitas, & vicissitudo amoris, atque concordia, & nexus, hæc enim requirunt saltem duo, inter quæ sit cōcordia, & nexus. Quod si dicas, iam de facto sic spirant per mutuitatem amoris, utique arguere ab his, quæ eueniunt de facto ad ea, quæ acciderent, data hypotesi, salua rei natura, est arguere gratia materiæ, non gratia formæ; sufficit autem, vt si per impossibile non esset Filius, possit Pater spirare, & absque tali concordia amoris; sed de hoc magis infra.

Actus secundus voluntatis an liber.

3 Accedit, inquit Scot. quod Spiritus sanctus produceretur post alium Spiritum sanctum, prob. nam volũtas in actu primo, ante omne velle actus fecũdi, est principium Spiritus sancti: ergo ante actum mutui amoris iam productus esset Spiritus sanctus per actum primum. Item magis exprimitur hoc modo libera productio Spiritus sancti, quam medio illo amore reproco, prob. libertas voluntatis consistit in actu primo, quo mediante voluntas libera est ad volendum; actus vero secundus volendi est quidem liber causaliter, quia est à voluntate, quæ est causa libera ideoque est liber causaliter talis actus, non autem formaliter, quia est in nobis qualitas naturalis, quæ si est principium alicuius, est principium naturale: at Spiritus sancti productio est libera, ergo non per actum secundum concordiæ, & reciproci amoris, sed per actum primum. Item obiectum beatitudinis est obiectum primarium, quod est Essentia, Pater autem, & Spiritus sanctus spectāt, inquit Scot. ad secundarium, de quare actum est in mat. de productione Verbi, igitur Pater, & Filius esset beatus amore iucundissimo, vt inquit Richard. inter eos, & ita Pater esset beatus in Filio obiectiue, & Filius obiectiue in Patre.

Quomodo spirant amore mutuo, & concordi.

4 Sed quid ad Richardum oppositum sententiam? Respon. cum ait, *dilectione mutua, & concordi spirare*, posse intelligi, vel de dilectione actuali, vel habituali: non quidem intelligendum de actuali, siue terminata ad Essentiam, siue mutuo ad personas, quia non producitur amore actuali, inquit Scotus, sed de dilectione habituali, & in actu primo, in qua Pater, & Filius concordant, nempe concordãt in eadem volũtate *in actu primo*, qua mediante, veluti actu primo spirant Spiritum sanctum. Quod si hoc non sufficiat ad intentionem Richardi, exponat eum qui potest, inquit Scot. quia eius determinatio non videtur stare posse cum dictis Augustini, qui Patri, & Filio attribuit rationem vnius perfecti principii respectu Spiritus sãcti, sicut Trinitati respectu creaturæ.

Spiritus s. quomodo est nexus Patris, & Filij.

5 Ad Augustinum, dicendum, quod loquitur *terminatiue*, nõ *formaliter*; non enim Spiritus sanctus est formalis nexus eorum, sed nexus *obiectiue*, siue *terminatiue*, cum producatur ab ambobus. Cum dicis, ea, quæ nectuntur simul, sunt distincta, respond. concedo esse distincta, at non concurrere, vt distincta, quia habent vnum terminum communem: nexus vero ex duplici capite constat, tum ex parte principii, tum termini: principium est volũtas, terminus est Spiritus sanctus, & in vtroque nectuntur, tum terminatiue respectu Spiritus sancti producti, tum principiatiue respectu vnius voluntatis, eiusdemque spirationis, penes quam euadunt principium vnum.

Quare Spiritus sãctus est à duob.

6 Obstabis, Scotus ibidem docet, voluntatem non esse principium Spiritus sancti, nisi prout est in duob. ergo ruunt aliquæ ex rationib. recensitis. Respond. argumentum concludere *gratia materiæ*, non *gratia formæ*; quia namque dantur in diuinis duæ productiònes, intellectus, & voluntatis, & hæc voluntatis non potest haberi, nisi prehabeatur illa intellectus, propter ordinem potentiarum, quia intellectus est prior voluntate, & consequenter productio intellectus erit prior productione voluntatis, ideo Spiritus sanctus erit à duobus: etenim Pater producendo per intellectum Filium, communicat Filio eandem fœcunditatem voluntatis, quam ipse habet, & inde fit, vt dum Pater spirat, spiret etiam Filius, quia etiam in eo reperitur talis fœcunditas, atque inde fit, vt Spiritus sanctus spiretur simul per eandem fœcunditatem ab vtroque, & hoc est dicere *gratia materiæ*. Cæterum *gratia formæ*, non tenet argum. quia si per impossibile non esset Filius, nihilominus potentissimus esset Pater de se solo ad spirandum sine tali mutuo amore, & voluntate concordi, sicut idem Richar. docet, quod *si per impossibile esset in diuinis vna sola persona, nihilominus potens esset de se sola ad creandum.* Et hinc falluntur Aduersarij, cũ dicunt necessario esse à duobus concorditer, alias Spiritus sanctus non esset nexus, non enim aduertunt id cõcludere de facto, cum namque de facto producatur à duobus, vtique de facto est nexus amborum, at data hypothesi aliter est censendum, vt in sequent.

QVÆSTIO XV.

Vtrum Spiritus ſanctus poſtulet ſpirari neceſſario à duobus diſtinctis ſuppoſitis.

Sententia, Caet. Vaſq. Suar.

1 QVia Spiritus ſanctus eſt à duob. vt ſupra patuit: Quia etiam eſt à duobus ſub ratione principij vnius, vt in præcedentibus, quia inſuper in eius productione à duobus, interuenit ſuppoſitorum ſpirantium diſtinctio, licet cõcurrant per modum principii vnius, vt eſt deductum: hinc remanet quærere, vtrum talis Patris, & Filii concurſus ſit omnino neceſſarius ad ſpirationem, itaut, ſi per impoſſibile non concurreret Filius, vel non ſpiraretur ab eo, eſſet alterius proprietatis ac nunc eſt, cum ſpiratur à duobus. Caetan. 1. part. quæſt. 36. art. 4. cum Recentioribus; Vaſquez, Suar. tenēt, ita neceſſario ſpirari à duobus, vt ſi per impoſſibile non ſpiraretur à Filio, ſed à ſolo Patre, iam non eſſet eadem prorſus Spiritus ſancti perſona, iuxta eandem, ſuamque perſonalē, & charactheriſticā proprietatem: indeque inferunt, adeo concurrere cū Patre Filium, vt neceſſario, & nō per accidens, ſit ipſe Spiritus ſanctus nedum à Patre, ſed & à Filio ex vi, & natura ipſius Spiritus ſancti.

Quæſtionis ſenſus.

2 Oppoſitum ſentit Scot. 1. d. 12. quæſt. 1. Baſſol. ibidem Herrher. 1. t. d. 11. quæſt. 8. Mayron. & communiter Scotiſtæ ad locum citatum Scoti. Agitatur autem quæſtio in ſenſu neceſſitatis intrinſecę, quærendo vtrum poſtulet ab intrinſeco, & ex vi propriæ ſuæ naturæ, eſſe à duobus, itaut ſi non ſit à duobus nequaquam ſit eius naturæ, cuius eſt nunc, cum eſt à duobus; an vero neceſſitas talis ſit ab extrinſeco, & per accidens, ea ſolum ratione, qua iam reperitur etiam in Filio fæcunditas, eo inſtanti, quo à Patre ſpiratur Spiritus ſanctus, & ob id concurrat ſecum ſimul ad ſpirandum.

Voluntas ſpiratiua eſſet ita perfecte in vno ſicut eſt in duobus.

3 Dicimus primo, diuina voluntas eſt ita perfecte fæcunda in duobus ſicut eſſet perfectè fæcūda ſi eſſet ſolūmodo in vno: & viceuerſa, ita eſſet perfectiſſime fæcunda ad ſpirandū ſi eſſet in ſolo Patre, ſicut modo eſt perfectiſſime fecunda exiſtens in Patre, & Filio. eſt Scoti ſupr. prob. Voluntas, vt in ſolo Patre, non fæcundatur à Filio, ergo ita eſt fæcunda in vno, ac in duobus, antecedens prob. Pater nihil habet à Filio, immò Filius habet à Patre: ergo voluntas Patris non recipit fæcunditatem à Filio. Itē voluntas Filii eatenus eſt fæcunda, quatenus fæcunditatem talem eidem communicauit Pater, communicauit namque voluntatem, non ſolum, vt operatiuam, ſed vt productiuam, vt potentem producere, & vt fęcundam: ergo Pater antecedenter habuit eam vt pleniſſime, & vndequaque fæcundam: Confirmatur, *nemo dat, quod non habet*; Sed dat Filio voluntatem fæcundam, ergo ipſe prius origine habuit in ſe eandem voluntatem æque, & perfecte fæcundam. Inſuper ſi liceret in diuinis arguere, ſicut in creaturis ex regula Ariſtotelis 1. poſt. *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, vtique inde inferre poſſemus, voluntatem eſſe magis fecundam in Patre, quam in Filio, nam propter communicationem Patris eſt in Filio, igitur

Regula, propter, quod vnū quodque tale, & illud magis non valet in Diuinis;

tur perfectior esset fœcunditas in Patre, quam in Filio: at quia non licet ita arguere in diuinis, non enim ibi regula illa valet, propter omnimodam & perfectissimam diuinarum personarum consubstantialitatem, & æqualitatem, vnde valet solum in creaturis; licet quidem hæc vera sint, nihilominus erit hoc concedendum, eandem perfectam fœcunditatem esse in Patre solo, data hypothesi, quæ nunc est in Patre, & Filio, quia totam fœcunditatem habet à Patre Filius, ergo haberet æquanimiter eandem Pater sine Filio: igitur quamuis non habeat Pater voluntatem magis fœcundam, & perfectam, habebit tamen æque perfectam.

Voluntas, sub ratione agendi, & sub conditione Agentis est perfecte in vtroque.

4 Dicimus secundo fœcunditas, sub ratione agendi, & sub conditione Agentis, siue Agentium, de facto reperitur in Patre, & Filio, est de fide contra Græcos, de quibus sup. cum probatum fuit Spiritum sanctum esse à Patre, & Filio: est eamque ab vtroque tum in ratione agendi, seu principij, *quo*, spirandi, seu voluntatis fœcundæ; tum vt cōditio Agentis, seu Agētium, quia suppositum est conditio agentis, concurrit autem vtrumque; ergo fœcūditas sub vtraque ratione reperitur perfecte in vtroque.

Voluntas Patris non est in potentia proxima ad spirandum, antequam cōmunicetur Filio.

5 Dicimus tertio, fœcunditas Patris, siue voluntas fœcunda non est in potentia proxima ad spirandum, antequam intelligatur per generationem Filio communicata. est Scoti sup. ad lit. M. prob. Pater non spirat antequam generet: sed quando generat communicat Filio fœcunditatem voluntatis, & inde spirat, ergo non est in potentia proxima ad spirandum, antequam communicetur Filio. Insuper Anima nostra non est in potentia proxima ad producendum amorem, antequam intellectus intelligat, *voluntas enim non fertur, nisi in præcognitum*; ergo & Pater non est in potentia ad spirandum proxima, antequam per intellectum generet Filium. Denique ordo potentiarum expostulat, vt Anima prius operetur per intellectum intelligendo, inde per voluntatem amando: ergo ordo diuinarum emanationum id exigit, vt prius Pater operetur, producendo per intellectum Filium, & inde spirando per voluntatem Spiritum sanctum.

Voluntatē Patris non esse in potentia proxima ad spirandum antequam generet, vnde nam proueniat.

6 Dicimus quarto, quod voluntas fœcunda Patris non sit in potentia proxima ad spirandum antequam generet, id nō prouenit ex natura, & vi, atque essentia spirationis, sed solummodo ex ordine potentiarum, & de facto. prob. quod Anima non [illegible] non sit in potentia proxima ad actum amoris, nisi prius intelligat, non prouenit ex eo, quod intellectus, siue intellectio sit principium formale volitionis, & amoris; sicut enim intellectus non est causa voluntatis, ita nec intellectio est principium formale volitionis, licet prærequiratur necessario, vt ostensiua obiecti; ergo voluntas Patris non erit in potentia propinqua ad spirandum, non quod ab intrinseco, & essentialiter postulet ad id generationem Verbi, sed propter ordinem potentiarum: Cum autem prius producatur Verbum, quam Spiritus sanctus, & Verbo in sui productione communicetur voluntas fœcunda, inde fit, vt non producatur Spiritus sanctus, nisi ab habente principium fœcundum: sed principium tale reperitur antecedenter ex ordine potentiarum etiam in Verbo, ergo Pater nō spirat nisi prius producat Verbū; atque idem principium spirādi prius communicet Verbo, vnde fit, vt non sit de sè Pater de facto in potentia proxima spirandi, nisi prius producat Verbum.

Patrem spirare cum Verbo non prouenit ex natura intrinseca spirationis.

7 Dicimus quinto, quod id non prouenit ex natura intrinseca spirationis, vt non sit in potentia proxima ad spirandum, nisi prius producat Verbum. prob. si per impossibile solus Pater esset sine Verbo, & sine vlla necessitate generandi Verbum, vtiq; esset de sè in potentia proxima ad spirandum: quod vero nunc de facto non sit in proxima potentia ante productionem Verbi, id euenit ex ordine productionum intellectus, & voluntatis, cum ista haberi neqeat sine illa; igitur id non contigit ex intima ratione, & natura spirationis. antecedēs patet, data enim hypothesi impossibili, nil expectaret Pater, vt spiraret, & vt

vt proxime constitueretur in potentia propinqua ad spirandum: sicut de facto, ab æterno, non prius spirauit, quam generauit, sed natura vtriusque fæcunditatis id exigebat, vt prius generasset, inde spirasset, ergo cum ex hi pothesi, talis non exigeretur ordo, vtique de se solo fuisset in potentia proxima spirationis absque Verbo.

Cur simul cum Patre requiritur, Verbu.

8 Dicendum sexto, ex dictis sequi, quod dum ad spirandum requiritur simul Pater, & Filius, vt de fide est contra Græcos, & dum ad spirandum requiritur pluralitas suppositorum, id verum erit de facto, non autem quod id sit de intrinseca ratione, essentia, & natura, seu proprietate Spiritus sancti prob. si per impossibile Pater prius produceret Spiritum sanctum, quam Filium, vtique Spiritus sanctus esset ab vno, & non à duobus, ergo ex vi suæ spirationis id non postulat, vt sit à duobus. Item si per impossibile, generando Verbum, non communicaret ei vim spiratiuam, vtique Spiritus sanctus esset ab vno, & non à duobus, tunc autem produceretur à Patre, & non à Verbo. Insuper non existente per impossibile, Verbo, esset in solo Patre perfectissimum, & sufficientissimum principium ad spirandum, prob. Pater nil recipit à Filio, immo Filius habet esse à Patre: voluntatem fæcundam Pater non habet à Filio, ergo de se sufficientissimus est sine Filio. Itidem, si de natura & essentia spirationis requiritur Filius, seu pluralitas suppositorum, quæro cur id requiritur, fortasse, vt Filius, vel alter suppleat impotentiam Patris? at hoc est reddere Patrem, alioqui infinitæ virtutis ad spirandum, reddere, inquam, virtutis spiratiuæ, alioqui imperfectæ, & finitæ, & omnino impotentis ad id agendum: Quæro insuper, quid adderet persona alia? vtrum complementum spirationis, quasi addendo partem suam: vtrû virtutem Patri, quasi Pater recipiat quid à Filio: vtrum tanquam concausa concurrens cum ipso Patre partialiter ad integrandam vnam causam totalem: nullum istorum: nô primum, quia sequitur Patrem de se solo, si sine Filio esset, haberet virtutem spirandi alioqui incompletum; cum tamen si Filius non esset, vtique esset completissimæ fæcunditatis ad spirandum, sicut si solus Pater esset, haberet completissime plenitudinem virtutis ad creandum ex Richar. non secundum, cum nihil Pater recipiat à Filio, sed ipse sit principium communicatiuum totius esse personarum Trinitatis: nô tertium, sequeretur enim Patrem, & Filium fore duas casas partiales, integrantes vnum principium totale: insuper vna dependeret ab alia, nec vna esset omnino perfecta sine alia, vt Pater sine Filio, à quo tamen nihil recipit.

Si per impossibile Filius non esset, Pater esset sufficientissimus ad spirandum.

9 Est etiam contra D. August. 5. Trinit. cap. 14. dicentem, *Pater, & Filius sunt vnum principium ad Spiritû Sanctum, sicut Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum principium ad Creaturam*: sed Creatura est à tribus, inquantum vnum, non inquantum distinctis, & si per impossibile nô essent tria, sed vnum suppositum, illud esset sufficientissimum ad spirandum, ergo pluralitas, & distinctio non est de essentia spirationis. Item in Patre est perfecta ratio agendi: est etiam perfecta conditio Agentis: at ad agendum nil vltra requiritur: quod si conditio agentis suppositalis pænes Filium interuenit, vt est de fide, id de facto succedit. Recurrunt, aduersarij ad nexû, vt quia dum Spiritus sanctus est nexus vtriusque, propterea exigunt pro manare ex vtroque ex vi spirationis. Verum, primo, nexus ipse quid est aliud, quam relatio quædam rationis; at nulla relatio rationis requiritur per sè adhoc, vt aliquod constituatur primo, & per sè substratione principij realis productiui, ratio quoniâ ês rea le nô pendet ab ente rationis, ergo talis nexus non est per sè necessario, necessitate intrinseca ad id requisitus: secûdo, quod Pater spiret nô est necesse ab intrinseco, vt amet aliud, quâ obiectum primarium Diuinæ Essentiæ; si namque Filius non esset, vtique non amaret illum, sed amando solam Essêtiam, sufficientissime produceret Spiritum sanctum, igitur talis nexus, seu colligantia amoris mutui Patris ad Filium, non est requisita ad spirandû per

per locum intrinsecum: Tertio, quod vero spirando nectantur simul, sitque inter eos nexus mutui amoris, & tali mediante nexu; siue actuali, siue habituali spirent, id euenit per locum extrinsecun; ita ratione, qua de facto reperitur etiam in Filio eadem voluntatis fæcunditas ante spirationem.

Vtrum integretur vnum principium totale ex Patre, & Filio.

10 Non verentur aliqui asserere ex duobus producentibus integrari vnum principium totale *quod*, tanquã ex duobus partialibus, id namque ex eius, & cæterorum sententia deducitur necessario: integritatem autem, licet non possint apponere in principio *quo*, apponunt in principio *quod*, itaut ex duobus fiat vnum: sed hinc sequitur Patrem adiuuari à Filio, & paternam virtutem infirmam esse, ob quod requirat adiumentum Filij: probatur vero expressius de Patre, vt Pater est; quia talis concursus Filij non exigitur ad complendum principium *quo*, cum virtus spirandi nullatenus sit à Filio, sed à Patre in Filiũ; ergo requiritur ad complendum principium *quod*, nempe ipsam virtutem Patris suppositalem, ergo suppositum Patris, vt Pater est, cẽsetur infirmum, impotens, & deficiens, vt ex se solo, si Filius non esset, minime spirare posset Spiritum sanctum.

Concursus Filij an requiratur ad conditionem totalẽ principij quod.

11 Addunt alij fugiendo, concursum talem non requiri ad supplendam virtututem suppotalem Patris, sed addere conditionem requisitã ad totale principium *quod*, vt Suar. & Caetan. Sed hi etiam vel non intelligunt naturam rei quid postulet ab intrinseco, vel nolunt; potius autẽ erit secundum, etenim conditio secũdi suppositi, vel requiritur ad supplendam insufficientiam conditionis Patris, vel ad supplendam virtutem ipsam spirandi: non secundum, vt constat, & ipsi quoque concedunt, ergo primũ, at hoc dat intelligere, vt prius suppositum Patris esse de sè solo, si nõ esset Filius, infirmum, impotẽs, & ineptum ad producendum, quod est contra Richardum, & Augustinum.

Vasquij effugium.

Impugnat.

12 Dicunt, vt Vasq. adeo requiri dualitatem personarum, vt alias si ab vno solo produceretur, iam non esset eadem persona Spiritus sancti, secundum eandem charactheristicam proprietatem. Sed contra hoc, & quidẽ dato quod non spiraret Filius, sequeretur quod Spiritus sanctus, spiratus à Patre solo, esset alius ab illo, qui spiraretur inde à Patre, & Filio: quæro autem vnde proueniret ista alietas vel ratione Deitatis, vel ratione proprietatis personalis ipsius sancti Spiritus: non primum quia essent plures Dij, & vnus Spiritus sanctus distingueretur ab alio, quia esset alius, & alius Deus: non secundum, nam proprietas personalis ita esset à Patre solo, si solus spiraret, sicut à Patre, & Filio, dum simul spirant: nulla autem differentia adderetur, nisi quod tunc non diceret relationem ad Filium, & modo dicit, dum ab eo spiratur. Vlterius quæro, si dum modo spiratur à duobus adderetur inde tertius spirãs, & quartus, ac quintus, verum esset idem Spiritus spiratus à duobus, qui spiraretur à quatuor, & quinque? vtrique idem esset, & in Essentia, & in persona; nisi quod adderet relationes alias ad alios insuper quatuor, & quinque spirantes, ergo similiter & modo. Rursus, demus per impossibile, quod postquã est spiratus à Filio, desinat habere esse ipse Filius, verum Spiritus sanctus desinet habere esse consimiliter, minime quidem, sed perseuerabit idem, dempta solummodo relatione ad Filium, cessante Filio; ergo per hoc, quod procedit etiam à Filio, nil plus recipit, eritque prorsus idem, ac si non produceretur à Filio. assumptum patet, quia esset idem ille Deus spiratus, & esset eadem persona spirata, quis nanque negabit hoc, Quod si dicas, *Cessante causa, seu principio, cessat effectus*: Verum id de principijs, & causis intrinsecis, & essentialibus intrinsece constitutiuis, vt materia, & forma in Creaturis: in casu autem nostro remaneret idem principium essentiale intrinsecum, quod est Essentia diuina, ergo remaneret, idem Spiritus sanctus in sua essentia: item verum assumptum de principio, & causa extrinseca necessario, & per sè requisita ad effectum, non autem de principio externo concorrente per accidens: in casu

Si Spiritus s. esset à tribus, vel quatuor, vel quinq; esset prorsus idẽ addita solum multiplicatione relationum.

Causa, & principio cessãte, cessat effectus declaratur

autem

autem nostro Pater si solus esset, esset sufficientissimum principium productiuum Spiritus, quod vero Filius etiam producat, id euenit de facto, quapropter dum totale esse, æque perfectum, & completum haberet ex solo Patre, idem quoque esse habet nunc ab vtroque, sub eadem prorsus natura, & personali proprietate, addita solummodo relatione ad Filium, quã ex hypothesi non haberet.

13 Vltimo arguitur, si Spiritus sanctus non produceretur à Filio, aiunt Thomistæ, quod non distinguetur ab eo, ijdem vero asserunt hoc non de alio, sed de hoc eodem Spiritu sancto: vnde etiam ex mente eorũ Spiritus sanctus, qui modo procedit à Filio, est idem cum eo, qui ex hypothesi non procederet à Filio. Item quæstio ista videtur Gotfredo, & Hẽrico superuacanea, quia si per locum intrinsecum repugnat Spiritui sancto non produci à pluribus, & si per locũ intrinsecum postulat esse à duobus, ergo adducitur in quæstionem aliquod omnino repugnans, & implicans contradictionem: & nihilominus ipsemet D.Thom. vertit hoc in quæstionem; ergo dat intelligere, quod non est de ratione eius intrinseca; vt sit à duob. & quod dum est à duobus id non erit per locum intrinsecum. Confirmatur; quoniam ad quæstionem D.Thomas respondit negatiue, quod non distingueretur; igitur data hypothesi, esset Spiritus sanctus, vel conciperetur, & nõ productus à Filio, sed à solo Patre, & non distinctus à Filio. Hæc omnia rem ipsam demonstrant, vt non sit ex vi spirationis à Filio, etenim ideo distinguitur, aiunt, à Filio, quia est à Filio, & si non esset à Filio nihilominus distingueretur, vel non distingueretur à Filio inquacunque sententia.

14 Quæ obstare possunt, hęc sunt. Spiritus sanctus est nexus Patris, & Filij, ex communi sententia Sanctorũ, & præcipue Augustini. lib. 6 de Trinit. cap. 5. vel 16. ait enim, *Est communis vnio Patris, & Filij*; & Richard. præced. quæst. allegatus, *Spiritus sanctus est amor perfectus, & iucundus, impensus, & repensus atque mutuus, & consors inter Patrem, & Filium*; ergo est necessario à duobus distinctis. Respõdetur ad Augustin. quod Pater, & Filius nectuntur in Spiritu sancto *terminatiue*, tanquam in communi producto; est enim terminus productionis communis, & ita est communis vnio amborum, licet sint distincti, quia non possent connecti, nisi essent distincti: cum hoc tamen stat, vt procedat ab eis non vt distinctis, sed vt vnum, vnde productum vnum est à distinctis inquantum vnum, non inquantum distinctis. Ad Richard. visum est in præced. qualis sit, vel possit esse eius intelligentia, ad hoc, vt concordet, cũ Augustino, cum namque ait, *voluntate concordi, & amore mutuo spirari*; per volũtatem intelligitur actus primus, non secundus, siue voluntas habitualis, non actualis, inquit Scot. vnde est vt amor ille sit habitualis, non actualis, & spiretur quidem amore mutuo habituali, seu in actu primo, non actuali in actu secundo: alias Pater beatificaretur in amore Filij, & Filius in amore Patris, vt fuit deductum.

Spiritus s. est nexus Patris, & Filij decla ratur.

15 Arguitur, Spiritus sanctus procedit necessario à Patre, & Filio, vt fuit probatum cõtra Græcos, ergo est necessario à duobus distinctis. Respond. duplicem sensum posse exquirere argumentum, primus est, vt ex vi suæ naturæ, suæque proprietatis personalis postulet ab intrinseco produci à duobus, alter est, quod à duob. procedat de facto: primus sensus non fuit explicatus, seu determinatus à Cõcilio, nec quidquã de eo decisum, quapropter dum Concilia nil contra id determinarunt, vtique Scotus, & Scotistæ nullatenus aduersantur Cõcilijs, dum negant postulare Spiritum sanctum, vt sic producatur à duobus; quia si per impossibile Filius non esset, vtique solus Pater spiraret, æque benè, & perfecte, sicut modo spirat cum Filio, dempta sola relatione ad Filium, quam tunc non haberet Spiritus sanctus si non spiraretur ab eo: Secundus autem sensus est is, quem determinauit Concilium, & ita verum est, quod de facto spiratur à duobus ob rationes iam dictas, &c.

Spiritus s. procedit necessario à Patre, & Fil. declaratur.

Si non procederet à Filio, distin gueretur à solo Patre. declaratur.

16 Obstatur, Spiritus sanctus duplic

plicem relationem dicit, duplicemq, habet terminum suæ realis distinctionis, ad Patrem, & Filium; ergo à duobus. Respond. totum est verum de facto; cum namque procedat à duobus, dicit relationē ad duos, & distinctionem à duobus: at si solus Pater esset per impossibile, vnam relationem diceret, vnamque distinctionem spirati haberet ad solum Patrem. Contra, quia sequitur, quod si non spiraretur à Filio, non distingueretur ab eo, quod non concedit Scotus. Responsio intelligitur de distinctione, & oppositione relatiua, nō autem disparata: ideoque à solo Patre distingueretur in ratione spirati.

17 Dices, si non procederet etiā à Filio, non distingueretur ab eo: at distinguitur, ergo necessario procedit etiam ab eo: Resp. negando assumptū, etenim etiam distingueretur disparate, de quo infra. Ad id de necessario, quod necessario procedat ab eo, iam est dictum necessitatem illam non esse intrinsecam, nec argumentum concludere per locum intrinsecum, sed, extrinsecum; cum namque posset à solo Patre produci si non esset Filius, sequitur, vt argumentum concludat per locum extrinsecum.

Verbi productio quæ te præsupponitur ad productionem Spiritus sancti.

18 Obstabis, productio per modum voluntatis præsupponit necessario productionem per modum intellectus: at ista est productio Verbi: ergo Verbum necessario prærequiritur ad productionem Spiritus sancti in producendo eum: patet antecedēs, quia *voluntas non fertur nisi in præcognitum*. Resp. Verbi productionem præsupponi ad Spiritum sanctum ex ordine potentiarum, vt fuit dictum, ideoq; reperitur communicata ei virtus ad spirandum; cæterum non præsupponitur, necessario necessitate intrinseca Spiritus sancti, quia si Pater non generaret, adhuc posset de se solo spirare. Cum etiam dicitur intellectū, seu præcognitionem præsupponi ad voluntatem, resp. quod sufficit, vt ad voluntatem, seu volitionem spirandi præsupponatur actus cognoscendi, *operatiuus*, seu cognitio *essentialis*, qua mediante, Pater cognoscendo Essentiam, amet eum, & spiret Spiritum sanctum, qui Pater si de sè solo esset, vtique absque actu cognitionis *productiuo* Verbi, præexistente solum actu cognitionis essentiali ipsius Essentiæ spiraret æque perfecte Spiritū sanctum.

19 Arguitur, Spiritus sanctus est tertia persona Trinitatis; sed tertia præsupponit primam, & secundam, ergo necessario est à duobus. Respo. Spiritum sanctum considerari vel *secundum esse simpliciter*, vel secundum *esse numerale*, quatenus est persona tertia: primo modo, per accidēs est vt sit tertia pſona; ratio quia posset esse secunda, si Pater non generaret, sed solummodo spiraret: immo posset esse septima, & octaua, & vlterius, si per impossibile, septem, & octo personæ spirarent; itaque quantum est de sè, non postulat ab *intrinseco*, vt sit potius tertia ob rationem iam dictam, per accidens enim id est: at loquendo secundo modo, vtique est necessario omnino tertia persona; quoniam Trinitas, vt Trinitas constat essentialiter à tribus, alias nō esset Trinitas, ergo quatenus est tertia persona, vtiq; necessario postulat esse è duab. at iam quia est de ostensum est qualis sit illa necessitas, facto, propter ordinem potentiarum, non autem ex intrinseca ratione, & natura Spiritus sancti.

Spiritus s. est necessario tertia persona declaratur.

QVAE

QVÆSTIO XVI.

Vtrum Pater,& Filius ſint vnus Spirator, & duo ſpirantes.

Pater, & Filius ſunt vnus Spirator, & duo ſpirantes.

1 ASſertio eſt Theogorum communis, *Patrem, & Filium eſſe vnum Spiratorem, & duos ſpirantes.* ita Scot. in 1. d. 12. quæſt. 1. D. Bonauent. cum cæteris ſententiarijs ibid. ac D. Thom. cum expoſitoribus 1. p. quæſt. 36. art. vltim. licet vero conueniant in aſſertione Scotus, & D. Tho. differunt tamen in modo probandi eam. Eſt autem ratio D. Thom. talis, addiectiua ſignificant formam per modum adiacentis ad ſuppoſitum: ſed in diuinis ſuppoſita numerantur, & ſunt plura, ergo adiectiuum ſpirãs poterit quoque numerari ad numerationem ſuppoſitorum; cum autem ſint duo ſuppoſita, quæ ſpirant, reſtat vt ſint quoque duo ſpirantes: quia vero ſubſtantiua non ſignificant formam in adiacentia ad ſuppoſita, ſed aliquo modo abſtrahunt ab ipſis, inde fit, vt ſubſtantiuum *Spirator* non debeat numerari ad numerationem, & plurificationem ſuppoſitorum, ſed ſint Pater, & Filius vnus Spirator.

D. Tho. & Scot. differunt in modo probandi.

Adiectiuũ, & ſubſtantiuum an ſignificent, idem.

2 Non placet Scoto talis probatio, qua propter ita ipsã ſic impugnat. Idem eſt ſignificatum abſolute, & ſimpliciter ſubſtantiui, & adiectiui, licet differant in modo ſignificandi; idem namque ſignificat legens, & lector, licet diſcrepent in modo ſignificandi, quia vnum ſignificat per modum fluxus, vt legens; alterum per modum habitus, & quietis, vt lector, cum autem idem ſit ſignificatum adiectiui, & ſubſtantiui ſimpliciter, & abſolute, ſequitur, vt ſi numeratur adiectiuum, numeretur quoque ſubſtantiuum, & ſi ſunt duo ſpirantes, ſint quoque duo ſpiratores.

Probatio Scoti.

3 Hinc ſecundo loco ita hoc ipſum probat. Terminus numeralis adiectiuus ponit ſuum ſignificatum ſuper eo, quod poteſt terminare dependentiam talis adiectiui: ſed adiectiuum ſpirans non poteſt terminare dependentiam adiectiui numeralis *duo*; igitur quærendum eſt aliquod alterum, quod terminet: ſed illud eſt ſuppoſitum, igitur dum terminus numeralis *duo*, & *ſpirans* copulantur ſimul, eorum dependentiam terminabit ſuppoſitum: ſed ſuppoſita ſũt duo: ergo ſpirantes ſunt duo. & conſequẽter ſunt duo ſpirantes: prob. min. dependens non poteſt terminare (ſaltem vltimate) aliud dependens: ſed adiectiuum *duo* eſt dependens, & ſpirans eſt etiam dependẽs, quoniã adiectiui natura eſt adiacere, & dependere, igitur *duo* non poteſt terminari vltimatè ad ſpirantes, quia ſpirans eſt etiam dependens grãmaticaliter adiectiue, ergo debet vtrumque terminari ad aliquod ſubſtantiuum independendens, ſubſtãtiuo namque competit eſſe independens, ſicut ſubſtantiæ conuenit habere independentiam, & eſſe à ſe; illud vero ſubſtantiuum erit ſuppoſitum, igitur duo ſpirantes terminabunt ſuam dependentiam adiectiualem grammaticalem ad ſuppoſitum: ſed ſuppoſita, quæ ſpirant ſunt duo, ergo duo ſpirantes.

Terminus, numeralis adiectiuus ponit ſignificatum ſuper eo quod poteſt terminare dependentiã.

Obiectio aduerſus Sco. ſoluitur.

4 Probatio ſoluit tacitam obiectionem contra ipſum Scotum, cum enim concedat Scot. eſſe vnum ſpiratorem, & duos ſpirantes, poſſet impugnatio facta contra D. Thom. re-

torqueri contra ipsum Scotum sic arguendo: Idem est significatum spiratoris,& spirantis,ex eod. Scot.licet sit diuersus modus significandi: si igitur concedit duos spirantes, concedere debet duos spiratores; ergo terminus numeralis, *duo*, ita poterit terminari ad *Spiratorem*, sicut terminatur ad *Spirantes*. Responderet Scotus,sicut tacite respondet,quod quando terminus numeralis *duo* adiacet adiectiuo spirantibus,siue spirantes,tunc termi nus talis numeri non erunt spirantes, siue non erit adictiuum spirantes, sed erit substantiuū talis adiectiui,& illud est suppositum,itaut faciat sensum,sūt duo supposita spirantia, seu duæ personæ spirantes: quod si terminus esset *Spirantes*,vtique sequeretur argumentum,nam significatum formale spirantis est ipsa forma,seu principium spirationis,quæ non est plures,sed vna: & ita esset idem dicere duo spirantes,ac duo spiratores,quia etiam spirator in dicat eandem formam: verum quia vnum adiectiuum non potest terminare aliud adiectiuum, quia ambo dependent, ideo eorum terminatio fiet ad substātiuum, quod est suppositum, siue personæ spirantes.Habemus ergo rationem cur concedantur duo spirantes.

5 Cur vero non conceditur, *duo spiratores*,Ratio quia nomen substantiuum vere terminat, seu terminare potest, quantum est de se,dependentiam numeralis adiectiui, si aliunde non esset implicantia terminationis: substantiuum est spirator,ergo terminus *duo* tanquam terminandus erit ad spiratorem, tanquam dependens ad independens:sed id implicat, quandoquidem spirator importat vim spiratiuam:sed hæc est vna,& non plures,ergo non sunt duo spiratores, sed vnus spirator. Iuxta hunc sensum loquendum est de consimilibus propositionibus, non enim valet,*sunt tres Dij*,sed bene valet, *Persona sunt tres habentes Deitatem*:Sicut non tenet,*sunt tres Creatores*, sed bene *tres Creantes*; ratione dicta,quia multiplicaretur Deitas, & virtus creandi si multiplicaretur substatiuum *Creator*,& *Deus*,quia tamen multiplicantur supposita,multiplican

Cur non cōceditur sūt duo spiratores.

Non sunt duo Creatores.

tur quoque adiectiua, *creantes,habentes,&c.*& eo magis confirmatur assertio,quo Pater, & Filius sunt vnum principium *quod*, ergo sunt vnus spirator: sunt etiam ratione creationis vnum principium, *quod*, ergo vnus Creator. tum denique quia creatio, licet sit à tribus,non tamen, *vt à tribus*,in sensu reduplicatio, quia si vnica persona esset,vtique foret potentissima ad creandum, sicut, licet Spiritus sanctus sit à duobus nō tamen ab intrinseco postulat spirari à duobus, vt fuit dictum in præced. quapropter necesse est, vt fiat vnus spirator,qua ratione habent vnam, eandemque virtutem spirandi, vt supr. fuit discussum.

6 Dices,Pater,& Filius sūt duo spirantes ergo spiratores;prob.cōseq.sicut singulare infert singulare,ita plurale in ferre debet plurale:sed valet hoc, est vnus spirans, ergo vnus spirator; igitur valebit hoc,sunt duo spirantes,ergo duo spiratores. Respond.negando consequentiam, ad probat.dicimus, quod tunc ad multiplicationem antecedentis sequitur multiplicatio consequentis, quando consequens diuiditur,& multiplicatur in antecedenti, vt valet,sunt duo homines, ergo duo animalia;ratio, quia animal,quod est in consequente, diuiditur in hominibus,quod est in antecedenti,& plurificatur in eis:hic vero, Spirator nō diuiditur,nec multiplicatur in spirantibus, vnde cum dicit, sunt duo spirantes,bene verum,ergo duo spiratores, negatur, quia spirator in consequenti, adhoc, vt posset multiplicari, necesse esset multiplicari quoque in antecedenti, & in suppositis spirantibus,at non multiplicatur in eis, cum sit vnica eorum vis spiratiua,& spiratio, igitur in arguendo committitur fallacia consequentis.

7 Obstabis,ex Athanas.in Symb. *Immensus Pater,immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus: & tamen non tres immensi, sed vnus immensus, sicut non tres æterni, sed vnus æternus*. Hinc arguitur, omnes personæ sunt vnus immensus, & vnus æternus, ergo duæ personæ sunt vnus

Obstatur

Soluitur.

Obstatur

Soluitur.

vnus ſpirans: prob. conſequentia, immenſus, & æternus ſunt adiectiua, & non multiplicantur ex Athanaſ. ergo nec multiplicari debet ſpirans, quod eſt etiam adiectiuum, & ſic erunt vnus ſpirans. Reſpon. quod in diuinis non multiplicatur ſubſtantiuum, ſed adiectiuum, vt conſtat ex dictis, quia eſt vna ſubſtantia, vna Eſſentia omnium, & vna virtus, licet ſint plures perſonę: nihilominus quandoque ſumitur *adiectiuum pro ſubſtantiuo*, & tunc cum conſtat de mente Doctoris, non eſt vis facienda in verbis, Athanaſius autem per adiectiuum illud, *immenſus*, *aeternus*, intelligit ſubſtantiuum Deitatis, æternitatis, & immenſitatis, & quia immenſitas, & æternitas non numeratur, ſicut nec Deitas, hinc eſt vt dixerit *vnus immēſus, vnus aeternus*; ſumitur igitur penes eum adiectiuum illud, non adiectiuè, ſed ſubantiuè: ſiue erit adiectiuum quodammodo, vt ſic [illegible]

Adiectiuū, quandoque pro ſubſtā- tiuo.

Immenſus, immenſa, immenſum, ſicut æternus, æterna, æternum, non eſt ſubſtantiuum, ſed adiectiuum, ergo falſa reſponſio. Reſpondeo, *Grammaticaliter* ſumpta, eſſe quidem adiectiua: at *theologice*, vt ſumit Athanaſius, ſtant *ſubſtantiue*.

Immenſus, & æternus an ſint adiectiua, an ſubſtātiua.

8 Quod ſi tamen penes aliquos ſanctos Doctores reperiatur, Patrem & Filium eſſe duos ſpiratores, monet Scotus, id ſane eſſe intelligendum, quatenus ſumunt nomen ſpiratoris *ſubſtantiuum* pro *adiectiuo*, vt ſpiratores idem importent, ac ſpirantes: non enim ſumenda eſt loquutio in rigore ſermonis, ſed exponendi ſunt Patres iuxta dicta: tum ad ſenſum gramaticalem, tum Theologalem; quæſtio namque iſta ſic grammaticaliter ſoluitur communiter à Theologis, eſt namque Theologia Regina ſcientiarum, cui cæteræ diſciplinæ vna etiam cùm grammatica debent inſeruire.

Patres ſi forte contrarium videantur loqui, ſunt exponendi ex Scoto.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum ſpiratio actiua ſit relatio vere realis.

Arguitur, pro parte negatiua.

1 NOn eſſe realem probari poteſt primo, Perſonæ Patris, & Filij iam complete conſtitutæ ſunt in eſſe ſuo per paternitatem, & Filiationem, ergo nulla alia in eis inerit relatio realis. antecedens patet, & probatur conſequens, & quidem ſequeretur non eſſe iam conſtitutas adæquate, & complete in ſuo eſſe, compleretur enim per ipſam ſpirationem actiuã, ſi eſſet realis. Item ſecundo, ſpiratio actiua non eſt conſtituens perſonarũ, ſed aduenienſ: at quod aduenit alteri, iam in eſſe ſuo complete conſtituto, eſt accidens, ergo dabitur accidens in diuinis. Tertio, perſona iam in eſſe ſuo conſtituta, nõ eſt referibilis per aliud, quam per ſuum formale conſtitutiuũ; ergo Pater, & Filius non referuntur, niſi per paternitatem, & filiationem, dum per has conſtituuntur, igitur non referuntur per ſpirationem, & per conſequens non erit realis. Quarto, licet in Patre, & Filio reperiatur principium productiuum Spiritus ſancti, non eſt tamen neceſſe, vt relatione reali referantur ad Spiritum ſanctum; probatur à ſimili, quamuis enim Deus ſit Creator, Conſeruator, & Rector Creaturarum, tamen non propter hoc dicit relationẽ realẽ ad creaturas, quo exemplo vtitur Auguſt. lib. 5. c. 14. inquiẽs, *ſicut Pater & Filius ad creaturã sũt vnus Creator, & vnus Dominus, ſic relatiue ad Spiritum ſanctum.* Quinto Patres admittunt ſolummodo tres relationes perſonales poſitiuas: inter cæteros autem Damaſcenus, qui tam copioſe diſſeruit de relationibus diuinis, nullam egit mentionem ſpirationis actiuæ: Baſilius etiam epiſt. 43. ait, *Filium non habere cum Patre aliquam communicationem notionis, ſecundum proprietatem ſuam, ſicut neque cum Spiritu ſancto.* ſenſus autem eſt, quod nulla relatio eſt comunis Patri, & Filio: ſi autem daretur à parte rei ſpiratio actiua, ea debet poni in Patre, & Filio, eſſetque vtrique communis. Sexto, Concilium Toletanum 11. in confeſſion. fid. & Auguſtinus de Trin lib. 5. cap. 11. aiunt, *Patrem ad Filium, & Filium ad Patrem referri,* Et de Spirituſancto loquẽtes, inquiũt, *Spiritum ſanctum referri ad Patrem, et Filium:* Vnde tacẽt, Patrem, & Filium referri ad Spiritum ſanctum: Atque hinc aliqui relationem non eſſe mutuam, itaut Spiritus quidem ſanctus referatur ad Patrem, & Filium; Pater autem, & Filius minime referantur ad Spiritum ſanctum, ac proinde non eſſe reciprocas relationes inter eos: hi ſunt Hugo AEtherianus lib. 3. contra Græcos cap. 2. & Flaccus lib. 1. de Trinit. cap. 5. Et ſeptimo Concilium Lateran. in cap. Damnamus de ſumm. Trinit. & Fid. Cathol. tollit quaternitatem à diuinis, admittitque ſolummodo numerum ternarium: daretur autem quaternitas, ſi ſpiratio actiua eſſet realis. Octauo Patri non competit referri, niſi ad Filium: nec Filio, niſi ad Patrem: ergo non referuntur ad Spiritum ſanctum, vel ſi referuntur, relatio erit ficta per rationem.

2 Nihilominus abſolute dicendũ eſt, ſpirationem actiuam eſſe vere relationem realem. Hanc tradunt quotquot ſpirationem actiuam diſtingui, vel realiter, vel formaliter, docent, de quo in q. ſeq. Item Alenſis 1. p. qu. 68. mem. 3. Alber. 1. p. c. 38. mem. 1. Henric. 2. p. ſumm. art. 55. q. 7. D. Tho. de Potent. *Diſtingui realiter eſt ſententia opp.*

Potent. quæſt.8.artic.1.atque ſententiarij Bonau.Scot. Durand. Richard. cæterique in 1.d.13.& d.26.ac 28.

Probatur rationibus. 3 Relictis autem rationibus pluribus probatur. Ratio, & fundamentũ philoſophicum vrget ad ponendam relationem realem inter producens, & productum, hoc namque ratio ipſa, & natura docet, atque potus Philoſophus: ſtante autem principio hoc philoſophico arguitur, Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum, ergo referuntur realiter ad Spiritum ſanctum. Diſcurſus tenet, & negari non poteſt. Confirmatur, productio hæc aut eſt realis, aut non realis: non ſecundum, ergo primum: at ſtante productione reali, ſequitur inter producentem, & productum relatio realis. Item, nil deeſt relationi huic, vt ſit realis: probatur, ad relationem realem tria exiguntur, primo extrema realia, Secundo, realiter diſtincta inuicem: & tertio, vt talis relatio oriatur ex natura rei: tria hæc inſunt ſpirationi actiuæ: Et quidem Pater, Filius, ac Spiritus ſanctus ſunt extrema realia. Item realiter diſtincta: denique ſpiratio oritur ex natura rei, quia Spiritus ſanctus, quamuis procedat per voluntatem libere, nihilominus etiam neceſſariò ſpiratur: & ex natura rei poſtulatur in diuinis ſpiratio Spiritus ſãcti, quia eſt neceſſario Deus, eſtque ens omnino neceſſarium. Inſuper poſito fundamento, & termino, poſitiſq; correlatiuis, conſurgit neceſſario inter ea relatio: ergo poſita productione actiua, & paſſiua Spiritus ſancti, neceſſario conſurgit relatio, eaque realis.

Ex Concil. 4 Probatur rurſus authoritate Concilij Lugdunenſis ſub Gregor. X. cap. vn. de ſumm. Trinit. in 6. & ex Concil. Florent. ſeſſ.24. in quibus habetur, *Patrem, & Filium vna ſpiratione producere Spiritum ſanctum, atque eſſe vnum principium eiuſdem*, at principium, maxime, reale, habet productionem realem: eo magis, quo Concilia expreſſe nominant *ſpirationem*, ergo eſt realis: confirmatur, alias Spiritus ſanctus eſſet ens rationis, probatur, Concilia aiunt, vnica ſpiratione ſpirari, quæro autem ſpiratio hæc, aut eſt rationis, aut realis; ſi primum, ergo & Spiritus ſanctus per eam ſpiratus, erit ens rationis: ſi ſecundum, habeo intentum.

Ex Patrib. 5 Vltra autem hæc probatur ex Patribus, Et quidem Anſelmus lib. de Proceſſ. Spiritus ſancti cap. penult. ait *Pater ad Filium, & Spiritum ſanctum refertur, ſicut ad illos, qui de sè ſunt Filius ad Patrem, et Spiritum ſanctum, quia eſt de Patre, & Spiritus ſanctus de illo.* En quomodo ait Patrem, & Filium referri ad Spiritum ſanctum, ſicut Spiritus ſanctus refertur ad illos: at Spiritus ſanctus refertur relatione reali, ad eos, ergo, & ipſi referuntur ad Spiritum ſpiratione reali. Item Auguſtinus lib.5. de Trin. cap. 11. inquit, *Relatio non apparet in hoc nomine (nẽpe Spiritus ſancti) apparet autẽ, cũ dicitur donum Dei. donum enim eſt Patris, & Filij, quia & à Patre procedit*, & infra, *Donum ergo Donatoris, & Donator doni cum dicimus, relatiue vtrũque ad inuicem dicimus.* Hic Auguſtinus correlationem reciprocam apponit: Donũ autem, de quo loquitur eſt Spiritus ſanctus. Et cap.12. *Pater ad Filium dicitur, principium vero ad omnia, quæ ab ipſo ſunt*; Eſt autem principium Spiritus ſancti, verum, & reale, ergo refertur ad eum per veram ſpirationem realem. Et cap.14. *Sicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad Creaturam relatiue vnus Creator, & vnus Dominus. ſic relatiue ad Spiritum ſanctum, vnum principium.* Ac denique Boetius lib. de Trin. in fin. *Similis eſt in Trinitate relatio Patris ad Filium, & vtriuſque ad Spiritum ſanctum.* En quomodo Patrem, ac Filium ait referri ad Spiritum ſanctum.

Ad primũ. 6 Ad oppoſita autem reſpondendo, dicimus ad primum, & ſecundum, iam conſtitui completiſſime Patrem in eſſe Patris, & Filium in eſſe Filij per paternitatem, & filiationem: at nihilominus per ſpirationem conſtitui in eſſe ſpiratoris: quapropter dum Pater, & eſt Pater, & ſpirator: filiuſque dum eſt Filius, & conſimiliter ſpirator, neceſſe eſt relationem geminam eſſe in eis, alteram, qua conſtituatur in eſſe Patris, vt paternitas: in eſſe Filij, vt filiatio: & alteram, qua ambo conſtituantur in eſſe ſpiratoris.

toris. Et ad illud de accidenti, non abhorret Scotus admittere in diuinis accidens sumptum *pro extraneo*, vt vocat ipse: licet negandum sit ibi accidens Porphirianum, prout est vnum de quinque prædicabilibus. Et cum ais, spirationem esse relationem aduentitiam, vtique sic appellatur, quia aduenit Patri, & Filio, iam constitutis in esse suo perfecto: attamen est addendum, quod spectando Patrem, & Filium, vt Pater, & Filius sunt, reduplicatiue, vtique spiratio est ipsis aduentitia: at spectando Patrem, & Filium non vt Patrem, & Filium, sed vt spirator, & spirantes sunt, in sensu reduplicatiuo, dicendum, quod Pater, & Filius, vt spirator sunt, habent spirationem actiuam, vt luti rationem formalem, & quidditatiuam in esse spiratoris, ratio est euidens, quia Pater, & Filius vt spirantes sunt, non constituuntur per Paternitatem, & Filiationem, ergo constituuntur per spirationem essentialiter, & quidditatiuã; vnde infertur spirationẽ actiuam esse simul aduentitiam, & constitutiuam sub varijs tamen rationibus.

Accidens an in diuinis.

Spiratio actiua an cõstitutiua.

7 Ad tertium, vrgeret argumentum, si in Patre, & Filio esset vnica ratio formalis agendi, & non plures, tunc enim per vnicam solummodo rationẽ referrerentur: at quia in ipsis adest uis generatiua, & generabilis, & insimul adest vis spiratiua, hinc est, vt per relationes plures referantur, tum generationis, tum vero ipsius spirationis.

An vna ratio agendi in vtroque.

8 Ad quartum, non mirum si nõ dicat Deus relationem realem ad Creaturas, quoniam non potest ex parte sua insurgere relatio talis realis, ratio quia ex dictis, quoniam inter cætera recensita ad relationem realem, est vt oriatur relatio talis ex natura extremorum, idest necessario, & ex vi eorum: attamen Deus non agit necessario ad extra, quo fit, vt cesset ex parte sui relatio realis ad Creaturas: At in diuinis, productio Spiritus sancti est ibi omnino necessaria, quo fit, vt & necessario insurgat inter spirantes relatio ad spiratum, eaque erit realis. Ad Augustinum autem dicendum, eo exemplo, & similitudine vti, vt ostendat Patrem, & Filium non esse duo principia, sed vnum principium Spiritus sancti, quemadmodum extant vnum principium Creaturarum: stante eadem vi spiratiua in ambobus, sicut stat eadem vis creatiua ad extra in tribus: & in hoc stat Augustini similitudo: hæc que mens eius: non autem necesse est, simul itudinem adaptare in relatione, vt quemadmodũ relatio ad creaturas est rationis, ita & relatio spirationis ad Spiritum sanctum; tum quia similitudo nõ currit quatuor pedibus; tum quoniam, si similitudo teneter in omnibus, iam non esset similitudo, sed identitas.

Deus non ad extra nõ dicat relatione realẽ.

Similitudo esset identitas si teneret in omnibus.

9 Ad quintum, Patres loquebantur de relationibus constitutiuis; eæ autem sunt tres, spiratio namque actiua non constituit.

10 Ad id de Damasceno, si eam tacuit, non tamen negauit, loquebatur namque de relationibus constitutiuis. Item argumentum ab authoritate negatiue non tenet; si namque interrogatus de ea fuisset, vel occasio scribendi se præbuisset, non reticuisset.

11 Ad Basilium, declarat ipse seipsum: Cum namque ait, Filium non habere cum Patre *notionem communem*, loquitur de notione cõstitutiua, etenim filiatio adeo est propria Filij, vt non competat Patri, non enim Pater generatur, sed Filius: ideoque ait, *secundum proprietatem suam*, non ergo loquitur de spiratione actiua, quæ quidem communis est Patri, & Filio, nec constitutiua Patris, aut Filij.

12 Ad sextum responsio patebit ex responsione ad octauum.

13 Ad septimum, sæpius est responsum, confiteri Concilium Trinitatem, & respuere quaternitatem rerum, non autem relationum: aiebant enim Patres contra Ioachinum, Essentiam non esse quartam rem, diuersam à Trinitate: & in hoc sensu negabant quaternitatem: cæterum quaternitatem relationum non respuebant.

14 Ad octauum, & pariformiter ad sextum, respondendum ex doctrina iam tradita. Patrem, & Filium considerari, vel tanquam Pater, & Filius sunt reduplicatiue; vel tanquam spi-

Pater, & Filius vario modo considerati in ordine ad Spiritũ sanctum.

ſpirantes ſunt: primo modo non intercedit inter eos, & Spiritum ſanctum relatio, ſecundo modo ſic, ideoque Concilium, & Auguſtinus ait, *Patrem ad Filium; & Filium ad Patrem referri*, quia Pater, vt Pater ad Filium, & Filius, vt Filius refertur ad Patrem: ſub his tamen rationibus nō referuntur ad Spiritum ſanctum. Cum vero infertur, Spiritum ſanctum referri ad Patrem, & Filium, non vero Patrem, & Filium ad Spiritum ſanctum, ex quo ſequitur relationem non eſſe reciprocam, & mutuam: vtique in ſenſu allato loquuntur, vt Spiritus ſanctus dum refertur ad Patrem, & Filium, non vtique Pater, vt Pater, nec Filius, vt Filius refertur reciproce ad Spiritum ſanctum, nulla namque eſt correlatio paternitatis, & Filiationis ad ſpirationem, ſeu ad Spiritum ſanctum ſpiratum: At ſpectando Patrem, & Filium ſub ratione ſpiratoris, ſtabit mutua, reciprocaque relatio, quia ſpirator refertur realiter ad perſonam ſpiratam. Reſponſio datur in terminis à Beſſarione Orat. pro Vnion. & habetur in cap. 6. poſt Concil. Florent. ait vero, *Patet ergo, quod hac relationum diuerſitas, relationis diſtinctio eſt; & relatiue [Filius ad Spiritum, & ad Filium Spiritus refertur; Et cum Filius, prout Filius, non referatur ad Spiritum (non enim dicitur Filius Spiritus) reſtat,]vt referatur ad Spiritum, tanquam ſpirans, cum Spiritus etiam referatur ad Filium, tanquam Spiritus: Spiritus enim ſpiranti, & paſſiua ſpiratio actiuæ ſpirationi correſpondet*; Et paulo infra concludit inquiens, *Cum igitur ad Filium Spiritus, & tanquam ſpiratio, & tanquam Spiritus referatur, Filius quoque, tanquam ſpirans refertur ad Spiritũ.* Apertiſſima eſt quæſtionis reſolutio, atque argumēti enodatio. Ex quib. ſequitur quanam ratione vocari poſſit, vel non poſſit, mutua, & reciproca iſta correlatio: & quonam ſenſu, vel ſpirationem ex parte Patris, & Filij tacuerunt, vel minime reciprocam exiſtimauerunt.

Relatio vtriuſque, ad Spiritum ſanctum an mutua.

QVAR-

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum ſpiratio actiua ſit vna, & eadem, an plures, & diſtincta realiter à relatione Paternitatis, & Filiationis.

Sententia negatiua.

1 Realiter diſtingui paternitatem, & ſpirationem actiuam, ſicut ſpirationem actiuã & filiationem, aſſerũt Bargius & Viguerius in 1.d.8.q.3.idemque dicunt de Filiatione, & ſpiratione actiua; eſt namque eadem ratio. Dum verò realem admittunt diſtinctionem, neceſſè eſt, vt quatuor admittant relationes reales in diuinis. Okam in 1.d.27. qu.1. docuit eſſe ambas vnicam ſolummodo relationem: at quia diuerſis circumferuntur nominibus, ideo alia, & alia relatio eſſe videtur: hinc vero deducit, ſola ratione diſtingui. Franciſcus de Mayronis in 1.d.11.q.3.& Paulus ſcriptor 1.d.10.quæſt.1.ad argument. eſſe aiunt idem realiter, diſtingui vero ſolum formaliter: idem cenſet Gabr.1.d.13. quæſt.vn. dub.2. Caetanus diſtinguit eas ratione ratiocinante, ſeu diſtinctione virtuali 1. part.quæſt. 32.ar.2. Capreol. docet diſtingui, ſpecie 1.d.13.quæſt.vn. art.2. Durandus tamen docuit diſtingui realiter, cui conſentiunt Barg.& Viguerius ſup.

2 Cæterum communis, veraque ſententia eſt, identificari realiter, ita Scot.in 1.d.13.quæſt.vn. D.Thom.1. part.quæſt.32.art.3.& quæſt.40.art.1 Ægidius in 1.d.17. artic.1. quæſt.1. Richard.in 1. d.28. artic. 1. quæſt.1. Marſilius in 1. quæſt. 30. art. 4. Capreolus. Caetanus qui ſupra: cum Recentioribus, &c.

Paternitas & ſpiratio actiua non diſtinguuntur realiter

3 Hinc primo dicimus, Paternitas, & ſpiratio actiua non diſtinguuntur realiter. eſt contra citatos ſupr. prob. definitum eſt in Concil. Latera. contra Ioachimum in diuinis eſſe ſolummodo tres res realiter diſtinctas, tres, inquam, res relatiuas, non autem quaternitatem: at ſi diſtinguerentur realiter, eſſet ibi quaternitas, patet ex additione ſpirationis actiuæ realiter diſtinctæ à tribus. Occurrit Durandus mentem Concilij eſſe damnare ſolummodo quaternitatem perſonarum, non autem quaternitatem relationum realiter diſtinctam. Contra, hoc non eſt ad mentem Concilii, quia damnare intendit nedum quaternitatem perſonarum, verum etiam quaternitatem rerum realiter diſtinctarum. Verum ratio hæc poteſt pati effugium, quia forte dicerent damnari ſolum alteritatem, & diſtinctionem Eſſentiæ, non autem diſtinctionem alterius relationis quartę, ideo arguitur aliter fortius, iam Concilium bene nouit in diuinis eſſe quatuor relationes, iam enim norunt Patres illi ad eſſe in diuinis etiam actiuam ſpirationem, & nihilominus non dixerunt ibi quatuor, ſed tres realiter diſtinctas; ergo diſtinctionem realem admiſerunt ſolũmodo inter illas tres relationes, nõ autẽ inter Paternitatem, & ſpirationẽ: hoc argumentũ melius cõcludit. Itẽ probatur principale intẽtũ, in diuinis, *omnia ſunt vnum, vbi non obuiat realis oppoſitio*: ſed inter paternitatem, & ſpirationem actiuam non obuiat talis oppoſitio, patet, quæ nãque relatio oppoſitionis intercedit inter paternitatem, & ſpirationem? vtique opponuntur diſparate, non relatiue. Inſuper, adeſſet in Patre com-

compositio si distinguerentur realiter: prob. non possunt aliqua realiter distincta conuenire alicui, nisi vnum se habeat per modum actus, & formæ, alterum per modum potentiæ, & materiæ: ergo paternitas, & spiratio sic se haberent in inuicem, respectu Patr s. Vel saltem esset ibi ista duo tanquam aceruus, facientes vnum vnitate aggregationis, sicut aceruus lapidum. Denique sequeretur esse ibi quatuor personas, prob. relationes realiter distinctæ constituunt personas realiter distinctas, & multiplicant eas; nam in diuinis multiplicatio prouenit à relationibus, etenim *relatio est*, teste Aug. *qua multiplicat Trinitatem*: sunt quatuor relationes distinctæ realiter, ergo quatuor personæ, ergo vera quaternitas contra Concilium. Confirmatur ex Athanasio epist. ad Epitettum, dicente, *pudendam hæresim esse quaternitatem vllo modo pro Trinitate inducere.* Atque hinc Valentia tom. 1. disput. 2. quæst. 6. punct. 2. *temerarium, & errori proximum esse ait admittere quamcunque quaternitatem rerum in diuinis.*

Distinguitur formaliter. 4 Secundo dicimus paternitas, & spiratio actiua distinguuntur formaliter. prob. paternitas est constitutiua Patris in esse Patris, & non in esse spiratoris: spiratio constituit in esse spiratoris, & non in esse Patris; ergo distinguuntur ex natura rei formaliter: & hinc deducitur non distingui sola ratione. Item generatio competit soli Patri: generatio, & spiratio Patri, & Filio, ergo non sola ratione differunt. Rursus, habent fundamenta distincta, & terminos distinctos, ergo, & ipsæ sunt ex natura rei distinctæ: patet antecod. quia fundamentum paternitatis est potentia generatiua: spirationis, voluntas fœcunda, ergo. Denique Pater, & Filius non eo formalissime sunt Pater, & Filius, quo sunt Spirator, & Spirantes, sed alio formaliter sunt Pater, & Filius, alio Spirator, & Spirantes, ergo necessario distinguentur paternitas, & filiatio à spiratione actiua plusquam ratione. Præterea, paternitas, filiatio, & spiratio passiua sunt incommunicabiles alijs suppositis; spiratio actiua communicatur Patri, & Filio: & hoc à parte rei, non ergo sunt idem.

5 Ex his deducitur improbabilitas tum huius opinionis, tum etiam Gabrielis, Gregorij, atque Suarii, qui vbi supra ait non esse improbabile dicere cum Gabr. & Greg. quod spiratio actiua sit omnino eadem cum paternitate, & filiatione, adeoque, vt non sin quatuor relationes, sed tres tantum: militant enim contra hoc rationes factæ: & vltra additur, sequi Patrem, & Filium nullatenus relatiue opponi Spiritui sancto: nō quidē sub ratione Patris, vt Patris, Filii, vt Filii, vt constat; sed neque quatenus spirantes sunt; si. n. spiratio nō est quarta relatio, ergo nō opponūtur per spirationē. Cōfirmatur, opponūtur aut per paternitatē, & filiationē, aut per spirationē, non per illa, vt constat: nec per spirationem, quia per te spiratio actiua non est relatio, quia non das quartam relationem, ergo nullo modo opponuntur. Item nec Spiritus sanctus erit constitutus in esse suo, probat. personæ constituuntur per relatiua: at deest in Patre, & Filio correlatio spirationis actiuæ, ergo deest in Spiritu sancto relatio spirationis passiuæ. *Improbatur Suarez circa quartam relationem.*

6 Tertio dicimus, propositio ista non est concedenda in sensu, & identitate formali, paternitas, & filiatio est spiratio actiua, ita Scot. quolib. 5. 5. tertio argumentor, & D. Thom. 1. d. 5. quæst. 1 Henric. quolib. 5. quæst. 1. Varro 2. d. 2. de ratione autem disquiritur: & quidem Henricus, & D. Thom. ideo negant, quia aiunt distingui ratione inter se, ac propterea vna non est altera. Caetanus diceret, inde procedere, quia distinguuntur virtualiter. Admittentes distinctionem formalem, oriri inquiunt negationem mutuæ prædicationis ex distinctione formali: Scotus vero, ac formalistæ docent inde ortum habere, quia diuinæ relationes, non sunt infinitæ formaliter: vnde docet Scotus fundamētum identitatis in diuinis esse diuinæ Essentiæ fundamentalem, ac realem infinitatem: & propter eam, Essētiam identificare sibi realiter omnia ad intra, indeque ratione infinitatis valere prædicationes etiam in abstracto, vt Essentia est bonitas, sapientia, potentia, misericordia, & huiusmodi attri- *Paternitas & filiatio est spiratio actiua, an sit vera in sensu formali.*

 buta

buta etiam prædicari de se inuicem ratione Infinitatis realis, & formalis eorum, propter quod sunt veræ prædicationes istæ, bonitas est sapientia, potentia, &c. quia tamen generatio, & spiratio non sunt entia quanta, non dicentia perfectionem, nec imperfectionem ex Scoto, ideo non valeat earum prędicatio, spiratio est generatio, nisi identice ratione infinitatis diuinæ Essentiæ.

Prædicatio abstracti de abstracto: abstracti de concreto, et concreti de concreto an & quando sit vera.

7 Et hinc Scotus cum formalistis formant famosam illam propositionem, quod *Abstractum de abstracto & abstractum de concreto, & concretū de abstracto non valet prædicari, nisi alterum illorum, vel ambo sint formaliter, vel saltim permissiue infinitum*; de *permissiue infinito*, aiunt esse *ens*, quia potest cadere sub infinito, & prædicari de eo, & continere illud, vt *ens est Deus: Deus est ens*; ecce quomodo dicitur de Deo infinito, quando autem occurrit de tali permissiue infinito facere prædicationē eæ erunt veræ, inquiunt ratione *permissiuæ infinitatis*, vt hæc est vera *sapiētia est entitas: entitas est bonitas*: at nō hæc, *bonitas est sapiētia*, abstrahendo tamen à diuinis, quia neutrum illorum est nec permissiuè infinitum. De formaliter infinito hæc est vera *Deitas est bonitas, sapiētia, &c.* quia Deitas est formaliter infinita, & sapientia similiter. Ratio igitur identificationis, ex Scoto, est infinitas, siue formalis, & realis, siue permissiua: at spiratio, & generatio non sunt formaliter infinitæ, inde ergo concludit non esse veram prædicationem earum *generatio, siue paternitas, & filiatio, est actiua Spiratio*; non est inquam, *prædicatio formalis*, licet sit vera identice, & realis, licet de infinitate permissiua entitatis sit quæstio inter formalistas, vid. Vallon, fol. 269. 271.

Ratio D. Thom. pro principali intento.

8 Vltra hoc, additur, & altera ratio, ea autem est, ideo vnam non prędicari de altera, ne diuinas confundamus processiones: si namque diceremus, paternitas, & filiatio est spiratio viderentur confundi, & non distingui productiones. Item non admictimus istam, ex D. Thom. attributum sapientiæ, vt ipse loquitur, est attributum misericordiæ, quia mens nostra, ai, distinguit illa tanquā duas species sub genere attributi, ergo nec est admictē da ista paternitas est spiratio. Dices, in re sunt idē ratione diuinæ essentiæ idētificantis sibi omnia. Resp. licet in rè, & essentialiter sint idem, tamen caute est loquendum in explicatione identitatis earum, ne periculum incurramus in loquendo de diuinis misteriis: exemplum, intellectus, & voluntas in rè sunt idem in Deo, attamen non dicimus Patrem generare per voluntatem, & spirare per intellectum: item iustitia, & misericordia in rè sunt idem, tamen non dicimus Deū punire per misericordiam, & parcere per iustitiam: dicimus quidem bonitas est iustitia; misericordia est bonitas: non tamen dicimus misericordia in sui ratione formali, quatenus misericordia stat reduplicatiue, est iustitia; hoc enim esset destruere misericordiam, & iustitiam, & esset contradictio in adiecto, distinguuntur namque termini, & obiecta, cum terminus iustitiæ sit peccatum, exigens vindictam, oppositum autem exquirat misericordia: ergo à pari, licet generatio, & spiratio sint ratione infinitatis essentiæ idem, nihilominus vna non valet de altera formaliter prædicari.

9 Quarto dicimus Spiratio actiua est vna, eademque numero in Patri, & Filio. Est omnium Theologorum, præcipueque Magistri in 1. dist. 29. cap. vltim. dicentis, *Patrem, & Filium eadem relatione, vel notione principium dici*. est Alensis 1. part. quæst. 68. mem. 3. D. Bonau. in 1. d. 13. quæst. 3. ibique Scoti, Alberti 1. part. quæst. 31. mem. 3. D. Thomæ 1. part. quæst. 36. art. 4. Henrici in Summ. art. 54. quæst. 4. Durandi in 1. d. 13. qu. 2. &c. Probatur etiam, quia aperte traditum fuit in Concil. Floren. in lit. vnion. sub Eugen. vbi habetur, *Spiritum sanctum à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedere*. Item ex Concilio Lugdunensi, sub Gregor. 10. vbi dicitur, *Non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio: non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit*. Insuper probatur ratione: In diuinis *Omnia sunt vnum, vbi non obuiat*

Spiratio actiua est vna, & eadē numero in Patre, et Filio.

siat relationis oppositio; Sed spiratio actiua non opponitur relatiue paternitati, & filiationi: & spiratio, quæ est in Patre non opponitur relatiue spirationi, quæ est in Filio, ergo est vna. Verum ratio hæc non est efficax, quia axioma illud concludit vnitatem essentialem, seu identicam, & realem, vt inter attributa, modosque intrinsecos, & Essentiam: attamen stante tali identitate inter ea, non per hoc tollitur, vt attributa sint plura, modique intrinseci sint plures: igitur axioma concludit identitatem, non autem excludit pluralitatem: ergo hinc concluderetur identitas spirationis, non vnitas Ideo arguitur aliter, nihil in diuinis multiplicatur solummodo numeraliter, sed vel quasi specifice, vt dictum fuit, lib. 2. vnde non sunt plures Patres, non plures Filij, nec plures Spiritus sancti, licet sint plures personæ non solo numero differentes, pluresque productiones non sola numeratione discretę, vt ibi dictum: ergo spirationes actiuæ, non erunt plures numero, sed vnica: nec dicendum fore plures specie, eum vnicus per eam producatur numero Spiritus sanctus. Hinc autem, & ex rationibus, & ex rationibus, & ex Theologis, atque ex Concilijs concluditur esse vnam, eandemque numero in Patre, & Filio.

Censura sententiæ oppositæ.

10 An vero mereatur censuram opinio asserẽs distingui realiter, Respondet Turrianus Centuria 2. dub. 73. inquiens, *Multi viri docti in Hispania iudicarunt talem propositionem dignam esse grauissima censura: & mihi visa est semper valde falsa, improbabilis & temeraria, vt minimum.*

11 Arguit Durandus, si paternitas, & spiratio sunt vna res, ergo nõ potest habere duos terminos: at paternitas terminatur ad Filium, spiratio ad Spiritum sanctum, ergo non sunt vna res, ergo distinguuntur realiter. Respon. posse habere plures terminos, quia distinguuntur formaliter: sub vna namque formalitate, vtpote generationis terminatur ad Filium, & sub alia, vtpote spirationis, ad Spiritum sanctum. Item sunt vna res realiter, at plura eminenter, ratione distinctarum formalitatum, quibus habent distinctos respectus ad terminos distinctos, intellectus namque, & voluntas sunt vna res, quia realiter vnũ; attamen ille est principium Filij, hæc Spiritus sancti.

An idẽ possit realiter identificari rebus realiter distinctis.

12 Arguit insuper, nõ potest intelligi, vt vnũ, & idẽ identificetur realiter rebus inter se realiter distinctis: sed generatio actiua, & passiua distinguũtur inter sẽ realiter: quomodo ergo poterit spiratio actiua idẽtificari eis. Resp. hanc esse celsitudinẽ mysterij Trinitatis, siquidẽ vnica diuina Essentia identificatur, & identificat sibi personas inuicem realiter distinctas, ergo mirũ non erit, vt actiua spiratio identificetur cum vtraque generatione, & magis ex eo patet, quo omnia in diuinis sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio: spiratio autem actiua opponitur quidem spirationi passiuæ relatiuè, at generationi actiuæ, & passiuæ disparate, cum hoc tamen sunt idem, & vnum.

Absolutum an possit esse idem realiter cũ absoluto.

13 Arguitur, vnum absolutum non potest esse idem realiter cum altero absoluto, ergo nec vnum respectiuum cum altero respectiuo, ergo nec relatio cum relatione, igitur nec spiratio cum paternitate, & filiatione Respondent alioqui negando paritatem, quoniam relatio non distinguitur, nisi ab opposita correlatione, siue respectiuum non distinguitur, nisi ab opposito respectiuo, vt paternitas à filiatione, & Pater à Filio: at paternitas, & filiatio non opponuntur spirationi, quia nullam correlationem habent inuicem, & hic, dum non opponuntur, possunt esse simul. Responsio supponit nullam aliam reperiri in relatione, siue respectiuo, nisi oppositionem relatiuam: hoc tamen non concedunt Scotistæ, si namque Spiritus sanctus nõ procederet à Filio, nil minus distingueretur realiter ab eo, vt in propria materia dicetur: fictitiũ, quoque est dicere relationem filiationis, paternitatis, dominij, & huiusmodi non distingui realiter ab ista pagina, quia inter hæc nulla est correlatio: non ergo valet responsio: quamuis namque spiratio non referatur ad

paternitatem, & filiationem, & per consequens non distinguatur distinctione, siue oppositione relatiua, seu correlatiua, nihilominus distinguuntur inuicem disparate. Vnde aliter respondetur, quod distinctio realis absoluti ab absoluto non est quærenda in diuinis, dum ibi omnia sint vnum: nisi tamen loquamur de distinctione attributorum, Essentiæ, & modorum intrinsecorum formali, hæc namque omnia sunt absoluta, ac proinde inter se formaliter distincta; cum hac tamē distinctione stat, vt hæc simul sint idē realiter, hæc quoad antecedens; Ad consequens vero, negatur, fundamentum vero esse poterit infinitas reperta in diuinis: Et quidem sustinendo relationes diuinas esse formaliter infinitas, hi dicerent, paternitatem, filiationē: quæ quatenus sunt formaliter infinitę idētificare sibi spirationē acti uā, & vice versa, spirationē veluti formaliter infinitā idētificare sibi paternitatē, & filiationē: stāte autē hac idētificatione, mirum nō erit, vt spiratio sit cum paternitate, & filiatione, sustinendo autem relationes esse infinitas solummodo identice, ac realiter, idem quoque assererent, vt ratione ralis infinitatis identicæ, vna eademque spiratio sit eadem identice, & realiter cum paternitate, & spiratione, sitque simul cum Patre, & Filio.

Argumentum à commutata proportione an teneat.

14 Arguitur, sicut se habet generare ad spirare: ita se habet spirate ad spirari: igitur à commutata proportione sicut se habet generari ad spirari, ita generare ad spirare, sed generari, & spirari distinguuntur realiter, quia eorū termini, vt Filius, & Spiritus sanctus, distinguuntur realiter: ergo generare, & spirare distinguuntur quoque realiter, & percōsequēs generatio vtraq; & spiratio actiua distinguentur realiter. Respondetur primo, quod Argumentum à commutata proportione non tenet nisi in contradicere, & opponi. Respondetur secundo tenere in solis quantitatibus. Respondetur tertio, stante tali forma argumentandi posse inde concludi; Patrem non esse vnam, sed duas personas; probatur, sicut se habet generans, ad genitum, ita spirans ad spiratum: ergo à commutata proportione, sicut se habet genitum ad spiratum, ita generans ad spirantem: sed persona genita distinguitur realiter à persona spirata; ergo generans distinguitur realiter à spirante & ita Pater generans distingueretur realiter à seipso spirante, essetque non vna Pater, sed duę personæ, veluti generans, & spirans, quod si hæc argumentatio non tenet, nec tenebit illa alia argumenti Durandi.

15. Arguitur, paternitas, & Filiatio constituunt Patrem, & Filium, vnde sunt proprietates constitutiuæ: spiratio autem actiua non constituit, ergo sunt duæ res distinctæ realiter. probatur consequens, quandoquidem quædam dicuntur de paternitate, & filiatione, quæ tamen non dicuntur de spiratione. Respondetur non valere consequentiam istam, ratio, quia multa dicuntur de Essentia Diuina, quæ tamen non dicuntur de personis, & tamen non potest hinc inferri Essentiam distingui realiter à personis; dicitur namque de Essentia, quod sit ens absolutum, at personæ respectiuæ: Essentia communicabilis, personæ incommunicabiles: Essentia vna, personæ tres, & huius generis, attamen Essentia, & personæ sunt idem realiter: sic de spiratione, paternitate, & filiatione &c.

Actiones suppositorum; declaratur.

16 Arguitur, distinctorum suppositorum sunt distinctæ actiones: Pater, & Filius sunt distincta supposita, ergo alia erit spiratio procedens à Patre, alia procedens à Filio, non igitur vna numero spiratio in ambobus. Antecedens patet. quia actiones sunt suppositorum ex Aristotel. 12. Met. Respondetur, actiones sunt suppositi, non tanquam rationis agendi, sed tanquam conditionis agentis. Item sunt suppositorum, tanquam vltimato denominatorum. Insuper actiones sunt quoque singularium, quia Anima separata operatur, & agit, &c. Rursus Aristotelem comparat experimentum scientiæ, quod illud sit de singulari, hæc de vniuersali, de qua rē pluries actum in 1. tomo, Ad propositum autem, dū non est suppositum ratio agendi, sed conditio agentis; dumque vis spirati-

ua

na sit vna, eademque in Patre,& Filio, mirum non est, vt eadem actio spiratiua sit quoque in Patre,& Filio: quæ quidem actio primo denominat vim & principium spiratiuum; inde tamen seu vltimato ipsas personas spirantes quoniam actiones sunt suppositorum, tanquam vltimate denominatorum.

Forma eadem num. an possit esse in pluribus suppositis.

17 Arguitur, nulla eadem numero forma potest esse simul in pluribus distinctis suppositis; distinguuntur Pater, & Filius, ergo nec spiratio eadem numero erit simul in eis. Respondetur, verum esse antecedens de forma, alioqui, limitata, & finita: spiratio autem, vna cum cæteris relationibus ad intra, sunt saltem realiter, & identice, infinitæ, & illimitatæ. Responsio maiorem haberet apparentiam, si cum Thomistis diceremus spirationem esse formaliter infinitam. Respondetur secundo, verum fore antecedens vbicunque supposita nedum essent distincta, sed etiam separata ab inuicem: at Pater ratione circumē(in)sessionis, est in Filio, & Filius in Patre, hinc ergo, dum non sunt diuisa supposita, nec diuisa, nec separata erit ipsa spiratio.

Res an multiplicanda in diuinis.

18 Arguitur, sunt ibi quatuor relationes, & omnes reales: ergo distinguuntur realiter; etiam a spiratione actiua: antecedens patet, & probatur consequens, sunt ibi quatuor res, quia sunt quatuor relationes, ergo quatuor res realiter distinctę. Respond. negando consequens, & ad probationem, negatur esse quatuor res, ratio, quia in diuinis est vnica Essentia, qua mediante omnia sunt vnum, nam quidquid est in Deo, est idem Deus: & ratione infinitatis Essentiæ Diuinæ transeunt imperfectissimam identitatem ipsius Essentiæ Diuinæ. Item si multiplicarentur res in diuinis, iam non esset vna, sed multiplex Essentia, per *Rem* namque intelligitur entitas, siue Essentia ipsius Dei, quotiescunque vero multiplicamus *Rem* in diuinis, multiplicamus Essentiam diuinam; nec *Res* simpliciter multiplicari dicitur, nisi apponatur ibi distinctio realis, est autem vna in diuinis Essentia: dum autem multiplicationem admittimus ibi, non admittimus, sub nomine *Rerum* non enim sunt ibi plures, *Res* ne detur intelligi multiplicatio Essentiæ Diuinæ, sed multiplicatio cadit super modos, & formalitates, atque relationes. De hoc egimus lib. 1. disputat.

QVAE-

QVÆSTIO XIX.

Vtrum Pater, & Filius Diligant se Spiritu sancto.

1 *Gotfred. sententia.* PEnes Scotum in 1.d.32. quæst. 1. & D. Thom. 1. part. quæst. 37. art.2. varij referuntur modi dicendi circa præsens quæsitum: Et quidem Gotfredus ait, propositionem hanc non esse concedendam: quod si pro ipsius tutela adduxeris Augustinum eam aliquando docentem, ait, iam renocasse illam, & recantasse in simili propositione de Verbo; vbi namque retractauit eam, *Pater est sapiens sapientia genita, vt 1. retrac. cap. 26. ibi retractauit eandem, veluti consimilem, Pater, & Filius diligunt se se Spiritu sancto.* *Durandi.* Durandus 1.d.32.qu. 1. docet eam esse impropriam, & in rigore sermonis falsam: posse tamen esse veram in eo sensu, nempe *appropriate*, quatenus diligunt se amore essentiali, qui tamen amor appropriatur Spiritui sancto. Simon Torniacensis inquit, veram esse non simpliciter, sed in ratione *signi*, vt sit sensus, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, qui est signum dilectionis communis mutuæ. Suarez 3. Trin. cap. 3. esse veram *Torniace.* in ratione *nexus, & vnionis affectiua*, quatenus nectuntur communi dilectione, & *Suar.* terminantur ad productionem Spiritus sanctus sancti: quo sensu Patres vocant Spiritum sanctum nexum Patris, & Filij.

2 D. Thom. ait veram esse non essentialiter, sed *notionaliter*. probat primum, quia Pater, & Filius non diligunt se inuicem Spiritu sancto, sed mediante Essentia sua, vnde August. *D. Thomę.* 15. Trin. 7. dicit, *Quis audeat asserere, Patrem, nec se, nec Filium, nec Spiritum sanctum diligere, nisi per Spiritum sanctum?* probat secundum, nam diligere se Spiritu sancto notionaliter nil aliud est, quam spirare, & producere: sed producunt Spiritum sanctū, ergo vere notionaliter diligunt se Spiritu sancto. Probat insuper hoc, nam sicut *florere* est producere flores, & *dicere* idem est, ac producere Verbum, ita diligere notionaliter est idem ac producere Verbum, ita diligere notionaliter est idem ac producere Spiritum sanctum: sed conceditur ista arbor floret florib. & Pater dicit Verbo, ergo, & concedenda ista, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. Probat tertio ratione, quia quotiescunque Agens producit effectum actione tali, quæ includat effectū, tunc Agens potest denominari ab illo effectu, vt exemplum de *florere*, arbor enim florendo producit flores, & denominatur floridus à florib. productis, vt termino. Probat, & alia ratione, siquidem Agens potest denominari ab eo, quod ab ipso procedit, vel tanquam actio, vel tanquam terminus actionis: potest vero denominatio fieri per vtrumque, actione quidem, tanquam forma, vt calor calefacit; album albedine disgregat: homo humanitate est homo, Petrus veste est vestitus, quæ omnia, & similia denominant subiectum, & agens per modum formæ, siue causæ formalis: termino etiam potest fieri denominatio, licet terminus non sit forma, vt arbor floret florib. tanquam termino producto, quāuis flores nō sint forma ipsius arboris ex his concludunt Thomistæ sensum propositionis esse, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, idest, diligendo se producunt Spiritum sanctum, tenēdo dilectionem notionaliter. Confirmant hoc authoritate Vgonis de

sancto

sancto Vict. epist. ad Bern. de processione Spiritus sancti, *Si recte*, inquit, *diceris amare amore, qui à te procedit, cur non dicentur Pater, & Filius amare amore, qui ab eis procedit*. & inde, *Si Spiritus sanctus esset amor cordis tui, sicut est amor Patris, & Filij, quis posset negare Spiritu sancto, sicut tuo amore, te diligere?* idem apud Hieronym. psal. 17. *Spiritus sanctus, nec Pater est*, ait, *nec Filius, sed dilectio Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, seu dilectio, quam habet Pater in filio, & Filius in Patre*. Cum D. Thom. idem ad stipulatur Richar. & D. Bonauen. ad d. 32. Hæc de varijs exponendi modis sententię illius. Alij denique putant quęstionem hanc esse adeo difficilem, vt eam insolutam relinquant, vt Mag. 1. d. 32.

Gotfrd. impugnatur. 3 Quidquid tamen sit, opiniones recensitæ examinandæ sunt, & demũ afferenda erit, quæ apparebit probabilior; Incipiendo autem à Gotfredo, dum ait, Augustinum eam retractasse, ostendat vbi eam retractauit: at non potest locum ostendere, quia nullus extat, siue in libris retractationum, siue alibi. Item aperte retractauit illam *Pater est sapiens sapientia genita*, vt supra, at non reperitur retractasse istam, *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto*. de assertionibus namque retractatis specialem agit mentionem tum in lib. retract. tum alibi; Insuper, ait Scot. non potuit August. retractare dicta aliorum Sanctorum Doctorum: at propositio hæc est Hieronymi, Bernardi, & Vgonis, vt vidimus. Et denique ipsam tradit idem Augustin. 6. de Trinit. cap. 5. qui in princ. sic ait, *Spiritum sanctum ideo esse vnitatem amborum, quia charitas est, qua genitus à gignente diligitur, generatoremque suum diligit*. & plura ibidem de hoc congerit. In libro etiam septimo, cap. 3. subdit, *Spiritus sanctus summa charitas, vtrumque s. Patrem, & Filium coniungens*. Consimile habet. lib. 15. cap. 7. ex quibus locis merito Magister cum Scot. DD. Bonauent. Thom. cæterisque Scholasticis colligunt propositionem citatam, *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto*: constat ergo Augustinum docuisse quidem eam, at

August. au retractauit eam.

retractasse vsque modo scholasticis ipsis non constat.

4 De Durando, cuius etiam sententiæ est Alensis, 1. part. quæst. 47. m. 2. 3. art. 3. dicente, veram esse *appropriate*, arguitur contra, sequeretur enim consimiliter Patrem, & Filium esse bonos Spiritu sancto, quia bonitas appropriatur Spiritui sancto: Itē non dicerentur boni bonitate suorum propria, sed bonitate, quæ appropriatur Spiritui sancto. Insuper non dicerentur proprie boni, sed appropriate. Rursus non differrent à creatura, quæ quidem proprie, & per essentiam bona non est, sed bonitas eius pendet à Deo, ratione cuius communicationis fit inde bona; dicit autem scriptura, *Quis bonus, nisi solus Deus?* idest, *Deus est per essentiam, & intrinsece, ac proprie bonus*; & consequenter talis erit Pater, & Filius, vt sit proprie, & per sè bonus: id vero non esset, si diligerēt se Spiritu sancto appropriate, nam non per sè, non per essentiam, & non essent proprie bonus. Deum, si per impossibile non spirarent Spiritū sanctum, vtique non essent boni, id autem est falsum, quia sicut non accipiunt esse à Spiritu sancto, ita non expectant bonitatem à Spiritu sancto: probatur vero sequela, quia eatenus admittunt diligere se Spiritu sancto, quatenus spirant Spiritum sanctum, ergo si non spirarent, non essent boni. *Duraud. impugnatur*

5 De Torniacensi, quod diligant se Spiritu sancto in ratione *signi*, conuincitur non constare, etenim sequeretur Patrem, & Filium diligere se *creatura*, saltim ab æterno præintellecta, & dilecta, prob. quoniam creatura est signum dilectionis eorundem. Item liceret dicere, ignis comburit cinere, quia cinis licet extinctus, est signum ignis. Augustinus etiam 6. Trinit. cap. 5. non in ratione signi, vel dilectionis extrinsecus signatæ, sed vera, & reali dilectione, docet Patrem diligere Filium, & Filium Patrem. Sententia autem Torniacensis, si quem sensum habere potest, is erit extrinsecus, & ab extrinseco manifestatiue, cū namque creatura concorditer à trib. creata, gubernata, & amata sit signum mutuæ dilectionis trium, propterea enim *Torniacen. examinatur.*

enim creaturam concorditer amant, quia ipsi concordes prius funt in amando se inuicem; ita Spiritus sanctus poterit manifestatiue, & ab extrinseco, vt sic loquar, signum esse dilectionis Patris, & Filij.

Suarez impugnatur. 6 De Suario, circa nexum, iam declaratum in antecedentibus fuit, non esse de intrinseca ratione Spiritus sancti esse nexum, quia si per impossibile esset à solo Patre, non vtique esset nexus Patris, & Filij, recurrere autem ad nexum, est recurrere ad rationem extraneam talis mutuæ dilectionis.

D.Tho.sententia discutitur. 7 Superest denique sententia D.Thom. circa quam est amplius immorandum. Docet ergo, propositionē intelligendam esse notionaliter, ita vt *diligere*, se teneat notionaliter, importando Spiritum sanctum productum, vt inde inferat, Spiritum sanctum in ratione termini producti, esse rationē formalem, qua Pater, & Filius denominentur diligentes se inuicem, licet D.Thom. propositionem communem concedat cum cæteris; nihilominus discrepat in assignanda ratione: præcipue vero displicet Scoto ratio eius assignatata: Et quidem cum ait D. Thom. quod Agens potest denominari ab eo, quod procedit ab ipso, vel tanquam actio, vt ignis calefacit calefactione; vel tanquam termino, vt arbor floret floribus, licet flores non sint forma arboris, arguitur contra eum à Scoto, Edificare significat actionem ordinatam ex vi, & conceptu suo ad terminū, quod est ædificiū: sed non valet propositio hęc, Aedificator ædificat ædificio, ergo nec ista, Pater, & Filius diligūt se Spiritu sanct. velut termino denominante eos, licet non sit forma eorum. Accedit, non mirum est si valet ista, Edificator ędificat ædificatione, tanquam actione, quoniam ipsa actio denominat subiectum, in quo est, informando agentem ædificātem: at ista, Edificator ædificat ædificio non valet, quoniam ædificium, sicut non est forma Domificatoris, ita nec denominat illum: sic ista nec erit concedenda, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus non est forma informans, & consequenter nec denominans Patrem, & Filium mutuo diligentem. Item, magis exprimitur Spiritus s. per spirare, quā per diligere, ait Scot. sed nō cōceditur ista Pater, & Filius spirant Spiritu s. ergo minus ista diligūt se Spiritu s. Insuper, actio non est cōuersiua super agens, à quo egreditur; nō.n. ista est vera, ignis est calidus, seu calidus fit, siue calefacit se calore, quem producit, nam talis calor ab igne egrediēs non regreditur ad ignem, sed recipitur in subiecto extra, cum sit actio transiens, & consequenter dum non recipitur in igne producente, non denominabit ipsum ignem: ita Spiritus sanctus sic producitur à Patre, & Filio, vt non recipiatur, seu transeat super illos, velut persona in personis informando, & denominando, etenim persona est incommunicabilis, in se subsistens, non tamen est forma inexistens in alijs: licet enim ratione circumincessionis Spiritus sanctus sit in Patre, & Filio, & è contra, non tamen ratione informationis, & consequēt. nec ratione denominationis. Adde, dilectio, qua formaliter diligūt se, inexistit in illis tanquā formalis ratio diligēdi, qua veluti, quasi forma, demptis imperfectionibus, denominantur tales, diligentes mutuo se: at Spiritus sanctus cum sit suppositum subsistens, non potest habere rationem formæ, nec informatis, nec consequenter eos denominantis.

Actio non est conuersiua super agens, à quo egreditur.

8 Confirmatur, terminus extraneus productionis non habet rationē formæ, sed termini, ergo non denominat formaliter ipsum agens, vt plurimum enim denominatio erit extranea extrinseca, & terminatiua: Hinc vero arguitur, in actione transitiua nunquā verbum construitur cum agente in ablatiuo, nec agens denominabitur à tali termino; non enim est vera ista, Equus generat equo, nec Domificator domificat ædificio, sed vera erit, ædificat ędificium, & Equus generat Equū; ergo Pater, & Filius non denominabuntur diligentes formaliter Spiritu sancto, sed Spiritum sanctum; at diligere notionaliter idem est ac spirare, & habere terminum productum mediante dilectione notionali, tendente in Spiritum sanctum tanquam in terminum

In actione transitiua Verbū non construitur cum Agente in ablatiuo.

minum personalem distinctum suppositaliter ab vtroq;& non receptum in vtroq;sub ratione formæ denominantis, & informâtis,ergo nec valida erit ipsa propositio,nec denominatio,*diligūt se Spiritus* sicut nec vlla est informatio. Confirmatur, differentia inter verbum transitiuum,& intransitiuum inde sumitur, vt intransitiuum denominet formaliter Agens,quia in eo recipitur,à quo producitur, & consequenter dum recipitur, informat, & denominat Agens, vt video, audio, mæreo,mereor,demereor,tristor,gaudeo,doleo, intelligo,volo,amo, & huius generis:at ista,scribo,edifico,verbero,& similia non denominant in ratione termini producti, quia scriptio passiua, siue scriptura, ædificatio, & verbera recipiuntur in subiecto extra, qua propter,cum transeant ab Agēte ad passum,denominabunt passum in ratione producti,& termini,nō autem Agens, spectant enim ad verbum transitiuum. Concluditur vero ex omnibus,quod forma est,quæ denominat Agens,in quo est, nullum enim agens,siue passum denominabitur à forma,quæ in ipso non fit:at Spiritus sanctus non est forma,nec quasi forma,nec ratio formalis,qua Pater, & Filius diligant se inuicem,ergo falsa erit propositio in sensu exposito, vt diligant se Spiritu sancto dilectione notionali.

Verbi transitiui,& intransitiui differentia.

9 Ex his,vltra dicta, falsam esse constat propositionem,quando in intellectu actionis includitur effectus, seu terminus, quo possit principium, seu Agens denominari ab illo termino; etenim in per sè ratione generationis includitur genitus,vt terminus & in per sè ratione domificationis includitur domus,quia generatio,& domificatio est per sè via ad vtrumque, & ab vtroq;pendet necessario vtrūque,at falsa est ista,generans generat genito: Aedificator ædificat ædificio; ergo licet in per sè ratione spirationis,seu dilectionis notionalis includatur Spiritus sanctus, vt terminus,tamen falsum erit dicere, Pater, & Filius spirant Spiritu sancto, sicut falsa est ista,generans generat genito.

Verbum florere an actiuum.

10 Contra exemplum allatum, de *florere*, indicatur, quòd *florere* sit verbum actiuum: at id pugnat cum grammatica, etenim inquit Scot. est *Neutrum*:cum vero dicimus,*arbor floret floribus*,non est sensus grammaticaliter loquendo, quod producat actiue flores,non enim florere est producere,sed est sensus,*floridam esse arborem floribus*,& hinc habetur quod florere non indicat actionem aliquam prodeuntem actiue ab arbore, tanquam ab agente, sed ostendit subiectum denominabile, nempe arborem esse denominabilem floridam à floribus.Probatur,si florere se habet actiue,igitur idem erit, ac florificare, & producere:sed est falsa ista,arbor producit floribus, & florificat floribus, ergo falsa quoque ista, *floret floribus actiue*, ergo verbum florere non est actiuum. Confirmatur,si produceretur à Deo arbor cum floribus,diceretur vtique arbor florere floribus, sicut etiam de virga Aaronis Hebr. 9. & nihilominus flores illi non essent producti ab arbore,sed à Deo. Infertur vero,exemplum non esse ad propositum,quia fit illatio de verbo actiuo ad neutrum; nam verbum *diligere* in propositione ista, *Pater,& Verbum diligunt se Spiritu sancto*,est verbum actiuum ex D.Thom qui ait se tenere notionaliter, idest actiue, seu productiue: verbum autem *florere* se tenet neutraliter: Ret. rq. eri vero potest exemplum, florere non est verbum actiuum,ergo nec diligere se tenet notionaliter,seu productiue:antecedens est probatum,& prob. consequ.quia sicut se habet verbum florere,ita verbum diligere per D. Thom.

11 Caetanus respondendo ad argumenta Scoti ait, actionem posse duobus modis includere terminum, & effectum suum:vel tanquam specificantem actionem,vel tanquam coniunctum ipsi actioni:primo modo se habet albedo ad albificationem, & calor ad calefactionem:secundo modo se habet productum ad suam productionem. Ratio D.Thom. se habet secundo modo;ratio autem Scoti se habet primo modo. Distinctio ista est chimerica, & quidem ex quo dicit, quod quando effectus est coniunctus

Caetan. responsio reijcitur.

 suæ

suæ actioni, tunc Agens denominatur à tali effectu in ablatiuo, vt Spiritus sanctus est coniunctus spirationi, & dilectioni, ideo Pater, & Filius dicuntur, & denominantur se diligere Spiritu sancto. Sed contra arguitur, omnis effectus est coniunctus suæ actioni, à qua procedit, ergo omne agens poterit denominari ab omni effectu suæ actionis; ergo ista erit vera Ædificator ædificat ædificio, quia ædificium est coniunctum ædificationi: item illa erit vera, generans generat genito, Pater generat Filio, quia genitum, & Filius est coniunctus generationi: eodem modo, albedo, seu albefactum est coniunctum albificationi. Rursus, in omni actione reperitur terminus tum sub ratione coniuncti, tum sub ratione specificationis; nam genitum est coniunctum generationi, & specificat generationem, ita sicut calor calefactionem & albedo dealbationem, cui & coniungitur, vt terminus, & vt specificans: ergo vana est distinctio.

Bannes refellitur. 12 Bannes videns Caetani solutionem non sufficere distinguit de actione, quædam enim est immediata, quædam mediata: primi generis erit generatio, ædificatio; nam generatione, & ædificatione habetur immediate genitum, & ædificium: secundi est calefactio, nam mediante calore calefacit lignum: propositio D. Thom. erit vera de secunda actione, ita ut Agens denominetur, & ab actione, & à termino actionis, & erit verum dicere, ignis calefacit calefactione, & calore, calefactione quidem tanquam actione, & calore tanquã termino: at agẽs prima actione denominabitur à sola actione, non à termino, vnde erit vera ista, Ædificator ædificat ædificatione; non autem erit vera, ędificatę ædificio. Sed arguitur contra: Pater, & Filius producunt Spiritum sanctum non mediante aliquo priori effectu producto; non enim dilectio attingit terminum, nisi immediate, sicut generatio, & ædificatio attingit immediate genitum, & ædificium; sed falsa est ista generans generat genito, & Ædificator ædificat ædificio, ergo falsa ista, Pater, & Verbum spirant Spiritu sancto.

13 Sunt, & qui dicunt Agens denominari quidem ab actione immanenti, cuiusmodi est dilectio, & ita valebit, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto: non tamen actione transeunti, cuiusmodi est ædificium, vnde non valet, Ædificator ædificat ædificio. Sed contra calefactio, frigefactio, dealbatio est actio transiens, cum recipiantur ipsarum termini in subiecto extra, & nihilominus erit vera ista ignis calore calefacit: nix frigore frigefacit: & pictor dealbatione dealbat. Insuper, eodem modo erit actio immanens generatio Diuini Verbi, quomodo spiratio, & dilectio notionalis Spiritus sancti: sed non conceditur ista, Pater æternùs generat Vebo, ergo nec illa, Pater, & Verbum se diligunt Spiritu sancto. *Aliorum effugium.*

14 Circa impugnationem exempli de Verbo *florere*, ait Caetan. Primo; quod in exemplis non requiritur totalis similitudo, & ideo in exemplis deficit quandoque aliqua ex parte veritas. Secundo ait, quod idem est florere, ac flores emittere: & Tertio subdit, quod neutralitas pertinet potius ad modum significandi, quam ad rem ipsam significatam. Sed contra primum, iam D. Thomas vtitur exẽplo illo, vtpote estimato aptissimo ad rem ipsam significandam. Contra secundum, de natura verbi neutri est nullam actionem importare, ergo florere non est flores producere, seu emittere. Contra tertium, sequitur quod verbum neutrum, erit actiuum, saltim quoad rem significatam, sed hoc est falsissimum, quia de natura, & essentia verbi neutri est, nullam habere actionem, quod si actionem ei tribuas, destrues naturam neutri. Item, si quoad modum significandi solum importat neutralitatem, ergo falsa est ista, significabit namque in nomine, id quod non importat in rẽ, & ita titulus verbi neutralis erit titulus sine rẽ. *Caetani euasio de florere eluditur.*

15 Circa denique rationem illam de conuersione, quod actio non conuertitur super agens, à quo egreditur, respondet posse conuerti, quando idem Agens habet etiam rationem obiecti talis actionis. Sed cõtra, actio *Idem*

de

de qua loquitur, est actio productiua, nam dilectio notionaliter sumpta est productiua: hoc stante arguitur, per actionem productiuam producitur id quod terminat talem actionem; ergo Pater, & Verbum diligendo se Spiritu sancto, producunt seipsos: hoc non potest euadi. Quod actio non productiua, vt est operatio, conuertatur supra agens, transeat hoc, idem namque amat se ipsum, qui producendo amorem, potest retorquere in seipsum, amando seipsum, at per hanc actionẽ, non producit seipsum; quia non est actio productiua: at dilectio notionalis est de sui natura productiua, ergo dum conuertitur super personas diligentes, vtique eædem personæ producent seipsas. Concluditur ergo nil valere effugium hoc, sicut nec alia allata ad Scoti rationes.

Torris defectio ad Scotum.

16 Rationes istas Scoti adeò difficiles censet Torres, vt fateatur se nescire indagare solutionem, vnde coactus, & conuictus recedit præter morem à sententia D. Thomæ.

P. & F. diligunt se S. s. est verissima.

17 His actis, dicimus primo, propositio hæc. *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto*, est proprijssima, & verissima, & ideò est concedenda. Assertio est D. August. & communis Theologorum, & remanet probata supra cõtra Gotfredum, vnde non est necesse amplius immorari.

An sit propria notionaliter.

18 Dicimus secundo. propositio hæc, *Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, sumpta dilectione notionaliter, est impropria, & falsa*. est Scoti, & discipulorum, & ex Thomistis Torres ad loc. cit. D. Thom. sufficerent autem probationes allatæ contra fundamenta D. Tho. sed breuiùs confirmatur. si est vera notionaliter, ergo Pater & Filius spirant seipsos. Item, ergo spirant seipsos Spiritu sancto: vtrumque est falsum: patet falsitas, & prob. cõsequen. idem est diligere notionaliter, ac spirare per D. Thom. sed diligunt se notionaliter Spiritu sancto. ergo spirant se Spiritu sancto: & Pater, & Filius essent spirati: essent etiam spirati à seipsis, etenim producerent seipsos: at nec Pater spiratur, nec Filius, & Pater habet esse improductum & inspiratum. Item Spiritus sanctus non est principium essendi Patri, & Filio, ergo nec erit principium quo se diligendi. antecedens patet, cum ipse habeat esse à Patre, & Filio, non è contra: & prob. consequ. nam ablatiuum illud dicit circunstantiam causæ formalis; & diligere notionaliter idem est ac producere, & spirare, ergo falsa est propositio sic notionaliter tenta dilectione. rationibus alijs probata remanet, iam adductis improbando fundamentum Thomistarum.

An sit propria essentialiter.

19 Dicimus tertio, si diligere sumatur mere essentialiter, propositio ista, diligunt se Spiritu sancto, est falsa omnino: assertio hæc est communis Scoti, & D. Thom. & prob. idem sunt in diuinis esse, & diligere: sed Pater, & Filius non habent esse à Spiritu sancto, nec per Spiritum sanctum, ergo, vt sic, nec diligunt se essentialiter Spiritu sancto. Item Pater, & Filius diligũt se antequam intelligatur productus Spiritus sanctus, ergo non indigent Spiritu sancto, vt diligant se. denique Augustinus ait 15. Trin. cap. 7. *In illa Trinitate quis audeat dicere, Patrem, nec seipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctũ diligere, nisi per Spiritum sanctũ eodemque modo Filium non diligere, nisi per Spiritum sanctum?* Absurdum quoque sequitur ex eod. August. nam eo concesso, sequeretur *Patrem esse sapientem sapientia genita*, quod falsum reputat Augustin. ergo falsum quoque erit diligere Spiritu sancto, sumpta dilectione modo essentiali.

Vera mixto modo.

20 Dicimus quarto propositio hæc, mixto, & medio modo sumpta inter essentiale, & notionale, verissima & proprijssima; Est Scoti supra. sẽsus est, vt nec sumatur pure essentialiter, nec pure notionaliter, sed partim essentialiter, partim notionaliter. prob. non est vera notionaliter ex secunda assertione: nec vera essentialiter ex tertia, ergo erit vera partim essentialiter, partim notionaliter ex quarta assertione. antecedens patet, & prob. consequent. nam propositio est vera ex prima assertione: at erit vel notionaliter, vel essentialiter, vel mixto modo: sed non est vera pure essentialiter, & pure notionaliter, ergo erit vera mixto modo.

In Verbo duæ relationes.

21 Qualis vero sit modus iste medius, explicatur per analogiam ad Verbum. Et quidem in Verbo duæ relationes concipiuntur, vna ad Dicentem, & Exprimentem, quæ est relatio Expressi ad Exprimentem: & altera est Declarātis ad Declarabile, seu Declaratum; prima est ad Patrem producentem Verbum, estque relatio hæc mutua, vt Patris ad Filium, & Filii ad Patrem, seu Dicentis ad Verbum dictum, & Dicti ad Dicentem: est etiam relatio ista realis, quia inter extrema realia, & realiter distincta, consurgitque ex natura rei, vt inter generantē, & genitum: producentem, & productum. Altera est non mutua, nec realis sed rationis: estque relatio quam dicit Verbum, seu conceptus mentis ad omnia intelligibilia, & declarabilia à memoria in actu primo, per verbum in actu secundo; quādiu namque habemus obiectum in mente sub ratione actu intelligibilis, seu in actu primo repræsentatum per speciem intelligibilem, tamdiu declaramus ipsum obiectum intelligibile, sed solummodo declaramus illud in potentia, in actu primo, remote, & habitualiter; quando autem producimus actu verbum ipsum mentale, siue vocale, tunc declaramus, & manifestamus illud actualiter, & proxime, & in actu secundo, quo mediante actu, siue mentis, siue vocis exprimimus, manifestando siue mentaliter, siue vocaliter, quidquid latet in mente: & hæc manifestatio dicit relationem Declarātis ad Declarabile: quæ quidē mutua non est, etenim relatio scibilis ad scientiā, & scietiæ ad scibile nō est mutua, cum possit esse scibile sine sciētia, at scientia pendet essentialiter ab obiecto scibili, à quo trahit suam specificationem, vnde bene infertur, est scientia, ergo scibile, non è contra; ideoque relatio ex parte quidem sciētiæ est realis, ex parte autem scibilis, rationis, cum nihil reale adueniat ipsi obiecto scibili ex eo, quod sciatur, cum tamen quid reale, & totum esse suum reale assequatur scientia ex eo, quod à scibili obiecto producitur.

22 Ad diuina redeundo, in Verbo diuino producto, relatio exprimētis Patris ad Verbū expressū, & productū, est realis, vt est dictū, & mutua, at relatio, quam idem Verbum importat declarando, & manifestando quæ latent in mēte Patris, est rationis, & nō mutua: patet quia Verbum manifestat ōnia obiecta intelligibilia, tū ad intrà, tùm ad extra, licet ordinate: at ad extra non dicit Deus relationē realē, sed rationis, Item creaturæ referuntur ad Deum realiter, cum ab eo dependeāt, sed non è conuerso. Denique Verbo competit appropriate declarare, & manifestare omne intelligibile, quia procedit per intellectum, & ideo est Verbum, quia exprimit, & declarat id quod latet in mente. *Pater dicit Verbo declarat.*

23 Ex his deducitur, quod propositio ista vera est, *Pater dicit Verbo*: est autē sensus duplex, primus, Pater dicit Verbo, idest Pater producit Verbum: secundus, & per Verbum productum declarat appropriate, id, quod latet in mente. Declarare autem contingit dupliciter, originatiue, seu principatiue: & formaliter: illud competit producenti, hoc competit producto: exemplum, si in speculo essent ab initio impressæ imagines omnium repræsentabilium: repræsentaret vtique omnia illa: at repræsentatio haberetur dupliciter, tum originatiuè, tum formaliter, originatiue quidem à producente speculum, vnde diceretur Artifex speculi repræsentare, & manifestare principiatiue: speculum vero diceretur repræsentare formaliter. Pater quia producit Verbum, quod repræsentat omnia, dicitur etiam ipse Pater repræsentare, sed originatiue, & principiatiue: Verbū vero repræsentat formaliter, & repræsentatio talis Verbi est solummodo appropriata, non propria; quādoquidem repræsentare proprie conuenit notitiæ essentiali, & ingenitæ, nam per illam omnes personæ intelligunt omne intelligibile: at quia Verbum ex vi suæ productionis est notitia producta, ideo sibi appropriatur ipsa repræsentatio.

24 Ex his consimiliter descendamus ad Spiritū sanctum; in ipso nāq; duplex est habitudo, altera Expressi ad Exprimentem, vt est relatio spirationis actiuæ, & passiuæ: quæ est realis *In Spiritu sancto duplex habitudo.*

lis, & mutua ad Patrem, & Filium, & è conuerso, vt dictum est de Verbo: altera est ad res amatas, quia Spiritus sanctus ex vi productionis suæ habet vt sit amor omnis obiecti amabilis: hæc vero est rationis, & non mutua, vt etiam dictum est de Verbo. Ex hac autem parte, qua Spiritus sanctus est amor, competit ei ratio acceptibilitatis, qua mediante amando acceptat ipsa obiecta amata: sicut Verbo, quatenus est notitia, competit ei ratio declaratiuitatis, qua declarat omne declarabile, & scibile. Eidem Spiritui sancto communicat Pater, & Filius amorem essentialem, quo omnes personæ seipsas, & in inuicem diligunt: verum amor hic, licet nulli personæ sit proprius, quia communis, nihilominus appropriatur Spiritui sancto, quia procedit per voluntatem, & ex vi suæ processionis habet, vt sit amor, sicut notitia appropriatur Verbo, quod ex sua productione habet, vt sit notitia.

P. & V. diligunt se Spiritu sancto declaratur ex Sco. 25 His actis consurgit declaratio axiomatis, *Pater, & Verbum diligunt se Spiritu sancto*, sensus est, Pater & Verbum spirant Spiritum sanctum eique communicant amorem essentialem, quo Pater, & Filius diligunt se, & omnia. In hac autem explicatione duplex inuoluitur sensus, primus est, producunt Spiritum sanctum: secundus, communicant ei amorem essentialem, quo diligunt se, & omnia: & ita verum erit, quod Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. Hinc elicitur quod dicebamus in vltima assertione, quod propositio tenet se mixto modo: & quidem se tenet essentialiter, quatenus communicant ei amorem essentialē: se tenet notionaliter, quatenus notionaliter spirant Spiritum s. vnde remanet, vt non sit mere essentialis, nec mere notionalis, sed partim essentialis, partim notionalis. Est & altera declaratio, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto non quidē formaliter, cum nequeat esse Spiritus sanctus forma, & ratio diligēdi, vt est dictum; ratio namque formalis est dilectio communis, & essentialis: diligunt autem se Spiritu sancto principiatiue, quatenus producendo Spiritum sanctum communicant ei amorem essentialem, quo Pater, & Filius diligunt seipsos. Declaratur tertio diligunt se Spiritu sancto appropriate; quatenus ei appropriatur amor essentialis, quo diligunt se inuicem. Elicitur ex Scoto in fin. quæst. ante solut. argum. Sed obstabis, quia Scotus impugnauit hunc modum dicendi, vt patuit sup. Resp. quod illi Authores aiebant in tantum appropriate diligere Spiritu sancto, inquantum videbatur illis Spiritum sanctum esse rationem formalem diligendi, ita vt dilectio se teneret notionaliter: & hoc quidem Scotus impugnat: sed tenendo dilectionem essentialiter, non est contra eum, quia ea appropriatur Spiritui sancto: & ideo adhibitis declarationib. factis, verum erit diligere Spiritu sancto appropriate, vt est dictum. Et hunc modum exprimit clarius penes Scotistas Paulus scriptor ad loc. Scoti, inquiens, *diligunt se Spiritu sancto, quia producunt Spiritum sanctum, qui appropriate est amor omnis amabilis.*

26 Lychetus ait, *diligunt se Spiritu sancto, quia producūt amorem, qui est Patris, & Filij.* In ista vero glosa desideratur illud *appropriate*, vt ostendatur, Spiritum sanctum non esse rationem formalem, & propriam dilectionis, cum sit amor essentialis ratio talis, sed quia Spiritus sanctus est amor appropriate, ideo addi debet, *appropriate.* Vigerius inquit, *diligunt se Spiritu sancto, qui est amor vtriusq;* *Ex alijs.* Verum insurgit eadem amphibologia, non enim declaratur qualis amor sit iste, vtrum proprius, an appropriatus, ideoque explicari etiam debet per ly, *appropriate.* Alij explicant, *Producunt Spiritum sanctum ipsos diligentem, & acceptantem:* Verum per hoc non exprimitur dilectio mutua Patris, & Filij, sed potius dilectio Spiritus, erga Patrem, & Filium. Item destrueretur propositio per talem sensum, non enim verum esset, quod diligerent se inuicem, sed esset verum, quod diligerentur à Spiritu sancto. Quidquid tamen sit, declarationes illæ tres priores sunt veridiores, atque magis consentaneæ Scoto, & Augustino. Accedit, quod sicut ista est vera,

Pater dicit se Verbo; est autem sensus Pater producit Verbum, declarans ipsum Patrem; ita erit vera ista, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, vt sit sensus, Pater, & Filius producunt Spiritum sanctum diligentem ipsos vel manifestantem amorem vtriusque appropriate, cum ipsi appropriétur amor: sicut vero ipsi appropriatur amor, sic eidem conuenit manifestare eorum amorem appropriate.

Obstatur 27 Obstatur contra dicta. Pater, & Filius diligunt se antequam intelligatur spiratus Spiritus sanctus; ergo falsum, diligere se Spiritu sancto. Antecedens prob. nam essentialia, vt dilectio essentialis, præcedunt notionalia. Confirmatur, Pater antequam generet Filium est perfecte beatus; ergo ātequam vterque spirent Spiritum sanctum, sunt perfecte diligentes se ipsos.

Respond. Respond. antequam intelligantur spirare, vtique seipsos diligunt, sed dilectione essentiali, quæ formaliter inexistit eis: post vero spirationem diligunt se dilectione notionali principiatiue, quoniam producunt Spiritum sanctum, qui est dilectio notionalis producta, cui Spiritui sancto conuenit appropriate declarare per suam dilectionem, amorem Patris, & Filij, immo omnis obiecti amabilis: itaque ante spirationem diligunt se amore essentiali formaliter: & post spirationem diligunt se amore notionali principiatiue.

Actus notionalis an cõuersiuus 28 Obstabis, actus notionalis non est conuersiuus super suum principium; non enim est verum, quod Pater, & Filius spirant seipsos: sicut nec est vera, quod Pater generat sē: ergo falsa erit Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto. Respond. antecedens esse verum de conuersione actus notionalis, notionaliter tenti, falsum vero de conuersione notionalis tēti essentialiter; sensus est, vt actus dilectionis notionalis, siue spirationis non conuertatur super Patrem, & Filium spirantem, alias Pater, & Filius essent termini spirationis, & acciperent esse per spirationem, & ita essent personæ spiratæ: at quod dilectio spirata, siue Spiritus sanctus spiratus cōuertatur, & reflectatur super Patrem, & Filium spirantem, amando eos, & manifestando per suam productionē amorem eorum, id non est inconueniens, immo est verum.

Obstatur. 29 Arguitur, propositio hæc vel sumitur essentialiter, vel notionaliter: nullū istorū, ergo. prob. primū, nullū essentiale inest vni personæ per aliam à sè productā; nō. n. Pater habet sapiētiam à Filio, à se producto, ergo nec Pater, & Filius habent dilectionem à Spiritu sancto à se spirato.

Respond. Responsio patet ex quarta assertione; non enim sumitur essentialiter, sed mixto modo communicando amorem essentialem per spirationem Spiritui sancto, qui est amor omnis amabilis, dicens habitudinem ad obiectum amatum, amando Patrem, & Filium, ac manifestando amorem Patris, & Filij, ac cæterorum, licet ordinate. Habitudo autem ista, siue relatio ad res amatas est in ordine ad Patrem, & Filium principiatiue, in ordine vero ad ipsum Spiritum sanctum est formalis, quia Pater, & Filius spirant principiatiue Spiritum sanctum, qui formaliter diligit omnia, sed per amorem suum declarat appropriate amorem omnium.

Cur Augustinus retractauit illã, & non istã 30 Obstatur, Augustinus retractauit illam, *Pater est sapiens sapientia genita*: ergo ob eandem retractationē debet retractari ista, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. Antecedens patet, prob. consequent. ratio retractationis illius fuit, ne daretur intelligi Patrem perfectiorem aliquā recipere à Filio, nempe sapientiam; ergo idem videretur hic asserendum, quod reciperent perfectionem amoris, & dilectionis à Spiritu sancto, si diligerent se Spiritu sancto. Respon. vtique inde motum fuisse Augustin. ideoque neganda est illa, *Pater sapit sapientia genita*: cum autem infers, idē dicendum esse de dilectione, negatur consequ. ratio, quia dilectio hoc in loco non se tenet essentialiter, & per consequens nullam perfectionem essentialem dilectionis recipiunt à Spiritu sancto, immo seipsos diligunt antequam intelligatur spiratus Spiritus sanctus: sed dilectio illa se tenet notionaliter: cum vero Pater, & Filius

non

non diligunt mediante dilectione notionali, sed essentiali, vt constat, hinc nullus poterit oriri scrupulus, dicendo se diligere Spiritu sancto, sicut dicendo, quod Pater sapiat sapiẽtia genita, nam sapientia genita est notionalis, at non sapit sapientia notionali, sed essentiali. Dices, si non sapit sapientia notionali, & non diligit dilectione notionali, curergo conceditur diligere Spiritu sancto, qui est dilectio notionalis? Respond. ex dictis, quod diligunt se dilectione notionali, non quidem formaliter, sed principiatiue; dilectione enim essentiali diligunt se formaliter: seu diligunt dilectione notionali manifestatiue, quia Spiritus sanctus dilectione notionali productus manifestat amorem Patris, & Filij, & amorẽ sibi communicatum à Patre, & Filio seu diligunt se modis alijs explicatis supr. ne igitur videatur, Patrem perfectionem sapientiæ recipere à Filio ideo negatur illa, Pater sapit sapientia genita; dicendo autem diligunt se Spiritu sancto nullam videntur recipere dilectionis perfectionem à Spiritu sancto ideo conceditur ista, quia dilectio se tenet non essentialiter, sed principiatiue. Dices, iam est concessum se tenere etiam essentialiter propositionem illam. Respond. diligere se dilectione quidẽ essẽtiali formaliter, sed principiatiuè, manifestatiuè. & ap̄priatè dilectione notionali: itaut, licet de principali significato dilectio significet quid essẽtiale, quo se formaliter diligunt, de connotato tamen important quid notionale, quo diligunt se principiatiuè, appropriate, & manifestatiue.

Sapere, & diligere quomodo sumitur.

31 Alia ratio, ob quam negatur illa, & conceditur ista, est, quia *sapere* in diuinis sumitur penes Patrem formaliter essentialiter ex Scot d. 32. q. 1. 2. & D. Tho. q. 37. art 1. & 2. quod si essentialiter sumitur, non potest tribui sapientiæ notionali genitæ, & ita sapiet sapientia ingenita, non autẽ genita: diligere vero sumitur partim essentialiter, partim notionaliter, ideo in sensu essentiali dat intelligere, quod diligant se mediante amore essentiali formaliter: in sensu autem notionali dat intelligere quod diligant se dilectione notionali, seu Spiritu sancto, non quidem formaliter, sed principiatiue: quapropter, propositio hæc, *diligunt se Spiritu sãcto*, potest habere suum sensum, reddendo singula singulis & ideo in suo sensu concedenda: illa vero; *sapit sapientia*, non potest trahi ad sapientiã genitam, quia sapere formaliter ad intra vsurpatur pro sapientia ingenita, Filius vero non potest esse Patri, ratio, vt sapiat sapientia genita.

QVAE-

QVÆSTIO XX.

Vtrum Pater, & Filius Diligant creaturas Spiritu sancto.

1 Visum est, vtrum Pater, & Filius diligãt Spiritu sancto seipsos: modo videndum vtrum eodem Spiritu sancto diligant Creaturas. Resolutio colligitur ex quæstione, iam decisa, vtrum Verbum, & Spiritus sanctus procedant ex cognitione, & amore Creaturarũ, vnusquisque enim respondebit consequenter ad illius quæstionis principia: quæstio nãque ista videtur quoddam corrolarium quæstionis illius. Thomistæ igitur, qui Spiritum sanctum produci docent ex amore creaturarum, docent consequenter Patrem, & Filiũ diligere creaturas Spiritu sancto: potestque suaderi opinio, Primo, Spiritus sanctus ex vi suæ processionis est amor omnis amabilis, ergo precedit vt amor etiam creaturæ; ergo Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto, antecedens patet, & prob. conseq. nam in essentiam productionis Spiritus sancti ingrediuntur Creaturæ producente Spiritum sanctum Patre, & Filio ex amore; ergo ex amore omnis amabilis, ergo mediante amore Spiritus sancti amant creaturas. Secundo Pater, & Filius producendo, communicant Spiritui sancto eũdem numero actũ amoris, quo Pater, & Filius diligunt Deum, & creaturas, ergo diligunt Deum, & creaturas Spiritu sancto: antecedens patet, vnus namque est actus amoris, quo diligunt Deum & creaturas & non plures, & eodem feruntur ad Deum, & ad Ceaturas. Tertio Spiritus sanctus est formaliter, & proprie amor: at est ille amor, quo Pater, & Filius diligunt creaturas, ergo Spiritu sancto diligunt creaturas. Quarto, Pater Verbo dicit tum sè, tum creaturas, ergo Pater, & Filius Spiritu sancto diligunt sè, & creaturas, non enim videtur maior ratio hic, & ibi, & è conuerso. Deniq; sub latitudine amoris Dei cõprehenditur omne diligibile, tum ad intra tũ ad extra, prob. est enim amor eius infinitus nedũ intensiue; verum & extensiue. Confirmatur, concedunt Scotistæ Spiritum sanctum esse amorem Essentiæ, quidem primo, & personarum concomitanter: cur non concedent etiam esse amorem creaturarũ, saltem concomitanter, vt Pater, & Filius dicantur creaturas diligere Spiritu sancto saltem concomitanter? Tenet ergo D. Thom. quæst. 37. art. 2. Spiritum sanctum procedere, vt amorem bonitatis diuinæ, secundum quam Pater amat se, & omnem creaturam, & ideo Patrem diligere se, & omnem creaturam Spiritu sancto.

Sentẽia D. Thom.

2 Sit nihilominus primum assertum, Pater, & Filius non diligũt creaturas Spiritu sancto proprie; est Scoti & discipulorum, & quotquot cum eo sustinent nec Verbum, nec Spiritum sanctum procedere ex cognitione, & amore creaturarum, vt habitũ fuit in propria quæst. attingit vero hoc assertum in proprijs terminis Scot. 1. d. 32. quæst. 1. lit. G. vbi ait, *Patrem & Filium non eodem modo diligere se, & creaturas Spiritu sancto.* ne autem videatur hoc assertum esse contra Scotum, declarandum est prius. Cum igitur in assertione dicamus

P. & F. nõ diligunt creaturas Spiritu s. proprie.

mus nō esse verum, diligere creaturas Spiritu sancto, assertio intelligitur de dilectione notionali, & vt sic nec erit contra Scotum, nec contra sententiā probabiliorem. probatur autem, primo iisdem argumentis, quibus quæst. anteceden. probatum fuit Patrem, & Filium non diligere se Spiritu sancto, dilectione se tenente notionaliter tātum: eædem namque rationes pugnāt pro assertione ista, & non est maior ratio ibi, quam hic; ostensumque fuit, rationem formalem esse amorem essentialem, quo formaliter diligunt sé, ergo eadem ratione formali diligent etiam creaturas: sequitur hoc, alias ro namque ex his actibus diligent se, & creaturas, vel essentiali, vel notionali: non notionali formaliter, cum suppositum dilectionis notionalis, quod est Spiritus sanctus, non possit esse forma nec consequenter ratio formalis alteri in diligendo; igitur restat, vt diligāt se, & creaturas dilectione essentiali, cæteræ rationes, vt ibi. Addendo vero probatur vlterius, Spiritus sanctus non procedit ex amore creaturarum; ergo non diligūt creaturas Spiritu sancto. assumptum probatum remanet in propria quæst. Insuper, Pater, & Filius diligerent creaturas omnino necessario, etiam quoad actualem earū existentiam, quidquid sit de earum possibilitate: assumptum sequitur, si namque diligunt Spiritu sancto, tanta vtique necessitate diligerent eas, quāta diligunt Spiritum sanctum, tum quia ingreditur per consequens, amor creaturarum in essentiali constitutione Spiritus sancti, tum quia necessariam relationem dicet ad creaturas Spiritus sanctus, prout ad constitutiuas ipsius per ipsarum amorem [illegible] tamen sit de his, & [illegible] de quibus ibi intentum assertionis, [illegible] diligant Spiritu sancto proprie, prob. amor, quo seipsos, & creaturas diligunt nullius personæ est proprius, patet, quia Trinitati cōmunis, ideoque appellatur essentialis, quia communis; ergo Spiritus sanctus non erit, quo proprie diligant creaturas.

Non diligunt creaturas Spiri

3 Secunda assertio, Pater, & Filius non diligunt creaturas Spiritu sancto originatiue, seu principiatiue, prob. Pater, & Filius producendo Spiritum sanctum non producunt eum ex amore creaturarum; ergo nec principiatiue diligunt eas Spiritu sancto. Item ante productionem Spiritus sācti non intelliguntur amare, nisi obiectum primarium, non autem secundarium; ergo spirando eum non spirant ex amore creaturarum, & consequenter non diligunt creaturas Spiritu sancto principiatiue. Assertio hæc diuersa est ab assertionibus præcedent. quælibet quibus dicebamus, Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto principiatiue, siquidem producendo illum, & diligendo seipsos, communicant quidquid communicari oportet, pertinens ad personam Spiritus sancti. & propterea diligunt se, communicando illi amorem essentialem, quo se inuicem diligunt, & quo ipsemet diligit Spiritus sanctus productus ab eis: at in præsentiarum, per dilectionem creaturarum minime spiratur Spiritus sanctus, & consequenter diligendo creaturas non spirant tunc Spiritum sanctum, qui alias spiratus intelligitur ante amorem creaturarum, ideoque non erit verum, diligere creaturas principiatiue, & productiue Spiritu sancto, esset enim sēsus, quod produceretur ex amore creaturarum.

tiu. originatiue.

4 Tertio asserimus, veram esse propositionem, Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto appropriate. prob. Non diligunt Spiritu sancto proprie, ex prima assertione, ergo appropriate. Item amor appropriatur Spiritui sancto, ergo per ipsum amāre creaturæ appropriate. Insuper Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto appropriate, ergo consimiliter creaturas. Demum, Spiritus sanctus est amor omnis amabilis: sed non potest esse amor proprie, & essentialis, cum amor communis, nullius sit proprius, alias non esset communis, ergo erit amor creaturæ appropriate. Assertio est Scotistarum communis, & Richard. 1. 32. art. 1. quæst. 2. Barg. ibi. Herrher. 1. 11. q. 1.

Diligunt creaturas Spiritu s. appropriate.

5 Quarta Assertio, diligunt creaturas Pater, & Filius, Spiritu sancto, creaturas dilectione se tenente essentialiter. se-

Diligunt creaturas Spiritu s. dilectione

...a tenente effectualiter

quitur ex dictis:non enim diligunt dilectione notionali, seu principiatiue, vt est dictum: igitur dilectione essentiali. Adddit Bargius, concedi posse diligere nos dilectione notionali, eo sensu, nempe immittendo nobis Spiritum sanctum; cum namque dilectio notionalis sit idem, ac spiratio, & diligere notionaliter sit idem, ac spirare, sequitur, vt diligendo creaturas, dicantur eas diligere Spiritu sancto notionaliter, notione tamen ad extra, inspirando in creaturas Spiritum sanctum; hic quidem diligendi notionaliter modus est analogus ad illum ad intra, analogia se tenente cum æquiuocatione; etenim ad intra datur dilectione notionali Spiritus sanctus, & producitur vere in propria entitate, & persona simpliciter; ad extra non producitur, nisi in effectibus, & donis suis donando namque Spiritum sanctum nobis, producuntur Spiritus sancti dona, & effectus in nobis: vnde canit Ecclesia, *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*; renouatio autem, & recreatio formaliter non est Spiritus sancti, qui solùmodo in persona producitur ad intra: est vero renouatio, & recreatio ipsius creaturæ, recreabilis per dona Spiritus sancti: Siue dona Spiritus sancti sunt illa, quæ de die in diem renouantur, & recreantur per infusionem ad extra, sicque Spiritus sanctus dicitur renouari, & recreari in mentibus fidelium per dona ad extra.

Contradictio in Scoto soluitur.

6 Ex Scoto habemus aliquid difficultatis in hoc quæsito, ait namque in solut. ad vltim. *Non oportet concedere Patrem, & Filium diligere creaturas Spiritu sancto, sicut diligunt seipsos.* Et infra subdit, *Posset concedi quod Pater nō diligit creaturā Spiritu sācto, eo modo, quo diligit Filium*; igitur non diligunt creaturarum Spiritu sancto. Respond. Scotum non aduersari, sed exponere seipsum: & quidem non negat diligere creaturam Spiritu sācto, non enim absolute negat: sed negat diligere ad eum modum, quo Pater diligit Filium, & quo vtrique diligunt se inuicem: quod verissimum est: negat itaque non absolute dilectionem, sed comparationem in diligendi modo, vnde est asserendum, diligere quidem, sed nō eodem modo, & ratio assignatur ab ipso: quia Pater Filium diligit necessario: & Pater, & Filius diligunt se necessario, sunt. n. Deus, ens necessariū, & omni necessitate amabiles, dēpta à diuinis necessitate coactionis, & violētię: Creaturæ autē, vt creaturę pote cōtingentes, non amantur à Deo necessario, sed contingenter. Est apud eum altera ratio, quoniam Spiritus sanctus ex vi productionis suæ est amor primo Essentiæ, & concomitāter personarum, quatenus in natura diuina sunt necessario amatæ: at Spiritus s. ex vi processionis suę, nec primo nec concomitanter est amor creaturarū. hæ sunt rationes Scoti: vnde constat, non negare, amare Spiritu sancto creaturas Patrem, & Filium, sed negare amare eas eo modo, ea necessitate, qua amantur personæ inuicem.

Dilectionis ordo personarum, & creaturarū

7 Adde ordinem, quod erit tertia ratio faciens ad hoc: & quidē quādocunque concurrunt duo obiecta, quorum alterum est necessarium, & alterum contingens; prius, tum in ratione productionis, tum terminationis, erit obiectum necessarium, quam contingens: offeruntur autem diuinæ voluntati duo obiecta amabilia, primarium nempè, vt Essentia, perfectiones, & personæ; & secundarium, vt creaturæ, tum in esse possibili, tum reali: vtique ordinate incedēdo prius diuina voluntas terminabitur amando obiectum primarium, inde secundarium: & ita euenit, vt prius amet eorum, quod est ad intra, inde vero, completo ordine vtriusque productionis tum Filij, tum Spiritus sancti, se ferat voluntas amando creaturas ad extra, & sic amabunt quidem Pater, & Filius creaturas Spiritu sancto, sed post completum ordinem vtriusq; productionis ad intra. Et hinc alia ratio colligitur, vt Scotus dicat non eodē modo diligere se, sicut creaturas; vtique non eodem modo, quia non eadem necessitate, vt est dictum: item non eodem modo, quia non eodem ordine, prius enim fertur voluntas diligen-

diligendo Spiritu ſancto ad intra, inde diuinæ perſonæ diligent Creaturas Spiritu ſancto ad extra.

Spiritus s. ex vi proceſſionis eſt amor õnis amabilis: declar.

8 Rationes in oppoſitum ſoluuntur, & ad primam, vtique Spiritus ſanctus ex vi proceſſionis eſt amor omnis amabilis, ſed non eodem modo, nec eodem ordine, eſt .n. amor obiecti primarij primo, & completo ordine omnis productionis ad intra, eſt amor obiecti ſecundarij. Item obiecti primarij eſt amor neceſſario, ſecũdarij contingenter. Eſt denique amor non proprie, ſed appropriate: non notionaliter, ſed eſſentialiter.

Spiritui s. communicatur amor obiecti primarij, & ſecundarij, at non pro eodem ſigno.

9 Ad ſecundam, communicant quidem eundem amorem pro obiecto primario, & pro creaturis, at non pro eodem ſigno in ordine ad creaturas; ſiquidem amorem obiecti primarij communicãt ei pro ſigno ſuæ productionis: & amorem obiecti ſecundarij communicant pro ſigno ſubſequente ad ſuam productionem, licet ſit idem formaliter amor, diuerſus tamen obiectiue, & in habitudine prioris, & poſterioris ſigni.

Spiritus s. an ſit ille amor, quo P. & F. diligunt creaturas.

10 Ad tertiã, cum dicis, Spiritus s. eſt formaliter, & proprie amor. Reſp. vtique eſt proprie, & formaliter amor productus, nam eſt formaliter tertia perſona, quæ eſt amor. Ad minorẽ, cũ dicitur, quod eſt formaliter ille amor, quo Pater, & Filius diligũt creaturas, negatur, amor enim ille eſt improductus, hic productus: ille eſſentialis, hic notionalis: ille cõmunis, hic proprius, vt eſt amor ſpiratus; diſtinguuntur vero formaliter iſti amores.

Pater dicit Verbo tum ſe, tũ creaturas, at ordinate.

11 Ad quartam, concedo, Patrem dicere Verbo, tum ſe, tum creaturas, ſed ordinate, & pro diuerſis ſignis, nã dicit ſe primo, & quæ ſunt ad intra: at creaturas dicit poſt completum ordinem productionum; ita Spiritu ſancto diligunt primo, quæ ſunt ad intra: creaturas vero ad extra diligunt pro alio ſigno poſt completum ordinem omnium perſonarum.

12 Ad vltimam, vtique ſub latitudine amoris infiniti comprehenditur omne amabile, ſed ordinate, vt eſt dictum, & pro alio, & alio ſigno. Ad confirmationem, de antecedente iam patet ſupr. in propria quæſt. vtrũ Verbum procedat ex cognitione perſonarum: & ad conſequens, negatur omnino, quia cum Spiritus ſanctus non procedat ex amore creaturarum vllo pacto, ſequitur, vt Pater, & Filius minime diligant eas Spiritu ſancto, nec primo, nec ſecundario, nec concomitanter, niſi ad ſenſum in corpore explicatum.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum Spiritus sanctus diligat se seipso.

Argumenta negantium.

1 SVnt qui negant Spiritum sanctum diligere se seipso, & probari potest: Spiritus sanctus non potest esse principium suæ dilectionis, ergo nõ diligit se seipso. Item si principium esset suæ dilectionis, vel ea esset essentialis, vel notionalis: non prima, quia illa est improducta, non secunda, quia illa esset persona producta, & spirata, & ita Spiritus sanctus spiraret, & daretur quaternitas in diuinis. Denique nõ potest esse terminus suæ dilectionis, prob. si esset terminus, vtique per suam dilectionem esset productus, & ita produceretur à seipso.

Spiritus s. diligit se seipso.

2 Nihilominus est asserendum, veram esse propositionem, Spiritus sanctus diligit se seipso. probatur ex Augustin. 15. Trin. cap. 7. dicente post multa, *Ex quo colligitur, ita esse Patri dilectionem suam, vt intelligentiam, & memoriam suam: filium quoque intelligere, & diligere sibi: & Spiritum sanctum intelligere, & diligere sibi.* Ecce clare fatetur Augustinus etiam Spiritum sanctum *diligere sibi*, vt loquitur: est autem sensus, dilectionem suam refundi, & reflecti, ac terminari supra seipsum. Idem docet D. Thom. 1. d. 32 quæst. 1. art. 2. Marsil. quæst. 35. art. 1. & ex recentioribus, Vasq. 1. p. d. 151. art. 5. Suar. lib. 11. Trin. cap. 3. & consentiunt Scotistæ: sæpe namque Scotus prædictã affert authoritatẽ Augustini, vt ostendat nulli psonę deesse essẽtiales perfectiones cõmunes cæteris personis, inter quas sunt memoria & voluntas, sub ratione intelligendi, & amandi seipsas: igitur si Spiritus sanctus intelligit seipsum, ita & amat seipsum. formatur autem ratio, Spiritus sanctus intelligit seipsum per memoriam, & intelligentiam existentem formaliter in seipso, propter quod dicitur intelligere seipsum seipso; ergo amabit seipsum per voluntatem, & amorem existentem formaliter in seipso, propter quod merito dicetur diligere se seipso. Antecedens patet, non enim principium, & causa producit effectum, & terminum per formam existentem extra seipsum, sed in seipso, ignis namque non vrit per formam ignis existentem extra seipsum; ex quo deducitur, veram esse propositionem, ignis vrit seipso: ergo Spiritus sanctus diligit se seipso.

Obstatur.

3 Dices non tenere, nam non est vera hæc, ignis vrit seipsum seipso, sed vrit obiectum distinctum à seipso: ergo, nec erit vera, Spiritus sanctus diligit seipsum seipso, sed aliud à seipso. Item nullus actus est conuersiuus, & reflexiuus super Agens, à quo producitur; ergo nec Spiritus sanctus amorem suum reflectit in seipsum.

Respond.

Nullus actus est conuersiuus super Agens declaratur.

4 Ad primum negatur paritas, quia combustio Ignis est actio transiens, ideoque non est combustiua suipsius, nec comburit seipsum seipso, sed obiectum extra: at dilectio est actio immanens, quæ potest remanere intra suppositum eius, vnde merito diligit seipsum seipso. Ad secundum, vera maior de actione productiua, quia nihil producit seipsum: at de actione non productiua, sed operatiua, cuiusmodi est dilectio essentialis, potest illa conuerti in seipsum, diligendo mediante ea seipsum, & seipso.

5 Et ex his respondetur etiam ad argument. principalia, & primum argumen-

Dilectio, qua Spiritus s. diligit ſeipſum nõ eſt notionalis, ſed eſſentialis.

gumentum ſupponit falſum, nempe dilectionem illam eſſe notionalen, & productiuam, iam vero in duabus antecedenribus quæſt. dictũ eſt, Patrẽ, & Filium diligere ſe Spiritu ſancto, & creaturas, non dilectione notionali, ſed eſſentiali: quapropter pariformiter dicendum hic, dilectionem, qua Spiritus sãctus diligit ſeipſum ſeipſo, nõ eſſe notionalem, ſeu productiuam, ſed eſſentialem, & operatiuam. Et per hoc reſpondetur ad ſecundum, dilectionem illam non eſſe notionalem, ſed eſſentialem: ſupponit autem argument. hãc eſſe productam, ſed nequaquam, etenim Spiritus ſanctus non diligit ſeipſum dilectione producta à ſeipſo, ſed dilectione eſſentiali, & cõmuni, communicata ſibi à Patre, & Filio in ſua productione, illa autem eſt improducta. Ad tertium iam patet, non eſſe terminum productum per ſuam dilectionem, quia non diligit ſe dilectione productiua notionali: licet ſit obiectum ſuæ dilectionis, quatenus terminat in ratione obiecti dilectionem ſuam.

Spiritus s. diligit ſe ſeipſo declar.

6 Et huc applicanda veniunt quæ dicta ſunt in duab. quæſt. præced. eſt namque conſimilis omnium trium ratio: & quidem, falſa eſt propoſitio, quod Spiritus ſanctus diligat ſe ſeipſo principiatiue, & notionaliter. iam patet ex dictis, alias produceret, & ſpiraret ſeipſum. Falſum quoque eſt dicere, quod diligat ſe ſeipſo eſſentialiter proprie: patet ex præced. quia amor eſſentialis eſt cõmunis omnibus perſonis, & nulli eſt proprius. Denique vera erit propoſitio, qua dicitur, Spiritus ſanctus diligit ſeipſum ſeipſo, loquendo de dilectiõe eſſentiali appropriate, patet ex Auguſt. docente, *Omnes perſonas diligere ſibi*; patet etiam, quia amor eſſentialis eſt cõmunis, ergo eodem eſſentiali amore diliget ſeipſum. Quod vero talis dilectio ſe teneat appropriate, patet etiã ex præced. ſiquidem amor appropriatur Spiritui ſancto; ergo ſicut eſt vera iſta, Pater, & Filius diligunt ſe, & creaturas appropriate, ita vera etiam erit iſta, Spiritus ſanctus diligit ſeipſum ſeipſo appropriate. hæc amplius declarata fuerunt in præcedentibus, ex quibus colligitur conſimilis reſolutio, vt ibi, nec eſt vltro, vt videtur, addendum.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distinGueretur realiter ab eo.

ARTIC. I.

Ostenditur quæstionem non esse irrationabiliter motam.

Gotfredi opinio. 1 EXtimat Gotfredus quæstionem hanc esse irrationabiliter motam, & inde in vanum laborare Theologos, de ea disputantes. Fundamentum irrationabilitatis censet, esse incompossibilitatem, & contradictionem, inclusam in ipsis terminis quæstionis. Et quidem sic arguitur, Positio includens incompossibilia est irrationabilis, & minime admittēda; ratio quia ex ea statim sequitur redargutio, ad quam vltimato, tanquam ad maximum quod sic, inconueniens, posset deduci ipse arguens: sed in casu nostro daretur in talem redargutionem, ergo non est quæstio admittenda. prob. min. Enti summe necessario repugnat non esse, & impossibile est non esse: Filius est ens summe necessarium, consimiliter, & Spiritus sanctus; ergo ei repugnat non esse: at dato casu, nec Filius esset, nec Spiritus sanctus esset, ergo quæstio admittit quid impossibile. Quod vero vterque non esset, facile probatur, siquidem Filius est Spirator: ergo si non spiraret iam nō esset, nec Spirator, nec Filius: item Spiritus sanctus spiratur necessario à Filio: igitur si non spiraretur ab eo, iam non esset: cum igitur daretur in hoc incompossibile, vt Filius, & Spiritus sanctus non esset, vtique inutilis est quæstio, irrationabilis, & minime admittibilis.

2 In consimilem sententiam iuit Gregor. Arimin. & Gabr. in 1. d. 11. ex antiquiorib. censentes, nec remanere Filium, nec Spiritum sanctum, data hypothesi. Et denique ex recentioribus eandem amplexati sunt Molin. Sua. Vasq. arbitrātes aliquāto aliter ab his, non quidem absolute non remansurum Filium, & Spiritum sanctum, vt Suar. Sed non remanere sub eadem numero formali personalitate Filium, & Spiritum sanctum, vt Vasqu. itaut necessario, nedum personalitas absolute, sed talis personalitas, Filij, eatenus in eo sit, quatenus est spiratiua Spiritus sancti. *Gabr. Arimin. Molin. Sua. Vasq.*

3 Nihilominus dicimus quæstionem, & esse rationabiliter motam, & remanere easdem tum Filij, tum Spiritus sancti personas, data hypothesi, atque fore ambas distinctas realiter ab inuicem. Tria sunt, quæ dicimus, vnum vero, quod est primum, tantummodo probabimus in præsenti artic. cætera infra. Et quoad primum, pro fundamento iacimus, quod duplex reperitur hypothesis impossibilis, seu duplici ex capite consurgit impossibilitas propositionis alicuius; vel per locum intrinsecum, vel extrinsecum: prima ratio locum habet in eo, quod natura ipsa primitus, originarie, & ab intrinseco id renuit, respuit, tollit, alias eo admisso rueret ipsa natura, & nulla inde haberetur veritas, nulla concertatio, vt si dicamus, si homo nō haberet animam rationalem, vtrum esset intellectiuus, discursiuus, & volitiuus, vtique hypothesis ista includit impossibilia per locum intrinsecum; *Hipothesis impossibilitas ex duplici capite*

quia

quia esse intellectiuum, & volitiuum pendet originarie, & essentialiter ab anima intellectiua: quod si quæramus, vtrum homo esset animal rationale, si non esset risibilis, non quidem esset rationalis; at id penderet à negatione risibilis, non tanquam à loco intrinseco, sed extrinseco: etenim risibilitas non est de intrinseca ratione hominis, cum sit passio, & quid extraneum: impossibile autem erit esse rationale sine risibili, tum quia est eadem vtriusque realis essentia, ob identitatem realem ex Scoto; vel quia sit accidens inseparabile, ex alijs: est igitur positio hæc impossibilis, sed per locum extrinsecum.

Quæst. non est infructuosa, nec vana, nec irrationabilis.

4 Hoc supposito, propositio hæc conditionalis, si Spiritus sanctus non produceretur à Filio, non est infructuosa, nec vana: prob. quia ex ipsa elicitur inuestigatio principij distinctiui Spiritus sancti à Filio per locum intrinsecum, siue à priori: probatur etiã tum ex Augustin. tum ex Philos. ille quidem 5. Trin. cap. 6. quærit, *Vtrum si Pater esset innascibilis, potuisset nihilominus genuisse Filium*. at quæstio hęc agit de impossibili, nempe quod Pater non sit innascibilis: & nihilominus eã mouet August. vt inuestiget vtrum innascibilitas sit de primo conceptu cõstitutiuo Patris: & dum respondet, quod si non esset innascibilis nil prohiberet generare Filium, ostendit innascibilitatem non esse de primaria ratione constitutiua eius; vnde non sequitur per locum intrinsecum generatio Filij ex innascibilitate Patris, quia si non esset innascibilis, adhuc posset generare: modo vero de facto, vtique sequitur, eo quod cum Pater sit innascibilis, ideo generat, at id cõuincitur per locum solummodo extrinsecum. Sic pariter si Spiritus sanctus non esset à Filio, adhuc distingueretur ab eo, quia distinguitur per locum intrinsecum aliunde, quam per spirationem à Filio: quod autem de facto, ita distinguatur ab eo, quia spiratur ab illo, id prouenit per locum extrinsecum. Confirmatur, nam spiratio actiua non est de ratione constitutiua intrinsece, & essentialiter Patris, & Filij, sed est quasi passio eorũ: passio autem est quid posterius constituto essentialiter per intrinseca, vt patet. Item spiratio est aduentitia, non constitutiua, vt dicetur, quod si intrinsece non constituit, nec vtique erit ratio, vt per eam, tanquam per locum intrinsecum Spiritus sanctus distinguatur.

Si esset vna sola persona, an esset potẽs ad creandum.

5 Consimilem exagit quęstionem fundatam super hypothesi impossibili Richar. Victor. 3. Trin. cap. 16. quęrit enim, *Vtrum si per impossibile in diuinis esset vna sola persona, haberet nihilominus plenitudinem potentię, & scientiæ ad creandum*: & respondet, *quod sic*: vnde concluditur, quod licet de facto ad creationem concurrant omnes personæ, nihilominus data hypothesi impossibili, reperiri tantum vnam, inde deducitur Trinitatem personarum non spectare ad creationem per locum intrinsecum, sed extrinsecum. Denique Arist. 4. physic. disputat, *Vtrum si daretur vacuum, possit in eo fieri motus*; vnde infertur, plenitudinem loci excludentem vacuum, spectare quidem ad motum, sed non totaliter, & absolute per locum intrinsecum, quinimmo dato vacuo, posset haberi successiuitas motus ex distantia extremorum ipsius loci vacui; cũ namque extrema non sint simul, sed distent, inde etiam colligitur motus. Hypotheses illæ, tum Augustin. tum Richard. tum Arist. sunt impossibiles, & nihilominus non infructuose admittuntur, inde namque colligitur quæ sit ratio, vtrum à priori, vtrum à posteriori: vtrum ex loco intrinseco, vtrũ vero ab extrinseco pendens, resolutiua prædictarum hypothesum; & hinc quoque patet, vnde oriatur ratio distinctiua Spiritus sancti à priori, & per locum intrinsecum, atque extrinsecum, vt diceretur; non igitur infructuose mota est quæstio inter Diuum Thom. & Scot. finis namque fuit, rationem indagandi distinctiuam, siue à priori, siue à posteriori, siue per locum intrinsecum, siue extrinsecum.

Quanam positio impossibilis possit admitti.

6 Ad fundamentum vero Gotfredi, Respond. illam vtique positionem destruere seipsam, & reducere arguentem ad redargutionem, quæ fundatur super impossibilitate

penden-

pendēte à priori, & per locum intrinsecum: & talem non esse admittandam, vt probatum est: quæ vera positio id infert per locum extrinsecum, erit admittenda, ad indagandam veritatem rationis primo distinctiuæ.

7 Cum infert, summe necessario repugnat summum impossibile; impossibile autem est esse Spiritum sanctum, & non à Filio: & Filium esse, & non spirare. Respond. summe necessario repugnare non esse, at non eodem ordine, & modo; etenim repugnat nō esse per varios conceptus, quorum alter est intimior alrero: alter enim est de eius intrinseca ratione constitutiua, alter vero quasi passio, modus intrinsecus, proprietas, & huius generis. & quidem conceptus primi ordinis faciunt, vt Deo repugnet non esse, per locum intrinsecum, sunt namque conceptus proprij, & constitutiui ex proprijs, vt ens, existentia, Deitas, Spiritus, vita intellectualis. Extra hos sunt aliqui alij, qui extraneantur à ratione constitutiua, & essentiali, quoniam non sunt de essentia, vt modi intrinseci, attributalesque perfectiones, atque relationes ad intra: consimiliter personæ Filij competit conceptus filiationis, & generationis passiuæ, atque conceptus actiuæ spirationis: primus est constitutiuus, ideoque est sibi intrinsecus: secundus non constituit, quia est aduentitius, inuenit namque personam iam constitutam in esse suo: igitur si infertur, Filium non esse si non spiret, & Spiritum non fore si à Filio non spiratur, consequentia infertur per impossibilitatem sequentem per locum extrinsecum.

8 Siue etiam, cum dicitur, Filius non foret Filius, si non spirarer, id vtique sequitur gratia materiæ, non gratia formæ: Item sequitur de facto, quia iam Filius spirat, at data hypothesi impossibili, etiam Spiritus sanctus esset, si Filius non spiraret. Et denique non sequitur, quod Filius non esset Filius si non spiraret, sed sequitur quod non esset spirator; est enim Spiritus sanctus à Filio, non vt Filius est, sed vt spirator, ratio quia Filio, vt Filio non competit nisi esse genitum: at spirare competit Filio, tanquam spiratori, in sensu reduplicatiuo.

Filius si nō spiraret, an esset Filius

ARTIC. II.

Affertur sententia negans distingui realiter Filium à Spiritu sancto, si Spiritus sanctus non procederet ab eo.

SEntit secundo loco D. Thom. non distingui realiter Spiritum sanctum à Filio, si non procederet ab eo. Ita habet 1. part. quæst. 36. art. 2. & inclinat D. Bonauent. 1. d. 11. quæst. 1. arguendo contra Græcos: argum. 4. vbi ait, omnis distinctio personarum in diuinis attenditur penes relationē, & originem, ergo si Spiritus sanctus non procederet à Filio, nulla est ibi origo, nec mutua relatio, ergo nec distinctio. Fundamenta vero hæc potiora sunt, 1. est commune Theologorum axioma, quod *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*: at si non procederet à Filio, nō obuiaret inter ipsum, & Filium relatiua oppositio, ergo non distinguerentur realiter. Secundo, si inter Spiritum sanctum, & Filium adesset, data hypothesi, aliqua oppositio, & distinctio, vel ea esset disparata, vel relatiua, non relatiua, quia non procederet, nec disparata, prob. si disparata, ergo non distinguerentur realiter, prob. oppositiones disparatæ in diuinis non faciūt distintionem realem, patet de Patre, in quo paternitas, & spiratio actiua opponuntur disparate, sed nec faciunt distinctionem personalem, nec realē; non enim distinguuntur realiter inter sè. Tertio si Filius, & Spiritus sanctus distinguerentur disparate, data hypothesi quod non procederet, ergo duæ personæ producerentur relationibus disparatis, prob. personæ producuntur per ea, quibus distinguuntur: sed relationes disparatæ distinguunt, ergo, & pro-

Sententia D. Thom. negatiua probatur, rationibus.

producunt, & ita generatione actiua, spiratione actiua tanquã disparate dictis, pducerẽtur duæ psonæ, vt duo Patres, in Patre nãq; reperitur generatio actiua, & spiratio actiua. Quarto distinctio non est, nisi inter opposita: non autem opponuntur ea quæ distinguuntur disparate; igitur cum data hypothesi non procederet, nec quidẽ Filius, & Spiritus sanctus opponerentur, nec consequenter distinguerẽtur. Quinto, relatio aut distinguit secundum esse, quod habet, aut secundum relationem: non primum, quia, vt sic transit in essentiam, & est idem omnino, nec distinguit realiter, igitur secundum: at vt sic, distinguit solũ modo ab opposito correlatiuo, relatio .n. relatiui est relatio, & correlatio correlatiui. Sexto proprium est relatiui distingui solũ à suo correlatiuo, sicut Pater à Filio, ergo per relationem Filius distinguitur à solo Patre, & non à Spiritu; ergo non procedendo, non distingueretur ab eo. Septimo intellectus, voluntas, Essentia, & attributa diuina; quamuis inter se sint disparata; nihilominus non distinguuntur ab inuicem realiter, quia non sunt opposita; ergo similiter relationes, quãuis disparatæ, quia non sunt opposita, non distinguent Spiritũ à Filio, si non procederet ab eo. Octauo õnis distinctio fit per aliquam oppositionẽ: sed data hypothesi inter Filium, & Spiritum sanctum, nulla esset oppositio, ergo nec distinctio. prob. min. omnis oppositio vel est relatiua, vel absoluta: & hæc, vel priuationis, vel negationis, vel affirmationis, vel contrarietatis: at nulla istarum adesset: prob. non relatiua, quia non procederet: non priuatiua, cum nulla re priuetur Deus, esset enim imperfecta illa persona: non negationis, & affirmationis cum hæc sit inter ens, & non ens: non denique affirmationis contrarietatis, cum hæc sit inter ea, quæ posita sub eodem gen re, se mutuo expellunt ab eodem subiecto; omnes autem istę distinctiones sunt disparatæ, ergo nulla adesset distinctio. Nono si Spiritus sanctus non procederet à Filio sequeretur nec Spiritum sanctum, nec Filium fore easdem numero personas, quæ nunc sunt, immò non essent in rerum natura, ergo, nec ab inuicem distinguerentur. Probatur vltima consequentia, quæ namque non habent esse non distinguuntur realiter inter sè, probatur verò assumptum, hæc nume ro relatio spirationis passiuę respicit Filium tanquam per sè terminum spirationis actiuæ, & spiratio actiua Filij respicit tanquam per sè terminum spirationem passiuam Spiritus sancti, ergo dempta hac relatione, sequeretur quod non esset Spiritus sanctus: quod verò nec esset Filius, probatur, quia hec numero spiratio postulat, & Patrem, & Filium, cui Filio communicata est vis spiratiua tanquam necessaria ipsi Filio, sed posita hypotesi, iam non esset hæc filiatio, & hic Filius, ergo nec esset idem Filius. Decimo. Spiratio actiua, & generatio actiua non sunt compossibiles terminatiue in eadem persona, ergo in casu nostro, nec distinguerent realiter Spiritum sanctum à Filio. Confirmatur filiatio, & spiratio sè habent in Filio sicut sè habent in Patre generatio, & spiratio, sed in Patre non diuersificant personas, ergo nec in Filio, ergo multo minus facerent distingui Filium à Spiritu sancto, si Spiritus non procederent à Filio. Argumenta alia, si quæ supersunt, afferentur in decursu quæstionis, Authores hûius sententiæ sunt Diuus Thomas, prima part. quæst. 36. art. 2. & Commentatores in eod. m loco, adducunt etiam Diuum Bonauenturam in primo dist. 11. quæst. prima licet per transennam attingat Saraphychus Doctor hanc sententiam contra Gręcos, vtendo fundamento distinctionis relatiuæ inter diuinas Personas, adduci tur etiam Duran. Herueus, Marsill. Gab. Greg, &c.

Addunt Concilia quædam pro sententia hac, & primo Concil. Tolet. 2. in confess. fid. ait de personis. *hoc solo numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & hoc solo numero carent, quod in sè sunt*: igitur dum ideo numerum habent personarum, earumque distinctionem, id ex eo prouenit, quia relatiuæ sunt, idẽ.n. est dicere, *ad inuicem sunt*, ac relatiuæ sunt, ergo si non essent

Oo

sent relatiuæ, seu si Spiritus sanctus non diceret relationem processionis ad Filium, iam non essent plures, & distincti ipse, & Filius. Item Coucil. Florent.sess.vlt. *Qui proferunt*, ait, *Spiritum sanctum distingui à Filio, & cum hoc procedere à solo Patre, substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur diuinæ substantiæ.* Sensus videtur esse, non posse contingere, vt Spiritus sanctus procedat à solo Patre, & distinguatur à Filio. Obstatut magis ex verbis alijs antecedētibus; *Nam*, inquit, *credentes Spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant Spiritum ex solo Patre procedere, ac consequenter eum esse Filium*; igitur ex Conc. patet, si ex solo Patre procedit, non distingui à Filio, sed esse Filium. Boetius etiam 1. de Trin. cap. 12. *Essentia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem*: Ergo non essent tres personæ, si non procederet à Filio. Nissenus etiam, *Personas* ait, *non distingui, nisi quia vna procedit ab alia.* Orat. prope fin.

ARTIC. III.

Proponitur, & defenditur sententia affirmans distingui realiter à Filio Spiritum sanctum, etsi non procederet ab eo.

1 OPposita sententia est Scoti in primo dist. 11. quæst. 2. & ante ipsum Henrici quolib. 5. q. 9. quos inde sequuti sunt Aureolus ibidem, atq; Occham, Gabriel, Rubbionis, Bassol. Anton. Andr. Baccon. 1. d. 13. q. 1. Aliacens. 1. q. 8. ar. 1. & Cartusianus, vna cum cæteris expositoribus Soti ad eum locum, sentiunt autem quod si non procederet à Filio, nihilominus distingueretur realiter ab eo.

Scoti sententia affirmatiua.

2 Quæstionem istam animaduertit Gregorius de Valent. tom. 1. disp. 2. q. 10. punct. 3. tractari posse, vel metaphysicè, vel theologicè. primo quidem modo veram ait esse sententiam Scoti, secundo autem modo, veram esse sententiam Diui Thomæ. Modus iste discurrendi vtique vtilis est, viam operit veritati; & quidem metaphysicè loquendo, negari non potest sententia Scoti, vt etiam ipse docet; modus verò discurrendi metaphysicè, est modus inquirendi facta suppositione, vt in casu nostro; modus autem theologicè procedēdi est modus discurrendi de facto iuxta fidei principia, docētis Spiritum s. de facto procedere à Patre, & Filio. Hoc supposito quærendū esset, vtrum Scotus metaphysicè tractet hanc quæstionem, an vero theologicè, nempè vtrum secundum id, quod de facto aduenit, an vero data hypotesi, & facta suppositione.

Quæstio dupliciter agitari potest, vel metaphysice, vel theologice.

3 Respondemus, Scotum agere metaphysicè, quod patet apertissimè ex eius doctrina, atq; discipulorū eius, quandoquidē loquitur, facta suppositione, etenim, apertè docet eum fide catholica, quod loquendo de facto, iam distinguitur realiter ab eo, quia de facto procedit ab eo, & hec etiam est communis sententia cæterorum, qui vnanimiter quæstionem exagitāt secundum datam hypothesim, non autem de facto; Et confirmatur, alias sententia opposita rueret, dum enim aiunt quod non distingueretur realiter Spiritus sanctus à Filio, destruerent distinctionem realem, & personalem Spiritus sancti à Filio, quod non intendunt asserere de facto, quia fides docet de facto procedere, & distingui, igitur concluditur, quęstionem exagitari data hypothesi, & metaphisicè. Hoc stante, nescio quid velit Gegorius de Valent. contra Scotum, dum ait, quod loquendo theologicè sententia Scoti est reijcienda, inquit enim quod Scotus quæstionem hanc theologicè videtur disputasse; sed nihilominus fallitur, quandoquidem, vt vidimus, Scotus non theologicè, sed metaphysicè disputat, vt faciunt omnes, & non de facto examinat, sed data hypothesi, quapropter malè interpretatur Scotū, impingens ei id, quod non sentijt, immò grauissima esset calun-

Scotus an disputet metaphysice.

Valentia perperam sentit de Scoto.

lumnia ipsi hoc imponere, idem namquem esset, ac dicere, quod quærat Scotus, siue dubitet vtrum Spiritus sanctus distinguatur à Filio de facto: solet vero Valentia perperam sentire de Scoto, vtpote minus vero sensum Scoti callens.

Sententia Aureoli Gabr. Arimin. Suar.

4 Sunt, & alij, qui inutiliter terminant quæstionem, ita respondendo, quod non distingueretur à Filio: eo innixi fundamento, quia, data hypotesi, nec Spiritus sanctus esset, nec Filius; hij sunt Aureol. cui accedit Suarez, & ante ipsum Gabr. & Gregorius. Verum nō est hæc mens principalium Authorum quæstionis, etenim suppositionem faciunt talem, ac tantum, vt metaphysicè loquendo, remaneat Filius, qua propter non remanente per impossibile Filio, immò nec Spiritu sancto, iuxta discursum istorum, de quo infra, vtique Spiritus sanctus non distingueretur à Filio: & patet, quomodo nāq; duo non entia possunt distingui realiter ab inuicē, siquidem inter ea, nec cadit identitas, nec distinctio, sed ex formalistis interuenit non identitas; supposito igitur, data hypotesi, remanere vtranque personam, quæritur vtrum inter eas intercedat vera, & realis distinctio.

Persona Filij non constituitur in esse personæ per spirationem actiuam.

5 His habitis, dicimus primo, Personam Filij non constitui in esse personæ per spirationem actiuam. Probatur, si de ratione Personæ Filij constitutiua est spiratio actiua, ergo ablata spiratione à Filio, methaphisicè loquendo, destrueretur Persona Filij, consequens non conceditur metaphisicè. Dixi metaphysicè, quia loquendo theologicè, iam sequeretur, quod ablata spiratione à Filio, destrueretur Filius; Et confirmatur ex eo quod filiatio, & spiratio actiua sunt idem realiter. Sequela itē ista theologicè sumpta teneret solummodo per locum extrinsecum, ita vt ablata spiratione actiua destrueretur Filius per locum quidem extrinsecum non intrinsecum, quoniam spiratio actiua in Filio extraneatur à constitutione essentiali Filij, cum nō sit de essentia eius, & hinc meritò Scotus spirationem Filij, sicut & Patris, appellat aduentitiam, siue aduenientem non constituentem.

Quidquid aduenit alicui iam cōstituto in suo esse quiditatiuo est aduentitium illi.

6 Et hinc etiam probatur amplius principale intentum sic, Quidquid aduenit alicui, iam constituto in esse quidditatiuo, & essentiali, non potest esse de ratione constitutiua illius; sed spiratio aduenit Filio, iam constituto in esse Filij intrinsecè, ergo non est de ratione constitutiua illius. Item spiratio actiua est communis Patri, & Filio, ergo non est constitutiua Filij; Probatur consequens, quia non magis esset constitutiua Filij, quam Patris, est enim communis Patri, & Filio, sed non constituit Patrem, ergo nec Filium; Insuper constitutiuum in diuinis est proprium vni, & non alteri, quia nō est communicabile alteri, vt patet de paternitate, Filiatione, & spiratione passiua, sed spiratio actiua non est propria Patris solius, aut solius Filij, sed communis vtrique, ergo non est constitutiua Filij; & eo magis quò est communicabilis Patri, & Filio. Hæc est communis sententia tum Scoti, tùm cæterorum, cui tamen nō se subscribit Aureolus.

Obstatur.

7 Obstabis prò Aureolo, De ratione Filij est quod sit Verbum sed de ratione Verbi est quod ab eo procedat amor, ergo de ratione Filij est quod spiret Spiritum sanctum, ergo spiratio actiua est de ratione constitutiua Filij. Ratio hæc non valet, quia ne a ur minor, etenim Verbum intellectus creati est sæpissime sine amore producto, vt patet; multa enim intelligimus, quæ non amamus; per accidens vero est, vt nostræ notitiæ coniungatur amor: Verbo autem diuino spiratio amoris eatenus appellabitur accidens, quatenus extraneatur ab intrinseca constitutione Verbi, vt loquitur Scot. cum sit notio aduentitia non constitutiua, non vero est accidens per accidens, separabile ab ipso Verbo, cum necessario spiret Verbum, in nobis autem erit accidens prædicamentale separabile à notitia ipse amor.

Obstatur. Respon.

8 Obstabit Aureol. alias compositionem reperiemus in diuinis, si nō sit de Verbi ratione intrinseca spiratio,

 tio,

tio,sicut filiatio. Insuper,eodem ordine communicatur Verbo spiratio, filiatio,essentia, ergo sub eadem ratione constitutiua. Ad primum patet ex quæst. de distinctione formali attributorum,vbi patuit non sequi compositionem. Ad secundum, negatur assumptum; etenim in diuinis semoto ordine durationis,& temporis,reperitur ordo naturæ, & ita in eodem instanti temporis & eternitatis sunt quidem simul Essentia, filiatio,& spiratio, nihilominus secundũ modum naturalem intelligẽdi, prius natura concipitur Essentia, inde filiatio, & postmodum spiratio, sed duo prima sunt de essentiali constitutione Filij,tertium verò est sibi ad uentitiumr

Si SS. non procederet à Filio, distingueretur realiter ab eo.

9 Dicimus secundo, si Spiritus sanctus non procederet à Filio,nihilominus distingueretur realiter ab eo.Probatur primo, Principium formale constituendi est etiam principium distinguendi à quocũque alio, sed filiatio constituit Filium in esse personali, ergo eadem filiatio erit principium distinguendi Filium à Spiritu sancto,ergo si per impossibile non spiraret, nihilominus per filiationem distingueretur Filius à Spiritu sancto; Maior est Aristotelis 4 met tex. 3. & declaratur quia per id,per quod aliquid est ens, est etiam vnum; & per id,per quod aliquod est vnum,est indistinctum à sè,& distinctum à quocũque alio, sed Filius per filiationem est Filius, ergo per filiationem est distinctus à quocunque alio, & consequenter à Spiritu sancto; Minor de sè patet, & probata remanet ex nuper dictis, non enim constituitur Filius in esse Filij per spirationem, ergo neque spiratio erit primum,& formale principium distinctiuum, igitur neque negatio spirationis erit totale principium negandi distinctionẽ Filij à Spiritu sancto.

Principiũ constituendi est principium distinguendi, à quocunq;

10 Ad hoc argumentum multipliciter respondent Thomistæ:videntes namque quam maxime vrgeri ab eo, in varias abeunt responsiones,& quidem primo ipsemet Diuus Thomas glosãdo maiorem ait, quod per principium constitutiuum formale distinguitur quidem constitutum ab illis dumtaxat, cum quibus alio modo conuenit, non autem ab illis,cum quibus minimè conuenit, vel saltem parum conuenit, exempli gratia, Homo per rationalitatem, tanquam per formalem principium constitutiuum, distinguitur solummodo à cæteris speciebus animalis, vt Equo,Pardo,& similibus, quia cũ his aliqualiter conuenit, nempe in animali, & in paucis differt;à lapide autem non distinguitur per rationalitatem, quia non conuenit cum lapide in animalitate,vt alia bruta,sed distinguitur per animalitatem,quandoquidem homo est animatus, & lapis est inanimatus: ita in proposito, Filius distinguitur à Patre filiatione, quoniam est eius formale principiũ constitutiuum,& conuenit Filius cũ Patre in actiua spiratione, sed à Spiritu sancto non distinguitur per filiationem,sed per spirationem actiuam, in quà non conuenit cum Spiritu sancto sicut homo distinguitur à lapide per animalitatem in quà minimè conuenit cum lapide.

Responsio.

11 Verum responsio hæc impugnatur,& quidem dicere quod homo non distinguatur à lapide per rationalitatem, id non videtur verum, & probatur, homo non distinguitur à lapide per rationalitatem, ergo lapis est rationalis.consequens hoc necessario sequitur, quæ namque sunt entia realia, & non distinguntur inter sè penes aliquam formalitatem, sequitur, vt in tali formalitate sint idẽ. Item lapis, & homo non solum distinguntur genere,sed etiam specie specialissima,sed ratio formalis constituens hominem in sua specie specialissima est rationalitas, quæ rationalitas non est ratio constituendi lapidem in conceptu suæ speciei specialissimæ,ergo rationalitas erit principium sufficiens, licet non adæquatum, distinguendi hominem à lapide.Insuper si per impossibile separetur ab homine animalitas, & quodcunque aliud ipsius hominis, vtique homo distingueretur à lapide per rationalitem,remanente rationalitate, ergo

Impugnatur.

ergo hæc erit bene principium,ſicut conſtitutiuum,ita,& diſtinctiuum à lapide,igitur à pari ſi ſepararetur ſpiratio à Filio,vtique filiatio erit principium diſtinctiuum ſicut eſt principium conſtitutiuum ; Et confirmatur,quia non eſt ſpiratio quæ conſtituit Filium,ſed eſt filiatio,ergo ablata ſpiratione,erit principium diſtinctiuum filiatio.

12 Caietanus reſpondet aliter ad argumentum, & primo ait,maiorem propoſitionem procedere de conſtitutiuo abſoluto,non autem relatiuo , quandoquidem conſtitutiuum abſolutum eſt etiam de ſe ſolo principium diſtinctiuum ab omni alio,At conſtitutiuum relatiuum nõ diſtinguit de ſe ſolo,ſed in ordine ad aliud, ad quod refertur, & ita diſtingueretur Filius à Spiritu ſancto per ſpirationem , quæ eſt conſtitutiuum reſpectiuum in ordine ad Spiritum ſanctum ; Ratio eius eſt, quia totum eſſe relationis eſt ad aliud ſe habere tanquam ad terminum , ergo eatenus diſtinguitur, quatenus refertur ad Spiritum ſanctum,igitur à primo ad vltimum,negata relatione proceſſionis Spiritus ſancti à Filio non diſtingueretur à Spiritu ſancto Filius. *Caetani reſponſio.*

13 Reſponſio hæc retunditur ex eodem principio ſuprapoſito, & quidem negari non poteſt tale principium, quoniam vniuerſaliter eſt verum,tum in abſolutis, tum in reſpectiuis,arguitur igitur,Per quodcũque aliud conſtituitur in eſſe ſuo, ſiue abſoluto,ſiue reſpectiuo,per illud diſtinguitur à quocunque alio, ergo ex ſe ſolo erit ſufficiens principium diſtinctiuum, & confirmatur,quia à quo habet vnitatem , ab eodem habet diſtinctionem à quocũque alio ; ſemper enim eſt verum , quod entitas abſoluta lapidis non eſt entitas abſoluta hominis,loquendo de abſolutis,& entitas reſpectiua ſerui non eſt entitas lapidis ſeruus autem eſt quid reſpectiuum , & lapis , non dicit relationem ad ſeruum , & nihilominus ſeruus diſtinguitur à lapide , & lapis à ſeruo, licet vnum non procedat ab altero, ergo licet Spiritus ſanctus non procedat à Filio nihilominus perſonalitas reſpectiua Filij erit diſtincta à perſona Spiritus ſancti. *Cõfutatur.*

14 Ad id quod dicit de relatione cuius eſſe ſit ad aliud, Reſpondemus vtique relationem eſſe formaliter entitatem reſpectiuam,nihilominus duplici modo relatio diſtinguit, etenim diſtinguit relatiuè à ſuo termino oppoſito correlatiue,& diſtinguit etiam diſparate à termino oppoſito diſparatè : in caſu autem noſtro,filiatio licet ſit formaliter entitas reſpectiua,nihilominus,quia terminus diſtinctionis eſſet terminus diſparatus quando Spiritus ſanctus non procederet à Filio , ideo non diſtingueret, niſi diſparatè, ſicut de facto dum procedit à Filio diſtinguit Spiritum ſanctum à Filio correlatiuè. *Relatio duplici modo diſtinguit.*

15 Dices filiatio in omni caſu eſt entitas relatiua , ergo ſemper diſtinguit correlatiuè , ſed in caſu noſtro Spiritus ſanctus non eſſet terminus correlatiuus, quia non procederet à Filio , ergo nec diſtingueretur per filiationem. Reſpondetur quod diſtinctio deſumenda eſt non ſolum ex parte relationis,ſed etiam ex parte termini : immò magis ſpecificationem ſumit ex termino quam ex ipſa relatione , terminus autem in caſu noſtro eſſet terminus diſperatus cum non diceret relationem ad Filium,& propterea relatio hæc diſtingueret diſparatè, & ita quamuis non diceret relationem ad Filium ipſe Spiritus ſanctus, nihilominus diſtingueretur diſparate ab eo , Et confirmatur,quia ſtante ex vno capite relatione,& reſpectiuo,& ſtante ex altera parte termino ſe habente diſparatè,ſequitur , vt conuenientia, vel diſconuenientia,ſiue diſtinctio,ſit diſparata,ad faciendam namque diſtinctionem ſiue correlatiuam, ſiue diſparatam adæquatè requiritur correlatiuitas, & diſparatio ex vtroque capite dum verò ex capite vno habetur relatio, & ex altero habetur diſparatio ſequitur, vt diſtinctio, vel ſit diſparata, vel relatiua ex vno capite,& ex altero diſparata. *Obſtatur. Reſpond. Diſtinctio deſumenda tum ex parte relationis,tum termini.*

16 Caetanus idem reſpondet ſecundo aliter,& dicit propoſitionem Scoti *Caet. reſpõſio diluitur*

Scoti concludere quidem de distinctione formali, non tamen de distinctione reali,& personali;hæc namque esset,sicut est, in Filio penes spirationem actiuam,& non aliunde. Responsio hæc est minus valida,quam prior: Et quidem dum ait distingui personaliter per spirationem, arguo, distinctio personalis est à cõstitutiuo personali: sed spiratio actiua non constituit personam Filij, ergo nec distinguit personaliter. Item quæro, distinctio hæc personalis habenda per spirationem, aut est intrinseca, & promanans ab essentiali constitutiuo personæ, aut extrinseca: si primum,ergo non poterit esse à spiratione, quia nõ est de essentia Filij: si secundum, igitur semota spiratione, remanebit iã Filius per filiationem, sicut constitutus,ita distinctus à Spiritu sancto personaliter. Denique, nihil distinguitur intrinsece personaliter per aliquid posterius se: at spiratio est posterior filiatione,ergo non constituit, nec distinguit intrinsece,nisi secundario Filium à Spiritu sancto.

Vasqu. respondet. 17 Vasquez 1. part. d. 147. respondendo aliter dicit, principium illud Scoti esse verum in constitutiuis realibus,non vero in principio constitutiuo rationis: illud quidem sicut erit principium constituendi,ita,& distinguendi;hoc autem non est necesse, vt distinguat à quocunque alio non constituente: cum vero constitutio Filij per filiationem non sit constitutio realis,sed rationis,non oportet,quod ea proprietate, qua constituitur,etiã distinguatur realiter,sed sola ratione, & ita non distingueretur Spiritus sanctus à Filio realiter,sed ratione. *Cõfutatur Vasquez.* Opinio hæc confundit Trinitatem, tollit distinctionem realem Filij, & Spiritus sancti nedum data hypothesi, verum de facto; dum ait relationes diuinas constituere personas non realiter, sed per nostrum modum concipiendi,at hinc facit Trinitatem imaginariam, & pendentem à sola nostra ratione, seu modo concipiendi, quæ omnino qualia sint, consideret Catholicus Theologus. Sed quidquid sit de eius mente; fortasse enim caeterus negat constitutionem esse realẽ, realem, quatenus tollit compositionẽ & componibilitatem,ex materia, & forma,& huiusmodi:nihilominus impugnatur aliunde.

18 Genus,& species,vt ipse quoque assumit, sunt entia logicalia,;& rationis,& tamen constituta per ea, sunt entia realia, homo namque constitutus ex animali, & rationali est etiã distinctus homo realiter à quocumque non habente animal, & rationale pro principio constitutiuo,vt patet,ergo dato,quod filiatio sit quid rationis, nihilominus constitutus Filius per eam, erit vere ens reale, & consequenter realiter distinctus à Spiritu sancto non habente pro principio filiationem. Insuper qualis est realiter distinctus à Spiritu sancto non habente pro principio filiationẽ. Insuper qualis est proportio constitutini realis, talis est, & constitutini rationis:sed illud facit differre à quocunque alio,ergo,& hoc, quapropter propositio illa erit vera de quocunque constitutiuo.Per constitutiuum rationis loquor hic ad mentem Vasquez, secundum terminos eius; quandoquidem vbi constitutiua sunt vere entia rationis,vtique constituta non different realiter, sed sola ratione; qualia namque sunt extrema distinguibilia, talis est eorum distinctio, si enim extrema sunt realia, distinctio erit realis;si extrema rationis, distinctio erit rationis,vt duæ chimeræ, duo entia rationis, duæ intentiones logicales, hæ namque, quia sunt vndequaque entia rationis,& constitutiua sunt rationis, etiam, & distinctio earum erit rationis tum inter sè, tum à quocunque alio: à primo autem ad vltimum, constitutiuum principium Filij non est rationis,sed reale, ergo distinctio eius à quocunque, & Spiritu sancto erit realis.

19 Molina prima part. quæst. 36. art. 2. disp. 3. respondet, propositionem Scoti esse veram aliquando,non tamen vniuersaliter,& semper,& dat instantiam,quia Natura, (verbi gratia) humana Socratis distinguitur realiter à natura, humana Platonis, non quidem ea ratiõne qua inesse humano constituuntur, sed quatenus *Cõfutatur Molinæ responsio.*

per

per differentias contrahitur ad Socratem, & Platonem, quod si humana natura, vt natura est, non distinguitur in Socrate, & Platone, sequitur, vt principium constitutiuum non sit necessario distinctiuum, quandoquidem natura humana est principiũ constitutiuum Socratis, & Platonis. Speculatio ista Molinæ est inutilis, & inanis, quia non capit mentem propositionis Scoti. Est autẽ intelligentia propositionis, quod principia constitutiua aliquorũ distinctorũ debẽt etiã esse distincta inter se, ad hoc, vt verũ sit, quod principia constitutiua sint principia distinctiua, vt patet in principio constitutiuo Hominis, & Equi, quod si tamen in duobus constitutis reperiatur idem principium constitutiuum, non sequitur, vt principia constituendi sint principia distinguendi, patet hoc in Diuinis, vbi eadem Diuina Essentia est principium constitutiuum Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & nihilominus non sequitur, vt eadem Essentia, quæ est principium constitutiuum Diuinarum Personarum, sit etiam principium distinctiuũ earundem; distinctio namque prouenit aliunde, ita etiam in argumento Molinę, Natura humana specificè cõsiderata, est eadem specificè in Socrate, & Platone, & per eandem constituitur in esse hominis Socrates, & Plato, & nihilominus non sequitur, vt ipsamet sit principium distinctiuum specificè Socratis à Platone, quia eadem prorsus est in Socrate, & Platone, procedit ergo Scoti ratio vbicunque principium distinctiuum multiplicatur, & distinguitur in terminis constitutis. Quò acto, applicando ad casum nostrum, iam filiatio, & spiratio sunt principia constitutiua distincta, quia termini sunt distincti, vt patet, vt sunt Spiritus sanctus, & Filius, quod si principia sunt distincta, ergo termini necessario erunt distincti.

Suar. respõdet. 20 Suarez de Trinit. lib. 10. cap. 2. concedendo Scoti propositionem, ait, Spiritum sanctum non constitui spiratione passiua absolute, sed spiratione, quatenus est à Patre, & Filio, & Filium constitui non quidem filiatione spectata absolute, sed quatenus habet secum principium spiratiuum annexum; quo fit, vt semota spiratione actiua à Filio, auferatur etiam spiratio passiua à Spiritu sancto, & non sit Spiritus sanctus; ita etiam, ablata spiratione actiua à Filio, non maneat adæquata ratio filiationis, quoniam Filius Dei est per se spiratiuus.

21 Contra hoc primo dicimus, quod Suarez tollit è medio robur disputationis, est autem disputationis neruus suppositio facta in titulo quæstionis, quæritur enim, vtrum distingueretur si non procederet; quæstio vero ista vnum supponit, & aliud quęrit; supponit namque, methaphysicè loquendo, remanere Spiritum sanctũ, & propterea quæritur, vtrum, remanente Filio, & Spiritu sancto, distingueretur à Filio Spiritus sanctus, quod si negas remanere vtrumque, nullus relinquitur locus disputationis, & ita incideremus in sententiam Goffredi; ergo primo loco est inutilis responsio Suarij. Secundo confutatur multis, & quidem proprietas hypostatica filiationis est distincta à virtute spirandi, & ab ipsa actiua spiratione, cum ergo vnum non sit formaliter aliud, quomodo in ratione formali filiationis includitur ratio spiratiui? quæ namque suis rationibus formalibus, sunt distincta, vnum non est de ratione alterius. Item vis spiratiua non competit Filio, vt Filius est, sed vt spirator est; licet namque Filius spiret, non tamen, vt Filius; Insuper vis spiratiua est quid posterius ad Filiũ: nullum autem posterius est de ratione essentiali prioris. Rursus alij arguunt, spiratio se habet ad filiationem vel concomitanter, vel tanquam propria passio, vel vt accidens sumptum pro extraneo. Denique Filiatio non est ratio spirandi, quia non spirat mediante filiatione. Et denique, nec erit absolute, & necessario conditio intrinsece requisita ad spirandum, quia si Filius non spiraret, nihilominus Pater esset potentissimus ad spirandum. *Cõfutatur.*

22 Respondent Alij, distingui quidem Spiritum sanctum à Filio per filiationem, nihilominus talem filiationem non præstare id ex se sola, sed quatenus Filius habet simul virtualiter *Aliorum responsio.*

ter

quod Nepos ſit ab Auo eſt per accidens illi, quod vero ſit à Patre, qui eſt Aui filius, conuenit per ſè illi, etenim Filius eſt principium per ſè Nepotis. Auus autem eſt principium per accidens; ſed manente principio per ſè, & ablato principio per accidens, poteſt manere terminus ab eo productus, igitur tota ratio principalis diſtinctionis pendebit aliunde quam à principio per accidens, ergo ſi Pater non ſpiraret, adhuc Spiritus ſanctus diſtingueretur ab eo. Item Auus diſtinguitur à Nepote non ſolum per mediatam originem ab eo, nempe Nepotis ab Auo, verum etiam per ipſius intrinſecam differentiam indiuidualem, & perſonalem: differentia vero perſonalis eſt prior quam ſit proceſſio Nepotis ab Auo, igitur Spiritus ſanctus diſtingueretur à Patre, non ſolum propter mediatam proceſſionem ab eo, verum etiam propter differentiam proprietatis perſonalis; Proprietas autem perſonalis Patris eſt prior proceſſione mediata Spiritus ſancti, ergo iſta erit primaria ratio diſtinguendi Spiritum ſā&um ab eo; igitur ſi per impoſſibile non procederet ab eo, adhuc diſtingueretur per proprietatem perſonalem. Præterea Proprietas perſonalis Patris non pēdet à ſpiratione, nec mediatè, nec immediatè, igitur erit ſufficiens Principiū diſtinctiuū Patris à Spiritu s. ergo conſimiliter dicēdum de Filio, pbo cōſequēs, Proprietas perſonalis filij, vt filius eſt, non pendet à ſpiratione actiua, tum quia prius non dedependet eſſentialiter à poſteriori, eſt autem filiatio prior ſpiratione actiua; tum etiam quia vnus modus agendi non dependet ab altero, non enim modus procedendi per intellectum pendet à modo procedendi per voluntatem, igitur à primo ad vltimum, ſi non procederet è Filio, vtique eſſet in eo filiatio ſufficiens principium diſtinctiuum.

Cōfutatur.

Generatio, & ſpiratio diſtinguuntur ſuis intrinſecis rationib. formalibus.

27 Tertio arguitur principaliter Generatio, & ſpiratio diſtinguntur ſuis intrinſece rationibus formalibus etiam dato quod ſpirat o non ſit à Filio, igitur ſi non procederet à Filio adhuc diſtingueretur à Filio; probatur antecedens, intellectus, & voluntas ſunt diſtincta inter ſè; ſunt vero iſta duo, principia vtriuſque proceſſionis, ergo vtraque proceſſio eſt alterius rationis. Probatur conſequens quia aliter ſequæretur, quod eadem perſona eſſet terminus vtriuſq; productionis, quod eſt impoſſibile, ſequeretur enim, quod idem bis produceretur in eſſe ſimpliciter, atque idem produceretur duplici principio alterius rationis, & ita Filius produceretur ſimul per modum intellectus, & voluntatis, & Spiritus ſanctus etiam produceretur per intellectum, & voluntatem, cum ergo Generatio, & ſpiratio ſint alterius rationis, ſequitur, vt termini earū ſint diſtincti inter ſè, etiam ſi vnus non procederet ab altero, alias Spiritus ſanctus eſſet Filius & Filius Spiritus ſanctus hypoſtaticè, & perſonaliter, ſeu idem bis produceretur, &c. Reſpondent Thomiſtę ex Caetano, diuinas emanationes ſumi dupliciter, vel complete, vel in cōplete: primo modo includunt ordinē proceſſionis, & originis, vultus perſonæ ab alia: ſecundo modo abſtrahunt ab origine: loquendo de primis, vtriq; verum, quod diſtinguuntur inter ſe emanationes, ſicut etiam diſtinguuntur earum termini producti, vt Filius, & Spiritus ſanctus: loquendo de ſecundis, nec inter ſe diſtinguuntur, nec ſunt principia diſtinguendi Filium à Spiritu ſancto, quia hic non procederet ab eo. Dum vero infertur, quod alias idem bis produceretur, inquiūt Suar. Vaſq. Molin. emanationes illas non fore duas ſimpliciter, ſed vnam ſecundum rem, & aliam ſecundum rationem: ſeu vnam ſimpliciter, & aliā ſecundum quid: & ſicut principia illa emanationum eſſent diſtincta, ſola ratione, ita ſola ratione eſſent diſtinctæ ipſæ emanationes, & conſequenter Genitū, & Spiratum eſſent vnum adæquatum ſuppoſitum. Addunt, diſtinctionem perſonarum productarum non ſumi ex diuerſitate principij, *Quo*, ſed requiri diuerſitatem principij *Quod*: ſi autem Filius, & Spiritus ſanctus eſſent à ſolo Patre, haberent quidem diuerſitatem principij, *quo*, vt intellectus, & voluntatis, non

autem principij *quod*, cum esset vnica persona producens.

Pater de se solo esset potens ad spirandum

28 Verum contra hos arguitur, & quidem, quod requiratur necessario diuersitas principij *quod*, ostenditur falsum esse, & in primis, Pater de sè solo habet perfectè vtramque fœcunditatem, tum producendi Verbũ, tum Spiritum sanctum; primam de se solo habet, cum de se solo producat Verbum, vt constat: de secunda probatur, Pater nil recipit à Filio, vt spiret, immò ipse dat Filio principium spirandi; ergo de se solo poterit duas personas producere, manens idem suppositum Patris, sub vnica ratione principij *quod*. Insuper, quod Filius cum Patre concurrat ad spirandum, id non contingit, vt suppleat virtutē, quasi insufficientem, & inadæquatam Patris, sed de facto id aduenit, quia eadem fœcunditas numero est in ambobus: assumptum patet, quia si Pater esset solus, vtique de sè solo esset sufficientissimus ad spirandum. Item concursus Filij cum Patre se tenet per locum extrinsecum, & tanquam conditio extrinseca, quia per locum intrinsecum Pater de sè solo esset potentissimus ad spirandum; ergo non requiritur per locum intrinsecum multiplicatio principij *quod*. Rursus in creaturis contingit, vt ab eodem principio *quod*, promanent diuersa producta, etiam alterius rationis, multiplicatis solummodo diuersis principijs formalibus, seu rationibus formalibus: seu multiplicato solummodo principio *quo*, manente eodem supposito agente, vt manente eodem Artifice, qui multa diuersæ rationis operatur, multiplicatis in eo diuersis principiis formalibus, seu formalibus rationibus agendi: quod si id potest creatura, cur id non poterit Creator, qui est summæ, & infinitæ potentiæ, ad generandum, & spirandum? Et denique virtus spirandi est ita perfecta in vna persona, sicut in duabus, ita perfecta in Patre, sicut in Patre, & Filio; igitur multiplicatio principij *quod* non erit necessaria per locum intrinsecum ad faciendam distinctionem emanationum, & productorum.

Ab eodem principio, quod emanant producta diuersa rationis.

Ex Augu.

29 Quarto principaliter arguitur authoritatibus Augustini, & Anselmi: Augustinus quidem 5. de Trin. cap. 14. de hac quæstione disputamus ait, *Cur non sit Filius, etiam Spiritus sanctus, cum & ipse à Patre exeat?* Respondet, *Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus, & ideo non dicitur Filius, quia neque natus est.* Ecce quomodo aperte respondet August. ad quæst. dum, quærendo cur Spiritus sanctus non sit Filius, quia vterque exit à Patre, dicit, ideo non esse Filium, sed distingui à Filio, quia *ille exit quomodo datus, hic quomodo natus.* Ratio hæc Augustini est petita à priori, & per locum intrinsecum, ratione diuersitatis emanationum, & principiorum formalium voluntatis, & intellectus; ergo ratio distinctionis petita ratione originis Spiritus sancti à Filio, erit per locum extrinsecum, & à posteriori.

Ex Ansel.

30 Anselmus autem lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. sic ait; *Quomodo Filius exit ex Deo, nascendo, Spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate natiuitatis, & processionis referuntur ad inuicem, vt discreti.* Et cap. 4. subdit, *Si per aliud non essent plures, Filius, & Spiritus sanctus, per solum hoc essent diuersi, quia alter nascendo, alter exit procedendo.* Resoluit, ergo Anselmus quæstionem in hoc, quod ex diuersitate modi procedendi, Filius à Spiritu sancto distinguitur; & hæc est distinctio à priori data per locum intrinsecum.

Vasq. resp.

31 Occurrit Vasquez ad hoc, dicendo, Anselmum hanc distinctionem excogitasse quousque alia innotesceret, ait namque Anselm. cap. 2. in fin. *Filius interim, vt aliam causam dicam; quoniam non dum constat, quod Spiritus sanctus de illo sit, & procedat, ideo non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est Filius, quia Filius nascendo, habet esse à Patre, Spiritus sanctus non nascendo, sed procedendo.* & cap. 3. subdit, *cum apparebit, quia Spiritus sanctus est de Filio, tūc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus s. & Spiritus s. Filius.* Igitur Ansel. ibi non assignat rationem illam, tanquam præcisam, & adæquatam.

32 Sed

Cōfutatur.

32 Sed obstatur contra hoc, etenim quod plures ad quæstionem hanc affectantur rationes, id non obstat: quod verò non omnes sint à priori, id est verum: & quidem ratio, quam primo Anselmus assignat, est ratio radicalis; fundamentum huius est, quoniā arguebat contra Græcos, contra quos vtitur ratione hac, tanquam à priori, vt alter exeat *nascendo*, alter *procedendo*: quod autem rationem aliam expectet rea erit à posteriori: & quidem, postquam constiterit, vt loquitur Anselm. Spiritum sanctum esse à Filio, tunc asseretur ratio altera distinctionis, ea autem erit ratio originis, vt ideo Spiritus sanctus distingueretur à Filio, quia procedit ab eo, sed hæc erit ratio materialis, extrinseca, & à posteriori, quapropter clare patet, illam quam aliundè, quam à processione, distinctionem admittimus, esse distinctionem veram, & a priori.

Quid Vasq. ad Augustinum?

33 Sed si Vasquez ita glosat Anselmum, quid de Augustino dicet? qui absolute docet inde distingui, quia alter quomodo datus, alter se habet quomodo natus: & vtique Augustin. non ait, vt Anselm. *Pro interim, & quousque, &c.* Sed absolute illam affert rationem distinctionis. Nec tamē æstimo ipsimet Augustino alias defecisse rationes distinctionis; sed illam attulit, & illa contentus esse voluit, quia illa sufficientissima est, data per locū intrinsecum, & à priori. & quidē c. 9. & 14. ait *Spiritum sanctū non ideo non esse Filium, quod hic sit tantum ab vno, ille à duobus, sed quia hic exit quomodo natus, ille quomodo datus.* Ecce aperte Augustinus soluit quæst. non ideo distingui, quia sit à Filio, sed aliūde; ergo si non esset a Filio, nihilominus distingueretur. Quod si vrgeas, nō posse negare Augustinum distingui etiam ex eo, qdod est a Filio: Respondet, non id negare Augustinum, sed negare eam esse rationem præcisam, & a priori datam per locum intrinsecum, esse vero datam a posteriori, & per locum extrinsecum.

Ex eodem Anselmo.

34 Idem quoque Anselmus inde subdit, inquiens, *Et ideo non habet vnitas illa vim consequentiæ, quia pluralitas obuiat, quæ ex natiuitate nascitur, & processione: nam etsi per aliud non essent plures Filius, & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diuersi.* quid quæso clarius dici potest: ait namque *Et si per aliud non essent plures*, idest distincti Filius, & Spiritus sanctus, *per hoc solum*, nempe natiuitate, & processione, dato quod non procederet vnus ab altero, *essent distincti*; quo facto resoluit in terminis quæstionem quam proprijs terminis mouemus.

35 Tertio dicimus, si Spiritus sanctus non procederet a Filio, nihilominus vterque esset eadem Persona quæ nunc est. Probatur authoritate Augustini supra recensiti ait, namque *Spiritum sanctum non ideo non esse Filium, quia hic sit tantum ab vno, & ille à duobus, sed ideo quia hic exit quomodo datus, & Filius quomodo natus*, & idem confirmat Anselmus supra allatus, igitur dato quod Spiritus sanctus non sit à Filio, nihilominus erit idem numero Spiritus sanctus, eademque persona, que nunc est. Eodem quoque modo arguitur de Filio, ex eodem Augustino, & Anselmo: est enim par ratio vtriusque, si namque Spiritus sanctus ideo est Spiritus, non quia exit a duobus, sed quia exit quomodo datus igitur ideo Filius est idem Filius, non quia producit Spiritum sanctum, sed quia exit quomodo natus. Probatur etiam ratione, Principium formale primo distinctiuum non potest esse extrinsecum, igitur Filius a Spiritu sancto, & Spiritus a Filio non distinguetur ex eo primo, & formaliter, quod vnus sit, vel non sit ab altero, & quod producat, vel nō producat alterum; ergo identitas, vel distinctio personalis proueniet antecedenter aliundè; confirmatur, conditio extrinseca erit ratio distinctiua solummodo ab extrinseco, ergo originatio vnius ab altero erit ratio solummodo ab extrinseco, distinctiua Filij a Spiritu sancto, igitur antecedenter erit idem, vel distinctus aliunde Filius, & Spiritus sanctus. Insuper Pater, & Filius sunt vnus spirator, & spirant in quantum vnum, non inquantum plures, ergo multiplicatio suppositorum non diuerisicabit, nec Filium, nec Spiritum sanctum. Denique est eadem prorsus

Si Spiritus s. non procederet à Filio, nihilominus vterque esset eadem persona, quæ nunc est.

Pp 2 virtus

virtus spiratiua in Patre solo, quæ est in Patre, & Filio, eadem prorsus inuariata numero, & perfectione; ergo si à solo Patre procederet, & non à Filio, esset idem prorsus Filius, atque idem prorsus Spiritus sanctus. Dices virtus spiratiua aliter se habet in Patre, & Filio, quam in Patre solo, quoniam est à duobus. Respõdetur quod esse in duobus, non variat virtutem spirãdi, nec numero, nec perfectione, qua propter, stante eadem numero virtute, & remanente in eadem perfectione, necesse est vt, inde procedat idem prorsus numero terminus, atque in eadem numero perfectione.

Si non procederet à Filio, distingueretur disparate.

36 Vltimo dicimus, negata ex hypothesi processione Spiritus sancti à Filio, nihilominus Spiritum sanctum à Filio distingui, non quidem relatiuè, sed disparatè. Probatur qualis est ratio essendi, talis est ratio distinguendi, quia distinctio sequitur entitatem; sed in tali casu Spiritus sanctus non esset à Filio originatiuè, ergo nec distingueretur distinctione originis, sed distinctio per originem data, est distinctio relatiua, ergo non distingueretur oppositione relatiua. At conclusum est aliqua distinctione distingui, ergo distingui debet distinctione disparata. Item Spiritus sanctus in ordine ad Filium, & Filius in ordine ad Spiritum sanctum nullam diceret relationem, ergo nullam quoque diceret relatiuam oppositionem; At debet dicere aliquam distinctionem, ergo non diceret, nisi disparatam oppositionem.

37 Cum hoc tamen quod procedit, distinguitur à Filio duplici oppositione, relatiua quidem, vt Spirator est, disparata autem, vt Filius est.

ARTIC. IV.
Vtrum sententia ista, sit aliqua censura digna.

PRo complemento tandem quærendum foret, Vtrum censuram aliquam mereatur sententia ista. Non desunt, qui eam censent parum tutam in fide, inter cæteros accidit nouissime Ruiz de Trinit. Disput. 68. sect. 5. num. 4. Verum ex opposito, ex ipsismet Thomisticæ scholæ sectatoribus, non desunt plurimi, qui nihil periculi in prædicta sententia inueniunt: id vero in primis refert idem Ruiz num. 5. inquiens, *Contrarium extremum tenent. qui dicunt, nihil periculi esse in prædicta sententia.* Loquitur autem de plerisque Thomistis, vt in principio illius numeri quinti. Item Carthusianus d. 11. quæst. 2. de hac sententia loquens sic ait, *Positio Scoti, & Henrici plus placet.* Zumel. 1. part. quæst. 36. disp. 2. inquit, *Scoti opinio non est improbabilis.* Vasquez 1. p. disput. 147. cap. 3. titulum prædicto capiti insigẽs, ita scribit, *Sententia Henrici, & Scoti nihil periculi habet in fide.*

2 Inde vero idẽ Vasq. Inuehitur aduersus Theologos quosdã, de quibus tum Ruiz, tũ Vas. ipse ait, adulterari verba Cõcilij Florent. relicta antiqua, & vsitata lectione, adhoc, vt sententiam ostendant Scoti esse contra mentem Concilij: sunt autem verba Concilij hæc, *Nam credentes, Spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant, Spiritum à solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium.* Hæc sunt verba, ait Vasquez, quæ in omnibus exemplaribus nunc habentur: *prædicti tamen Theologi,* subdit idem Vasquez, *vt sententiam Scoti, erroris, aut periculi insimulent, comminiscuntur, nescio quam emendationem huius literæ, quam dicunt in omnibus Codicibus, (si Deo placet) esse mendosam, sic igitur dicunt. Legendum esse, Nam credẽtes Spiritum sanctum ex*

Filio

Filio nequaquam procedere, necesse est vt intelligant, Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, ac consequenter eum esse Filium. Subsequitur autem Vasquez, inquiens, *Quibus verbis, si ea verba essent Concilij, sententia Henrici, & Scoti aperte damnaretur. Hanc vero emendationem necessariam arbitrantur, quia alio modo sensus illius loci constare nequit 2 Deinde arguunt contra Scotum, quia ex eius sententia sequi videtur partitio diuinæ substantiæ, quæ est contra fidem. Verum hæc friuola sunt, vt Henrici, & Scoti sententia improbabilis, nedum periculosa in fide, censeri debeat; Quis enim non videt, ridiculum esse, verba Concilij, quæ in omnibus codicibus Græcis, & Latinis eodem modo habentur, emendare, vt sententiam Scoti, errores insimulemus?* Vsque huc Vasquez, Ruiz quoque ita scribit; *Quidam Thomistæ, vt seuerius animaduertant in aduersarios, ex suo cerebro corrigunt aliqua loca Concilij Florentini quasi scriptorum vitio, aut negligentia fuerint corrupta: cum tamen in omnibus editionibus eodem modo legantur.* Pluraque de Scoto replicat Vasquez idem, defendens Scoti sententiam à periculo, & errore.

3 Sed vtinam, sicut in hoc, ita & in plerisque alijs Scoti locis fuerit oculatus Vasquez, non enim sententias plures eiusdem Scoti, sæpius insimularet periculi, aut erroris, parcimus autem; *bonus enim quandoque*, (At hic sæpius), *cæcutit, & dormitat Homerus*. hoc vero ex eius tutela nunc elicimus, quod *inimici nostri sunt Iudices*.

4 Accedat autem tandem Fasolus, is namque tom. 3. quæst. 36. art. 2. dub. 3. num. 33. loquens de Scoti sententia, tale iudicium protulit, inquiens *Et sane cum sequantur eam multi, & graues Theologi, citati n 28. Præsertim tota illustrissima, ac doctissima Scoti schola, optime merita de Theologia, præstat in hoc, alijsque eiusdem generis controuersijs, diligentem Disputatorem, quam rigidum censorem agere*. Hæc ille.

ARTIC. V.

Respondetur Argumentis secundi Articuli.

1 AD primum vero argumentum respondendo dicimus, omnia esse vnum, vbi non obuiat oppositio, nempe, siue disparata, siue relatiua; Et quidem, dato casu non obuiaret oppositio relatiua, sed disparata; etenim filiatio, & spiratio passiua opponerentur inuicem disparatè. Respondemus secundo, axioma illud currere de facto, quandoquidem de facto producitur Spiritus s. à Filio per relationem originis; ergo de facto distinguitur relatiua oppositione. Dicimus tertio, prædictum axioma habere fundamentum in Anselmo contra Vasq. ait autem Anselmus lib. de Processione SS. cap. 3. *Vnitatem non ammittere suam consequentiam, vbi non obuiat aliqua relationis oppositio*. quod idem est; ac dicere, *in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obiat relationis oppositio*. Quod vero Anselmus de hac loquatur disparata oppositione, patet ex verbis capite secundo recensitis, ait namque, *quoniam Filius existit, de Deo nascendo, & Spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate natiuitatis, & processionis referuntur ad inuicem, vt diuersi, & alij ab inuicem*. Hinc vero infertur, si Natiuitas & processio non referuntur relatiuè ad inuicem, ergo distinguerentur disparatè, & non relatiue ab inuicem. Sed dices, vtitur Anselmus verbo relatiuo, ait namque *Natiuitas, & processio referuntur ad inuicem*, ergo sè habent relatiuè ad inuicem, igitur distinguntur relatiuè. Respondemus, quod verbum, *referuntur*, non significat relationem ad inuicem, sed idem est dicere, *referuntur*, ac *comparantur*, ita vt natiuitas, & processio comparatæ ad inuicem, sint distinctæ disparatè ad inuicem; vel si verbum, *referuntur* relatiue sè tenet, dicendum est, quod referuntur ad inuicem relatione distinctionis

Omnia sūt vnum, vbi non obuiat relationis, oppositio, declaratur.

tione, itaut dicamus, diſtinctionem, & oppoſitionem reperiri, tum inter correlatiua, tum inter abſoluta, & diſparata.

Relatio trāſit in Eſſentiam declaratur.

6 Ad quintum, relatio tranſit quidem in Eſſentiam identice, & realiter, non autem formaliter propter formalem diſtinctionem. Hinc fit, vt diſtinguat ſecundum eſſe diſtinctum ab Eſſentia, ſiue ſecundum formalitatem diſtinctam ab Eſſentia, & ſecundum eſſe relationis, licet hæc duo vnum ſint. Cum vero dicis, relationem diſtinguere ſolum à correlatiuo. Reſpond. vel diſparate, vel relatiue quidem diſtinguit, vt diximus, iuxta diuerſitatem termini, à quo diſtinguit, & ad quem refertur, vel non refertur; ſi enim refertur terminus ad terminum, diſtinguit correlatiue, ſi autem nulla eſt fundamenti correlatio ad terminum, diſtinguit diſparate, vt in caſu dato.

Idem.

7 Ad ſextum, patet ex ſępe dictis, proprium quidem diſtinguendi correlatiue eſt illius relationis, cuius fundamentum refertur correlatiue ad terminum correlatiuum: at relatio, cuius fundamentum nullam habet correlationem ad terminum, non diſtinguit correlatiue, ſed diſparate.

Diſparatio vel relatio an neceſſariç ad diſtinctionē realem.

8 Ad ſeptimum, non ideo Eſſentia, & attributa, intellectus, & voluntas non diſtinguuntur realiter, quia ſunt diſparata ſed ideo quia ratione infinitatis tranſeunt in identitatem realem diuinæ Eſſentiæ, vt eſt alibi diſcuſſum; quapropter parum refert diſparatio, vel relatio in ordine ad diſtinctionē: nā ſi ideo non diſtinguuntur, quia ſunt diſparata, ergo diuinæ Perſonalitates realiter ab Eſſentia diſtinguūtur, qa ſunt correlatiuæ: non ergo illa eſt ratio: igitur bene poterit Spiritus s. diſtingui realiter à Filio diſparate, ſi nullam diceret relationem proceſſionis ab eo.

9 Ad octauum, dato caſu, eſſet inter vtrumque oppoſitio negationis, negando vnum de alio; nō enim Filius eſſet Spiritus, nec Spiritus ſanctus eſſet Filius. Negatio autem hæc fundaretur ſuper diſparatione, ſeu diſparitate, ac diſtinctione, non autem ſuper correlatione, cum nulla eſſet correlatio inter eos; datu caſu.

Relatio Filij an adeo eſſentialis, ut ea uariata narietur perſona Filij, et Spiritus ſancti

10 Ad nonum iam patet ex Artic præced. in tertia aſſertione. Ad probat. dicimus, relationem ad Filiū, ſeu Filij ad Spiritum ſanctum non eſſe adeo eſſentialem, vt variata, & negata ea, varietur perſona Filij, & Spiritus ſancti, ſed ſe habere materialiter, & per locum extrinſecum; ſufficeret enim ſolus Pater ad ſpirandum, ſi per impoſſibile non eſſet Filius, qui ſpiraret: variato autem eo, quod ſe habet per locum extrinſecū, non variatur intrinſecè res habita per illud, vnde eſt vt deeſſet ſolum illa relatio Filij ad Spiritum ſāctum, & Spiritus ſancti ad Filium, integro tamen, in identitate perſonæ remanente Spiritu ſancto, & Filio. Virtus quidem ſpirandi, exiſtens in Filio, nō eſt accidens per accidens, ſeparabile à *Filio*, & à ſpiratione, prout eſt accidens prædicamentale: ſed eatenus dicitur per locum extrinſecum ſe habere aliquid, quatenus eius operatio non eſt requiſita neceſſario intrinſecè & eſſentialiter, itaut deficiente eò non poſſit res illa conſtitui in ſuo eſſe: ita, inquit Scot. 1. d. 12. quæſt. 1. litt. K. principium æque perfectum in vno, ſicut in duob. eſt æque principium agendi in vno, ſicut in duobus; vnde eſt, vt in Patre, ſi ſolus eſſet, eſſet vtique ſufficientiſſima virtus illa ad ſpirandum. Et ex eod. Scot. ibid. mutuitas Patris & *Filij* ad ſpirandū, non eſt ratio producendi, nec conditio eſſentialiter, & intrinſecè requiſita ad ſpirandum, quia Pater ſufficeret ſi non eſſet *Filius*: ergo ſi nō eſſet à *Filio*, non fieret variatio per locum intrinſecum, nec primario; Per sè quidem poſtulat Spiritus ſanctus ſpirari ab vno, ait Scot. quod vero ſit à duob. id aduenit de facto.

11 Ad decimum, reſponſio habetur ex ſolutione ſecundi, & tertij argumenti.

Ad Concil.

12 Ad Conc. vero, & primo ad Tolet. dicitur, *Ad inuicem ſunt, i. eſt relatiuæ ſunt, & ob id diſtingui*, loquitur quidem Concil. de facto, quia dē facto ea agnoſcitur eſſe ratio diſtinctionis: tamen non eſt ratio adæqua-

quata, & præcisa, quia si ad inuicem non referrentur, nihilominus etiam distinguerentur.

Mēdaciter refertur Concil. Florentinum.

13 Ad Concil. Florent. mendaciter refertur, non enim habentur ibi verba illa, *distingui à Filio*: sed ita scribitur, *Qui autem proferunt, Spiritum sanctum ex sola Patris persona procedere, hi proculdubio substantiam ab hypostasi separant*, Vbi de distinctione Filij à Spiritu sancto nulla fit mētio. Ad verba alia, similiter respondetur, corrupte, & mendaciter allegari, nō enim adsunt verba illa, *Eum esse Filium*, sed contra habetur, *Eum non esse Filium*: sic enim scribitur, *Credentes Spiritum sanctum ex Filio, nequaquam procedere, necesse est vt intelligant à solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium*. Ita exemplaria probatiora habent, vt testatur quoque Vasq. 1 part. d. 147. cap. 3. vt retulimus art. 4

Relatio multiplicat Trinitatem declarat.

14 Ad Boet. cæterosque Patres, *Relatio multiplicat Trinitatem*, vel quidem relatio opposita relatiue, vel disparate, vtraque præstat, seu præstare potest id ipsum. Vel loquitur de facto, si tantummodo loquatur de relationibus oppositis relatiue. similiter ad Nissen. quod loquatur de facto, sic enim de facto distinguitur, sicut de facto procedit ipse Spiritus sanctus.

DIS-

DISPVTATIO QVARTA

De Missione Diuinarum Personarum.

QVÆSTIO PRIMA.

De Natura Missionis, & quibus conueniat mittere, & mitti.

Missio quid

1 EXplicāda prius nominis missionis natura; & accedemus ad cætera. Missio describi potest vt mittere, *sit manifestare personam missam procedere à persona mittente, manifestatione facta ad extra per aliquem effectum receptum in Creatura.* Descriptio est omnium communis. Et quidem missus est Filius Dei in Mundum ad saluādum Mundum: in hoc tamen cum missus sit à Patre, manifestatur, ipsum procedere à Patre. Missus est Spiritus sanctus ad Apostolos: talis vero missio, manifestatio fuit, procedere à Patre, & Filio à quibus missus fuit. An vero hęc indigeat modificatione, mox dicam.

Obstatur.

2 Vnde patitur instantiam hæc descriptio; etenim Christus, vt homo fuit missus etiam à Spiritu sancto, & tamen Filius non procedit à Spiritu sancto; ergo missio non est manifestatio quod persona missa procedat à Mittente.

Respond.

Respond. missionem hanc Filij fuisse secundum carnem, & vt sic factam etiam fuisse à Spiritu sancto: sed obstatur, quia non fuit missus purus homo, sed etiam Deus, quia fuit missum Verbum, licet incarnatum: at Verbum non procedit à Spiritu sancto. Respond. corrigendam esse descriptionem, atque ideo sic addendum, vt docet Scot. *Mittere est declarare personam missam procedere ab aliqua persona*: dixi *aliqua*, nempe abhac, vel illa, inde finitè, quia non est necesse, quod Mittens producat missum: & sic est verum, quod Verbum incarnatum, fuit à Spiritu sancto manifestatum in specie columbæ in Iordanis baptismate, & nihilominus Spiritus sanctus non produxit Verbum, & hinc non valet ista consequentia, persona hæc manifestat aliam, ergo producit illam, negatur consequentia licet sit vera conuersa, persona producit, ergo mittit, seu mittere, & manifestare potest, valet sequela, de hoc August. 4. Trin. cap. 20 *Mitti est Filium cognosci quod à Patre sit; & Spiritum sanctum quod à Patre procedat.*

Mittere, donare, dare, venire an idem.

3 Verba hęc, *Mittere, Dare, Donare Venire* non sunt idem; quapropter non se mutuo inferunt: & quidem illa persona mittit, quæ realiter distinguitur à missa: & quæ etiam producit missam, vt Pater Filium, & vterque Spiritum sanctum, qui & rea-

liter inuicem distinguuntur, & inter eos adest productio. *Dare* vero, sicut & *Donare* non necessario inuoluit productionem, & realem *dati*, seu *Donati* distinctionem, sufficit vero relatio rationis: vt Pater dat seipsum, sic quoque personæ missæ dant, & donant seipsas. Demum verbum *Venire* minus id inuoluit, negatque vtrumque, & distinctionem, & processionē à seipso: & ita Pater venit: Filius etiam, & Spiritus sanctus, licet mittantur, nihilominus etiam veniunt iuxta Ioan. 14. *Ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quapropter restat, vt verum sit, verba hæc non idem sonare, nec esse eiusdem rationis.

Missio quid importet. 4 Duo sunt, quæ importat ipsa missio, importat quidem respectum rationis in persona missa ad extra, in ordine ad aliquem effectum producendum in creatura rationali à tota Trinitate: & importat etiam passiuā eius processionem ad intra, ipsam connotando.

Quid principaliter importetur a missione. 5 Difficultas vero oritur quodnam istorum sit prius, & pricipalius: Scotus principaliorem esse docet respectum ad extra, itaut principaliter significet respectum illum sanctificationis creaturæ, fiendæ per personam missam: connotatiue autem importare processionem ad intra. Et ratio suadet, quia ideo fit missio, vt producatur effectus ad extra: effectus autem talis est fiendus per personam procedentem, ergo respectus ille est omnino principalis. Item non producitur tunc in missione persona missa, ergo non principaliter importatur productio personæ missæ. Est contra Caet. 1. part quæst. 43. art. 1. Durand. 1. d. 15. Vasq d. 70. Suar. lib. 12. Trin. cap. sustinentes principaliter significare processionem passiuam personæ missæ, de connotato vero importare effectum temporalem. Verum lis ista pendet à quæstione Doni, est enim eadem ratio vtriusque, cum missio sit quædam species doni, seu diuinæ personæ donatio; quia vero donum de principali dicit respectū donabilitatis ad creaturas, connotatiue tamen indicat personam, quæ datur, vt fuit probatum; ita missio de principali, dicit ordinem ad effectum temporalem, de connotato vero ordinem personæ procedētis. Vltra rationes, etiā probatur apertissimo testimonio Augustini, qui 4. de Trin. cap. 20. ita ait, *Non ergo eo ipso, quod de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo, quod apparuit huic Mundo, Verbum caro factum, vnde dicit, exiui à Patre, & veni in Mundum; vel eo, quod ex tempore cuiusque mente percipitur, sicut dictum est, mitte illam, vt mecum sit; & mecum laboret, quod autem, mittitur ex tempore, à quoquam cognoscitur.* Et infra, *sicut natum esse, est Filium à Patre esse, ita mitti est Filium cognosci, quod ab illo sit; & sicut donum esse Spiritum sanctum, est à Patre procedere, ita mitti est cognosci, quod ab illo procedat.* Hæc August. Apparet ergo, Augustinum decidisse quæstionem, nam cum ait, *Non eo ipso, quod de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed ex eo, quod apparuit huic mundo.* Clare ostendit, missionem non importare pro principali significato processionem æternalem. Sicut etiā dū subdit, *Esse Donum est cognosci Spiritum sanctum a Patre procedere, & mitti est cognosci Filium à Patre nasci,* vtique processio æternalis demonstratur à posteriori per ipsam processionem, & missionem temporalem, vt hæc importetur principaliter, illa de connotato.

Obstatur. 6 Obstari posset contra hoc verbis Hylarij, qui 9. de Triu. coll. 13. inter cætera ait, *Exitio Filij à Deo, absoluta natiuitas est; Spiritum sanctum mitti à Patre nil aliud est, quam ab illo accipere esse.* Et August. 3 contra Maxim. cap. 14. *Missio non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ.* Igitur fundatur in ordine, Ordo autem ille est originis, & processionis vnius ab altero. Ac Gregor. homil. 26. in Euang. *Eo ipso Filius à Patre missus dicitur, quo à Patre generatur.* Ac Beda l. 2. ho. 2. *Spiritus sancti missio est eius processio.* Obstari posset etiam ratione, vt à Vasquez, Patres vtuntur voce mis- *Occurritur.* sionis circa Spiritum sanctum, vt ostendant contra Græcos procedere à Patre, & Filio, ergo æterna proces-

sio

ſio eſt de eſſentia miſſionis,alias nulla eſſet eorum probatio. Item ex Suar. miſſio eſt egreſſus miſſi à mittẽte:at egreſſus hic eſt etiã æternalis, æternalis autẽ egreſſus eſt proceſſio, ergo. Reſpond.ad Patres,non fuiſſe eorum intẽtum determinare vtrum principale huius nominis importatum ſit proceſſio æterna, an temporalis,ſed ipſis ſufficiebat oſtendere, Spiritum ſanctum eſſe à Patre,& Filio, quia ab ipſis procedit, ſimiliter & Filium eſſe à Patre, quia à Patre mittitur,& Spiritus ſanctus mittitur ab vtroque. Secundo habemus Auguſtinum, qui loco citato,apertiſſime fauet ſententiæ noſtræ,& in dubio videtur jam quæſtionem decidere. Quod ſi Hylarius,& Gregor.ac Beda aiunt, *Mitti dicitur quia a Patre procedit*,& huiuſmodi, vtique totum verum,at negatur ſequela,quod proceſſio ſit principale ſignificatum. Item ly *quia*, ſupponit quidem proceſſionem temporalem, at ordinatam, vt manifeſtetur principaliter per temporalem. Ad rationes,ad primam,vtique Patres vtuntur miſſione, vt oſtendant æternam proceſſionem, dum vero infers;ergo proceſſio æterna eſt primarium ſignificatum,negatur conſequ non enim ad id aſpexerunt ſemper Patres, ſed abſolute docuerunt, perſonam miſſam procedere à mittente,vt Spiritus s.à Patre.& Filio. Ad ſecundam, nil infert contra concluſionem; etenim miſſio eſt egreſſio temporalis, & ſupponit egreſſionem æternalem, ſi infers, ergo æternalis eſt primo ſignatum,negatur conſequentia.

Miſſio quid ex alijs. 7 Circa eſſentiam miſſionis, dixerunt aliqui penes Magiſter in 1.d. 15.nil aliud eſſe, quam *proceſſionem vnius perſonæ ab alia*: vt ficut arbor dicitur mittere,ſeu emittere producendo flores,ita vna perſona dicatur mittere aliam. Rem incomplete cõſiderant;nam duplex habetur in miſſione proceſſio,vna æternalis, altera temporalis,& illa,vt loquitur Augu. manifeſtatur per iſtam,conuincitur autem aperte per Auguſt qui 4. de Trin.cap.20.inquit, *Non eo ipſo,quod de Patre natus eſt,miſſus dicitur Filius;* *Impugnatur.* *ſed vel eo, quod apparuit huic mundo. Verbum carnem factum*. Ita etiam Paul Galat.4. *Poſtquam venit plenitudo temporis,miſit Deus Filium ſuum* Roman.5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*.Et Ioann.16. *Exiui a Patre,& veni in mundum*:Licet autem venerit, nihilominus etiam ſimul miſſus fuit,quia eadẽm perſona, quæ mittitur,etiam, vt diximus,venit Hi ergo ſolam proceſſionẽ æternalem explicant,relicta temporali,et propterea tradũt miſſionem incomplete.

8 Ex oppoſito vero,in aliud extremum idem Magiſter incidit, vt dixerit, *Miſſionem nil aliud eſſe, quam externam operationem alicuius effectus temporalis,nullatenus importando æternam perſonæ miſſæ proceſſionem*. *Magiſtri deſcriptio.* Sed cõtra hoc eſt, quia ſequeretur etiam Patrem mitti,prob.quia *Opera ad extra tribuuntur effectiue toti Trinitatis*, *Impugnatur.* ergo dum Filius, & Spiritus ſanctus operantur aliquid ſpecialiter ad extra,propter quod mittantur,vt Filius in aſſumpta humanitate & Spiritus ſanctus per columbam,& ignem: & hoc fiat etiam à Patre, vtique Pater dicetur mitti, dum namque non requiritur proceſſio, ſed ſola externa operatio, Pater à nullo procedit, & nihilominus ad extra operatur. Niſi tamen ſententia hæc Magiſtri intelligatur iuxta explicationem Scoti, & Bonauent. vt intelligat Magiſt negare proceſſionem importari de pricipali ſignificato, ſed ſolum connotatiue,vt eſt dictum:alias negata omni ratione importandi eã,non habet fundamentum vllum ipſa miſſio: *Saluatur.* Et conuincitur inſuper,non ex eo quia aliquis operatur alicubi ideo dicitur mitti eo: Deus quidem qua ratione per immenſitatem,& per potentiam eſt præſens & operatur hic, non dicitur mitti huc; igitur ex operatione non elicitur neceſſario miſſio; ergo non quia Filius, & Spiritus ſanctus operati fuerunt in Caluario,Thabor Iordane,& alibi, dicentur eſſe miſſi: Eo magis,quo poteſt Agens operari in diſtans vt ſol, aſtra, & tamen non mittuntur ſuppoſitaliter ad viſcera

Terræ vt igitur à primo ad vltimum habeatur vera missio, requiritur necessario productio.

Ex eodem Magistro. 9 Est insuper eiusdem Magistri sententia, Mittere, & Mitti, dicere duplicem respectum, alterum ad Creaturas, ad quas fit missio, alterum vero ad Personas mittentes, primus est respectus rationis, quia Deus non refertur realiter ad extra, secundus vero fit respectus realis, quia is indicat ordinem, processionem, & originem, seu productionem vnius Personæ ab altera; hoc supposito, duo dicit Magister, primum est, quod loquendo de missione passiua, ea non est communis tribus personis, secundum est, quod loquendo de missione actiua, ea quidem communis erit, atque essentialis omnibus Personis. Probatur primum à Magistro, quia ex prænotatis, missio passiua denotat relationem ad personam mittentem, seu producentem, sed Verbum Diuinum non producitur à Spiritu sancto, ergo neque mittitur à Spiritu sancto, igitur mitti passiuè non est commune tribus. Probatur secundum dictum, quoniam Filius missus fuit ad extra à Patre simul cum Spiritu sancto, quod probatur ex D. Augustino qui 2. de Trin. cap. 6. ait, *Perinde Mitti à Patre sine Spiritu sancto non potuit*. Et confirmatur quia Pater intelligitur misisse Filium in hunc mundum secundum id, secundùm quod natus fuit ex Virgine, sed hoc fieri non potuit sine Spiritu sancto, quod probat Angelica salutatio, *Spiritus sanctus superueniet in te*, & confirmatur etiam, quoniam *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*, igitur sequitur, vt mittere actiue toti conueniat Trinitati. Hæc ex Magistro.

Impugnatur. 10 Sententiam istam impugnat Scotus, probando, quod si mittere sit commune, sit etiam & commune ipsum mitti, quod si alterum non sit commune, nec etiam foret commune oppositum alterum. Probatur autem; Aut mittere dicit respectum rationis, aut respectum realem, si primum, ergo etiam Pater mittit sè, quia propter respectum rationis solummodo non est neganda talis missio alicuius; si secundum, aut temporalem, aut æternalem; & id quidem, aut ad illum, ad quem fit missio, aut ad personam mittentem, si primum vtique erit temporalis, quia Dei ad Creaturam non est relatio æterna; si secundum, ergo non erit talis relatio communis, & essentialis, probatur quoniam Spiritus sanctus non producit Filium, ergo nec Filius dicit relationem æternalem realem ad Spiritum sanctum, & sic patebit mittere non esse essentiale.

11 Arguitur etiam, Mittere, & mitti sunt relationes oppositæ, oppositorum autem idem est iudicium, igitur si mittere erit essentiale, erit etiã mitti. Tertio mittere, & mitti idem prorsus significant quo ad rem, licet sit diuersitas inter ipsa quo ad modum significandi grammaticalem; talis vero significandi modus non poterit alterare rem, & substantiam significari, igitur si mittere actiue erit essentiale, erit etiam essentiale, & commune mitti passiue, vel è contra.

12 Licet sententiam hanc impugnet Scotus, nihilominus eam inde amplectitur, soluitq; argumẽta opposita; Explicans verò terminos, & resoluens quæstionem, ait, *Mitti nihil aliud esse, quam declarare personam aliquam procedere ab altera, & mittere actiuè nihil esse aliud quam manifestare, personam aliquam producere alteram*, cum hoc tamen, vt duo necessario in tali actiua, vel passiua declaratione interueniant; alterum est importare respectum rationis ad Creaturam, ad quam fit missio, & ità Verbum, & Spiritus sanctus connotant respectum rationis in mysterio Incarnationis, atque in missione eiusdem Spiritus sancti super Apostolos, sicut accidit & in alijs missionibus; Alterum vero est importare respectum realem, atque æternalem personæ missæ ad Mittentem sub ratione producti, & producentis, quia missio declarat personam missam procedere à Mittente. Secundum quod interuenit est, personam mittentem habere authoritatem, seu quasi authoritatem in missam; demptis tamen imperfectionibus, vt in argumentis infra; ita etiam personam missam, vtputa personam *Saluatur.*

Verbi

Verbi habere subauthoritatem à Patre receptam, qua etiam subauthoritate mittat Spiritum sanctum, & sicut vera est ista propositio, Pater creat per Filium, quoniam Pater contulit Filio authoritatem creandi, ita etiam sit vera propositio altera, Filius sanctificat per Spiritum sanctum, quoniam tribuit esse Spiritui sancto, & virtutem sanctificandi, sicut autem Patrem creare per Filium non dicit solummodo respectum ad extra, sed connotat Filium procedere à Patre æternaliter, ita quoque Verbum operari per Spiritum sanctum non solum connotat respectum relationis ad extra, sed quoque relationem realem, sub ratione spirati ab æterno. Hinc deducitur, solam illam personam mitti, quæ producitur à mittente, vnde est, vt Pater non dicatur missus, quia à nullo procedit ex Augustino lib. 4. de Trin. c. 20. & è conuerso illa sola persona mittit, quæ producit, quia mittere, & mitti dicunt relationem ad extra, & connotant productionem ad intra.

Obstatur. 13 Dices Spiritus sanctus mittit Filium, ergo Spiritus sanctus producit Filium, consequens est falsum, ergo & antecedens; maior propositio probata fuit superius authoritate Augustini in opinione Magistri. Respondemus, Spiritum sanctum mittere Filium non vt Deum, sed vt hominem factum, & ita exponit Ambros. 3. l. b. de Spiritu sancto, cap. 2. qui ita explicat verba illa eiusdem Christi Domini Isaiæ primo. *Spiritus Domini super me*, etenim Spiritus sanctus supra productionem Filij nullam habet actionem; quo etiam sensu loquitur Athanasius in symbolo de Christo Domino, *Equalis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundũ humanitatem*; quod intellige etiam de Spiritu sancto, vt ipse Spiritus sanctus sit æqualis Filio secundum diuinitatẽ, maior tamen secundum humanitatem.

Resp.

14 At licet hæc probabilia sint, inquit Scotus, nihilominus amplius declarare oportet recensitum mysterium, siquidem vrget superius tacta difficultas, quoniam tota Trinitas mittit, siquidem opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, ergo etiam Spiritus sanctus misit Filium. Nec sufficit dicere missionem, sub ratione Verbi incarnandi, vel potius incarnati, quoniam potius authoritates Augustini (inquit Scotus) sonare videntur de Verbo ne dum, vt incarnato, sed vt prius incarnando; ideo subdit Scotus ipse, teneri aliquomodo posse opinionem Augustini; quidquid tamen sit remanet, vt vera sit declaratio allata, addito hoc tamen, vt *Mittere sit manifestare, personam procedere absolute siue ab hac, siue ab altera persona*, Hoc diximus, quia non est necessi, vt omnis persona manifestans producat, & ita soluitur omnis difficultas de Spiritu sancto, vt licet ipse manifestet productionem Verbi, manifestet inquam, per mysterium incarnationis, non tamen propter hoc necessario deducitur, Spiritũ sanctum producere Filium secundum diuinitatem, & ideo dicimus ex eodem Scoto, *Mittere esse manifestare personam procedentem procedere*: Idest personam procedentem æternaliter, procedere, & mitti ex tempore; vel esse *manifestare personam aliquam productam à persona, cui competit productio, procedere ex tempore*, & ita Spiritus sanctus mittendo Filium secundum carnem, manifestat, & declarat, Filium æternaliter productum à Patre, procedere ex tẽpore, & mitti in hunc mundum ad redemptionem Generis humani. Ex quo deducitur, mittere hoc modo, esse omnino essentiale, & commune tribus personis, siue persona declarans mittat, & simul producat, siue nullo modo producat personam missam. Mitti verò est quid notionale. *Amplius declaratur missio.*

15 Amplius vero declarat hoc, supponendo, quod in missione, tum actiua tum passiua sunt duo, alterum est manifestatio, seu declaratio temporalis, alterum verò productio tum actiua, tum passiua; loquendo de primo; id competit omnibus personis, & sic Pater manifestauit Filium supra Thabor, dum voce de cælo illapsa dixit, *Hic est Filius meus dilectus*, Spiritus sanctus etiam manifestauit Filium in Iordane, dum in Columbæ specie *Respectus duo in missione.*

specie super ipsum apparuit in baptismate Ioannis; tum denique Filius, & Spiritus sanctus manifestare possunt, & declarare ipsum Patrem venire, si Pater semetipsum daret Creaturis: Vnde est, vt mittere hoc modo, sit omnino essentiale, atque etiam & mitti. Alterum verò, nempe respectus ad producentem, erit solummodo notionale producentis ad productum, & è conuerso; vnde est, vt inferre quidem possimus, est producens, ergo mittens: est productus, ergo missus, optima consequentia; non autem inferre liceat ab opposito, est mittens, ergo producens, quia Spiritus sanctus mittit Filium secundum carnem, & vterque declarare potest Patrem: immò eadem persona declarare potest semet ipsam, nulla tamen hic interuenit productio, cum nihil producat seipsum ex Augustin. 1. de Trinit. Hinc quoque deducitur, missionem dicere duplicem respectum, rationis alterum, & alterum realem; temporalem primum, & æternalem secundum; loquendo de respectu rationis, vel is est ad Creaturam, cui sit missio, vel ad personam ipsam declarantem, loquendo autem de reali, is erit solummodo ad personam producentem; ergo concludimus, quod de principali significato missio importat respectum rationis, de connotato vero respectum realem.

Mittere cōtingit multipliciter.

16 Quia tamen Heretici vrgent contra nos, negando missionem hanc personarum, siquidem aiūt importare imperfectionem, vt pura, vel imperium supra personam missam, vel mutationem localem, ideo sciendum est, mittere contingere multipliciter, vel per Imperium, & dominium, quomodo seruus mittitur à Domino; vel per consilium, & exhortationem, quomodo amicus mittit amicum, boni, æquique consulens amico. Vel tertio denotat impetum impressum in rē missam, prout sagittarius, atque fundibularius mittunt sagittam, & lapidem; vel denique importat noui termini acquisitionem, seu mutationē de loco ad locum in ipsa persona missa. Nullo quidem istorum modorum reperitur missio in Diuinis, quoniam important imperfectionem, & inæqualitatem personarum, & mutationem: sed reperiemus ibi missiones, pro vt declarat D. Athanasius in illud symboli *Deus de Deo*, & D. Augustin. lib. 2. de Trin. cap. 5.

Persona qualiter veniant, vel mittantur.

17 Insuper quoniam nedum Filius, & Spiritus sanctus communicatur nobis, verum etiam & ipse Pater, iuxta illud Ioann. 14. *Qui diligit me sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, quod præcipue intelligitur de missione inuisibili, & spirituali, atque interna per gratiam, & charitatē, cum ab opposito, missio Filii in carne & Spiritus sancti in columba, erat missio visibilis, & externa; quoniam inquam, etiam Pater ipse communicat se nobis, non est asserendum, Patrem mitti, sed asserendum est potius Patrem venire, quod sub alijs quoque terminis explicatur, nempe sub terminis *dare*, & *donare*, ita vt verum sit dicere Pater dat semetipsum, & Pater venit ad Creaturas, non autem mittitur ad ipsas, cum à nullo procedat, vt expresse fatetur Augustinus lib. 4. cap. 2. quæ etiam veritas communis est Filio, & Spiritui sancto; siquidem non solum hæ personæ mittuntur, verum etiam veniunt, atque dant, & communicant semetipsas iuxta illud, *Ad eum veniemus*. Huc vsque apertissime patet veritas huius mysterij, declarata sæpe sæpius in scripturis, vt Ioann. 8. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*, & ad Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, atque ex Ioann. 14. *Spiritus sanctus, quem ego mittam à Patre.*

Arguitur

Respond.

18 Contra tamen ea, quæ diximus, pugnant argumenta, & primo loco pugnat argumentum Scoti factum contra Magistrum, docet namque Scotus, mittere esse commune, & mitti esse notionale: Sed contra hoc, quia mittere, & mitti important idem significatum, cum solummodo distinctione grammaticali per actiuum, & passiuum, prout diximus in impugnatione Magistri, ergo eadem erit ratio vtriusque. Respondetur, quod spectando significandi modos grammaticales,

Diuersitas modi significandi grãmaticaliter les, adest solummodo differentia circa modum, & significant prorsus idẽ à parte rei, attamen in casu nostro poterit importari conceptus aliquis specialis, qui non diuersificatur penes illos modos solũmodo, sed etiam aliunde, exemplum fit ex eodem Scoto, scire ignem calefacere, & sciri passiue eiidem ignem calefacere, important quidem à parte rei idem significatum, licet sit diuersificatio grammaticalis; at in isto alio, scire ignem calefacere, & sciri ignem calefieri, non solum adest diuersificatio grammaticalis, sed realis; ita in proposito mittere, & mitti grammaticaliter spectando, idem significant, cum sola distinctione grammaticali; Verum quia in vtroq; vltrà modos significãdi actiue, & passiue grammaticaliter, reperitur Theologice à parte rei, diuersitas cõceptus, nempe productio actiua, & passiua, ideo fieri potest, vt vnum sit essentiale, & alterum notionale.

Respectus Dei ad creaturas, an semper cõmunis. 19 Arguitur etiam, respectus Dei ad Creaturas est essentialis, & communis tribus, quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, sed missio dicit respectum ad extra, ergo omnes mittunt, & mittuntur. Respondetur, non omnem respectum ad extra esse communem Tribus, precipue, quando in respectu illo habetur aliquis conceptus specialis potius vnius personæ, quam alterius. Exemplum fit de Incarnatione passiua, quæ cum sit respectus ad extra, non competit omnibus, quia solum Filius terminauit incarnationem, & Naturam humanam, licet effectiuè fuerit omnibus communis, quoniam omnes fecerunt incarnationem actiuè, ita pariformiter missio, prout est manifestatio, & prout est respectus solius mittentis, seu missi, vel venientis, aut donati, vel dantis semetipsum, poterit quidem esse communis. At prout est etiam respectus producentis, & producti non est communis.

Persona missa dicit relationem admittentẽ vt producens est. 20 Arguitur insuper, Persona missa dicit relationem realem ad mittentem, atque æternalem, sed Filius mittitur à Spiritu sancto, ergo dicit relationem realem æternalem ad Spiritum sanctũ, & sic producitur à Spiritu sancto. Respondetur Personam missam dicere quidem relationem realem ad personam mittentem, non tamen, vt mittens est, sed vt producẽs; cum verò Spiritus sanctus non producat Filium ideo non est in eo relatio realis æternalis; se habet enim ad Filium, non vt producens ab æterno, sed vt mittens secundum humanitatem in tempore.

Persona producta datur ab alio: improducta datur à seipsa. 21 Arguitur, quælibet Persona dat, & datur, ex Augustino ad Dardanum, ergo Pater datur ab alio. Respondetur quod quælibet persona producta datur, quæ vero improducta est non datur ab alio, sed communicatur à se ipsa; & sic Pater venit, atque dat semetipsum. Respondemus etiam, non esse propositionem vniuersalem, sed esse loquutionem *accomodam*, est vero sensus, vt Augustinus loquatur pro ijs, quæ dantur, & producuntur ab alijs.

Vtrum Spiritus s. sit minor Patre, & Filio in apparitione columbæ. 22 Obstatur ex eo, quod Filius missus est secundum humanam naturam, factus proinde minor Patre, & Spiritu sancto secundum Augustinum lib 4. de Trin. cap. 4. & iuxta Symbolum Athanas. *Minor Patre secundum humanitatem*, igitur consimiliter Spiritus sanctus vocaretur minor Patre, & Filij si in specie sensibili, & visibili, vel ignis, vel venti, vel columbæ, vel cuius vis alterius communicaretur Creaturæ, hoc vero dicendum non est, nullibi enim reperitur, Spiritum sanctum esse quandoque minorem Filio, & Patre. Respondemus esse diuersam rationem inter vtrumque, quoniam Filius vniuit sibi Naturam humanam hypostatiee, vnde sequuta fuit communicatio humanorum, & diuinorum idiomatum; Verum quia ex Deo, & homine formatus est Christus, & de homine dicitur esse minorem Patre, & Spiritu sancto, ergo de Christo dicetur secundum humanitatem esse minorem vtroque, Spiritus sanctus vero non vniuit sibi naturam ignis, vel columbæ hypostaticè, sed tantummodo, sub ratione signi extrinseci, & sensibilis, ad denotandam insensibilem, & inuisibilem inhabitationem Spiritus sancti per gratiam ex diuino instituto; cum ergo ex Spiri-

tu

diſtributiua, quia ſtat pro ea perſona, quę mittendo producit, & ita ſtat pro ſolo Patre, qui produxit Filium, & poſt miſit; non pro Spiritu ſancto, qui miſit, ſed non ab æterno produxit. Sicut quoque ad quæſitum, quo quæritur.

26 Vtrum omnis perſona mittat: loquendo enim de miſſione improprie ſumpta, ſeu temporali, etiam perſona, non producens, mittit, & ſic Spiritus ſanctus, vt eſt dictum, Filium mittit: loquendo autem proprie & in rigore, ſoli perſonæ producenti competit mittere; quia miſſio denotat principium æternalis proceſſionis, & originis.

QVÆSTIO II.

De Miſſione ſenſibili, & viſibili.

Miſſionis duplex genus. 1 MIſsionis duplex genus aſſignant Theologi: aliud quidem viſibilis aliud inuiſibilis. De primo loquitur Paul. Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*: eſt vero miſſio hæc interno, ac ſpirituali modo animam afficiens, & huiuſmodi eſt charitas, quæ eſt habitus ſpiritualis animam inhabitans interius, & inuiſibiliter. De ſecundo autem, idem Paul. Galat. 4. *Miſit Deus Filium ſuũ factum ex muliere*: & Rom. 1. *Nouiſſime loquutus eſt nobis in Filio.*

Miſſio ſenſibilis quid. 2 Eſt vero miſſio iſta, *ſenſibilis, & externa apparitio per ſenſibile ſignũ facta, ad effectum aliquem in creatura rationali producendum.* Dixi, *in creatura rationali*, quoniam, cum talis effectus præcipuus, & finalis ſit gratum faciens, vt dicemus, ſola rationis, & intellectualis Creatura erit talis miſſionis, & gratiæ capax.

Miſſionis multiplex diuiſio. 3 Viſibilem miſſionem conſiderare licet, vel ex parte perſonæ mittentis, & miſſæ: vel ex parte termini, ſeu effectus. Primo modo in Thabor viſibilis fuit miſſio illa claritatis redundantis ab intus in Corpus Chriſti, cum gloria animæ ſe ſe effuderit in Corpus Chriſti; vox enim Patris ſenſibiliter intonuit. *Hic eſt Filius meus dilectus.* Audibilis quoque fuit vox illa Patris dicentis. *Segregate mihi Paulũ, et Barnabã*: Ex tali veró ſegregatione fienda per ſenſibilem vocem Patris, nouus Spiritus ſancti effectus receptus fuit in Paulo, & Barnaba, in ordine ad opus, ad quod aſſumpti fuerunt; *Idoneos enim fecit nos*, inquit idem Paul. *miniſtros noui teſtamenti.* Hæc inſuper ſubdiuiditur, vt alia terminetur ad perſonam miſſam, alia ad id, ad quod fit miſſio: Prima eſt miſſio diuini Verbi in carne aſſumpta; terminatio autẽ aſſuptionis eſt ad Verbũ & Verbũ caro factũ, dicitur terminus miſſionis. Verum quia miſſio Verbi in carne non fuit propter ipſam incarnationem ſolam, ſed in ordine ad noſtram ſalutẽ, hinc fit vt varia inde reſultauerint ſigna, tum Verbi, tum ſancti Spiritus, ſanctificantia ipſam Eccleſiam, Spiritus quidem ſancti, vt in ſpecie linguarum die Penthecoſtes; ſonitus vehementis. Columbæ in baptiſmate Iordanis, &c. Omnia autem adeo ſenſibilia fuerunt, vt de Verbo dicat Ioannes, *Quod vidimus, & audiuimus, & manus noſtra contrecta-*

uerunt de Verbo vitæ: de Spiritu autẽ sancto, *factus est sonus: apparuerunt linguæ, apparuit columba*: de Patre etiã, *Vox Patris intonuit, hic est Filius, &c.* Ex parte autem effectus diuiditur in visibilem, atque minime visibilem, sed omnino internam: prima iam explicata est, & confirmatur magis de eodem Verbo ex illo Abacuch, *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*: secunda est illa ex D. Paulo recensita, de renouatione interioris hominis per habitum Charitatis, quo mediante dicitur Spiritus sanctus mitti insensibiliter, atque inuisibiliter.

Missio perfecta nõ fit sine gratia iustificante spe, & fide viua. 4 Hinc dicimus, Missio inuisibilis completa, & perfecta non fit absque dono gratiæ iustificantis, charitatis, spei, & fidei viuæ. De gratia sanctificante est Alensis 1.part.quæst.73. memb.4.art.2.3.D.Bonauent. in 1.d. 14.art.2.quæst.1.& in 1. d.17. atque D.Tho.1.part.quæst.43.art.3.estque, vt sic communis. Circa fidem, ait Caetan.fieri missionem, nempe Filij, etiam per fidem informem. Alij dixerunt, mitti Spiritum sanctum consimiliter per inspirationes diuinas antecedentes iustificationem. Alij per gratias datas mitti Spiritum sanctũ: probant, quia Christus Dominus Io. 20.ait discipulis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c.* Potestas autem hæc est gratia gratis data; quia remissio quidem passiua est gratia gratum faciens peccatorem, cui peccata remittuntur, at remissio actiua stare potest in Ministro prauo administrante Sacramentum penitentiæ in peccato mortali. Item potestas eijciendi dæmonia, & curandi infirmos est gratia gratis data, ac per hanc potestatem receperunt Apostoli Spiritum sanctum, ait Leo Pap. serm.2. Penth.

Probatur. 5 Posita tamen assertio est recepta, & communis: & probatur, etenim quandocunq; de missione agitur Spiritus sancti, agitur quidem de missione eius per modum inhabitantis: at non fit per modum inhabitantis animam quocunq; modo, sed modo speciali, & perfectissimo: talis vero modus habetur per perfectissimam virtutem, ea autem est charitas, iustificatio, gratia gratum faciens, & sanctificans animam. Item Apostolus 1.Cor. 3. *Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis? si quis autem templum Dei violauerit; disperdet illum Deus, templum enim Dei sanctum est.* Talis vero sanctificationis forma est charitas, & gratia gratum faciens, quia charitas est forma, & perfectio virtutum, & cap. 6. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?* Itẽ *Annescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri*. Insuper, *qui adhæret Deo, vnus Spiritus est cum eo.* Io. c.14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Ro.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum s. qui datus nobis.* Quod si Spiritus sanctus mittitur ad inhabitandum, vtique per gratiam, & charitatem, per antonomasiam inhabitat: ad oppositum, demas charitatem, gratiamque gratum facientem, sine iustificantem ab anima, & recedet Spiritus sanctus ab anima, ad quã prius missus fuerat per gratiã: patet id ex Sap.1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*, & rursus, *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et hinc Ricchard. in 1.d.14.art.2.quæst.2. ait, *Non posse dari Spiritũ s. sine charitate*: Additq; Gabriel ibid. art.2. conclus.3. *Secundum communem vsum loquendi Sanctorum Patrum, non dici Spiritum sanctum dari alicui, nisi quem inhabitet per specialem acceptationem, tanquam dignum vita æterna: talis vero dignitas non habetur nisi per charitatem, & gratiam.*

6 Ex his constat quid dicendum sit de cęteris donis: ait namque Bonauent. in 1.d.15. part.2. art.1. quæst.1. per ea dari Spiritum sanctum *secundum quid*: quo etiã sensu, ait Herrera in 1.disp.40.quæst.18. loquutum fuisse Gregorium Ariminensem asserentem, posse dari Spiritum sanctum, sine donis, nempe sine dono gratiæ iustificantis *Per gratis gratis datus an detur Spiritus sanctus*

euntis, vt contigit Caiphæ prophetanti; talis autem datio erit iuxta Bonau. *secundum quid*. Atque hinc sequitur, vt per gratias, gratis datas, siue per auxilium gratiæ præuenientis, quatenus hæc abstrahuntur à iustificatione, & gratia sanctificante, seu gratum faciente, minime dicatur mitti Spiritus sanctus, ait Suar. de Trinit. lib. 12. cap. 5. nu. 18. & Molin. 1. par. quæst. 43. ar. 3. de quo magis infra.

An Spiritus s. detur per quodcunque augmentū gratia.

7 Verum vero mittatur Spiritus sanctus per quodcunque augmentū gratiæ, variant Doctores. D. Bonauē. d. 15. quæst. vlt. ait per nullū augmentum intensiuum mitti, sed per extensiuum: Ratio primi, quia per augmentum intensiuum non incipit esse ibi Spiritus sanctus nouo modo: Ratio secundi, quia tunc adest nouitas, quæ non prius: id vero aduenit cum extenditur gratia ad mira quædam, & magna operanda, vtpotè per donum linguarum, per operationem miraculorum, aut prophetiæ, aut feruoris maioris charitatis in ordine ad martyrium, in abrenunciatione sæculi, atque aggressione alicuius actus heroici, & eximiæ virtutis: quę etiam est sententia D. Tho. art. 6. ad 2. sicque facta fuerit missio ad Apostolos in die Penthecostes, & octauo die post resurrectionem Ioann. 20. licet prius habuerint eundem Spiritum sanctum per gratiam iustificantem: vide, & postmodum, *Loquebantur varijs linguis; & faciebant prodigia, & signa multa in plebe*: atque *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Absolute tamen concedit Durandus in 1. d. 15. qu. 4. inquiens, *missionem fieri per dona gratuita, vel augmentum eorum*. Et consensit ibidem Suarez, licet inde inconstans asserat, missionem proprijssime fieri, quando gratia augetur extensiue ad peculiares effectus, vt diximus. Concordat cum Bonauen. & Tho. Cordub. lib. 1. quæst. 41. atque Alensis 1. part. q. 73. mem. 4. art. 3.

Dum vna mittitur persona, an simul mittatur, & altera.

8 Verum vero, dum vna mittitur persona; mittatur & alia, loquendo de persona missibili: Alensis ibidem ait posse vnam mitti sine alia: & ita Filium, sine Spiritu sancto: Filius nāque mittitur, dum elargiuntur dona sapientiæ, ac cætera spectantia ad intellectum: Spiritus autem sanctus per dona pertinentia ad voluntatem. D. Tho. ait vtramque personam simul mitti, dum enim mittitur vna, mittitur & altera; ratio quia vtraque dona tū intellectus, tum voluntatis sunt necessariò connexa cum gratia. Ita art. 5 & 7. atque D. Bonauent. Distinguendum vero putamus, aut namque dona intellectus sunt coniuncta, cum gratia iustificante, aut minime: si primū, vtique mittūtur simul inuisibiliter Filius, & Spiritus sanctus; si secundū, nequaquam mittetur Spiritus sāctus, Ratio quia nō est in anima gratia, per quam ad eam mittatur Spiritus sanctus: & sic reconciliantur sententiæ, præcipue in sententia eorum, qui aiūt missionem fieri etiam per alia dona, quam per dona gratiæ iustificantis, vt de Caetano retulimus. Quando autem simul mittuntur, tunc dicitur potius vna, quam altera mittitur per antonomasiam, iuxta appropriationem doni spectantis ad ipsam: vtpotè dicatur tribui specialiter Verbo missio per dona sapientię, & similium; & Spiritui sancto specialiter missio per dona charitatis, & huiusmodi, quia dona intellectus appropriantur Verbo, & dona voluntatis appropriantur ipsi Spiritui sancto: & de hoc amplius infra.

Personæ, quib. facta fuerit missio visibilis

9 Personæ, quibus facta fuerit missio Spiritus sancti visibilis, in primis fuit Christus Dominus: ita namque sub specie Columbæ apparuit in Iordane, in eius baptismo. Matt. 3. *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* & Ioann. 1. *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam, de cælo, & mansit super eum.* Item fuerunt Apostoli, quibus sub specie flatus, & linguarum ignis, missus fuit Spiritus sanctus: Ita Actor. 1. *factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis,*

seditque supra singulos eorum, & repleti sunt Spiritu sancto.

An B. Virgini, ac mulieribus fuerit visibiliter missus.

10 Sed numquid etiam beatissimæ Virgini, alijsq; mulieribus, fuerit & tunc visibiliter missus Spiritus sanctus? Respondet Bassolius in 1. d. 15. quæst. 1. art. 3. sic in terminis: *Dicunt aliqui quod non, quia non fuit Prælata, nec alia similiter; nec habebant diffundere gratiam ex officio, sicut Apostoli. Alij dicunt probabiliter (licet ex textu scripturæ actuum secundo non possit hoc haberi) quod primo Mariæ Virgini fuerit missus; licet enim non fuerit Prælata in Ecclesia ad administranda Sacramenta, tamen fuit Doctrix, & Magistra Apostolorum in veritate, & fide de Filio suo. Et aliæ mulieres inueniuntur publice prædicasse, sicut Magdalena; nec fuit inconueniens propter paucitatem prædicantium in fauorem fidei, licet non inueniatur Maria publice prædicasse; vnde dicunt, quod Mariæ, & alijs mulieribus Sanctis, & Discipulis, qui habuerunt donum linguarum, fuerit missus Spiritus sanctus. Hoc probant auctoritate Hieronymi in primo prologo super omnes diuinæ hystoriæ libros, vbi dicit sic, Ioel Filius Phatuel post euersionem priorum Populi describit effusum Spiritum. sanctum super seruos Dei, & Ancillam, et super cunctum populum credentem Christo in cænaculo Syon; Dicunt tamen quod missio illa non fuit facta Mariæ ad causandam gratiã, vel significandum quæ tunc causaretur in ipsa, quia à Conceptione Filij fuit repleta gratia, & habuit tantam gratiam, quantam capere potuit anima eius, vel quãtam disposuerat ei Deus dare, quod magis puto, quam primum.* Huc vsque Bassolius. Consensit Herrera in 1. dis. 11. q. 28.

Patribus veteris testamenti an facta missio visibilis.

11 Quid Patribus veteris testamenti, Verum & ad eos facta fuerit missio visibilis? Videtur quod sic, etenim Moysi apparuit rubus ardens, & super exercitum columna ignis, atque nubes protegens, & obumbrans, &c. Verum respondet D. Tho. negatiue 1. part. quæst. 43. art. 7. ad 6. Ratio, quia missio hæc significat redundantiam gratiæ, & copiosum effectum geatiæ in eis, ad quos fit missio; tempus autem antiquæ legis non fuit tempus plenitudinis gratiæ, quale est tempus nouæ legis: & propterea Ioannis 7. dicitur, *Nondum erat Spiritus sanctus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus.* Addunt alij, quod prius debuerat perfici missio visibilis Filij, quam Spiritus sancti; at in veteri lege non aderat tunc visibilis missio Filij, ergo nec tunc visibilis Spiritus sancti: quæ ratio innititur super textu recensito. Ad apparitiones autem illas, ita respondet D. Tho. supr. *Apparitiones diuinarum personarum factas Patribus veteris testamenti, missiones visibiles dici non posse, quia non fuerunt factæ (secundũ Augustinum) ad designandum inhabitationem diuinæ personæ per gratiam, sed ad aliquid aliud manifestandum.* Et quidem columna ignis ostendebat iter per noctem; nubes protegebat ab æstu solis; & Rubus ardens amorem ostendebat, quo Deus compatiebatur populo detaticato in coquendis lateribus in fornace.

Angelis an in via missio visibilis.

12 Numquid deniq; ad Angelos Viatores facta fuerit sensibilis, & visibilis missio? Respond. Angelos nõ indigere corporea, ac sensibili apparitione, cum sint incorporei, & spirituales; igitur dum erant in via fieri potuit missio inuisibilis, siue gratiæ, siue augmenti geatiæ, quam acceperunt in sua ceeatione. Insuper missio hæc potius appellanda intelligibilis, quam sensibilis, quoniam sunt creaturæ intellectuales, non autem sensibiles, & corporales.

Missionis diuisio ex Durando.

13 Missio hæc visibilis diuiditur à Durando, vt aliquando fiat secundum dona naturæ: aliquando secundũ dona gratiæ, & interdum secundum dona gloriæ; primam vocat imperfectam; secundam perfectam; tertiam denique perfectissimam. Circa tertiam, in ordine ad gloriam, ipsam concedit D. Thom. negatur vero ab alijs, vt non fiat missio hæc visibilis Beatis: Ratio esse potest, quia missio significat internam renouationem per gratiam, siue per augmentum gratiæ, illius, ad quem fit missio; at beati non sunt capaces nouæ gratiæ, cum sint in termino, ergo nec nouæ missionis. Insuper mis-

sio

sio fit ad personam longe distantem, at Beati sunt quã maxime vniti Deo per gloriam: licet vero etiam Viatores sint ratione diuinæ immensitatis, & præsentialitatis diuinæ, non longe distantes à Deo, cum Paulus dicat, *Non longe est ab vnoquoque nostrum,* tamen dicuntur Viatores distare ratione status, qui est status viæ, via autem distat à termino, cum autem Beati sint in termino, sunt ratione status viciniores Deo. Possunt tamen potius illæ Beatorum vocari reuelationes, & illuminationes, quam missiones, nisi extendamus nomen missionis; etenim nouæ illis accedunt reuelationes de statu Ecclesiæ, Amicorũ, Propinquorum, sicut & Religionum Fundatoribus, nouæ fiunt reuelationes de statu, incremẽto, atque progressu suorum religiosorum. Hæc vero intra genus continentur gratiæ gratis datæ, & spectant ad genus gloriæ accidentalis: sicut ex opposito Damnatis, Lucifero, Hæresiarchis, ipsisque, qui prauo fuerint alijs exemplo, & causa peccandi, nouæ fiunt accidentalis pœnæ accessiones, & malorum, quorum causæ fuerint, reuelationes.

Missio an fiat necessario per gratiam gratũ facientem.

14 Verum autem missio, vt Verbi gratia, Spiritus sancti necessario fiat per talem gratiam gratumfacientem, an sufficiat fieri per alia dona. Sunt qui affirment sufficere fieri per alia dona, vtputa, fidei, spei: & tunc se habere non instar sanctificantis Ipsum Spiritum sanctum, sed instar Rectoris gubernantis, dirigentis, mouentis, &c. Verum modus iste potius docet, Spiritum sanctum, sicut & Verbum conferri per modum doni, quam per modum personæ venientis, & missæ; Igitur melius alij cõmuniter aiunt, non conferri sine ipsa gratia iustificante, vel saltem, sine augumento eius, nã talis est finis missionis, ergo non habetur sine gratia iustificante. Dices, finis missionis sunt, & alia supernaturalia dona, atque gratiæ, etiam gratis datæ. Insuper Cayphas non habuit gratiam sanctificantem, & nihilominus prophetauit. Antichristus mirabilia faciet, sicut & Magi Pharaonis. Respond. ex hoc confirmari magis nostram sententiam, quia donum recepit Caiphas gratiæ gratis datæ, vt prophetiæ, non tamen gratum facientis, dum non habuit ad se missionem gratiæ Spiritus sancti. Item vtique alia dona, & gratiæ gratis datæ sunt finis missionis in animabus iustis, sed nõ finis primarius, & principalis, huiusmodi enim est gratia gratum faciens; cætera dona se habent concomitanter.

Missio an principalius fiat per dona intellectus, an voluntatis.

15 Verum quia inter cætera dona conferenda per missionem tum Verbi, tum sancti Spiritus, adest donum intellectus, & voluntatis, vna cum donis cæteris perfectiuis intellectus, & voluntatis, quæri potest, quodnam istorum sit potissimum, & principale in missione: Ad intellectum quidem inter cætera spectat manifestatio, illuminatio, & cognitio, qua persona missa manifestetur procedere à mittente, & produci ab æterno ab eo: Ad voluntatem vero pertinet ipsius voluntatis sanctificatio per gratiã inhærentem, & gratum facientem: quodnam autem istorum erit principalius. Thomistæ principaliorem asserunt esse gratiam gratum facientem & per eam fieri missionem principaliter, concomitanter vero per reliquas virtutes, fidei, spei, &c. Ex Scotistis vero manifestationẽ aiunt aliqui importari principaliter, & gratiam concomitanter: atque ita concludunt, missionem aptius significari directe, & immediate per dona intellectus, quã voluntatis, nisi mediatè, & indirecte. Distinguendum in hac rè putamus, vt ordine quidem intentionis, principalius importetur gratia, & dona voluntatis; ordine tamen executionis dona intellectus, & ipsius illuminatio. Ratio primi, quia adhoc facta fuit Verbi Incarnati missio, vt nos à peccatis redemisset, & mediante sanctificationis, & remissionis gratia, nos Patri reconciliaret: ait namque: *Veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant,* & alibi, *Misit Deus Filium suum in remissionem peccatorum,* Adhoc quoque linguis igneis venit ad discipulos Spiritus sanctus, vt mediante igne, Spiritu amoris sui igniret, & sanctificaret eos: & denique Ioa. 14. *Ad eum,* aiunt Trinitatis Personæ, *veniemus:* at quia non sufficit venire, subduut, & *mansionem*

Missionis effectus an haberi semper requiratur in eo, ad quem fit missio.

hunc temporalem collationis doni haberi semper in eo, ad quem fit missio, & pro semper. Respon. D.Thom. sufficere, vt missio visibilis significet inuisibilem, siue in propria, siue aliena persona: siue tunc temporis, siue alio tempore factam, vel fiendam; est enim quæsiti sensus, vtrum semper missio visibilis habeat secum coniunctam, missionem inuisibilem in eadem persona, vna cum gratijs, & donis: responsio, iam data, est negatiua à D. Thom. & probatur, Verbi enim humanitas erat iam plena gratia, & sanctitate, & donis, & hinc sequitur, vt apparitio columbæ super Christum, (quod est exemplum clarius) non denotabat tunc infudi Christo gratiam, & dona, bene tamen denotabat, fuisse iam eidem Christo prius collata hæc omnia in Incarnatione; denotabat tamen aliquid tunc temporis recipi in aliena persona, vt in Virgine, & Ioseph specialia dona tempore Incarnationis: in Baptista speciale donum, tempore apparitionis columbæ in baptismate Christi. In Cænaculo quoque missio Spiritus sancti facta Mariæ non præmonstrabat gratiam tunc temporis in Maria sanctificantem causatam, eum à conceptione sui Filij, vt ait Scot. 4.d.4. qu.6. *Tantam tunc gratiam acceperit, quantam pro quouis tempore disposuit dare illi Deus.* Loquimur autem de sanctificare; nam credibile est, alia dona, & gratias alias gratis datas tunc in aduentu Spiritus sancti recepisse, ait Bassol. quæ non receperat prius, propterea, inter cætera, euasit Doctrix, & magistra Apostolorum. Sufficit ergo, vt missionis effectus recipiantur, in propria quidē persona, vel saltim ostendantur, iam receptos alio tempore fuisse: vel recipiantur in aliena persona, ita D.Tho. 1.p.q.43.ar.7.ad 6. Valē.t.1.d.2.q.17. pun.4. Suar. de Trin. lib.12.c.4. nu.9. licet aliqui discrepent, vt ibidem, & n. 10. disputat Suarez.

Missiones, an necessario cōnexæ.

18 Mitto quæstionem illam, vtrū missiones sint adeo connexæ, vt separari minime possint; siquidem comparando inūisibilem ad visibilem, æstimant nōnulli, quod si separabiles sint, perdent vtique nomen missionis; non enim poterit esse visibilis missio sine inuisibili: sed oppositum patet ex dictis, etenim Spiritus sanctus in columbæ specie super Christum apparuit visibiliter, & tamen in Christo nulla fuit recepta missio, tunc inuisibilis; ergo separantur. Comparando etiam missiones ipsas visibiles, separantur de facto, Verbi enim apparitio, & missio distincta est à Spiritus sancti missione, & apparitione; tum ratione hypostasis, & personæ, tum signi, & Doni. Fieri denique poterit comparatio, vel penes efficientiam, vel penes effectum, actiue, & terminatiue; effectiue enim omnes Diuinæ Personæ concurrunt ad extra, & ita Incarnatio facta fuit efficienter à tota Trinitate, quæ tamen terminata fuit à solo Verbo; ideoque ratione primi omnes Personæ veniūt, dicunt enim, *Ad eum veniemus*; & licet Verbum, & Spiritus sanctus mittantur, nihilominus etiam veniunt, vt antecedenter diximus; vnde fit, vt terminatiue tentæ, hæ missiones separentur vna ab alia; sunt enim distinctæ personæ, distinctique modi apparendi, & mittendi.

Missio Filij an cū missione inuisibili Spiritus sācti.

19 Addendum vero, vt supra diximus, missionem Filij non esse sine missione inuisibili Spiritus sancti, dicitur namque, Isa. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me, ad ānuntiandū mansuetis misit me*; vnde dum inuisibiliter mittitur Filius, mittitur quoque inuisibiliter Spiritus sanctus: Et quidem inuisibiliter mittitur Filius per donum sapientiæ, & fidei, verum quia fides ordinatur ad charitatem, ideo enim credimus, vt amemus, propterea mittitur quoque per charitatem Spiritus sanctus. Quod magis liquet in baptismo, vt fides recipitur, cum charitate, cæterisque virtutibus, & donis. Quod & si ita sit, tamen quandoque magis per antonomasiam tribuitur vni personæ inuisibilis missio, quam alteri, ratione doni, quod ipsi appropriatur: vnde de Spiritu sancto fit mentio in act. Apost. quod fuerit missus, eo quod, id, quod in tali mysterio principalius attendebatur, erat charitas, & nihilominus aderat quo-

quoque inuiſibilis miſſio Filij per intelligentiam,& ſapientiam, dum repleti diuina ſapientia prædicabant, & docebant myſteria fidei . Viſibili autem viſione iam conſtat, vnam mitti ſine alia. Verbum enim in humanitate; Spiritus in vento, columba, nube,& linguis igneis mittitur: & id ratione ſpecialis myſterij ſignificati, & operati per ipſas peculiares perſonas , Incarnatio namque operata eſt per Verbum,& ſic de cæteris.

Miſſio, an fiat per dona Naturæ.

20 Hactenus de duobus modis fiendi miſſionem ſecundum ordinem gratiæ,& gloriæ: reſtat primus ille alter à Durando ſpecialiter recenſitus, ſecundum dona naturæ. An vero concedendus ſit modus talis , negatur communiter, vnde non eſt concedendum, miſſionem adaptari ad collationem donorum naturæ . Ita Magiſtr. Alenſ. D. Thom. cum cæteris. Ratio , quia modus eſſendi alicuius perſonæ , eſt modus ſpecialis, & ſingularis : at modus eſſendi in creaturis per dona naturæ , eſt modus eſſendi per communem illapſum , per præſentiam , potentiam,& eſſentiam, ergo per talem modum non fit ſpecialis miſſio Item cum perſona mittitur, tunc incipit habere nouum modum eſſendi in creatura , ratione noui effectus producit Deus, & omnes Perſonæ per dona naturæ ſe habent communi modo,& effectus nô potius eſt vnius, quâ alterius perſonæ, cû opera ad extra ſint indiuiſa, ergo, &c. Dices, incipit quoq; tota Trinitas nouiter eſſe in creatura, nunc nouiter creata , ergo mittitur. Reſp. nego ſequ. quia miſſio fit ad rem iam præexiſtentem. Dices, ſaltem ratione conſeruationis ſpectando creaturam, poterit perſona mitti , Conſeruatio enim ſupponit, creationem , non enim conſeruatur. niſi dicat ordinem ad præexiſtens Reſpon. neque hoc, quia etiam Conſeruatio eſt à tota Trinitate , miſſio autem eſt alicuius ſpecialis perſonæ, & eſt ratione alicuius ſpecialis effectus, tributus, & appropriatus peculiari perſonæ . Denique miſſio proprie eſt in ordine ad dona gratiæ , ea enim eſt côſummatio, & finis miſſionis, vt eſt dictum, ergo non eſt ad cômunia dona naturæ.

QVAE-

QVÆSTIO III.

An quatuor illa signa fuerint naturalia, an similitudinaria.

Differentia vnionis Verbi ad humanitatem, & Spiritus s. ad colūbā.

1 Quatuor legimus sensibiles Spiritus sancti missiones in scriptura. In specie quidem columbæ in Iordane: in specie nubis lucidæ: in specie flatus, & ventus, at denique in specie ignis. Horum signorum vnio vtique distincta fuit, & alterius rationis ab vnione hypostatica humanitatis in Verbo, etenim ex vnione humanitatis facta fuit cōmunicatio idiomatum inter Humanitatem, & Verbum, nam Verbum est caro factum, Deus est factus homo, Homo Deus, passus est Homo Deus, incarnatus, mortuus, sepultus, & similia; fuit namque vnio hypostasis ad humanam substantiam, qua mediante Deus erat Homo, & Homo Deus: at signa hæc non fuerūt Spiritui sancto hypostatice vnita, nunquam enim, vel Spiritus sanctus terminauit dependentiam naturæ columbinę, vel ignis, vel nubis, vel flatus: Hoc est contra Tertullianum, qui lib. de carne Christi cap. 3. ait, *Spiritus cum hoc esset, tam vere erat columba, quam Spiritus: nec interfecerat substantiam propriam substantia extranea.* At Augustinus oppositum docet, lib. 2. de Trinit. cap. 6. inquiens, *Non sic est assumpta creatura, in qua apparet Spiritus sanctus, sicut assumptus est Filius hominis,* & lib. 4. de Trinit. cap. 21. *Quis dixerit, vt illud, in quo per columbæ speciem, Spiritus sanctus est demonstratus, ita sit Spiritus sanctus sicut est Dei Filius homo ille, qui de Virgine natus est.* Ita etiam Theologi in 1. d. 16. Hoc stante negatur communicatio idiomatum Spiritus sancti ad signa hæc, & signorū ad Spiritum s. Visus ergo fuit Spiritus sanctus his, tanquam signis, ad significandum præsentialitatem suam, sub ratione alicuius specialis effectus producendi; ideoque visus fuit columba, ad significandam Christi Domini simplicitatem, iuxta illud eiusdem Christi, *Estote simplices sicut columbæ.* Visus fuit nube lucida, ad ostendendam eiusdem Christi lucidissimam sapiētiam, & veritatem. Visus linguis igneis, ad præmonstrandam prædicationis inflammatam charitatem: flatus denique visus specie, & venti ad insinuandum pectoris apostolici nitorem, & puritatem; purgat enim flatus, & scopat ventus vbi flat, vbi spirat, hæc & similia excogitari possunt, & deduci ex Patribus, ratione quorum Spiritus visus fuerit rebus recensitis: nullum tamē eorum vniuit sibi hypostatice Spiritus sanctus, sicut Filius humanitatem.

Columba nubes, flatus, ignis quid significabant.

2 Adest & altera ratio differentiæ, nam Verbum vniuit sibi Naturam humanam, vt mediante ea mereretur, redimeretque Genus humanū: Spiritus sanctus non opus habuit tali merendi medio, quia non Spiritus, sed Filius missus est ad redimendum hominem; ideoque ea, quibus visus fuit signa, fuerunt solummodo suæ præsentialitatis, & effectus specialis operari per ea, non autem signa vnionis hypostaticæ; ita Aug. 2. de Trinit. cap. 6. & communiter Theologi Chrisostom. homil. 11. in Matt. &c.

Differentia altera.

Signa illa an fuerint realia.

3 Insuper docent communiter Theologi, signa hæc non fuisse imaginaria, sed extra animam, & propterea visiones eorum fuisse diuersas à visionibus prophetarum, qui prophetabant per imagines, seu per res imaginarias, absque earum existentia extra. Augustinus in dubium vertit, an linguæ, *tanquam ignis*, fuerint imaginariæ, an aliquid extra animam, sensum mouens: communis tamen sententia est, omnia fuisse entia extra animam, vereque sensum mouentia, illorum, qui ea intuebantur. Sicut idem postea Augustin. hoc ipsum concessit circa linguas illas Epistol. 102.

Signa an fuerint vere talia, qualia apparebant.

4 Quæritur tamen vtrum ea, quæ videbantur, fuissent vere entia illa, quæ visui præsentabantur, an solum fuerint apparentia, & res similes, atque consimiliter confictæ. Nubem fuisse, ex aere condensato, formatam probabile est: moxque euanuisse, aere redeunte ad pristinum statum. Sed quid vetat asserere, fuisse ex vapore conditam, alias purgatissimo, tenuissimo, purissimo indeque complero mysterio, euanescentem, conuersam fuisse in antiquam materiam. De linguis, non fuere vere linguæ ex materia carnis: nec colorem habuere carnis, sed ignis, licet figuram, & formam habuerint humanæ linguæ. Nec fuerunt de substantia ignis, alias combussissent Apostolos, nisi recurramus ad nouum miraculum: sed non sunt multiplicanda, sine necessitate: & confirmatur, quia textus ait, *Apparuerunt linguæ tanquam ignis*, Act. 2. non autem ait, *linguæ igneæ, ignitæ*, vel *de substantia ignis*, sed *tanquam*, quod similitudinem dicit, ipsius ignis: Nec aliunde colligere possumus, fuisse verum ignem: quid igitur? cuius erant materiæ? fortasse aeris taliter condensati, & colorati vsque ad complementum mysterij. De flatu, facilis res est, conceditur que fuisse verum flatum.

De linguis nube, flatu.

Columba an fuerit verum animal.

5 Controuersia est de columba, an fuerit verum animal viuens. Affirmat Augustin. de agon. Christ. cap. 22. & D. Thom. 3. part. quæst. 39. artic. 7. verum fuisse animal de nouo productum, cum Ansel. Matt. 3. Negat Ambros. l. 1. de Sacrament. cap. 5. Lyran. cap. 3. Matt. & Abulens. ibidem quæst. 84. acceditque idem Augustin. Epistol. 102. Et hoc magis recipitur, & probatur ex loquutione scripturæ, non enim ait, *Apparuisse colūbam*, sed Lucas ait, & Matt. cap. 3. *sicut columba*; Marc. 1. *tanquam columba*; & Ioan. 1. *Quasi columba*. A simili confirmatur, quia si linguæ non fuerunt verus ignis, nec vera caro, ait enim textus, *tanquam ignis*, ergo nec columba fuit verum animal, sed quasi columba, ait enim Chrisostom. homil. 3. in Matt. *Non dixit, sumpsit corpus columbæ, sed vidit Spiritum, tanquam columbam; Vbi dicitur tanquam, non veritas, sed similitudo monstratur.* Et homil. 12. in Eund. *Spiritus Sanctus non assumpsit naturam columbæ, idcirco Euangelista non in natura, sed in specie columbæ dixit.*

6 Obstabis, si signa hæc non fuerunt vera, ergo decepti fuerunt Apostoli, videntes ea; ergo deceptus Ioannes videns columbam. Respondeo nego sequel. Ioannes enim bene nouerat, non fuisse veram columbam, ait enim Ioann. 1. *Quia vidi Spiritum sanctum descendentem quasi columbam.* Respond. secundo sufficit, non fuisse deceptos circa effectum prætentum per columbam, & per alia signa, sciebant enim certo, reuelante Spiritu sancto, aduenisse per talia signa Spiritum sanctum, & ita habebant effectum præmonstratum, per speciem, & similitudinem columbæ.

Signa hæc à quonam formata, à Deo an ab Angelis.

7 Quæres rursus à quonam fuerint signa hæc formata: Author operis imperfecti in cap. 3. Matt. putat formata fuisse inmediate à Deo. Augustinus autem formata docet ab Angelis lib. 4. de Trinit. cap. vltim. & Epistol. 102. Respondendum vero, quod vel columba illa, sicut & linguę, erat viua, verumque animal, veraque viuens caro linguæ illæ, vt D. Thomas airbat, & Tertullian. lib. de carne Christi, & tunc non fuerunt formata ab Angelis, sed à Deo, ratio, quia non potest Angelus formare huiusmodi entia viuentia, nec dare vitam; licet applicare possit actiua passiuis, &c. Si tamen non fuit vera co-

lum-

lumba, potuerunt fieri miniſterio Angelorum hæc, & cętera carentia vita: An vero ita actum ſit, affirmat idem Auguſtinus, docens, apparitiones quoque veteris teſtamenti in forma viſibili factas eſſe, miniſterio Angelorum, ſic & de columba, &c. quod vero apparitiones veteris teſtamenti factæ fuerint per figuras formatas ab Angelis, oſtendetur diſputatione ſequenti.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Spiritus ſanctus mittatur non ſolum in Donis, ſed & in propria perſona.

Arguitur pro parte negat.

RAtio dubitandi vtrum Spiritus ſanctus detur in propria perſona, an vero in ſolis donis, ex multiplici capite oriri poteſt: & primo, iam tota Trinitas reperitur de facto in omnibus creaturis, cum Deus ſit in omnibus per præſentiam, potentiam, & eſſentiam; hoc ſtante, dum Spiritus ſanctus, per gratiam, mittitur in animam, non videtur eius mitti perſona; quoniam ibi eſt: ſed qui de nouo alicubi mittitur, ſignum eſt, quod ibi non fuerit: cum autem ſit Spiritus ſanctus in omnib. nulla ſuppetit ratio, vt dicatur in perſona mitti. Rurſus iſta perſonalis miſſio eſſet ſuperuacanea, quia iterata miſſio eius, qui in aliquo eſt, a quo tamen nuſquam receſſerit, vtique ſuperuacanea, & fruſtranea erit; dum namque hic ſum, fruſtra dicar denuo huc mitti, ſtante quod hinc hucuſque non receſſerim: bene tamen denuo mitti huc dici poſſem effectiue, operando videlicet hic opera, quæ prius non operabar: ſicque poſſet Spiritus ſanctus mitti, vtpotè in ſuis operationibus, atque donis, ad animam, in qua tamet prius erat quidem præſens in perſona, hæc tamen, vel illa non operabatur prius in tali anima. Inſuper dum poſſet Spiritus ſanctus per miſſionem, ſeu infuſionem ſuorum donorum inhabitare animam, fruſtranea, & ſuperuacanea videtur eius miſſio perſonalis; probatur, poterit namque id ipſum præſtare per ſua dona ſine perſonali aduentu ſuo, quæ præſtaret adueniens in perſona. Præterea mutaretur perſona Spiritus ſancti, ſic adueniens denuo in perſona, probat. prius erat in anima in perſona: nunc denuo mittitur in perſona, ergo mutatur perſona; Dices mutationem fieri in donis, nõ in perſona; Dona namque cauſa ſunt, vt fiat mutatio in anima, quæ prius non erant, ergo mutatur non Spiritus ſanctus, ſed anima per dona. Contra, hinc ſequitur, nihil haberi denuo niſi dona: igitur non habetur denuo Spiritus ſancti perſona: ſequela tenet, iam enim aderat prius in anima Spiritus ſanctus, qui & nunc denuo eſt: ai non eſt facta mutatio in Spiritu ſancto, ergo non eſt miſſus denuo in perſona. Confirmatur, miſſio perſonæ, aut eſt noua, aut antiqua: ſi ſecundum, ergo non mittitur denuo in perſona: ſi primum, ergo vel mutatio in perſona, vel ſi non in perſona, ſed in donis, ſequitur, vt ſufficiat dicere mitti in ſolis donis, non in perſona. Præterea Spiritus ſanctus eſt in infantibus baptizatis, carentibus tamen vſu rationis ac per baptiſmũ, & per iuſtificantẽ gratiã non mittitur eis in perſona, ergo nec in adultis: prob. min. non eſt in eis ſicut cognitũ in cognoſcẽte, vel ſicut

amatum in amaote, quia tunc non habent vsum rationis, discurrendi, amādi, diligendi; nec sub ratione vnioois hypostaticæ, vt patet: nec tanquam forma in subiecto, cum persona non sit forma, &c. igitur erit solommodo per dona. Denique Spiritus sanctus est personaliter præsens, tum iusto, tum peccatori, *Non longe est ab voo quoque nostrum*, Act. 7. igitur cum peccator iustificatur, non recipit Spiritus sancti personam, sed gratiam solummodo & dona, per quæ fiat iustus: Alias si nonc recipit personam, ergo Spiritus sanctus prius non erat in peccatore in persona, sicque non erit verum quod sit cum tota Trinitate in omnibus rebus per præsentiā, potentiam, & esse otiam.

Sententia negatiua. 2 Circa hoc fuit quorundam opinio existimantium, Spiritom sanctū non dari in persona, sed solum in donis; fundamenta esse possunt qoæ retulimus.

Spiritum s. dari etiam in persona. 3 Nihilominus contraria, & est commonior, & verior, dari etiam in propria persona. Est Magistri in 1. d. 14. D. Bonauent. ibidem, Okam, Gab. Bassol. atque Recentiorum, siue ad citatum locum Magistri, sioe cum D. Thom. 1. part. quæst. 43. art. 3. Est etiā Scoti, qui in 1. d. 18. ait *Quod Spiritus sanctus datur soli creaturæ rationali, & in se, & in suis donis*. Et sequuntur Scotistæ, ex quibus Bargius in 1. d. 14. 15. Herrhe. t. 1. d. 11. quæst. 18. Insuper D. Thomas errorem appellat sententiam dicentiom non dari Spiritum sanctum in persona, sed solummodo in donis. In eademque fuit communi sententia Alensis 1. part. quæst. 73. m. 4. art, 1. additque Molina ad locum D. Thom. ar. 3. contrariom fuisse placitum quorundam parum fidei catholicæ consentaneum.

4 Probatur vero, quia talis est mens, & locutio Scripturarum: ait quidem Apost. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Quo in loco non contentus est Paulus docere *Charitatem diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, Sed vltro pergit, dicendo, *qui datus est nobis*: itaut distinctionem tacito apponat inter primom, & secuodum, siquidem posset quis dicere, charitatem infusam quidem nobis esse per Spiritum sanctum, veloti per eius appropriatum Authorem: vtrum vero, vltra charitatem, detor & persona ipsiusmet Spiritus sancti, si fortasse quis id oegauerit, protious conuincitur ex verbis sequentibus Apostoli, *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. docet ergo Apost. dari tum charitatem, tum etiam in persona ipsum Spiritū sanctum. Hoc etiam pacto Angelus ad Virginem dixit, *Spiritus sanctus superueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Quo ex loco, duo pollicetur, virtutem qoidem Altissimi obumbrantem, & insuper aduentum personæ Spiritus s. Act. 1. *Accipietis virtutē superuen. ētis Spiritus s. in vos*. Vbi consimiliter disting uitur virtus, & Spiritus sanctus, vt oedum accepe-rint virtutem Spiritus sancti, verum & ipsummet Spiritom saoctum in persona superuenieotem in eos. Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Quo in loco Christos Dominus rogaturum se Patrem promittit, vt mittat alium Paraclitū, nempe Spiritum sanctum: at quemadmodum Pater misit Filium in hunc mundum in propria persona, ita rogare promittit, vt Spiritum sanctum mittat in propria eius persona 1. Co. 3. *Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis*. 1. Ioa. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, & 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Expressit aperte hoc idem Leo Pap. serm. Penthec. explicans prædictum locum Ioaonis, *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*; vbi sic ait, *Alium, non minorem, sed similem in gloria, & eiusdem substantia*; & Rursus *Adfuit in hac die fidelibus suis, & non tantum per gratiā visitationis, & operationis, sed per ipsā præsentiam Maiestatis*.

5 Remanet tamen inuestiganda ratio talis præsentialitatis, vnde nam colligi possit, aut quomodo dicatur præsens personaliter denuo, dum prius quoque erat præsens in persona: D. Thom. loc. cit. ait esse præsentem *Ratio talis præsent iali tatis exalys*

tem in anima, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in Amante; sicque explicat Spiritus sancti præsentiam. D. Bonauentura docet dari animæ, tanquam possidendum, & fruendum ab ea: perfecta autem possessio, & fruitio tunc habetur, quando præsentia fruimur ipsius personæ, ipsaque præsens sit, nedum in suis muneribus, sed & in propria persona. Alij aiunt, quod sicut Verbum fit etiam personaliter præsens humanitati per vnionem hypostaticam, sic Spiritus s. per vnionem gratificā. Alij talē præsentialitatē explicant sub ratione peculiaris assistentiæ, qua mediāte Spiritus s. se habeat instar Tutoris, & Rectoris ad Animam, quam inhabitat, in ordine ad præstanda ea, quæ æternam concernunt salutem. Alij modo quodam inquiunt, assistere eminentissimo, continente modos alios: quod si eos interroges, qui nam sit modus iste, inquiunt explicari non posse. Hi rrhera citatus inquit, dari animæ adveniendum, etenim Spiritus sanctus (inquit) est paratus ad subueniendum animæ, quia semper *stat ad ostium, & pulsat*: & confirmat ex Iosue 10. *Loquutus est Iosue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in manu Filiorum Israel, dixitque eis, sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra Vallem Ayalon: Steteruntque sol, & Luna donec vlcisceretur se Gens de inimicis suis*: & infra, *obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel* atque Exod. 32. *dimitte me vt irascatur furor meus contra eos*, & infra, *placatusque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Demum alij silentium imponunt, dicentes, rem esse prorsus inexplicabilem, quia *qui scrutator est Maiestatis opprimetur à gloria*: Eccl. 7. vnde *Te decet hymnus Deus in Syon*, psal. 72. vbi ex Hieron. legitur *te decet laus, te decet silentium*: qua propter, sub silencio rem istam occludunt.

Primus modus impugnatur.

6 Quidquid tamen sit, modus ille primus non videtur explicare aliquid vltra, supra infusa dona; non enim explicat necessario personæ præsentialitatem: quia bene intelligo rem distātem, vtpotè existentem Romæ: amo etiam rem minime præsentem, vtpotè exist ntem in Gallia, Hispania, Indiarum Regionibus: obiecta tamen hæc intellecta, cognita, & amata, vtique admodum procul, & longe sunt à mè, minimeque præsentia; igitur esse tanquam cognitum in cognoscente, & amatum in Amante non est ratio, quæ ex intrinseco apponat præsentialitatem personæ cognitæ, & amatæ: est namque potentiæ obiectum longe distans, non in sè præsens, sed in conceptu mētis, & in specie. Vnde licet obiectū longe distans, sit præsens potētiæ præsentialitate obiectiuali, non est tamen præsens præsentialitate existentiali. *De modis alijs.*

7 Modi alij explicant, vt possunt, difficultatem ipsam: explicationes autem trahuntur ab extrinseco: nec mirā, quoniā in rè tām recondita nequimus à priori veritatē discernere.

8 His tamen non obstantibus, possumus rem aliter explicare, duplici incendendo via in hac materia; altera quidem erit via negationis, altera affirmationis; & per vtramq; explicabitur quoquo modo hæc veritas.

9 Prima via, nempe negationis, hæc est, nempe fundata super hypothesi, vt dicendo, si v. g. Deus non esset hic, posset vtique nunc incipere esse præsens personaliter hic; ergo si per hypothesim Spiritus sanctus non esset personaliter præsens in hac anima, posset nunc incipere esse præsens in anima: igitur non implicat, vt licet sit per immensitatem de facto præsens, vbique, & in anima, possit nunc quoque dici fieri præsens in anima. Declaratur amplius, si Verbum diuinum non esset per immensitatem præsens Naturæ humanæ, posset illi fieri præsens per vnionem hypostaticam: ergo si Spiritus sanctus non esset præsens in anima, posset per vnionem gratificam fieri præsens in ea. *Explicatio Authoris.*

10 Secunda via est affirmationis, hæc verò fundatur super charitate, & amore: Amor autem de sui natura id postulat, vt, si perfectus est, copulet amantes, nedum aff. ctu, verum etiam & præsentia ipsa obiecti; ita Augusti. lib. 8. de Trinit. cap. 10. ait, *Amorem esse veluti iuncturam quandam, quæ amantem cum rè amata copulat, vel* *Amoris est vnire.* *Amor quid*

copu-

copulare appetit. Et Philoſoph. 2. Poli. c. 2. ex Ariſtophane docet, *ex amantibus fieri quaſi vnum.* Diuus quoque Dionyſius c. 4. de diuin. nom. amorem appellat *Virtutem commiſcentem.* hoc ſtante, in anima iuſtificata reperitur charitas Dei, & amor: Amor autem talis eſt ad totam Trinitatem, Deus namque eſt obiectum amoris, igitur poſtulat anima vniri Deo per talem amorem: at quia Amor appropriatur Spiritui ſancto, hinc vniri appetit, & Spiritui ſancto: quo autem Amor eſt perfectior, eo maiorem facit nexum, & vnionem; igitur ſi per dona vnitur Spiritus ſanctus animæ amanti, dum quidem perfectus eſt amor, vnietur quoque per perſonalem præſentiam ipſemet Spiritus ſanctus.

Reconciliātur modi dicendi.

11 Et ad hunc modum reuocari poſſunt modi cæteri recenſiti: ſic modus ille D. Thomæ per cognitum in cognoſcente, & amatum in Amante, quia vbi eſt verus amor, & mutuus, ibi eſt nexus Amantium. Sic quoque modus D. Bonauenturæ, quoniam vbi eſt perfectus amor, ibi Amans fruitur Amato. Sic & modi alij, ſiquidem, vbi adeſt perfecta, mutuaque dilectio, ibi Amans Amato obſequitur, ſubuenit, ſuccurrit, & Amatus Amanti, iuxta illud, *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio illius* Cant. 7. & 5. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Spiritus s. qualiter denouo incipit eſſe in anima.

12 Ad argumenta autem in oppoſitum, vniuerſaliter eſt dicendum, Spiritum ſanctum incipere eſſe denuo in anima non abſolute, ſed cum donis: non abſolute, quia iam prius erat in ea, quatenus Deus eſt in omnibus, & vbique, ſed vna cum donis: vt ſic autem ſit mutatio ex parte animæ, quæ prius carebat donis, nunc autem recipit dona: ſiue prius habebat præſentem ſibi Spiritum ſanctum abſque donis, nunc vero recipit eundem, cum donis. Nec implicat quod ſi prius aderat in ea Spiritus ſanctus, nunc iterum dicatur ipſum recipere; etenim nunc recipit iterum eundem cum donis, ſiue cum agumento gratiæ & donorum, quem prius habebat, ſine donis, vel ſine tali augumento gratiæ, maiorumque donorum incremento: Sicut vero omnes Trinitatis perſonæ ſunt in omnibus creaturis, per immenſitatem, ita & Spiritus ſanctus, ante dona erat in anima per immenſitatē, nunc vero cum donis.

Spiritus s. qualiter in infantibus.

13 Ad illud de paruulis baptizatis, iam recipiunt Spiritum ſanctum, cum donis. Ad id autem de cognitione, & amore reſpondetur, Infantes amare Deum habitualiter, licet non actualiter, atque Spiritum ſanctum eſſe in eis tanquam cognitum in cognoſcente, & amatum in Amante habitualiter, licet non tanquam in amāte actualiter, carentibus illis vſu rationis.

QVÆSTIO V.

Vtrum Patri, & Filio conueniat inuisibiliter mitti.

DE Patre, & Filio est denique quærendum, an possint dici mitti: De Filio quidem quærimus, an mittatur inuisibiliter, & de Patre, visibiliter, & inuisibiliter.

Cordubę sẽtentia. 2 Circa Patrem, Corduba concedit, eo tamen sensu, vt dicat à sè mitti: alt enim, *Forte rectè, & catholicè concederetur, q̃ Pater mittatur à seipso, sicut & datur à seipso: sicut, et in actiua significatione Pater dat, mittitq; seipsũ tẽporaliter ad nos; sicut Filius, & Spiritus s. temporaliter dãt, mittuntq; seipsos ad nos; quia connotatio processionum non ita aperte, aut exprese in prædicta actiua, vt in passiua absoluta significatione, sed sola operatio ad extra, quæ communis est toti Trinitati, repræsentatur.*

3 Occasionem præbet quærendi Corduba, vtrum mitti dicat necessario ordinem ad productionem personæ missæ, & ad mittentem, vt producentem; Quæstio resoluta remansit supra quæst. 1. quod potuit ex definitione missionis; etenim *mittere est declarare personam missam procedere à persona mittente*: Quæ sententia currit penes vtramque Scholam, tum D. Thomæ, tum Scoti.

4 Hoc stante, negandum est Patrem mitti; ratio, à nullo procedit, ergo nec mittitur. Sequela recipitur ab omnibus.

Pater non mittitur. 5 Dices, & si non mittatur ab alio; mittitur tamen à seipso: Ad hoc patet responsio ex ibi dictis; aliud namque est *Mitti*, aliud *Dare*, & *venire*; Patri conceditur *venire*, sicut & *dare seipsum*, at non conceditur *mittere seipsum*, rigorose loquẽdo, etenim non producit seipsum, ergo neque mittit seipsum: vt ibi remansit declaratum: *Dare* autem, & *venire* abstrahunt à ratione productionis, vt sic: ergo hæc concessa fuerint ibi, & non illud.

6 Confirmatur assertio ex D. August. qui lib. contra sermonem Arianorum cap. 4. ait, *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet Authorem, à quo genitus sit, vel à quo procedat: Et ideo non propter naturæ diuersitatem, quæ in Trinitate nulla est sed propter ipsam authoritatem, solus Pater non dicitur missus; non enim splẽdor, aut feruor ignem, sed ignis mittit siue splendorem, siue feruorem.* Et Isido. lib. 4. Ethym. cap. 20. *Pater cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus; non enim habet de quo missus sit, aut ex quo procedat*; & cap. 21. *Absurdissime missus dicitur.* *Probat. ex Aug. & Isidor.*

7 Ex his constat, Patrem nullatenus ab alio mitti. In hoc autem sensu non negaret Corduba, Patrem non mitti. Sensus autem eius est, mitti à seipso: Nos supra diximus nec quempiam mittere seipsum, ob duo, tum quia missio indicat necessario processionem, *nihil autem producit seipsum*; tum quoniam inter Mittentem, & Missum intercedit relatio realis, & consequenter distinctio realis, personalisque, nihil vero absolute distiuguitur realiter à seipso: Missio sic proprie, & rigorose tenta, est prorsus neganda, vt Pater non mittat in hoc sensu seipsum: Cæterum extendendo nomen missionis, & late sumendo, abstrahendo à dictis, concedit Corduba Patrem mittere seipsum; loquitur *Explicatur Cordnba.*

etiam

etiã dubitatiue, per *forte*; quapropter, sũpta missione etiã in rigore, dubitãter, non autem resolute, loquitur de ea Corduba. At iam vidimus, Augustinum negare, Patrem mitti. Et Isidorum dicere, id *absurdissime* dici.

Filius an mittatur inuisibiliter.

8 Circa Filium, non quærimus Vtrum competat ei visibiliter mitti, enim constat in carne humana apparuisse, & missum fuisse per Incarnationis mysterium hominibus: loquimur autem de eiusdem missione inuisibili, & quærimus, vtrum, cum mittitur Spiritus sanctus inuisibiliter, mittatur quoque inuisibiliter & Filius.

Filius mittitur etiam inuisibiliter.

9 Dicendum, quod cum non sanetur voluntas, absque præuia sanatione intellectus, hinc fit, vt mittendo Spiritum sanctum, mittatur insuper & Filius. Et quidem Aristoteles docet, Nihil esse in voluntate antecedẽter ad intellectum, quia voluntas est cæca, & non fertur nisi in præcognitum; inde est, vt cum Spiritus sanctus mittatur ad voluntatem sanctificandam per gratiam, & amorem, mittatur antecedenter ad illuminandum intellectum per fidẽ, & superiorẽ illustrationẽ; quapropter dona aliqua pertinẽt ad volũtatẽ, seu ad affectũ: alia verò ad effectũ prima appropriantur Spiritui s. & per hæc mittitur ad voluntatẽ: secũda appropriãtur Filio, & per hæc mittitur ad intellectũ. Cõfirmatur ex Aug. 4. de Trinit. cap. 20. *Tunc vnicuique mittitur, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur.* Loquitur autem de missione Filij per cognitionem, & illustrationem intellectus: at talis Filij. Illustratio in intellectu fienda, ordinatur ad amorem, & ad pium voluntatis affectum, per quem mittitur inde Spiritus sanctus: probatur vero ex Sap. 9. vbi sapientiam postulãs, ait, *Mitte illam de sede sancta tua, & de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret*; Quod ponderans idem Augustinus ibidem, ait, *Labores enim eius virtutes sunt*. Sermo est autem de sapientia, quæ appropriatur Filio, estque donum intellectus, ordinabilis ad virtutes cæteras capessendas. Lege D. Thom. 1. part. quæst. 43. art. 3.

Missio Filij distinguuntur à missione Spiritus s.

10 Missio hæc Filij inuisibilis distinguenda venit à missione inuisibili Spiritus sancti: Primo ratione connotati, etenim connotant ipsorum productiones, quæ quidem distinguuntur realiter, vt generatio, & spiratio. Item ratione significati, quandoquidem missio Spiritus sancti indicat inflammationem affectus, illa vero Filij ordinatur ad illustrationem intellectus.

DISPVTATIO QVINTA

De Apparitionibus Diuinarum Personarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum implicet diuinas Personas hominibus sensibiliter apparerere.

VIso Personas diuinas mitti, dari, & venire, nũc quærẽdum specialius vtrum apparitiones omnes sint personales, an impersonales.

Visionum genera plura. 2. Multiplicem apparitionum diuisionem tradit Isidor. lib. 7. Ethymo. cap. 8: Ad summum vero ad tria redigit capita, inquiens, *Vnum secundum oculos corporis, sicut vidit Abraham tres Viros sub illice Mambre, & Moyses ignem in rubo, & Discipuli transfigurationem Domini*; Alterum quod ipse appellat, *Apparitio secundum Spiritum*, nempe secundum imaginationem, phantasiam, sensusque interiores, *Sicut vidit Petrus discum illum submitti de cœlo cum varijs animalibus.* & alterum *per intuitum mentis, quo ipsa intelligitur veritas.* Desideratur vero & quartum caput apparitionis; nempe *Auricularis*, Ad primam, nempe ocularem, spectant variæ in scripturis recensitæ visiones, vt Iudic. 6. dum facta fuit Gedeoni apparitio ocularis, *Venit Angelus Domini, & ait, Dominus tecum virorum fortissime.* Et cap. 13. de visione facta Manue, *Angelus Domini pariter in flamma ascendit; quod cum vidissent Manue, & vxor eius, proni ceciderunt in terram, & vltra non apparuit eis Angelus Domini*. Indeque, *Moriemur, quia vidimus Dominum.* Ad vocalem spectant hæc eadem loca, quatenus visioni coniuncta fuit loquutio: sicut, & Num. cap 7. de Moyse dicitur. *Cum ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret Oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio*. Sicque de Samuele 1. Reg. 3. *Samuel Samuel*, cui Samuel, *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Ad alteram vero spectant quæ dixit Aaroni Deus Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*, Sicut, & Iacob Gen. 46. *Audiuit per visionem noctis vocantem se & dicentem Iacob Iacob.* Quẽadmodum & Paulo 1. Cor. 13. *Audiuit arcana Dei, quæ non licet homini loqui*; quæue fieri solent in vigilia siue in somno, siue in raptu & extasi, &c. Hæc sunt in genere, capita, & genera visionum.

3 Ex his, ad quæstionem respondendo dicimus, nõ implicare, Deum creaturis apparere: ita ex Scripturis

contestabimur per quæstiones plures, ita ex Patribus, ita quoque ex Scholasticis, de quibus passim in his quæstionibus: atque ex ipso rei euentu, siue ex formalibus apparitionibus.

4 Cæterum recensere singulariter singulas apparitiones non intendimus, aliquas vero recensebimus, easque speciliores, vt inde certo constet, verum esse, apparuisse Deum, siue personaliter, & per sè; siue impersonaliter, & per Angelos in veteri testamẽto. Ordinate autem procedendo, incipiendum à vocali collocutione Dei cum primis nostris parẽtibus, ex capitibus pluribus Genesis, vt Gen. 3. *Vocauitque Dominus Deus Adam, Adam vbi es*; Similiter cum Eua, Serpente, &c. Inde ad Cain cap. 4. *Vbi est Abel frater tuus? Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra; Vagus, & profugus eris super terram, &c.* Rursus ad Noë Genes. 6. *Non permanebit Spiritus meus in homine. Finis vniuersæ carnis venit ad me.* Insuper Genes. 15. ad Abraham, *Factus est sermo Domini ad Abraham.* 16. Ad Agar, de aqua, de Filio, de reuersione ad Dominam, &c. Ad Abrahã 18. *Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, &c. tres vidit, & vnum adorauit.* Indeque *Dixit Dominus ad Abraham, quare risit Sara vxor tua?* Sicut & cap. 19. de immolatione Filij sui Isaac; *Tolle Filiũ tuũ, quem diligis Isaac, & offer illũ, &c.* & Rursus, *ne extendas manum super puerum, nunc cognoui, quod timeas Dominum.* 19. de Loth dum fuit ex incendio Sodomæ, per Angelos à sè visos, sibique colloquentes, ereptus. 28. de Iacob in somnis videnté scalam. *Scalam vidit Iacob, & Dominum innixum scala dicentem sibi, Ego sum Dominus, &c.* Sicut & 32. colluctante cum Angelo, & colloquente, cui petenti, vt dimitteret, respondit, *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.*

5 Ex lib. Exodi famosa recensetur visio illa facta Moysi cap. 3. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi,* indeque *cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum dicens, solue calceamenta de pedibus tuis, &c.* cap. 19. & 24. dum apparuit ei Dominus, vt inde legem Populo promulgasset. *Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & apparuit gloria Domini; erat autem gloria Domini quasi ignis ardens,* & capite 32. petenti Moysi, *Ostende mihi faciem tuam,* respondit, *posteriora mea videbis, faciem autem meam non videbis.*

6 Ex libro Iosue cap. 5. *Leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium,* Vir autem ille era Dominus ex Euseb. lib. 1. hist. cap. 4.

7 Iudicũ 6. de Gedeone, *Apparuit ei Angelus Domini, & ait, Dominus tecum Virorum fortissime.* Fuisse vero Dominum, inquit Abulensis ibi, & c. 13. Mater Sãpsonis ad virum suum dixit, *Vir dei venit ad me, habens vultum Angelicum, terribilis nimis.* Is vero fuit Dominus ex eod. Abul. tum etiam quia subiunxit Manue, *Moriemur, quia vidimus Deum.*

8 De apparitionibus factis Eliæ multa, præcipueque 3. Reg. 19. *Sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit, &c.* famosissima autem illa Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et eleuatum, &c.* vltra per plures alias passim in veteri testamento consparsas.

9 Hæc de fide sunt, extant namque enarrata ex diuinis scripturis: quo fit, vt dubitandum non sit, Deum aliquando in veteri testamento apparuisse: Verum vero apparitiones hæ, & consimiles fuerint personales, an impersonales in quæst. sequenti discutietur. *Visiones de ri de fide est*

10 Verum obstari potest, Deum apparere, idem est, ac assumere corpus aliquod, in quo appareat: id vero implicat, probatur, assumere corpus est esse in corpore denifitiue: Deus autem est in omnibus immensiue: assumptum patet de Angelo, qui in assumpto corpore est definitiue, & adeo est ibi, vt non alibi. Argumẽtũ supponit, Deum in persona propria apparere in corpore assumpto, non autem in persona aliena, vt Angeli, &c, quod modo supponatur, ex infra *Deus in corpore assumpto an esset definitiue.*

dicen-

dicendis: Hoc autem stante, dato, quod Deus ipse immediate assumat, non sequitur esse ibi definitiue, et affertur instantia de assumptione humanitatis à Verbo, vbi tamen Verbum non est definitiue, retinet namque suam immensitatem: ita & Deus in corpore assumpto, adhuc retineret suam immensitatem. Confirmatur, assumat Angelus corpus valde minus, quam sit ipsius Angeli sphæra: siue assumat corpusculum, Angelus ex quo sua sphæra excederet corpusculum, non esset in toto corpore definitiue: esset profectò definitiue in corpusculo solum iu tantum gradum suæ sphæræ vnitum corpusculo, cæterum secundum gradus alios excedentes, non esset in eo definitiue, imò nullo modo, quia esset omnino extra tale corpusculum: ita Deus, at multo amplius, siquidem est ipse immensus, propterea que nō esset ibi definitiue. Dices fore Deum in corpore assumpto definitiue, saltem iuxta entitatem suæ essentiæ compertam in corpore assumpto, quamuis secundum reliqua sit extra illud, sicut de Angelo existente extra corpus in eo, quod excedit sphæram corporis: Responderur negando paritatem, etenim tota Essentia Angeli iuxta omnem entitatis suæ gradum est limitata, & finita, ac propterea est semper vbicunque fuerit, definitiue: quod si non sit secundum gradum excedentem definitiue in corpore assumpto, erit tamen definitiue in alio loco qui corresponderet tali gradui excedenti: vnde erit dupliciter definitiue, in corpore quidem iuxta entitatem assumētem corpus, & in loco proximo, iuxta entitatem existentem extra corpus: at Deus nō sic, cum eius essentia sit illimitata, immensa, & infinita, quapropter nec definitiue erit in corpore assumptibili, nec etiam definitiue extra tale corpus. natura quidem essendi in loco definitiue tali sest, vtputa, *taliter esse hic, quod non simul alibi*, & hoc creaturæ competit vtpotè limitatæ, & finitæ, non Creatori, vtputa immenso, illimitato, & infinito.

QVÆSTIO II.

Vtrum apparitiones Diuinæ in vtroque testamento fuerint personales, an impersonales.

Affirmatiua sententia fuisse personales.

1 IN primis sententia plurium est, Deum propria sui persona apparuisse in veteri testamento: probatur autem authoritate plurimorum Patrum. Et quidē Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 10. de fornace loquens Babylonis ait, *Hic erat visus Babilonio Regi in fornace cum martyribus suis quartus tanquam Filius hominis; idem ipse reuelatus Danieli Filius hominis, veniens cum cæli nubibus.* Et infra cap. 21. *Perspice igitur & tu cum Rege Babylonilonico fornacem eius ardentem, & inuenies illic, tanquam Filium hominis; nondum enim vere erat: non dum scilicet natus ex homine, iam tunc istos exitus constituentem.* Loquens autem specialiter de Moyse lib. contra Iudæos cap. 9. inquit, *Qui ad Moysen loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui & semper videbatur;* Explicans vero quę nam ex diuinis Personis apparuisset, non Patrem ait, sed Filiū, *Deum enim Patrem nemo vidit vnquam. & vixit; & ideo constat, ipsum Deum Filium Moysi esse loquutum.*

2 Augustinus lib. contra Adimātium, cap. 9. loquens de Dei Filio inquit, *Cuicunque voluit, de Patre annunciasse, siue loquendo, siue apparēdo, vel per Angelicum aliquā potestatem, vel per quamlibet creaturam.* Leo Papa. Epi. 13. ad Pulcheriam, *Potuit omnipotentia Filij Dei, sic ad docendos, iustificandosque homines apparere, quomodo & Patriarchis, & Prophetis in carnis specie apparuit, cum aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cum vel officia hospitalitatis non abnuit vel appositum cibum sumpsit.* Nazianzenus orat. 49. *Huc accedit quod Filium Dei, ita visum à Patribus approbamus, vt non totum illud, quod est Deus, videretur.* Eusebius lib. 1. Hist. cap. 1. *Multis* (nempe Verbum) *pietate præditis viris adstitisse, & docuisse quæ ad cultum diuinum pertinere videbātur, ostenditur; sed euidentius, familiariter vsque Abrahæ, atque eius familiæ, quantum fas erat, Deum hominibus innotuisse describitur, & velut præceptor quidam, ac monitor, illius extitisse prosapia refertur.* In specie vero probat, non fuisse Angelum, sed Deum, qui Abrahę apparuit Gen. 18 inquiens, *Neque enim fas est de aliquo Angelorum, vel cælestium virtutum, ita sentire: nullum enim illorum, si quādo mortalibus ex cælesti præcipiuntur adesse mandato, Dominum, vel Deum diuinus sermo commemorat.*

3 Theodoretus in Genes. quæst. 91. docet, eum qui cum Iacob luctatus fuit, fuisse Deum; tum quia si appellatur Angelus, appellatur insuper & Deus. Gen. 32. *Præualuisti contra Deum, et aduersus homines potens eris.* Tum quoque ex nomine *Phanuel*, quod est *Visio*, vnde vidit Deum, & concludit dicens, *Per hæc omnia docemur, quod etiam hoc loco Vnigenitus Deus apparuit ipsi Iacob.* Ambrosius lib. de Filij Diuinit. cap. 8. idem confirmat: Item quia Iacob dixit, *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Quod insuper docēt Clemens lib. 5. Apostolic. consti. cap. 21. Clemens Alexandr. lib. 1. de Pedag. cap. 7. Hilarius lib. 4. de Trinit. Cyprian. lib. 2. aduers. Iudæ. cap. 5. Iustinus

ſtinus Dial.cum Trifon.Cyrillus Alexandr.lib.3.Theſaur.cap.5.Origenes homil. 1. in cap. 6. Iſa. *Quis eſt iſte vnus de Seraphim? Dominus meus Ieſus Chriſtus; iſte iuxta diſpenſationẽ carnis miſſus eſt, habens in manu ſua carbonem, & dicens, ignem veni mittere in terram.* Concilium item Syrmiẽſe can.13.penes Hilarium lib.de Synodis, & penes Nicephorum Caliſtũ lib.9.Hiſtor.cap.21.inquiens, Si *quis cũ Iacob nõ Filium, vt hominem, ſed ingenitum Deum, aut partem eius colluctatam eſſe dicat, anathema ſit.* Et denique ex Gen.16.vbi cũ habeatur quod *Dixit Angelus Domini ad Agar, redi ad Dominam tuam,* Quærit Hilarius loco citato, Cur eſt, quod *is*, qui appellatus fuit Angelus, inde poſtea appellatus fuerit Deus, *Et vocauit nomen Domini qui loquebatur ſecum; & tu Deus, qui exaudiſti me.* Et reſpondet, *Qui enim eſt Deus ex Deo, ipſe eſt, & Angelus* Dei. Ratio inſuper, quia ab Iſaia 9.appellatur *Magni conſilij Angelus.* Ex quo colligit, Angelum illum fuiſſe Deum.

4 Ratione etiam arguitur, quia ſæpe in ſcripturis dicitur, *Ego ſum Deus Abraham, Ego ſum Deus Iacob; Ego ſum qui ſum. Ego eduxi vos de Egypto;* Sed ſi eſſet Angelus perſona loquens, & in figura apparens, iam non diceret ita. Item ſi Angelus eſt qui loquitur, qui apparet, cur non dicit ſcriptura, *Dixit Angelus, Hæc dicit Dominus, &c.* At loquitur in perſona Dei, ergo eſt Deus qui apparet, qui loquitur.

Non fuiſſe perſonales, ſed imperſonales ſententia oppoſita.

5 In oppoſitũ verò arguitur, apparitiones Dei fuiſſe nõ perſonales, ſed p Angelos, & imperſonales. Prob. autẽ ratione, Ordinatiſſima ꝓuidẽtia Dei expoſtulat, vt inferiora gubernentur per ſuperiora ordinate, vſq; ad vltimũ in aſcendẽdo, ꝙ gubernari nequeat, niſi per ſupremũ: ſuperiora autem, ad Hominẽ sũt Angeli, & inter Angelos ipſos dantur inferiores, & ſuperiores ergo hominũ reuelationes, & apparitiones fiendæ erunt per ipſos Angelos immediate: & non per Deum. Argumentum deſumitur ex Dionyſio 4. de cæleſt.Hierarch.inquiente, *Per Angelos donata ſunt nobis diuina reuelationes;* Et Rurſus, *Angelorum præcipue nomine appellantur, propterea quod proprie in eis inſit diuina illuſtratio, ac per eos ad nos perueniant ea, quæ naturam noſtram ſuperant, patefactiones:* Inſuper, *Theophania autem ſanctis facta ſunt ſecundum docentes Deũ, perque quaſdam ſacras videntibus proportionabilium viſionum manifeſtationes.* ac denique *Docet autem ſapiẽter Theologia, per Angelos eam ad nos peruenire, tanquam diuino legali ordine, illud legaliter ponente, ea, quæ ſecundum locum obtinent, ab his, quæ primum, ad Diuinitatem erigi, & excitari.* Diſcurſus autem Dionyſij à fortiori firmatur, Myſterium Incarnationis non fuit immediate à Deo Virgini reuelatum, & annunciatũ, ſed per Gabrielem Angelum, ergo minora myſteria identidem per Angelos fuerant manifeſtanda. Scriptura hoc ipſum docet, ait namque Paulus, Galat. 3. *Quid igitur lex? propter tranſgreſſionem poſita eſt, ordinata per Angelos in manu Mediatoris;* & Hebr.2. *Qui per Angelos factus eſt ſermo.* Atque Actor. 7. *Apparuit illi in deſerto montis Syna Angelus in igne flammæ Rubo.* Chriſoſtomus autem ſuper illud *Ordinata per Angelos,* Tribuit Angelis miniſterium perſonandi buccinis, & faciendi fumum, ignem, & nebulas homil.3.ſuper 2.ad Hebr. Hieronymus quoque ad Galat. 3. inquit, *Quod ait Apoſtolus, lex per Angelos, hoc vult intelligi, quod in omni veteri teſtamento, vbi Angelus primum viſus refertur, & poſtea quaſi Deus loquens inducitur. Angelus quidem vere ex miniſtris pluribus quicunque ſit viſus: ſed in illo Mediator loquatur, qui dicit, Ego ſum Deus Abraham.*

6 Auguſtinus propre finem libri tertij de Trin. *Iam ſatis, quantum exiſtimo, pro captu noſtro diſputatum, & demonſtratum eſt, & firmitate authoritatis, quantum de ſcripturis ſanctis diuina eloquia patuerunt, quod antiquis Patribus ante Incarnationem Saluatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illæ, ac ſpecies corporales per Angelos facta ſunt: ſiue ipſis loquentibus, vel agentibus aliquid ex perſona Dei, ſicut etiam Prophetas ſolere oſtendimus; ſiue*

aſſu-

assumentibus ex Creatura quod ipsi nō essent, vbi Deus, figurate demonstraretur hominibus. Eodem autem libro cap. 4. quærens, vnde hoc scire possimus, respondet, *Et si nos lateat quomodo ea Ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus; extat enim authoritas scripturæ*, Scriptura autem inter cæteras, hæc est, vtpote Actor. 7. Stephanus, ait Moysen loquutum fuisse cum Angelo in monte Syna; cum tamē scriptura eadem enarret, cum nullo alio loquutum fuisse, nisi cum Deo: ergo loquebatur quidem cum Deo, at per Angelum, verba sunt, *Hic est* nempe Moyses, *qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Syna, & cum Patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis*. Ergo fuit Angelus. Item vbi nos legimus, *Apparuit ei Dominus* Hebræus legit, *Visus est Angelus Domini*. Et Caldæus *apparuit Angelus Domini*.

7 Argumentum de administratione inferiorum per Angelos confirmat Gregorius inquiens, *Qui enim minima nunciant, Angeli, qui vero summa, Archangeli vocantur*. Ad summum vero redigit rerum omnium administrationem ad ipsos Angelos, siue minores, siue superiores. Ambrosius lib. 2. in Luc. de ministerio loquens annunciationis Incarnationis, *Tanti mandatum, mysterij*, ait, *non hominis fuit, sed Angeli ore promendum*. Anselmus in cap. 2. Ep. ad Hebr. *Ea quæ Deus refertur dixisse, certum est Angelos fuisse loqutos*. Complectitur autem indefinite Anselmus omne genus functionis. Et de lege insuper Chrisostomus in ad Hebr. 2. ad Angelos totam rem redigit, ait. n. aut *Decalogum legis significat, illic enim Moyses loquebatur, & Deus respondebat; aut quia præsentes erant Angeli Dei cum lex daretur, aut certe de his, quæ in veteri testamento, vtpote Angelis in mysterium communicantibus dicta sunt*; idemque Cyrillus, lib. 8. Thesau. cap. 2. *Angeli ergo legem administrarunt, per eos dictata est*; Et infra. *Quamuis etiam lex Dei est, tamen per Angelos data fuit*.

8 Denique Gregorius super Iob. 1. quæstionem decidens quonamodo, nunc Deus, nunc Angelum vocari qui apparuisse describitur, ait, *Angelus, qui Moysi apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur, Angelus, videlicet, propter hoc quod exterius loquēdo, seruiebat; Dominus autē dicitur, quia interius præsidēs, loquēdi efficaciā ministrabat; Cū ergo loquēs exterius ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur*. Confirmat idem sanctus Doctor, ponderans verba Dauidis dicentis, *Attendite Popule meus legem meam*. Petens autem, cum legis Author sit Deus, quare Dauid appellat legem suam, respondet, *Nec lex illa, nec Populus erat Dauidis, sed Dei: attamen personam eius, ex qua loquebatur, assumens, ipsius authoritate loquitur, cuius inspiratione replebatur; hoc fieri quotidie cernimus in Ecclesia; nam stans in medio Populi lector clamat, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, & quod Deus ipse sit vere non dicit; nec tamen per hoc, quod dicit, veritatis regulam deserit, quia suum ministerium lectione exhibet, eius Dominium voce prætendit*. Et confirmatur hoc ipsum authoritate Augustini, qui libro contra Adimant. cap. 9. ait, *Quemadmodum Verbum Dei, quod est Christus, in Propheta loquitur veritatem, sic etiam in Angelo ipse loquitur quando veritatem Angelus annunciat. Et recte dicitur, Deus dixit, Deus apparuit, & item recte, Angelus dixit, Angelus apparuit, cum illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, hoc ex persona seruientis creaturæ*. Nil apertius dici poterat, nil resolutius. Atque Dionys. vbi supr. *Angelorum præcipue nomine, ita apellantur, propterea quod primum in eis insit diuina illustratio, ac per eos ad nos perueniant ea, quæ naturam nostram superant, patefactiones*.

Cur vocetur modo Deus, modo Angelus qui apparet

9 Ex Scolasticis, ita defendunt D. Bonauent. in 1. d. 16. art. 1. quæst. 1. ibique Richard. Argent. & Carthusi. Alensis 1. part. quæst. 74. mem. 4. D. Thom. 1. part. quæst. 43. art. 7. Suar. de Trinit. lib. 12. cap. 6. Vasqu. 1. part. disput. 185. cap. 2. Molin. quæst. 51. art. 2. Valent. tom. 1. disput. 4. quæst. 2. punct. 2.

Verum idē de nouo teſtamento.

10 Sententiam hanc tuentur nedum de viſionibus veteris teſtamenti, verum & de apparitionibus noui, itavt hæ quoque factæ fuerint miniſterio Angelorum: ita aperte Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. vlt. inquiens, *Si autem quæritur, poſt Incarnationem Verbi quomodo facta ſit, vel vox Patris, vel ſpecies corporalis, qua Spiritus ſanctus demonſtratus eſt: per creaturam quidem iſta facta non dubito.* Idem ſentit Gregorius lib. 28. Moral. cap. 2. inquiens, *miniſterio Angelorum formatam fuiſſe columbam*, acceditque Cyrillus in Ioann. lib. 3. cap. 3. vna cum Authoribus pro viſionibus veteris teſtamenti allatis. Et ita tum vocem Patris, dicentis, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matth. 3. tum ipſam ſpeciem columbæ, fuiſſe Angelorum miniſterio factam Luc. 3. Ioan. 1. & ſic de cæteris. Non eſt autem ſermo de Incarnatione, etenim in propria perſona ſua vniuit ſibi Verbum humanam Naturam hypoſtatice, in qua ex loquutione Prophetæ Abac. 10. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Sed de alijs.

Quomodo Angelus ſigna aſſumebat.

11 Sententia de apparitionibus in vtroque teſtamento per Angelos factis communis eſt: vnde Angelus ſigna illa aſſumebat, nō quidem vnione hypoſtatica, nec per informationem, ſed vniebat ea ſibi, aſſiſtendo, mouendo, operando, loquendo, apparendo, &c.

Sententia negatiua.

12 Oppoſitum ſuſtinere videtur Clicthoueus ſuper Damaſcen. lib. 4. cap. 17. vbi differentiam apponens inter vtrumque teſtamentum, veteris teſtamenti apparitiones, ait factas fuiſſe ab Angelis, noui vero ab ipſamet ſubſtantia, & perſona Dei. Probari etiam poteſt rationibus, prima eſt, quoniam tempus legis *Gratiæ* debuerat priuilegio maiori cōdecorari, quam vetus teſtamentum; ergo ſi in veteri apparebat Deus per Angelos, in nouo apparuit in propria perſona. Secundo, Columba illa repræſentans Spiritum ſanctum, non poterat formari ab Angelis, quoniam non habēt virtutem formandi animal, ſeu dandi animā, & vitā: ergo fuit efformata, & aſsūpto immediate à Spiritu ſancto.

13 Verum reſponderi poteſt ad primum, quod ſtante ea perfectione & dignitate temporis gratiæ, adhuc non deſeruit Deus cuncta regere iuxta ordinem ſuæ prouidentiæ: at ordo talis, ex Dioniſio recenſito, poſtulat, vt per ſuos Miniſtros gubernet, & regat, ergo per Angelos iſta præſtitit.

Columba an fuerit vera.

14 Ad ſecundum, in primis reſponderi poteſt, de mente Ambroſij, columbam non fuiſſe veram, ſed apparentem: quod ſi apparens fuit miniſterio Angelorum formari, & ab ipſis aſſumi. Si vero teneatur fuiſſe veram, vtique poterat miniſterium quoque interuenire Angelorum, vtpotè adfaciendum, vt maiori velocitate eo aduentaret: quamuis enim propria virtute eo ſemetipſam aſportare potuiſſet, nihilominus, vt celerior fieret, & citior aduentatio, poterat angelicum miniſterium interuenire. Vel denique, dato quod tunc ſimpliciter efformanda fuiſſet, potuiſſet tamen interuenire etiam miniſterium Angelorum, applicando actiua paſſiuis, aſportando, & præparando materiam, &c. de qua egimus in mat. de Miſſione Spiritus ſancti.

Negatiue arguitur.

15 Dubitant vero aliqui, an in teſtamento nouo apparuerit Pater, an etiam & Spiritus s. Ratio dubitandi, quoniam nuſquam in nouo teſtamento Pater, & Spiritus ſanctus in ſpecie humana viſi ſunt, ergo nuſquam abſolute apparuerūt: probatur cōſequens etenim in teſtamento veteri quando apparuit Deus, apparuit ſemper in ſpecie humana, vt de apparitionibus factis antiquis Patribus, Adæ, Abrahæ, Iacob, &c.

Pater, & Spiritus s. apparuerūt etiam in teſtamento nouo.

16 Verum non eſt negandum, in nouo quoq; quādoq; apparuiſſe: apparitio autē, vel fuit viſualis, vel auricularis: Auricularis fuit illa in Thabor. Mat. 17. & 3. *Quando vox Patris intonuit. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacui, ipſū audite.* Viſualis fuit illa colūbæ de Spiritu ſācto in Iordāne, baptizato Domino. Matt. 3. *Ecce aperti ſunt cæli & vidit Spiritum Dei deſcendētem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe: Et ecce vox de cælo dicens, Hic eſt Filius meus, &c.* & Ioannes 1. *Super quem videris Spiri-*

tum

tum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Confirmatur ex Cypriano lib. de Baptismo Christi ad Patrem loquente, & dicente, *Huc usque Domine sancte Pater non audiuimus te loquentem.* Itemque, *Te ipsum ante hoc tempus non ita loquutum audiui, vt personaliter tibi assignetur loquutio.* Et Ambros. lib. 6. de Initiand. cap. 5. *Clamat Filius super quem, sicut columba se demonstrauit, Spiritus sanctus.*

17 Ad rationem verò dubitandi, negatur id, etenim apparuit in specie etiam Nubis, ignis, columnæ, ex pluribus capitulis Exodi 3. 19. &c. Ergo non semper in specie humana, apparebat autem, vt placuerat.

Apparitiones Christi non ministerio Angelorum.

18 De Apparitionibus remanet loquendum ipsius Filij in eodem testamento nono: Et quidem vltra primariam apparitionem per mysterium Incarnationis toto vitæ decursu 33. Annorum post mortem quoque apparuit Matri, Magdalenæ, Discipulis, vt enarrant Euangelistæ; siue in forma Hortulani, Magdalenæ; siue Peregrini, Discipulis euntibus in Emmaus: siue Apostolis introeundo ad illos, etiam ianuis clausis: an vero hæc facta fuerint ministerio Angelorum, nequaquam, probatur, quia ipse semetipsum palpandum præbuit, vt omnem dubitationem de mente tolleret Apostolorum, *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet. sicut me videtis habere,* Matt. 24. præcipueque Thomæ, qui dixit, *Infer digitum tuum huc, & tange loca clauorum, & noli esse incredulus, sed fidelis,* Marc. 21.

Apparitiones Christi, an omnes personales.

19 Post vero ascensum ad cælos, recensetur apparitio facta Paulo in via eunti in Damascum contra Christianos: quam factã fuisse à Christo in propria persona, ait Lorina in Actor. 9. quod excircunstantijs probat, etenim Ananias Paulum salutans, ait, *Dominus quia pparuit tibi in via, &c.* Barnabasq; Apostolis alijs enarrauit, *quomodo in via vidisset Dominum,* Colloquebatur cum Christo, circumfusus fuit lumine, &c. Idemque Apostolus 1. Cor. 15. ait, *Tradidi vobis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est peccatis nostris, & quia sepultus est secundum scripturas, & quia visus est Cephæ & post hoc vndecim, deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus:* Loquens verò de seipso, ait *Nouissime autem omnium, tanquam abortiuo, visus est & mihi.* Insuper Lucæ 22. Ananias ad Paulum, *Deus,* inquit, *Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceris voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius, quia eris testis illius ad omnes homines, eorum, quæ audisti, & vidisti.* Plura penes Gregor. de Valent. t. 4. disput. 6. quæst. 3. punct. 1. §. 24. quamuis Thiræus aliquando id neget lib. de apparit. Spirit. cap. 5. licet, inconstans, libro enim de Apparitionibus Christi cap. 8. affirmet. Recensetur insuper apparitio eiusdem Christi facta Petro fugienti è Roma quando dixit, *Vado Romam, iterum crucifigi.* De quo Suarez affirmat, Thiræus negat, enumerat enim inter apparitiones impersonales lib. de App. Christ. cap. 83. Quemadmodum de Stephano, vidisse in propria persona Filium hominis, Act. 7. *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei,* cõcedit Lorina, Thiræus negat.

De apparitionibus Christi singularibus an personales.

Apparitiones Christi ordinariæ, an personales.

20 Apparitiones hæ Christi, vtique singulares fuerunt; Cæterum, dum sæpius recensetur in Historijs sacris, Christum apparuisse; vtrum personales quoque fuisse, erit existimandum? In primis dicendum, non implicare id posse fieri, sicut factũ aliquãdo recensuimus. Dicendum insuper, quod ordinarie loquendo fiunt hæ interuentu Angelorum repræsentantium Christum, assumentium corpora, & figuras, loquendo, & operando ea, quæ imperauit Christus: vnde fit, vt ordinarie, & vt plurimum apparitiones illæ sint impersonales. Et dicendum tertio, quod quandocunque dignabitur personaliter apparere ipse Christus, specialiter fauendo seruis suis, id quidem poterit præstare.

Obstatur.

21 Quod si quid obstare videtur, esset id, quod, vel desereret cælum, quod non est dicendum, ait enim Psalmista 19. *Dixit, Dominus Domino meo*

sede

sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, &c. Item quia non discedat à cælo, nisi quando venturus erit iudicare viuos, & mortuos; quod si vsque ad Iudicium stabit in cælo, non ergo vsquam præbuit personales apparitiones: vel si non deseret cælum, ergo erit in cælo simul, & in terra, quod implicat dici de corpore, &c.

Occurritur 22 Respondetur primo non implicare corpus vnum esse simul in cælo & in terra per Dei potentiam, vt Scotistæ defendunt. Respondetur autem ad id de Iudicio, quod aliter descendet in die Iudicij: aliter extra: tunc quidem cum comitatu, & pompa, magnoque apparatu, coram omnibus resurgentibus, Angelisque, vt Matthæus enarrat, *Cum venerit Filius hominibus cæli, cum potestate magna, & Angeli eius cum eo, &c.* & vt hic, tunc quidem veniet, & non antea, hoc modo, erit enim tempus vniuersalis iudicij: extra vero hoc tempus, aduenire potuit, sicut & potest, vt ita dicam, *priuate* absque tali pompa & iudiciali apparatu sic vniuersali, & id non implicat. Item *sursum erit Dominus*, vtique ordinarie, & *regulariter*, etenim ordinaria sua sedes est in dextris Dei, attamen aliquando, & aliquantisper nō implicat, vt ad breue tempus sit, & in terra. Demum in terra esset, non relinquendo cælum: sicut & in Sacramento personaliter adest, non relinquendo dexteram Dei.

Apparitiones sanctorum an personales. 23 Hinc vero discurrendum foret de apparitione sanctorum, vnum personales eæ sint, an impersonales: Vtrumque autem agitari potest, vel spectando propriam, naturalemque virtutem beati, vel attendendo solum ad beneplacitum ipsius Dei: spectando quidem propiam virtutem, nullis ipsorum licebit seras cælorum exire, & ad nos aduentare, sine beneplacito Dei: potest autem Deus, & concedere, vt in essentia adueniant animæ illæ, sicut & in propria persona aduenire etiam potest Beatissima Virgo, Deo annuente: quod si appareat Virgo iam proprium corpus habet, quo se ostendat visibilem: si autem appareat singulariter anima, abstracta à corpore, visibili vtique forma indigebit, vt appareat: Vnde vero tale habebitur corpus? Virtus sua naturalis non sufficit ad formandū, ergo, vel virtus sibi ad augebitur à Deo, vel formabitur id ministerio Angelorum. Hæc loquendo si apparitiones arunt personales: Cæterum si erunt impersonales, fient ministerio ipsorum Angelorum repræsentātium illos, quorum vicem gerunt, & quorum loco apparent.

24 Tandem apparitiones Dei, Christi, & Sanctorum factæ per mysteria Angelica, differunt. Ratio quia licet Angelus assumat corpus, vt repræsentet personam Dei, nihilominus ibi quoque cum Angelo, & corpore adest præsens ipse Deus, licet non ipse Deus corpus assumat, sed Angelus: Christus autem, loquendo de apparitione impersonali facta per Angelos, non erit præsens ibi, sed solus Angelus loquendo quoad humanitatem. Sancti quoque nec erūt ibi, sed solus Angelus: erunt tamen Christus, & Sancti ibi repræsentatiue: Ratio tum Dei, tum omnium est, quia Deus est per immensitatem vbique, ergo est quoque ibi: Humanitas autem Christi est finita, ac propterea non omnibi, nec vbique: ita, & de sanctis, qui qua creatura sunt, nec sunt omnibi, & consequenter, non ibi. Hæc currunt, loquendo de apparitionibus impersonalibus, ministerio Angelorum factis. Cæterum loquendo de personalibus, iam erunt in propria natura, & persona ibi, vbi apparent. *Apparitionum impersonalium differentia.*

25 Ad Patres in oppositum quæstionis, iam constat illius fuisse sententię, cum multo plures sequātur negantem opinionem.

26 Ad primam rationem iam responsio constat ex Gregorio, & Augustino relato n 8.

27 Et ad secundam respondet idem Augustinus lib. 3. de Trinitat. cap. 11. inquiens, *Cum verba Iudicis Præco pronunciat, non scribitur in gestis, ille Præco dixit, sed ille Iudex; sic etiam loquente Propheta sancto, & si dicamus, Propheta dixit, nihil aliud quam dominium intelligi volumus, &* *Imaginis ad imaginē concernentia.*

si dicamus, Dominus dixit. Prophetam non subtrahimus. Respondet insuper Athanasius serm. 4. contra Arianos, *In imagine species, & forma Regis apparet, & in Rege imaginis species expressa est: in imagine Regis similitudo, vt qui videt imaginem, in ipsa Regem aspiciat, & qui Regem videt, intelligat hunc esse illum, qui in ea expressus est imagine: Et quia non differt similitudo, ideirco post conspectā imaginem, volenti Regem intueri imago dixerit, Ego, & Rex vnum sumus.*

QVÆSTIO III.

Vtrum in veteri Testamento apparuerint omnes personæ, an solum Verbum.

1 AT vero quæri potest; vtrum in veteri testamēto omnes personæ apparuerint an solum Verbum. Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 4. ait, nusquam Patrē apparuisse: idem habet lib. contra Iudæos cap. 9. inquiens, *Qui ad Moysen loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui, & semper videbatur: Deum autem Patrem nemo vidit vnquam, & vixit.* Eusebius lib. 1 demonstr. cap. 5. ait *Nullum alium fuisse, præter Dei Verbum, quod ab antiquis Patribus, & Dei amicis est visus.* Theophilactus, & Chrisostomus idem Verbum apparuisse Moysi Actor. 7. iuxta loquutionem Stephani, *Et apparuit illi Angelus* appellātur autem Verbum *Angelus magni Consilij.* Idem sentiunt Augustin. contra Adamant. cap. 9. Leo Epist. 13. Irenæ: lib. 6 cap. 3. Epiphan. in Ancor. Clemens Pap. lib. 5. consti. Apostol. cap. 19. ita ut apparitiones singulæ veteris legis factæ fuerint in persona Verbi: siue cum apparuerit Iacob, siue Loth, siue Isaię, siue Abrahæ, iuxta loquutionem eiusdem Christi, *Abraham exultauit, videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Ioann. 8. nempe videndo Arietem, figurātem Verbum tunc incarnandum, dum relicto Isaac immolauit Arietem. Et probatur aliunde Ioan. 1. *Patrem nemo vidit vnquam*, & 6. *Non quia Patrem quis vidit, nisi is, qui est à Deo.*

2 Verum, dum Abrahæ apparuerunt tres illi Viri, vidit vtique in figura, & imagine omnes Trinitatis personas, *Tres vidit, & vnum adorauit*; Ita Augustin lib. 2. de Trinit. cap. 10. & de Ciu. Dei lib. 16 cap. 29. Ambrosius autem sic scribit lib. de fide Resurrect. *Abraham Trinitatem in typo vidit, tres suscipiens, & vnum adorans, & personarum distinctione seruata, vnum tantum Dominum nominabat.* *Apparuit Abrahæ tota Trinitas*

3 Dices, obstare videtur idem Ambrosius lib. 5. de Abraham cap. 5 inquiens, *Tres vidit, & vnum solum Deum fatetur, deinde conuersus ad duos, ministros arbitrabatur, &c.* Non ergo omnes tres repręsentabant Trinitatem, cum duo ex ijs erant Ministri.

4 At conuincitur, omnes fuisse Deum Trinum, & vnum, ex varijs circumstantijs eiusdem apparitionis etenim interrogantes Abraham, *Dixerunt ad eum, vbi est Sara.* cap. 18. & subdit textus, *Cui dixit, Reuertens veniam;*

veniam dum namqne habetur, *Dixerunt*, ostenditur pluralitas personarum, Dum vero dicitur, *Cui* in singulari, ostenditur vnitas diuinitatis. Insuper idem Abraham alloquens eos dixit, *Domine si inueni gratiam in oculis tuis*, hucusque loquitur in singulari, *Domine, &c.* inde vero, *Lauate pedes vestros, & requiescite* in plurali, propter vnitatem Essentiæ, & Trinitatem personarum: & hinc Nyssen. in lib. de cognit. Dei, soluens difficultatem ait, *Si vnum quidem esse dixeris Deum, Angelos autem duos, quomodo potuerunt cum Domino consedere.* & insuper, *Cum sint tres, sermo cum vno tantum instituitur, vt constet omnino vnam esse trium personarum diuinitatem.* Idemque de Loth August. lib. 2. de Trinit. cap. 22. *Quid est hoc, quod dixit ad eos, Rogo Domine, si iam ille discesserat, qui Dominus erat, & Angelos miserat.* Erant ex Augustin. personæ quæ remanserant, Verbum, & Spiritus sanctus, Pater autem apparere desierat; vnde si dicitur, quod discesserat, idem est, ac apparere desierat, non enim personæ propter consubstantialitatem separantur ab inuicem, separantur autem functiones earum terminatiue, licet non effectiue: terminauit namque vnionẽ naturæ humanæ solus Filius, licet effectiue omnes concurrerint ad illam sieque apparebant Filius, & Spiritus sanctus ipsi Loth, Pater autem apparere desijt, At cur hoc, inquiunt Aliqui, quia Filius, & Spiritus sanctus mittuntur, quia procedunt, Pater nec procedit, nec mittitur. Adest sensus alter, vt illi duo fuerint Pater, & Filius, vbi namque dicitur, *Pluit Dominus à Domino.* Intelligant Filium Dominum, qui est à Patre Domino, iuxta loquutionem Psalmi 15. *Dixit Dominus Domino meo*. Apparere autem desierit Spiritus sanctus, quoniam opus illud non erat opus amoris, & gratiæ, sed vindictæ, & iustitiæ; gratia autem, amor, & pietas appropriatur Spiritui sancto. Dices aiebãt, *Clamor eorũ ascendit ad Dominum, qui misit nos, vt perdamus illos*, cap. 18. quod si missi fuerunt; ergo erant Angeli: Responderi potest, loqui iuxta existimationem, quam Loth habebat de ipsis, extimabat autem eos esse Angelos, & ideo tanquam Angeli loquuntur, dicendo se missos.

Pater non desijt adesse sed desijt apparere.

Apparere desijt Spiritus sanctus in punitione Sod. & Gom.

5 Insuper Augustin. lib. de Trin. cap. 10. docet, Patrem fuisse, qui Adæ loquutus fuit post ipsius peccatum. Omnino, & subdit, *Vbi scriptum est, dixit Dominus ad Adam, cur non ipsa Trinitas intelligatur. nihil dici potest.* Item vbi Danielis, fertur quod *Antiquus dierum sedit, cuius vestimentum erat candidum, et capilli eius quasi lana munda.* Idem Augustinus de Patre intelligit ibid. cap. 18. Et consonat ex humanis, etenim Patrem familias appellamus in ipsa familia antiquiorem, ac veluti capillis albis onustiorem: Pater autem æternus est fons, & principium Trinitatis, hinc appellatur à Daniele *Antiquus dierum* licet cum Patre sit simul coæternus Filius, ac Spiritus sanctus, iuxta loquutionẽ Athanasij, in symb. *Æternus Pater. Æternus Filius æternus Spiritus sanctus*. Ac denique idem Augustinus cap. 17. concludit, dicens. *Nimis temerarium est asserere, Deum Patrem numquam Patribus, aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse.*

Apparitiones Patris.

Pater cur appellatus antiquus dierum

6 De Spiritu sancto etiam Gregorius lib. 5. Moral. cap. 26. intelligit illud Iobi 4. *Et vocem eius quasi auræ lenis* cui simile est illud Eliæ 3. Reg. 19. *In sibilo auræ tenuis*. Et Dum in monte Syna Exod. 19. data fuit lex, Domino descendente in igne: atque dum cap. 31 digito Dei scripta fuit lex, Spiritum Sanctum intelligit Augustinus ibid cap. 15. etenim *Digitus* significatio est Spiritus sancti, vt in mater. de Spiritu sancto habitum fuit, & in mat. de Aequalitate Personarum.

Apparitiones Spiritus sancti.

7 Ex his colligitur, personas omnes in veteri lege apparuisse, siue simul, siue seorsim, cum tamen opus ipsarum fuerit ab omnibus quidem effectiue, quia *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*, at non ab omnibus terminatiue, & apparenter.

8 Ad id vero, quod *Patrem nemo vidit vnquam, &c.* Respondet Lyranus in cap. 1 Ioannis, loqui de visione comprehensiua, nulla enim crea-

Patrem nemo vidit unquam declaratur.

tura comprehendit diuinam Essentiam, quia solus *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrabit* : Christus namque ratione intellectus diuini comprehendit totam Trinitatem, & in cap.6.ait, intelligi, *per modum permanentis*, sicut Christ u, qui ab instanti Conceptionis vidit Essentiam per *modum habitus*: at an Christum dicet nemo, inquit, viderit Patrem sic, vt Christus, vidit tamen aliquis in raptu, vt Moyses, &c Concedit ergo Lyranus visum aliquando fuisse & Patrem, at non tali visione, qua vidit Christus, Viatores namque viderunt per modum transeuntis, Christus per modum permanentis : vt sic autem non viderunt viatores, quo fit, vt Deũ nemo sic in via, præter Christum, viderit vnquam.

QVÆSTIO IV.

Quomodo discernatur apparitio, & loquutio diuina à loquutione, & apparitione Angeli veri.

1 QVia Angelus apparens, quandoq; propriã sustinet personam, quandoque vero Dei repræsentat præsentiam, ob quod commisceri insimul solent istæ apparitiones, hinc merito modum inuestigamus ad cognoscendum quando nã Angelus in Dei persona loquatur, quando autẽ in propria sui persona. Loquimur autem de apparitione, & loquutione Angeli boni, quatenus repræsentat personam Dei: non autem mali, qui quandoque seipsum de Angelo tenebrarum transformat in Angelum lucis, non enim de hoc præsens contingit sermo.

Modus dicendi aliquorum. 2 Est modus dicendi quorũdam, tunc Dei referre, seu repræsentare personam, atque in Dei loqui persona, quandocunque apparet, & loquitur cum pompa, apparatu, ac maiestate, sic namque Dei decet personã: quando vero priuate, & sine pompa loquitur, tunc in propria loquatur persona.

3 Modus hic non semper currit; ratio quoniam bene aliquãdo Deus loquutus fuit, attamen absque pompa, & apparatu. Exemplũ sit ex Gen. 3. vbi loquutus fuit Adæ, attamen nec pompam refert textus interuenisse, nec apparatum. Item Gen. 5. loquutus fuit ad Cain, nec tamen pompæ fit mẽtio, nec apparatus. Prophetis multoties loquebatur, attamen non semper cum pompa, & apparatu: & sic de pluribus alijs apparitionibus. *Impugnatur.*

4 Dices, cum pompa apparuit Isaiæ, dum cap.9. de Deo ait, *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum, & eleuatum, & plena erat maiestate eius omnis terra. Seraphim stabãt super illud; sex alæ vni; & sex alæ alteri*. Ita quoque cum Moysi apparuit in Rubo ardenti: ita cum legem dedit in monte fulgurante, & fumigante, &c. *Obstatur.*

5 Verum modus, & ratio ista non conuincit; etenim quod loquatur Dominus, licet nõ semper conijciatur ex pompa, & apparatu; conijci tamen potest aliunde, & ex alijs circumstantijs. Exempla sint, loquutus quidem fuit Deus Adæ, absque pom- *Apparitiones Dei cum Maiestate.*

pompa, attamen aliunde conijciebatur esse Deum, vtpotè ex interrogatione facta Adæ, *Adam vbi es*, quod authoritatem, & Maiestatem indicat, quatenus eum vocat ad iudicium: inquirens authoritatiue, atque rationem exigens de transgressione præcepti, dicendo illi, *Ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* Hoc itidem inquirendo de vxore, *Quare hoc fecisti?* Sententiamque postmodum proferens contra eos; Contra Adam quidem, *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo præceperam tibi, maledicta terra in opere tuo; in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; spinas, & tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Inde ad mulierem, *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub Viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Ac demum ad Serpentem, *Quia hoc fecisti, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris; & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ; inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum*. En quanta interuenit authoritas, quanta Maiestas in hoc facto, itaut verè Dominus vocauerit Adam, Euam, Serpentem ad iudicium, & cognita causa, protulerit sententiam contra ipsos: licet autem sine pompa, non tamen absque tanti Iudicis authoritate, potentia, & maiestate. Item cap. 4. refertur fratricidium, & sententia Caini, *Ait Dominus ad Cain, vbi est Abel frater tuus? qui respondit, nescio: numquid custos fratris mei sum ego? Dixitque ad eum, quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua: Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus, & profugus eris super terram, &c.* Nulla hic interuenit pompa, attamen constat quanta authoritate, & maiestate iudicium perfecerit contra Cainum. Tra-hi possent & exempla plura ex Scripturis: imò ex prophanis quoque ita conspicitur, non enim quotiescunque Princeps, Rex, vel Imperator loquitur, præuio semper apparatu, & pompa loquitur: hæc vero exigit quando sibi libuerit, pro loco, & tempore, &c. Ita & Deus; quapropter modus citatus venandi differentiam inter loquutionem Angeli, & Dei, non semper currit.

6 Ideo est aliter respondendum, & quidem Deum esse, vel Angelum, qui apparet, & qui loquitur, conijcitur ex modo loquendi: Et in primis Gen. 22. stante præcepto de immolatione filij sui Isaac, ait textus, *Ecce Angelus de cęlo clamauit dicens, Abraham Abraham, non extendas manum super puerum*; Inde vero subiungitur, *Nunc cognoui, quod timeas Deum, & non pepercisti filio tuo propter me*. Verba hæc aperte ostendunt Dominum fuisse loquutum. Item cap. 32. dicitur, *Vir luctabatur eum Iacob*: qui nam vero fuerat vir iste, ipse explicat, dicens, *Vidi Dominum facie ad faciem*. Insuper. cap. 28 *Vidit Dominum innixum scalę dicentem sibi Ego sum Dominus Deus Abraham*. In eodemque cap. 31. *Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem; & votum vouisti mihi*; At votum fit ipsi Deo. Rursus cap. 16. *Apparuit Angelus Agar, dicens reuertere in domum tuam*; Inde vero, *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine*; quod autē is fuerit Dominus, testatur eadem Agar, inquiens, *Tu Deus, qui vidisti me; & vocauit nomen Domini, qui loquebatur ad eam.* Iudicum 2. *Ascendit Angelus Domini*, indeque, & ait, *Eduxit vos de Aegypto, & pollicitus sum, vt non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum*: Hæc quidem pertinent ad ipsum Deum, cuius fuerat pollicitatio, & pactum. Exod. 3. ex verbis dictis ad Moysen de medio rubi ardentis, *Solue, solue calceamenta de pedibus tuis, &c. Ego veni, vt liberarem populum meum: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac*: Sicut & si pius loquutus refertur Deus in prædicto libro, vt in eodem

eodem cap. interrogati Moysi *Quod est nomen eius*, respondit Dominus, *Ego sum qui sum &c.* Sicut ex Iosue 5. vbi cum apparuisset ei Vir quidam, qui dicebat, *Se esse Principem exercitus Domini*, ait textus, quod *cecidit, Iosue pronus in terram, & adorans ait, quid Dominus meus loquitur ad seruũ suum?* Indeque respondens dixit, *Solue calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, sanctus est*; Iudic. 13. vbi Manue, & Vxor prius viderant Angelum, inde tamen dixerunt, *Moriemur, quia vidimus Dominum*, Et cap. 6. Cum Gedeoni apparuerit primitus Angelus, inde subditur, *Dixitq; ei Dominus, ego ero tecum.*

7 Ex his, pluribusque scripturæ locis, habentibus huiusmodi loquutiones, coniici plane potest, esse, vel Angelum, vel Deum.

8 Cæterum aliunde quoque conspicitur, nempe ex testimonio eiusdẽ scripturæ, quandocunque ipsa testatur esse, vel Angelum, vel Deum, vt Gen. 1. *Tulit Deus hominem præcepitque ei dicens.* Rursus, *Creauit Deus cælum, & terram*, cap. 4. *Dixit Dominus Ad Abel.* Et huiusmodi, quæ ostendũt ipsum loqui Deum. Sicut ex opposito, loqui Angelum, eadem ostendit sæpissime scriptura: vt Luc. 1. *dixit Angelus ad eam. Apparuit Angelus in somnis Ioseph, &c.*

QVÆSTIO V.

Vtrum Adam viderit diuinam Essentiam.

Dato in aliquorum sentẽtia, ex relatis, Deum in propria persona corpus assumpsisse, quæri inde potest, verum semetipsum, suamq; Diuinam Essentiam iisdem, quibus apparuit, manifestasset Verum quia de pluribus id quæri potest, hinc est, vt ordinate de singulis discutiamus: loquemur autem tum de visionibus veteris, tum noui testamenti, incipiemus verò à veteri testamento: Verum quia in ordine eorum, de quibus quæstio mouetur, primus, occurrit Adam, hinc primo loquemur de Ada.

2 Videtur in primis affirmatiuam sententiam docere Augustinus, qui lib. 9. de Genesi ad lit. cap. vlt. ait *Extasim, quam Deus immisit in Adam, ad hoc immissam, vt & ipsius mens per extasim particeps fieret Angelicæ Curiæ & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret nouissima.* Item lib. 11. cap. 33. *Fortassis ita cum primis Parentibus Deus loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquimur.* Bernar. in Septuag. ser. 2. *Nonnisi incommutabilis veritatis intuitu, & abysso Diuinæ Sapientiæ, corporis excedens sensibus, obdormisse videtur.* Et Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 1. *Hominem in Paradiso assueuisse Beatorum Angelorum Spiritibus, cordis munditia, & celsitudine visionis interesse.* Diuus Antoninus 4. part. Summ. cap. 17. cum plures enumerarit, qui in hac vita, *Deum sine speculo viderint*, inter eos enumerat & Adam. Accedit D. Thom. qui 1. part. quæst. 49. art. 1. asserere videtur, vidisse Adam Essentiam in raptu: idemque habet de Verit. quæst. 18. art. 1. Consonat Durandus, Richardus in 2. d. 23. hic quæst. 1. ille 2. atque Altisiodorensis lib. 2. trac. 10. quæst. 2. cap. 2. Hi omnes, Adam Essentiam vidisse aiunt in sopore illo, de quo Gen. 4. dicitur, *Immisit Deus saporem in Adam.* per quem soporem, *Pro affirmatiua arguitur.*

veluti

veluti in ecstasim eleuatus, viderit Dei Essentiam.

Pro negatiua.

3 In oppositum sentiunt plures, negando vidisse diuinam Essentiam. Hoc sustinent quotquot de Moyse, deque Paulo negant Scriptores, referendos infra dum agemus de Moysè, ac de Paulo. Hinc ergo iaciunt primũ fundamentum, vtpotè, Negata fuit visio Moysi, ergo, & Adæ: Consequens non fundatur super comparatione personæ ad personam, vtputa personæ Moysis ad personam Adæ, sed super verbis scripturæ de vtroque loquentis, quandoquidẽ de Moyse scriptura, ait Num. 12. Ore ad os Deus ad Moysen loquebatur, & non per ænigmata &c. Item, *Loquebatur autem Dominus Moysi facie ad faciem*, quæ quidem phrasis fauet quam plurimum sustinentibus Moysen Essentiam vidisse: cum tamen scriptura Gene. de Adam dicat, *Immisit soporem in Adam*, quæ phrasis non ita pro faciali Essentiæ visione fauet Adæ, sicut Scriptura illa fauet Moysi: arguitur ergo, denegatur Moysi, ergo & Adæ: antecedens supponitur ex dicendis infra.

4 Item accedit congruentia quædam, & est hæc, Adam in raptu, seu in sopore illo, vidit, verbi gratia, Essentiam Dei, ergo non ita statim peccasset: at continuo, eodemque die peccauit, ergo in sopore non vidit Essentiã Dei. Argumentum supponit soporem illum, seu ecstasim aduenisse Adæ ante peccatum: & ita quidem est, vt patet Gen. 2. Item supponit Adam eodem die peccasse, quo fuit creatus, vtpotè circa meridiem, ex eo, quod Gen. 3. dicitur *Deus ambulasse ad auram post meridiem*, veluti quærens Adam: imo sexta feria creatum, atque circa meridiem ipsum, manum extendisse ad vetitum pomum, cum sexta quoque feria, atque ad meridiem, circa horã nonã Christus Corpus suum tetenderit, manusque ad arborem Crucis. Creatum item argumentum supponit mane circa horam primam: Circa tertiam vero immissum sibi fuisse soporem, creatamque ex eius costa Euam: circa meridiem inde peccasse, demum que è paradiso expulsum fuisse: omnia autem vnico, eodemque die peracta extitisse. His suppositis, formatur argumentum, incredibile est aliquem Dei visione illustratum, eodem prorsus die peccare: at eodem die, quo soporem recepit, peccauit Adam, ergo non vidit Essentiam Dei in sopore illo. Antecedens coniecturis nititur, etenim remanet ex raptu, & ecstasi illustrata mens, vt bonum, malumque cognoscat: remanet inflammatus affectus, vt solum Deum diligat, cuncta despiciat, quomodo igitur peccare eodem prorsus die potuerit, si diuinã Essentiam viderit? Verum ratio hæc moraliter procedit, & super congruentia innititur, cæterum quot sunt qui eodem die peccant, quo diuinas reuelationes recipiunt: historiæ namque, vel Chronica id referunt de aliquibus in ecstasim raptis, & nedum mente, verum & ipsa corporis mole è terra in altum attractis, qui tamen non longa post mora, in superbiam elati, de semetipsis præsumentes, cæteros despiciendo, miserabiliter prolapsi sunt, & corruerunt. Confirmatur eo quod Iob. 15. ait: *In Angelis quoque reperit prauitatem, qui seruiũt ei non sunt stabiles*, ibid. Atque psal. 7. *Septies cadit iustus*, ac Paulus Rom. 5. *Qui videtur stare, videat ne cadat.*

Tẽpus creationis, soporis Adæ, formationis Euæ, peccati, & iectionis è paradiso.

5 Adest pro principali intento & ratio altera. Ait Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam* Et Paulus 1. Timoth. 6. *Deus, quem nullus hominum vidit.* atque Sampsonis Pater, *Moriemur quia vidimus Deum*, Iud. 15. quia *non videbit me homo, & viuet*. Formatur autem argumentum; lex stat, vt in hac vita, Deum nemo videat vnquam, alias moriatur, in altera namque vita videndus est, idque post mortem: at lex ista est vniuersalis, ergo amplectitur omnes, ergo nec excluditur Adã. Ratio hæc de lege quidem concludit ordinaria, cæterum de lege absoluta loquendo, potuit dispensare ipsemet legislator Deus in Adam, vt de lege, potestateque absoluta viderit Deum. Verum de dispensatione hac quæritur vtrum facta fuerit Adæ, id vero actum fuisse, vsque modo non constat. Quapropter, quæ pro parte affirmante allata sunt non admodum vrgere videntur.

6 Patres verò facillimo negotio interpretationem suscipiunt: & quidem Augustinus primo loco loqui videtur de reuelatione arcanorum Dei facta Adæ in suo sopore, præcipue de reuelatione mysterij Incarnationis. Ad aliud eiusdem Augustini, in primis loquitur per verbum *fortassis*, quæ est loquutio dubitatiua; dato namque talis sententiæ fuerit, nihilominus dubitanter in eam iuit. Vel secundo, vt prius, loquebatur quidem per reuelationem, & manifestationem secretorum ipsius Dei.

Ad patres.

7 Ad Bernardum; eodem sensu procedit, de reuelatione mysteriorũ, & hæc sit prima responsio. Secundo, dato quod huius fuerit & ipse sententiæ, tamen eam non absolute defendit, remittit enim se meliori iudicio, subdens, *Verum id sine præiudicio dixerim si cui forte aliter visum fuerit.*

8 Et ad Gregorium, plane loquitur de gaudijs Paradisi terrestris, poterat enim tunc Angelorum visionibus partecipem fieri, ante peccatum, inde vero post peccatum, à talibus gaudijs, angelicisque visionibus excidisse, vtpote è paradiso illo terrestri expulsum. Dices, Gregorius ait, *Expulsum à Paradisi gaudijs, hoc, quod amiserat, quia viderat, recoluisse*: Non obstat, etenim è Paradiso terrestri expulsus, meminisse iam poterat gaudiorum, cæterorumque, tum temporalium, tum angelicorum, spiritualiũque oblectamentorum, quibus in Paradiso antea potitus fuerat.

9 Quæ vero pro parte negante adducta fuerunt, iam remanent soluta: vtputà congruentia illa de non posse peccare tam cito, siue die eadem, qui viderit Essentiam diuinam: iam adhoc fuit responsum. Ad scripturas quoque, & Patres dicendum, loqui de lege ordinaria, secluso priuilegio: possibile autem, & probabile, priuilegium hoc concessum fuit aliquando Adæ: vel loquuntur de visione Dei per modum habitus, quam negãt non autem per modum transeuntis, & ad breue tempus. Vel de cognitione comprehensiua: vel loquuntur comparatiue ad Christum, cuius cognitio eminentior valde extitit, excellentiorque quacunq; visione cuiuslibet Creaturæ de Essentia Dei. Vel denique loquuntur *proprijs viribus*, vel *oculo corporali, &c.* iuxta loquutionem Pauli. *Qui Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominem vidit*, sed nec videre potest 1. Thimot. 6. de quibus responsionibus amplius in sequentibus.

Ad cõgruẽtias.

QVAE-

QVÆSTIO VI.

Vtrum Moyses viderit in via Essentiam Dei.

Pro negatiua.

1 De Moyse quoq; res, sicut, & de Adam, dubia est: quamuis sententia affirmatiua de Moyse, multo plures habeat patronos. Et in primis negatiuam sententiam sustinent per plures, vt D. Dionys. cap. 4. de Cæl. Hierar. Nanzianzen. ora. 49. Tertullian. lib. 4. aduersus Marc. cap. 22. Euaristus epist. ad Episcopos Afric. Irenæus lib. 4 cap. 37. Origen. 1. Periarc. cap. 4. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 28. Ex Scholasticis autem Alexander Alens. part. 1. quæst. 2. mem. 1. art. 4. Caetan. super Exod. 33. AEgyd. Lusit. tit. 1. lib. 12. quæst. 5. art. 2. super 1. 2. Canus. lib. 7. de loc. cap. 1. Vasquez. & Molin. 1. part. quæst. 12. art. 11. disp. 2. ille autem disput. 55. Suarez 1. part. lib. 2. cap. 30. Tolet. in cap. 1. Ioann. pluresque alij. Hi ergo negant Moysen in via vidisse diuinam Essentiam.

2 Rationes, quæ afferri possunt, hæ sunt, Christus appellatur à Ioanne *Primogenitus mortuorum.* Apocal. 1. & à Paulo, *Primogenitus ex mortuis*, 1. ad Colossens. idem autem est esse, *primogenitum mortuorum*, ac primo resurrexisse, siue esse primum inter resurgentes ex *mortuis*, ex Glosa ibi. Hoc stante, sequitur, vt inferatur, Christum Dominum primum fuisse, qui Paradisi portas resurgendo aperuisset, itaut ante eum nemo quidem, visionem diuinæ Essentiæ habuisset. Item Paradisum materialem, siue localem nemo innemo ingressus fuit ante Christum, ergo nec paradisum formalem nemo possedit ante ingressum Christi: paradisus materialis est paradisus ille cælestis localis: at formalis, est visio Essentiæ diuinæ: quod patet ex promissione Christi Domini facta latroni Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradiso*: & quod sit sermo de paradiso formali, patet, quia latro non introiuit in cælum, nisi post Christi ascensum in Empyreum: promisit autem in Caluario, quod eadem prorsus die foret secum in paradiso, ergo loquebatur de paradiso formali, qui erat *Visio Dei*: atque hinc arguitur, Non decuit quempiam paradisum intrare materialem ante Christum: ergo nec decuit ante ipsum Christum introire aliquem in paradisum formalem visionis Essentiæ. Confirmatur ex Petro 2. cap. 1. qui loquens de Christo ait, *Per quem ministratur nobis introitus in æternum Regnum*: Proptereaque beatis cæteris inuitatis ad gloriam dicitur, *Intra in gaudium Domini tui*, Matt. 25. *Domini tui*, ait, vt inter cætera ostendat, gaudia Paradisi conferri à Deo post introitum Christi Domini; nec enim decens est, vt seruus præcedat, sed ratio postulat, vt Dominus introeat primo in gloriam, inde seruus: prius Caput, inde membra, *Caput autẽ Ecclesiæ est Christus.* Item nec potuisset quisquam seras illas cælestes adaperire, signatus enim erat liber, inquit Ioann. Apoc. 12. *Sigillis septem, Et nemo inuentus est dignus aperire librũ, et soluere signacula eius, nisi Agnus qui occisus est*, ipse igitur expectandus erat vt aperuisset, qui *contriuit portas æreas, & vectes fereas confregit.* Psal. 106.

3 Obstari posset contra assumptum, quod Christus primus omnium resurrexisset; Et quidem Moyses in Monte Tabor apparuit cum Christo, in corpore, ergo resurrexit, at non dum mortuus tunc erat Christus. Lazarus similiter resurrexit, at id, viuen- *Moyses, an resurrexerit an Lazzarus.*

te adhuc Christo. Ad primum respondetur non resurrexisse Moysen; nec in proprio corpore apparuisse, sed in corpore assumpto, ait enim Abulensis in cap. 12. Num. quæst. 4. *Non surrexit Moyses, sed corpus accepit de aere, vt communiter tenetur:* Ad secundum, surrexit quidem Lazarus, at resurrectio eius non fuit talis, qualis requiritur ad fruendum vita æterna: ex quiritur vero, vt resurgens homo non amplius moriatur, & vt inde, si iustus fuerit, ordinetur pro præmio à diuina iustitia statuto, ad gloriam æternā: Lazarus autem resurrexit ad vitam mortalem, qui tamen statuto post à diuina ordinatione tempore, iterum obijt.

Moyses an resurrexit.

Lazari resurrectio, qualis?

4 Item probatur principale intentum aliunde, quoniam non colligitur ex Scripturis quando, & vbi Moyses viderit Essentiam Dei: immò colligitur denegata n sibi prorsus fuisse talem visionem, vt mox dicetur: vnde cùm ignoremus locum, modum, & tempus talis visionis, non debemus id affirmare.

5 Scripturis insuper arguitur, Moysen non vidisse Dominum. Exod. 33. petijt Moyses à Domino, inquiēs *Ostende mihi faciem tuam. Ostende mihi gloriam tuam*, Ipsi tamen fuit responsum, *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & viuet: posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* In petitione vero hac quidnam Moyses postulabat? vtique videre faciem Domini, quam Theologi docent esse diuinam Essentiam, cum Glosa interlineari ibi; sicut, & pedes ipsam Christi humanitatem; quemadmodum enim facies superior est, eminētiorq; ad pedes, ita diuina Essentia est perfectior portio, quæ fuerit in Christo, cum humanitas fuerit, vtpotè creatura, valde inferior: & sicut in facie resident sensus omnes, ita in diuina Essentia continentur omnes creaturæ eminenter, & virtualiter: ac veluti per faciem quisque perfectiori modo dignoscitur & repræsentatur, ita per intuitum diuinæ Essentiæ cognoscunt Beati creaturas repræsentatas, & demonstratas, veluti in lucidissimo speculo, à diuina Essentia: ac denique sicut maiorem oblectationem sumimus ex intuitione personæ alicuius in propria facie, ita oblectamentum beatorum sumitur ex visione ipsius diuinæ Essentiæ. est ergo facies diuina Essentia: at faciem hanc videndam denegauit Moysi Deus, ergo minime vidit Essentiam.

Essentia instar faciei.

6 Item Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Non parum refert adducere antecedentia aliqualiter verba adhæc: dixerat autem prius, *Lex per Mosen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Ex quibus elici videtur circa præsens quæsitum solutio, inde quidem, quoniam discrimen admittit Ioannes inter Moysen, & Christum, vtpote per gratiam, & per legem: inde vero quasi quæstionem resoluens, discrimen aliud subinfert, dicendo, *Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*, tanquam si diceret, sermo est de Moyse, & Christo: at *Deum nemo vidit vnquam*, ergo nec Moyses vidit: vt vero cuitetur suspitio de Christo, quasi comprehenso sub vniuersali negatiua, subdit, excipiendum fore Christum, etenim, *Vnigenitus, qui est in sinu Patris. ipse enarrauit:* Vnde sic, vt colligatur, Deū neminem vidisse vnquam, nisi solum Vnigenitum Patris, & ita Papa Euaristus, vbi supra: Athanas. de Va. Trin. cap. 4 atque Irenæus legunt lib. 18. cap. 38. *Deum, nemo vidit vnquam nisi Vnigenitus, qui est in sinu Patris, &c.*

7 Confirmatur ex eodem Ioann. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Loquitur autem de seipso, qui est à Deo, de quo Ecclesia in sym b. *Deum de Deo*, Per *Quisquam* vero negatiue excluditur homo omnis, est namque loquutio exclusiua sicut, & precedens. *Deum nemo vidit vnquam.*

8 De nū citato loco Exo. 33. habetur *Non videbit me homo, & viuet*; loquutio autē hæc est apprime resolutiua quæstionis. Visio namq; Dei reseruātur conferenda post mortem: ergo non vidit Deum in vita: Obstaueris,

siqui-

siquidem conceditur plurimis, vt in rapta, & ecstasi, siue veteris, siue noui testamenti, saltem per transeennam, licet non permanenter, ipsa visio. Resfponsio patebit ex assertionibus.

9 Accedit Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*

10 Arguitur vltimo ex Patribus Nazianzenus apertissime rem docet, ait Enim Orat. 49. *Cui Dominus testimonium perhibuit dicens, Nemo erit ex Prophetis, vt seruus meus Moyses, cui facie ad faciem, & ore ad os locutus sum; Deum tamen pure videre non potuit: merito, quidem prophetia omnis dignus, sed non vsque adeo, vt intueri Deum possit.* Dionysius de cæl. Hierar. cap. 4. *Si quis illic, etiam per se siue vllo medio, nonnullis sanctis Deum visum esse contendat, is discat hoc etiam aperte ex sanctis literis id. quod de Deo occultum est, vidisse, aut visurum esse neminem: Deum vero sanctis visum, ac ostensum esse illum quidem, sed enunciationibus, quæ Deo dignæ sunt, & per quosdam sacras, & eorum, quibus ostenduntur, captui accommodatas visiones.* Euaristus Papa ad Episc. Afric. *Beatos ait, visuros esse Deum sicuti est, non autem sicut Moyses, cæterique Prophetæ per ænigmata, & figuras.* Hoc ipsum Hieron. Epist. ad Damas. Cyrill. Alex. lib. 1. in Ioann. cap. 22. Clemens Alex. lib. 5. Stromat. Ambros. serm. 8. in psal. 118.

11 Oppositam sententiam tuentur D. Antonius part. 3. tit. 30. cap. 4. D. Bonauent. super Genes. serm. 9. Henric. in summ. art. 24. quæst. 2. D. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 11. Durān. in 3. d. 31. quæst. 3. Carthusian. in 4. d. 49. quæst. 4. atque Abulensis in lib. Num. cap. 12. quæst. 34. vidisse nempe Moysem diuinam Essentiam in via.

Pro affirmatiua.

12 Probatur ex Exod. 33. vbi petijt Moyses visionem Dei, inquiens *Ostende mihi faciem tuam*: sic autem petenti respondit Dominus: *Ego ostendam tibi omne bonum*. Responsio videtur consona petitioni, probatur, quia Deus ipse, est summum bonum: Item Essentia eius est *pelagus omnis perfectionis*, ex Damasc. continetur q; in ea omne bonum, ergo dum ostensionem promittit omnis boni, Essentiam vtique videndam promisit: Item Num. 13. *Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. Facies autem Dei est, vt dictum fuit, Essentia Dei, ergo loquendo Deus ad Moysen, *siue facie ad faciem*, Ostendebat profecto Essentiam suam. Confirmatur, clarior demonstratio, atque patentior ostensio fieri nequit alicui, quam ostensio faciei, vnde tantope e exoptabat eam sponsus à sponsa *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, quia eloquium tuum dulce, & facies illa tua decora*, in Canticis 11. loquebatur autem Dominus Moysi facie ad faciem, ergo apertissime se præsentabat Moysi in colloquendo. Insuper eodem capite habetur, *Ore ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata* Ex Paulo 1. Cor. 13. ex vtraque autem sententia elicitur argumentum, loquebatur Deus, *facie ad faciem: ore ad os: sicut Amicus Amico*: & *palam, non vero per ænigmata*, ergo Deum vidit: antecedens est in scriptura: & consequens sequitur: Accedit, quod consequens est eiusdem Dei docentis, *Palam*, & non per ænigmata, & figuras, *Deum vidit*, ergo, &c.

13 Confirmatur ex Ambros. in Examer. cap. 2. *Moysen non per ænigmata, sed clara, & perspicua præsentiæ diuinæ dignatione donatum.* Basil. in examin. Homil. lib. 1. *Moysen spectatorem fuisse faciei diuinæ, peræque, ac Angeli*, Augustinus lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 25. *Moysen Deum vidisse illo modo, & illa specie, qua Deus est.* Atq; Tertullian. lib. 4. aduer. Marcion. cap. 22. *Facie ad faciem, visibilem se ei promittit, etiam ad Aaron dicens, si fuerit Propheta in vobis, in visione cognoscar illi, non quomodo ad Moysen, os ad os loquor ad eum.*

14 Quid vero sustinendum in rē ista, quæue opinio probabilior sit, quæ communior, Lorina super Num. 12. ait opinionem negatiuam esse veriorem; & communiorem: Ex opposito Abulensis quæst. 37. in Exo. inquit, affirmatiuam esse communem omniū Theologorum; Nos autem affirmati-

uam sequimur, quam existimamus pro babiliorem.

15 Et respondendo ad fundamēta opinionis negatiuæ, dicimus ad primum de *primogenito mortuorum*, quod inde solum colligitur, nemini ante Christum, aditum patuisse ad ingressum cælorum: sicuti nemo intrauit in cælum, nisi post Christi ascensum: hoc concludit argumentum, quod conceditur: cæterum non probat, vt nemini patuisset aliquando, per modum transeuntis, visio Dei. Item non existimatur inconueniens, vt Angeli potiti fuerint Paradisi gloria ante Christum, nondum enim venerat tempus Incarnationis, quando Angeli fuerūt facti beati: ergo, nec inconueniens erit aliquem diuinam Essentiam ex hominibus ante Christum vidisse.

16 Ad Scripturas responderi potest, vt loquantur de lege ordinaria, cæterum de lege extraordinaria, poterat dispensari, & sic factum fuisse, cum Moyse, Vel procedant de visione per modum habitus permanentis, quæ omnibus negatur in via, excepto Christo Domino, qui ab instanti conceptionis fuit semper beatifica visione potitus: cæterum per modum trāseuntis, & ad modicum tempus non implicat: ita D. August. 12. de Gen. ad lit. cap. 27. 28. atque in epist. 112. cap. 12. Basil. Ambros. & D. Thomas, vbi supra, vt amplius dicemus.

17 Specialius vero descendendo, ad id, quod dicitur, non colligi ex scripturis visionem concessam Moysi de Essentia Dei, respondetur, nesciri quidem locum, & tempus, ac modum eleuationis ad talem, attamen nō per hoc esse denegandam visionē: de plurimis namque rebus ignoramus circumstantias, & conditiones, non tamen per hoc absolute negamus ea in rerum natura esse.

18 Ad Scripturas vero speciatim respondendo, dicimus, concedendo vtrique, negatam fuisse tunc visionem Moysi, tunc, inquam: at non conceden dum negatam extitisse pro omni tempore: ad summum vero, fuisse eam suspensam, & vsque addestinatum tempus dilatam, quo tamen adueniente, fuisse inde concessam; ita D. Thomas in 4. d. 49. quæst. 2. art. 7. cum ait, id præstitum fuisse postea, quod colligit ex Num. 12. inquit autem loco citato *Vbi ostenditur ad impletam fuisse eius petitionem, qua petierat Exo. 33. Ostēde mihi faciem tuam*. Id ipsum docet super epist. 2. ad Corinth. cap. 12. lect. 2. inquiens, *Licet tunc negatum fuerit sibi, non tamen dicitur, quod Dominus finaliter negauerit ei*. Accedit autem ratio, quoniam petenti Moysi videre faciem eius, iam Deus petitioni annuit, inquiens, *Ostendam ei omne bonū*, ergo aliquando suum promissum implenit, stat enim Deus promissis, & non mentitur, vt homo; *Omnis enim homo mendax*: quod si tunc negata fuit, dilata quidem fuit, at non penitus non adimpleta.

19 Ad illud Ioannis, & 1. & 6. de differentia Moysis, & Christi, &c. docet textus, Christum valde differre à Moyse, etenim Christus perfectissime nouerat mysteria fidei, quod non ita perfecte contigit Moysi: Item Christus est Caput, & Doctor, ac legislator omnium saluandorum, cum tamen Moyses Dux fuerit populi Hebræi, & legislator eiusdem: Christus denique fuit diuinæ Essentiæ comprehensor ab instanti suæ conceptionis, & per totum suæ vitæ decursum repletusque omni scientia, & sapientia, testante Apostolo, *In quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientiæ Dei*: His stantibus, sequitur intelligentia verborum Ioannis, dum enim ait, *Lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*: Hic aperte patent differentiæ inter Moysen, & & Christum, qui nedum fuit Doctor, & promulgator legis, sed & merito de eo dicitur quid perfectius, quod *gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*; quo fit, vt stante ampliori plenitudine sapientiæ, & scientiæ in Christo, quam in Moyse: stāte etiam, quod ab instanti conceptionis Deum viderit, & per suum diuinum intellectum ipsam Essentiam comprehenderit, quę tamen comprehensiua, & ita perfecta visio non contigit Moysi, sicut nec habuit eam per totum vitæ decursum sed per transcennam, merito dicitur, quod perfecte de arcanis diuinæ Essentiæ *Christi, & Moysis differentia.*

ſentiæ loqui, competat ſoli Chriſto, qui perfectiſſime vidit, Moyſi autem competat minus perfecte, eo quod minus perfecte, vel ad horam vidit. Confirmatur exceſſus Chriſti ſupra Moyſen, tanto enim excelluit, quanto tempus legis gratiæ perfectius eſt tempore legis ſcriptæ: at illa per Chriſtum data fuit, ideoque dicitur. *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.*

Deum nemo vidit vnquã declaratur.

20 Ad vtrumque etiam Ioannis locum, tum capitis primi, tum ſexti, inſuper reſpondendum ex Patribus. Et quidem ſtat allata vna ex reſponſionibus, quod differant Moyſes, & Chriſtus, eo quod viſio Chriſti fuerit comprehenſiua, non ſic Moyſis: & ita intelligatur Ioannes, *Deum nemo vidit vnquam: Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui ex Deo eſt, &c.* Loquitur enim de viſione comprehenſiua, quam negat cuilibet Creaturæ, concedit autem Chriſto. Ita Chriſoſtomus, qui Homil. 4. de incomprehenſib. Dei Natura ait, *Nullum vidiſſe Deum, Ioannes inquit, vt exquiſitam illam comprehenſionem, & expreßam cognitionem in nullo adhuc contigiſſe intelligas.* & Hom. 14. in Ioann. *Nemo cognouit Patrem, vt Filius, qui certam notionem, viſum, & comprehnſionem habet, qualem Filium habere de Patre par eſt.* Et infra, *Filius, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrabit, nã in ſinu Patris eße, maius quiddam eſt, quam videre; qui enim tantum videt, non certam habet rei vita cognitionem: qui vero in ſinu immoratur, omnia ei perſpicua ſunt & certa.* Ambroſius in cap. 1. Lucæ, *Ideo Deum nemo vidit vnquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem diuinitatis, nemo conſpexit; nemo mente aut oculis conſpexit.* Cyrillus Alexand. lib. 1. in Ioann. cap. 22. *Patrem nemo nouit, niſi qui ex Patre eſt; quia ſoli conſubſtantiali Filio Pater viſibilis eſt, & nulli præter eum alij: viſionem autem in his, Deo conuenientem, ſemper intelligas.* Obſeruandum, quod licet dicat, nulli aliĩ competere præter Chriſto, tamen ſe explicat, dicendo id intelligi de *viſione Deo conueniente*, nempe de viſione comprehenſiua, & infinita. Cyrillus alter Hieroſolimitanus Catecheſi 6. *Ieſus dicit, quod Patrem nemo vidit, niſi qui eſt de cælo, hic videt Patrem; Vident Angeli, ita vt capiunt, & Archangeli, vt poſſunt; Throni vero & Dominationes plus quidem, quam illi, ſed minus tamen, quam pro Dei benignitate; ſolus autem Spiritus ſanctus, ita vt oportet videt; & Vnigenitus Dei Filius ita vt oportet, cognoſcit: neque enim Patrem quiſquam cognoſcit, niſi Filius, & cui is reuelauerit, videt quantum oportet.* & *enarrat per Spiritum ſecundum quod vnuſquiſque capit Deum.* Et denique Auguſtin. epiſtol. 112. cap. 7. *Nõ quia Dei plenitudinem quiſquam, non ſolum oculis corporis, ſed vel ipſa mente aliquando comprehendit; Aliud enim eſt videre, aliud eſt, totum videndo comprehendere.*

21 Ad illud Exodi 33. ſuppoſita diſtinctione aliquorum, reſpondetur diſtinguendo de Vita Alia namque eſt vita *informationis*, alia eſt vita *operationis*; prima manat ab anima informante corpus: & ſecunda eſt operatio ipſius informationis: Hoc ſuppoſito, reſponſio eſt multorum, vt homo videndo Deum nõ viuat, vita quidem operationis, cum debeat eſſe abſtractus ab operationibus ſenſitiuis, & nihilominus viuere poterit tunc vita informationis, ſeu animæ vegetatiuæ. Oportet quidem abſtrahi, ab operationibus animæ intellectiuæ, vt intelligendi, & amandi creaturas, licet non remaneat abſtracta õnino ab operationibus animæ vegetatiuę: abſtracta inſuper ab operationibus ſenſitiuis, quamuis non operationibus vegetatiuis: taliter autem abſtrahi eſt quoddam mori, ſiue talis abſtractio eſt quaſi quædam mors. Ita in principis Auguſtinus lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 27. *Deum nemo videns viuet vita iſta, qua mortaliter viuitur in iſtis ſenſibus corporis; ſed niſi ab hac vita quiſquam quodammodo moriatur, ſiue omnino exiẽs de corpore, ſiue ita auerſus, & alienatus à carnalibus ſenſibus, vt merito neſciat, ſicut Apoſtolus ait, vtrũ in corpore, an extra corpus ſit, cum in illam rapitur, ac ſubuehitur viſionem.* In hoc Auguſtinus docet alter utram è vita abſtractionem ſufficere, ſiue ea ſit per exitum totalem à corpore, ſeparatio-

Vita multiplex.

rationemque animæ à corpore; siue per abstractionem animæ a sensitiua operatione, adhuc existente in corpore. Confirmat hoc idem epist. 112. c. 12. inquiens, *Ita fit, vt illud verum sit, quod dictum est, nemo potest faciem meã videre, & viuere; quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur, & non sit incredibile, quibusdã sanctis (nondũ vita de functis, vt sepelienda corpora remanerent) etiam istam excellentiam reuelationis eius concessam fuisse.* Ex hoc docet, non esse incredibile, vt etiam in hac vita habeatur visio Dei. Anselmus ad prædictum locum Exo. ait, *Quamuis dicamus Animam Pauli liberam à sensibus, in ipso corpore Deũ in se vidisse, salua erit autheritas illa, non videbit me homo, & viuet, quia hoc etiam modo exuisse hominem potuit.* Anton. p. 3. tit. 30. cap. 4. *Potest videri Deus per essentiam, vt Beati in Patria, ab homine in corpore constituto mortali, si est alienatus à sensibus, tam interioribus, quàm exterioribus, vita vegetatiua tantum viuens; & sic intelligitur illud Ioannis 1. Deum nemo vidit vnquam, & Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet, scilicet vita sensitiua.*

Non videbit me homo, & viuet, declaratur.

Hugo Cardinalis super 2. Corinth. 12 Explicans hoc idem, *Non videbit me homo, et viuet*, idest, inquit, *Videndo me non vtetur aliquo sensu corporeo*. Carthusianus, art. 63. ad citatum locum Exodi, *Non videbit me homo in hac vita, & viuet vita sensitiua, & humana.*

Et denique D. Thomas in 4. d. 49. docet, quod videre Deũ cum abstractione ab operationibus sensitiuis, non est contrarium ei, quod dicitur Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Et super 2. ad Corinth. cap. 12. lect. 1. explicans eundem locum, ait, *Non videbit me homo, nisi totaliter separetur à corpore, ita scilicet, quod anima eius non insit corpori, vt forma; vel si inest, vt forma, tamen mens eius omnino in huiusmodi visione totaliter alienetur à sensibus.* Distinctionem autem superius traditam de vita, ita confirmat, & declarat q. 13. art. 4. de veritat. inquiens, *Viuere dicitur dupliciter, vno modo ipsum esse viuentis, quod relinquitur ex hoc, quod anima vnitur corpori, vt forma: alio modo ponitur viuere pro operatione vitæ, & sic distinguit Philosophus, in 2. de Anima viuere per intelligere, & sentire, & alias animæ operationes; Et similiter cum mors sit priuatio vitæ, oportet, quod similiter distinguatur, ita quod quandoque designet priuationem illius vnionis, qua anima corpori vnitur, vt forma, aliquando vero priuationem operum vitæ.* Hæc vero applicat, vt supr. Rationem totius asserionis affert Alphonsus à Castro lib. 3. contra hæres: verbo *Beatitudo* hæresi 1. inquiens, *Non videbit me homo, & viuet, quia anima cum intra corpus mortale existit, vtens ministerio sensuum, non potest Deum videre.* Hoc autem applicat ad Paulum, &c. vt infra.

QVÆSTIO VII.

Vtrum D. Paulus in raptu viderit Essentiam Dei.

In eundem sensum discurrēdum est de Paulo, quo discursū fuit de Moyse; eadem namque fundamenta militant, *pro*, & *contra* in hac quæstione, quæ militabant in antecedenti; ideoque parum erit hic immorandum, etenim magna ex parte solutio pendet ex antecedenti.

Pro negatiue. 2 In primis autem sicut Moysi, ita, & Paulo negant quam plures in via visionem Dei: hi sunt ijdem, recensiti contra visionem Moysi, Adde Catharinum super 2. ad Corinth cap. 12. Tolet. in cap. 1. Ioannis: Salas to. 1. tract. 2. disput. 10. sect. 4. art. 3. super 1. 2. Molina. 1. part. quæst. 12. art. 11. Gran. cap. 1. in 1. part. tract. 7. disput. 1 Suar. lib. 2. de attribut. cap. 30. Vasqu. 1. part. disp. 56. &c.

3 Fundamenta hæc sunt, Paulus idem 1. Corint. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Loquutio hæc est vniuersalis, comprehendens omnes, nec tamē excludit seipsum. Item si ipse exclusus fuisset ab hac regula generali videndi per ænigmata, vtique mentionem de tali priuilegio egisset, at non egit. Insuper 2. ad Timoth. 6. inquit, *Quem* nēpe Deum, *nullus hominum vidit.* Ergo nec ipse vidit. Rursus de eandem Deo, *lucem inhabitat accessibilem.* Dices hoc scripsisse ante raptum, & loqui de præterito, non de futuro: Contra, quia id scripsit post raptum, qui contigit ante annos quatuordecim priusquam scriberet ad Corinthios, anno circiter nono post eius conuersionem, qui fuit annus Christi quadragesimus quintus: epistola vero ad Timotheum scripta fuit post annos Christi quinquaginta septem ex Anastasio in Synopsi, & Theodoreto præfat. in epist. Pauli. Hinc vero sequitur, vel Apostolum in contradictionem incidisse, vt prius vidisse dixerit, inde generaliter quemquam posse videre negauit: vel nō meminerit eius, quod prius de raptu scripserat. Præterea non fatetur Paulus se vidisse, sed audisse, vt ex 2. Corinth. 12. *Audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui,* ergo nec vidit. Confirmatur, *Auditio,* siue *Auditus,* spectat potius ad fidem, quā ad visionem, nam *fides ex auditu* Iacobi 7. Denique, quando Ioannes scripsit, *Deum nemo vidit vnquam* 1. & 6. iam præcesserat raptus Pauli, quoniā teste Hieronymo de Scriptor: Eccles. *Ioannes vltimus omnium Euangelistarum scripsit Euangelium.* Accedit quod si vidisset, iam non dixisset se ignorare, vtrum in corpore, an extra corpus viderit, ait enim, *siue in corpore, siue extra corpus nescio.* Probatur sequela quoniam beati videndo, vidēt & creaturas relucentes in Essentia, ergo, & vidisset etiam de se ipso, an in corpore, raptum senserit, an extra corpus.

4 Accedunt Scripturæ Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrabit,* & 6. *Non quia Patrem quisquam vidit, nisi is, qui est à Deo,* nempe Christus, &c.

5 Oppositum sentit D. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 3. & in 4. d. 49. art. 7. D. Bonauent. serm. 9. super Genesim Scotus in 2. d. 3. quæst. 9. §. *Secundo* *Pro affirmatiue.*

modo

modo. Lychetus, Tataretus, Faentinus, Gratianus, Antonius, Andreas ad eum locum. Mayronis in Prologo quæst. 15. art. 2. Rada part. 2. controu. 10. art. 1. Nicolaus de Nyse tract. 2. part. 2. quæst. 2. Smysingo excepto: & vltra Scotistas, Autrolus in 1. d. 1. quæst. 3. art. 3. Durand. quæst. 3. Prol. & in 2. d. 23. quæst. 2. Bacconus in 2. d. 4. quæst. 1. art. 3. Palatius in 1. d. 1. disput. 4. Richard. in 4 d. 49. art. 2. quæst. 6. part. 4. Et quotquot idem concedũt ipsi Moysi. Bassol. 4. d. 49. quæst. 5. art. art. 3. Toletanus quæst. 1. Prol. art. 2. Magist. 2. ad Corinth. cap. 12. Hugo Cardinalis ibidem: Altisiadorens: lib. lib. 3. tract. 14. quæst. 2. De Scoto autem, quid senserit, dicam infra.

6 Hanc, & nos sequimur, vnde dicimus etiã Paulũ in raptu vidisse Essentiam Dei: Vltra autem Scholasticos, est etiam Augustini, is namque serm. 46. ad fratres de Eremo, ait, *Raptus fuit Paulus vsque ad tertium cælum, & beatæ illi curiæ interesse meruit, & videre Deum, sicuti est.* Quodsi opponans eundem Augustinum, vtpotè negantem hoc, tantum de Paulo, tum de Moysè in lib. 2. de Trinit. cap. 15. & sequent. respondet Xistus Senensis lib. 5. Bibl. cap. 41. loqui de visione corporea: Item hoc sensit Ambrosius de quo Augustinus epist. 112. cap. 12. sic ait, *Quod existimo cogitasse illum, qui noluit dicere, nec Apostoli Christum videbant, sed ait, nec Apostoli omnes Christum videbant; credens, quibusdam eorum diuinitatis quoque ipsius visionem; de qua loquebatur, etiam tunc potuisse donari: certe propter Paulum, quia & ipse, quamuis nouissimus, vtique Apostolus erat, qui de illa sua ineffabili reuelatione non tacuit.* Accedit idem Ambrosius super 2. ad Corinth. cap. 12. inquiens, *Paulum bis raptum vltra omnia mundi sydera supra firmamentum in tertium numero cælum de spiritalibus cælis, et deinde in Paradisum cælestem, in quo latroni dixit Dominus, quod futurus esset cum eo, in Paradiso, inquit, Patris, illic, vbi & Ciuitas dicitur esse Hierusalem mater nostra.* Anselmus ad eundem locum, *Raptum* ait *Paulum ad excellentissimam visionem qua videtur claritas Dei, non per aliquam corporaliter, aut spiritualiter figuratam significationem, tanquam speculum in ænigmate, sed facie ad faciem.* Hugo item de sancto Vict. clarissime tom. 1. quæst. 34. super 2. ad Corinth. *Paulum vidisse in raptu Deum vere, & in se, & illam cognitionem habuisse, in qua summa est beatitudo, & plenam Dei cognitionem habuisse, & sic in beatitudine fuisse.* Idem ducet S. Vicent. Ferer. serm. de Comme. Paul. Remig. Beda in cap. 11. ad Corin. Ac Hieron. epist. 2. cap. 12. ad Corint. *Paulum bis raptum, semel vsque ad tertium cælum, vbi vidit visiones; et semel in Paradisũ, vbi reuelata sunt ei ineffabilia verba.*

7 Hinc vero arguitur, testatur de seipso Paulus 2. Cor. 12. *Raptum fuisse vsque ad tertium cælum, & vsque ad Paradisũ*, at nomine paradisi intelligẽda venit visio Dei. Confirmatur, quoniam testatur insuper se *audisse* arcana verba, quæ nõ licet homini *loqui*: at hęc pertinent ad beatificam visionem. Item Actorum 26. dicitur, *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum, quæ audisti*; At constitutus fuit testis, & Prædicator Diuinæ Essentiæ, & Trinitatis, ergo vidit diuinam Essentiam.

8 Sunt qui ad primum locum respondent, dicendo per paradisum intelligi ibi, vel Angelos tertiæ Hierarchiæ, ad quorũ consortium fuerit raptus, siue Angelos tertij ordinis; vel intelligit Cælum Empyreum, quandoquidem in scriptura trium cælorũ fit mentio, aerei, firmanti, & cæli illius, vbi videtur Deus: ex eo autem, quod assumptus fuerit in tertium cælum, inde solummodo arguunt, participem redditum fuiße, & consortem eorum, qui diuinam videbant Essentiam; itaque vna cum eis participem factum fuisse, non visionis Dei, sed plura mysteria reuelata sibi fuisse, vt putà de Hierarchijs eorundem Angelorum, de mysterijs gratiæ, prædestinationis, reprobationis, deque statu Ecclesiæ, gentium, & Hebræorum, ipse namque erat Doctor Gentium. Item addunt raptum illum fuisse imaginarium, non realem; at concesso fuisse realem, vt ex verbis colligitur Apostoli, aiunt nihilominus, Paradisi *Euasio de Paradiso.*

nomine

nomine accipi Paradisum materialiter, nempe pro loco ipso paradisi, nô autem pro formali, vtpote pro visione fruenda in Paradiso.

Diluitur. 9 Verum primo arguitur côtra, quoniam Paulus ait se audisse mysteria talia, *quæ non licet homini loqui*: at licuit Paulo loqui de mysterijs Angelorum, gratiæ, gloriæ, prędestinati nis, de statu Ecclesiæ, de statu Gentium, & Iudæorũ, sicut de facto loquutus fuit: ergo per arcana, quæ non licet homini loqui, siue quæ non possunt æque plene à mortalibus explicari, intelligitur aliquid eminentius, id autem, est ipsa visio Dei.

Paradisus in quê raptus fuit Paulus qualis 10 Item quoad id de Paradiso, intelligunt plerique Patres etiam de paradiso formali, vtpote de visione Dei: & de paradiso quidem illo, qui promissus fuit à Christo Latroni, dicente, *Hodie mecum eris in Paradiso*; at fuit ei tunc promissa visio Dei; ita Theophilatus ait, *esse eundem, quem Dominus promiserat latroni*; idemque habet Chrisost. homil. 26. in cap. 12. epist. 2. ad Corinth. Oecumenius ibidem inquit, *Rapiebatur vsque ad tertium cælum. & rursum in Paradisũ, qui & latroni promissus fuerat*; Ansel. ibid. *Bis raptus est homo ille, ideft in tertium cęlum & rursũ, in Paradisum, de quo Dominus latroni promisit, Hodie mecum eris in Paradiso.* Et hanc visionem appellat *Paradisum Paradisorum*, imò S. Vincent. Ferer. vbi supra addit, fuisse ibi tribus diebus, & tribus noctibus, inquiens, *Tribus diebus fuit raptus per potentiam Dei, & anima eius tribus diebus, & noctibus studuit ibidem.*

11 Et hinc ad opposita fundamenta facile respondetur, ea procedere de lege ordinaria, cæterum de lege extraordinarie, & ex priuilegio haberi potest oppositum. Responsiones aliæ petendæ sunt ex quæst. antecedenti.

12 Ad id, quod semetipsum non exclusit ab ea forma sic generaliter loquendi, dicendum primo, iam semetipsum tacito exclusisse, dum se raptum enarrauit ad tertium cælum. Quod si apertam exclusiuam ex proprio ore expostules, id necessarium non fuit, tum ad euitandam inanem gloriam; tum quia enarrando raptum iam semetipsum exclusit: ex quo euitatur etiam contradictio, dum semetipsum per enarrationem antecedentem raptus exclusit: Item necesse non erat iterum repetere, enarrauit enim aliquando raptum, & id sufficit.

13 Ad illud de *audiuit*, quod significet fidem, non visionem, Respondetur non valere: etenim in Christo, qui fuit ab instanti Conceptionis comprehensor, non fuit fides, sed visio, & tamen de seipso, Ioannis 8. dicit, *Ego qua audiui ab eo, hæc loquor in mundo*, & inde, *Veritatem vobis loquutus sum, quam audiui à Deo.* & cap. 15. *Omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis.*

14 Ad illud de Ioanne, quod *Vltimus scripsit Euangelium, &c.* Tunc non erat forsan notum Ioanni raptus Pauli. Item respondetur aliter, vt præced. quæst.

15 Ad id, quod debuisset Paulus scire se fuisse in corpore, siue extra corpus, negatur necessitas huius debiti, & ad probationem dicitur, Essentiam diuinam esse speculum voluntarium, eaque demonstrare, quæ Deo placuerint, eaque videri, quę ostêduntur ab Essentia: at non fuit forte ostensum Paulo, vtrum raptus fuerit in corpore, an extra corpus, addit vero Altisidiorensis lib. 3. tract. 14. q. 2. *Paulum iam id vidisse, at inde oblitum fuisse*, vtrum nêpe fuerit in corpore, an extra corpus. At non placet, si nãq; recordatus fuerat arcanorum, atque mysteriorum tanti momenti, vt *non liceat ea homini loqui*, quæue humanam transcendunt mentem, humanumque exuperant captum, quomodo non recordari, & mente retinere potuerat hoc, quod erat inferioris ordinis, &c.

16 Ad loca Scripturarum habes responsiones plures ex quæst. præcedenti, in respondendo ad fundamenta opposita à num. 16. ad 22.

17 Quid de Scoto sentiendum sit, non relinquamus, vtrum concedat Paulo visionem, an abneget. Smysingus tom. 1. tract. 2. disput. 6. quæst. 9. num. 298. trahit eum in oppositam

Yy par-

partem, cum tamen prius adduxerat in partem affirmantem: Cæterum Scotistæ alij recentiores aiunt, asserere Scotum, Paulum vidisse in raptu diuinam Essentiam.

Sententia Authoris. 18 Ego autem, primo pronuncio Scotum non mouere quæstionem de hac re, sed obiter, & per transennam loqui de ea, vt patet in Prologo q. 2. lit. C. & in 2. d. 3. quæst. 9. lit. E. & in quodlib. quæst. 7. liter. E. atque in 4. d. 49. quæst. 12. in responsione ad secundum liter. G. Secundo assero, Scotum loqui iuxta mentem aliorum, ita aperte in loco Prologi, inquiens, *Sed hoc asserit Paulus de se 2. Corinth. cap. 12. Secundum expositionem Sanctorum*, & in quodlibeto ait, *Cuiusmodi ponitur raptus Pauli*, ly autem *ponitur* dat intelligere, ita sentiri ab alijs; ergo loquitur iuxta mentem expositorum. Tertio dico, Scotum docere, *non repugnare simpliciter*, quia Deus potuisset miraculose continuare *visionem, &c.* Et quarto, non loqui omnino resolute, ait enim in loco secundi, *Assumptum potest probari per raptum Pauli*: loquutio autem huiusmodi per verbum *potest* non est omnino resolutoria intrepidanter, sicut quando sæpe idem Scotus in varijs suæ doctrinæ locis ait, *potest dici, potest responderi, &c.* non trahunt inde sensum absolutum, & firmum de mente eius Scotistæ, sed dubium eum censent, & minus constantem: ita hic, dum ait, *potest probari per raptum Pauli*, dat intelligere non esse absolute mentem eius, vel decidere quæstionem, vel de toto adhærere huic opinioni: quo fit, vt hoc Scotus adducat, veluti illud trahens in exemplum ad speciem intelligibilem probandam diuinæ Essentiæ: ac denique concludo, Scotum potius rem istam supponere, quam assumere: supponere quidem, veluti assumptam ab alijs, & probatam, prout loquebatur in Prologo: & ita concludo, Scotum loqui iuxta priscorum sententiam, quæ tunc temporis erat communior de Paulo.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Beatissima Virgo viderit in hac vita diuinam Essentiam.

1 DE duobus agemus, primo vtrum Beata Virgo viderit in hac vita Deum: quo constito quęretur inde de tempore, quo ipsum viderit.

Sententia affirmãs ex Patribus.

2 Quoad primum, Bernardus serm. de Verb. Apoc. sic scribit; *Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimum diuinæ sapientiæ, vltra quam credi potest, penetrauit abyssum; vt quãtùm sine personali vnione creatura cõditio patitur, luci illi inaccessibili videretur immersa.* Dum vero, *luci* ait; *inaccessibili immersa*, de illa vtique luce, siue de illo lumine loquitur, de quo ait psalmistá *In lumine tuo videbimus lumen*, hoc autẽ est lumen gloriæ. Ad Bernar. accedit Bernardin. Seneu. qui to. 4. ser. 36. p. 3. qui Paulo comparat, vt namque ille raptus fuit in tertium cælum, ita & Virgo: immo addit, quam maxime Virginem eminere, perfectiusque, quam Paulum, diuinam visionem attigisse, inquit enim, *si essent* tot Pauli, quot creaturæ, non attingerent eius contemplati; nam Paulus fuit vas electionis, Maria fuit vas *Diuinitatis*, Hieronymus lib. d Natiuit. Mar. c. 9. *Diuina ait, visione fruebatur, quæ eam à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat*. Idemque ad Sophronium serm. de Assumpt. *Conuersabatur cum Senatoribus cæli intra Curiam Paradisi*. Cyprian. serm. de Natiuit. *Virgini debebatur abundantior gloria, quæ spirituali, & corporali intus, & extra, Christi præsentia fruebatur*. Notandum ly *Intus, & extra*, namque per extra intelligitur visio Christi humanitatis, per intus vero visio supremæ Deitatis. Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. postquam dixit, Paulum raptum fuisse in cælum, de Virgine tamen inde subdit, *Quanto magis tu Regina cælorum persæpe cælestibus interfuisti; quippe quam etiam circumsteterunt, obstetricum vice, gloriam Deo concinentes Angeli: & inter hæc didicisti, vel assequuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet*. Dionys. Carthus. in cap. 4. de cælest. Hierarc. art. 9. postquam id docuit de eodem Paulo, ac Moyse, subdit, *An alijs sit concessum, quis nouit: imò & de supermundissima Virgine non existimo dubitandum*. Gerson in Magnificat Alphab. 89. litt. E. *Particeps fuit in via vtriusque beatitudinis, viæ, & Patriæ.* & Alphab. 82. lit. Q. *Nonne lumen illud immensum scintillabat, aliquoties ad oculum mentis intuendum se inde præbens*. Albert. Magn. in Magnific. cap. 132. *Ipsa videre potuit, immo & vidit Spiritum increatum per speciem propriam*, & cap. 140. *Virgo in cognitione sua plura habuit priuilegia: primum est perfecta cognitio Trinitatis sine medio, quam per specialissimam gratiam habuit in via.*

Ex Scolasticis.

3 Ad hos autem accedunt communiter Scholastici. D. Bonauentur. Opusc. de sept. grad. cont. D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 17. Vbertin. de Casal. lib. 1. Arb. vit. cap. 9. Salazar. de Concept. fere per totam. Salas 1. 2. t. 1. quest. 5. tract. 2. dispur. 10. sect. 4. num. 43. Bannes 1. part. quæst. 12. art. 11. dub. 1. Medin. 3. part. quæst. 27. art. 5. Henriq. lib. 3. summ. cap. 11. & quotquot visionem in via concedunt Moysi, & Paulo, à fortiori enim id asse-

runt de Virgine.

Smysingus negat.

4 Smysingus tract.2.disp.6.num.300.in fine ait, catenus Virgini concedendum hoc, quatenus conceditur Moysi, & Paulo: quod si ijs denegatum fuerit, denegatum quoque fuisse, inquit Virgini; probat autem; quia nullum, reperitur fundamentum tribuendi hoc Virgini, nisi exemplar Moysis, & Pauli; at negant quamplures, vtrumque Deum vidisse, ergo & negandum de Virgine. Item quia scripturæ negant generaliter, fuisse ab homine mortali Deũ visum. Denique subdit, *Non oportet Virginis offensam vereri, vt quæ potius fictis absque fundamento laudibus offendetur.*

Confutatur

5 Verum non placet argumentatio Smysingi, non enim valet consequentia ista, non conceditur cæteris, ergo nec Virgini: vnde dato quod nulli concessum fuerit priuilegium hoc, non propterea denegandum erit Virgini; Ratio, quia multa denegata fuerunt alijs, ex communi lege, attamen dispensatum fuit cum Virgine, quod demonstratur per plurima, & quidem.

Virginis exemptiones à communi lege.

6 Et quidem, stat communis lex de contrahendo peccato originali, à qua tamen fuit Virgo exemptata, imò per plures exemptant ipsam etiam à debito contrahendi, vt Catharinus opusc. de Concept. Salmeron super epist. ad Rom. cap.5. disput.49. Cardinalis Cusanus lib.8. Exer. Turrian. part.2. epist. de pecc. orig. imò Salaxar lib. de Concept. cap.13. nititur trahere, etiam Scotum in hanc sententiam. Item Monolog. Græc. vbi dicitur, *Ante conceptionem pura*; Nemo mundus à sorde inquit Scriptura. Virgo tamen nec originali, nec actuali culpa fuit vnquam maculata. Infantibus præpeditur vsus rationis, Virgini tamen acceleratus fuit rationis vsus, etiam in primo instanti conceptionis in vtero matris ex D. Bernardino Sens. tom.2. serm.51. art.1. cap.2. Nedum vero vsũ habuit rationis in matris vtero, verũ ex eodem D. Bernardino habuit in eodem primo instanti *scientiam Creatoris, & Creaturarum*: Acceditq; Gerson Alphab. 89. lit. A. referens aliquos dixisse, *in vtero matris omnia sciuisse, quæ beati sciunt in patria*. Cæteris ligatus remanet, & impeditus perfectus vsus rationis in somno, cum tamen libera, & expedita remanserit Virgo, tum ad intelligendum, tum ad volendum, etiam in somno, itaut dicere potuerit, *Ego dormio, & cor meum vigilat*, Cant. 5. vnde talis eius scientia diuinitus sibi infusa non dependebat à phantasmatibus, nec opus ei erat recurrere ad sensus, seu, iuxta mentem Aristotelis, *phantasmata speculari*, non enim somnus impediebat, vnde Ambrosius lib.2. de Virginib. ait, *Mariæ animus sic vigilabat, vt frequenter in somnis aut lecta repeteret, aut somno interrupta continuaret.* Lex est generalis, vt mulieres pariant cum dolore: *in dolore paries*, Genes. 3. immunis tamen Virgo extitit à dolore partus, imò *sine grauedine grauida*, vt loquitur Bernardus. Communiter cũ dolore homines, mulieresque moriuntur, iuxta psalmum 17. *circumdederunt me dolores mortis*, at Damascenus ait, *Absque dolore excessisse ex hac vita*. Orat.2. de dormit. Deip. vna cum Carthus. lib.4. de laudibus Virg. art.3. Metaphrast. Orat. de Vita Deip. Niceph. Calist. lib.2. hist. cap.21. & ex reuelat. S. Brigit. lib.6. cap.62. Quin & Sophronius in epist. Synod. art.11. exemptam fuisse ait ab omni morbo, & confirmat Caetan. tom.2. opusc. cap.13. quapropter amoris vi anima ipsius sanctissima è corpore exiens, volauit ad Dominum, vt huc quadret illud Iobi 14. *Terra, de qua panis egrediebatur, igne consumpta est*, nempe igne diuini amoris. Lex est, vt per mortem quisquis conuertatur in puluerem, *puluis es, & in puluerem reuerteris* Gen.3. Corpus tamẽ Virginis non vidit corruptionem, iuxta illud, *non dabis sanctum*, nempe Filium, *nec dabis sanctam*, nempe Matrem, *videre corruptionem* psalm.15. Cuncti filij, & filiæ Adæ subiacent fomiti, at Virgini, vel fomes fuit ab initio ligatus, & inde in Incarnatione extinctus ex D. Thoma 3. part. quæst.27. art.5. vel in ipsamet conceptione extinctus, ex Alexandro Alensi 3. part. quæst. 9. mem.2. art.5. In mulieribus, accedente partu, & conceptu decidit flos virgini-

ginitatis? Maria autem remansit simul mater, & Virgo.

7 Quod si in tot legibus, naturam humanam communiter concernentibus, dispensatum fuit cum Virgine, cur non etiam in lege hac dispensatum fuisse credemus, videndi Deum in via? Est vtique lex vniuersalis, inquiente Domino, *Non videbit me homo, & viuet*, Exod. 33. at si dispensatum fuit, cum Virgine in præcitatis legibus vniuersalibus, cur dispensatum negabimus, & in lege non videndi Deum in via? Accedit vltimo, lex est vniuersalis, vt nemo resurgat ante vniuersale in diem iudicij, dispensatum tamen stat cum Virgine, vt corpore, & anima iam ante tempus iudicij assumpta sit in cælum: quod si contra legem communem accelerata fuit eius resurrectio, & fruitio, atque visio Dei in Patria, vtique etiam contra communem accelerata fuerit visio eiusdem Dei ab eius sanctissima anima in via.

8 Ex his autem responsum manet ad illationem smyngi, non est concessum alijs, ergo nec Virgini: Inprimis, dum plerique aiunt concessum Moysi, & Paulo, multo amplius concessum testantur Virgini. Item, dato, quod nec ijs, nec vlli alteri puræ Creaturæ concessum fuerit, non inde tenet consequentia nec concessum fuisse Virgini; sicut namque priuilegiata fuit Virgo in pluribus contra communem legem, ita & priuilegiatam fuisse & in hac, testantur Authores recensiti.

9 Et ad id, quod ait, *Virginem offendi potius fictis, & absque fundamento laudibus*. Dicendum, laudes istas non sine fundamento, & authoritate factas fuisse Virgini, vt ex relatis authoribus constat. Hæc quoad primum.

10 Quoad secundum autem, quonam tempore vitæ viderit beatissima Virgo Deum, varie loquuntur Doctores. Et quidem an in Incarnatione, & partu, D. Antoninus tempus taxat, vel conceptus, vel partus, ait enim, *An viderit in conceptu, an in partu*. vnde ambigere videtur. Nihilominus D. Bernardinus Senens. tom. 4. serm. 36. part. 3. resolute ait, vidisse Deum in instanti Incarnationis. Consentit D. Bernardus ser. 3. de Ascens. inquiens, *Virtus Altissimi obumbrauit Virgini ne nimio splendore perstricta, diuinitatis fulgur, etiam singularis Aquila tolerare non posset.* Expressit idipsum D. Bernardinus, vbi supr. inquiens, *Angelus fecit eam attentam, laudando eam à plenitudine omnis gratiæ singularis, quam dare potuit vni Creaturæ Deus omnipotens, secundum suum posse ordinatum, & secundum intelligentiam ipsi Virgini datam; quia vere cognouit, tunc Deum Creatorem suum, & Angelos, & omnes alias Creaturas, propter excessum gratiæ suo intellectui, diuinitatis, attributa, ideo merito gratia plena in contemplando Deum, & cuncta creata, plusquam Paulus Apostolus raptus in tertium cælum, sine comparatione; quia si essent tot Pauli, quot sunt creaturæ; non attingerent suum contemplari; nam Paulus fuit vas electionis, Virgo vero Maria fuit vas Diuinitatis.* Accedit Vbertinus à Casali vbi supra, explicans verba Lucæ 19. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* intelligens per *verba hæc*, ea, quæ in ipsa Incarnatione, percepit ex visione diuinitatis. Militare hæc possunt, tum de Incarnatione, tum de parturitione Filij, vt vtroque tempore viderit. Rupertus tamen expressius id loquitur de parturitione & Natiuitate Verbi, cap. 3. in Cant. dicens, *Quanto magis tu Regina Angelorum persæpe cælestibus interfuisti, quippe quam circumsteterunt obstetricum vice gloriam Deo concinentes Angeli.*

An viderit in Incarnatione, an in partu.

11 Verum obstat Athanas. serm. de Deipar. inquiens, non cognouisse diuinam Essentiam, imò nec esse suspicandum, quod Virgo Deum videre potuerit. Respondetur autem, quod idem subdidit, *Vidisse quatenus possibile fuit obumbrante virtute Altissimi, vt videret quatenus fieri posset, Deum in se inhabitantem.* Ergo non omnino excludit vidisse. Respondetur etiam, quod dato, Athanasium fuisse huius sententiæ, nihilominus Patres plures sunt in oppositum.

Obstat Athanas.

Respondetur.

12 Alij Diuinitatis visionem exten-

An in Resurrectione Filij.

tendunt ad Filij resurrectionem, vt eo etiam tunc Virgo viderit diuinam Essentiam: vt Salazar, Villanou, &c. Alij, vt vidisset quoque in Ascentione: Alij in die Pentecostes: Alij persæpe, vt Rupertus supra, *Persæpe cœlestibus interfuit.* Sophronius, *Conuersabatur cum Senatoribus cæli intra Curiam Paradisi.* verbum autem *conuersari* indicat quoque frequentiam, & consuetudinem.

13 Accedit Hieronym. dicens, *Quotidie diuina visione fruebatur.* Illud autem *quotidie* confirmat tempora varia Scriptorum de visione diuinæ Essentiæ. Insinuatque Bernard. to. 2. sermon. de Virg. inquiens, *Credendum est, Christum frequenter matrem suam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris sublimasse: in cellam vinariam occultasse; sui, pro vt nouit, & voluit; gloriam Deificam, & supercælestem reuelasse notitiam.* Carthusianus 1. sentent. d. 16. quæst. 2. *Virginem*, ait *multo frequentius, ac diuturnius ad visionem Trinitatis raptam, quam Paulus & Moyses.*

An in morte.

14 De tempore mortis, an viderit: concedunt per plures. Vidit quidem Stephanus in ipso agone mortis, *Cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Ergo multo amplius id contigit Beatissimæ Virgini. Insuper de Moyse moriente, vbi Deuteron. 34. habetur, *Moyses seruus Dei mortuus est, iubente Domino.* Alij vertunt, *in osculum Domini*, seu, vt Varabl. *iuxta os Domini*, quanto magis mortuam fuisse credendum erit, Matrem in osculum Filij, veluti affectantem, & dicentem, *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1.

An in Conceptione.

15 Demum Salazar citatus de Concept. cap. 32. Argum. 7. §. 4. asserit vidisse quoque Deum in sua Conceptione: citatque D. Bernardinum Senensem, pluresque in hanc sententiam.

16 Nos vero de omnibus recensitis, & recensendis, id amplectimur, quod saniori apparebit melius iudicio probatorum Theologorum: amplexantes censuram, & sententiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

QVAR.

QVÆSTIO IX.

Vtrum aliquis alter vtriusque testamenti in hac vita viderit Deum.

An Iob viderit Essentiam.

RVrsus de cæteris recensendis quid sit dicendũ: Doctores quidem variant, ac propterea sententias referre potius liceat, quã quidquam certo determinare.

2 In primis autem de Sancto Iob, an viderit Deum in via, affirmat Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 29. inquiens, *Fortasse ista virtus magna videndi data fuit ad horam, etiam in isto mortali corpore, oculis sancti viri Iob*, Fundatur vero Augustinus super verbis eiusdem 42. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Obstant tamen aliunde alij, primo, quia stat regula vniuersalis non videndi Deum in hac vita, de qua in præcedentibus, præter Christum, &c. Secundo quia Augustinus loquitur dubitatiue per *fortasse*. Et tertio quoniam visio illa poterat fuisse corporalis, vt sicut auditus fuit corporalis, dum dixit, *auditu auris audiui te*, loquente Domino *de turbine*, ita & visio poterat esse corporalis, apparente Domino apparitione aliqua corporali, quod elicitur ex eo, quod dicitur, *Respondens Dominus Iob de turbine*, vbi Augustinus vertit *de medio nubis*, & Nicasius, *de medio venti*: sicut autem ventus erat obiectum auditus, ob quod dixerat, *auditu auris audiui te*, ita & nubes erat obiectum visus, ob quod dixerat, *nunc autem oculus meus videt te.* Vel denique mẽtionem faciendo auditus, & visus, ostendit meliorem, & purgatiorem euasisse post tribulationes perpessas, quam fuerat ante, quemadmodum visus, & visio, vtique melior, & excellentior est ipsa auditione, & auditu, ex Aristot. in prohœm. Metaph. ideoque melius inde cognouisse Deum, quam nouerat ante: elicitur ex Grego. qui ita scribit, *Per tribulationes tanto melior aliquis se ipso euadit, quantum visus excedit auditum.*

An Isaias.

3 De Isaia, Glosa in cap. 6. Isaiæ affirmat vidisse Deum; innixa super verba eiusdem dicentis, *vidi Dominum, &c.* Quod si obstaueris, ex illo, *Deum nemo vidit vnquam* respondet, *Deum nemo vidit vnquam, scilicet oculis carnis; potest autem quis Deum videre oculis cordis*: Oppositam vero partem tuentur Cyrillus, Hieronym. D. Thom. & Lyranus ad locum Isaiæ, dicentes, visionem illam fuisse imaginariam, & corpoream, ac per eam visum fuisse Verbum incarnandum, vt Lyranus, & Iræneus, atque Hilarius lib. 5. aduers. Arian. & consentiunt Nazian. orat. 34. Bernard. serm. 1. de verb. Isa. Augustinus tract. 52. in Ioan. & Tertull. contra Prax. cap. 4. Fauet nihilominus Hieronymus explicans verba citata *Vidi Dominum.* vbi ita scribit, *Quomodo Propheta Dominũ vidisse se dicat, cum ex Ioann. 1. Deum nemo vidit vnquam?* & respondet, *Non solum Patris diuinitatem, sed ne Filij quidem & Spiritus sancti, posse oculos carnis aspicere, sed oculos mentis, &c.* Ad quæ verba accedit August. epist. 111. ita inquiens de Hieronymo, *Si enim tantummodo dixisset, nec Patris, nec Filij, nec Spiritus sancti diuinitatem posse oculos carnis aspicere: nec deinceps addidisset, sed oculos mentis, forte diceretur,*

tur, carnem iam non esse appellandam, cum corpus fuerit spirituale; addendo ergo, & dicendo, sed oculos mentis, ab omni genere corporis alienauit huiusmodi visionem. Ex quibus Augustini verbis colligitur sensisse, visionem fuisse non abstractiuam, sed intuitiuã. Idemque Hieronymus epist. 142. ad Damas. ait, *Deum, quomodo à Moyse visus est, eodem modo visum ab Isaia.* & infra, *Quacunque in expositione eius loci super Moysen, habuerunt intellectum, etiam nos ad Isaia temperabimus visionem.*

An Ezech. 4 De Ezechiele colligunt aliqui vidisse Dominum ex cap. 49. Eccles. vbi dicitur, *Ezechielem vidisse con spectum gloria.* Accedit Hieron. in cap. 43. Ezech. explicans verba illa, *Audiui loquentem ad me;* vbi ait, *Quid sit loquutus scriptura non narrat, nisi forte illud Apostoli, & audiui verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui.* Colligit autem in fauorem huius sententiæ plura Vilalpand. tom. 2. part. 2. lib. cap. 6. Obstant tamen alij per regulam generalem recensitam: & ad id Hieronymi, aiunt, quod loquitur dubitatiue per *forte*. Ad illud autem de *Gloria Domini, quid in testa. veteri.* *Gloria*, dicunt, quod Dei gloria apparebat antiquitus per nubem, & ignẽ, & ita habetur penes eundem Ezech. 1. vbi apparuit illi *nubes magna, & ignis inuoluens*, & hoc ipsemet appellat *visionem similitudinis gloriæ Domini*, in cap. 2. Sicut, & in Exod. 24. habetur, quod *Habitauit gloria Domini super Synai*; per quid vero explicetur talis Domini gloria, habetur in Exo. 40. *Aperuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud.* Hoc stante, sequitur, inquiunt, visionẽ fuisse corpoream, & imaginariam. Hæc de spectantibus ad vetus testamentum.

An D. Petrus. 5 Circa vero testamentum nouum, quærunt plerique de multis; Et quidem de Petro, sunt qui affirment vidisse diuinitatem in via: Colligunt autem ex August. Epist. 112. vbi loquens de reuelatione Petro facta, dicente Christo Domino, *Caro, & sanguis non reuelauit tibi*, ita ait, *An reuelatio illa fuerit tantum per fidem rei credita, an per visionem conspecta, sibi id non elucere.* Item Ambrosius penes eundem, *Quibusdam Apostolorum diuinitatis visionem, etiam tunc potuisse donari.* Obstant Alii, præcipue ex eo, quod negauit Christum, negatio autem fuit facta inde post reuelationem, seu visionem: at si prius vidi Essentiam, saltem per modum transeuntis, quomodo inde potuit negare, & periurare, non enim cohæret visio beatifica cum periurio. Quanti autem valeat ratio hæc, diximus supra. Ad Augustinum vero respondent, nihil ibi de certo asserere, sed potius dubitare, dum ait, *sibi non elucere*. Et ad Ambrosium, plane loquitur de possibili, dum ait, *potuisse donari*, cæterum nihil de facto. Illud tamen vrget in fauorem affirmatiuæ sententiæ, quod si Paulus vidit in via eut non viderit & Petrus? si namque dispensatum fuit cum Paulo, qui erat *Magister Gentium*, consimiliter dispensatum videtur, & cum Petro magistro totius Ecclesiæ, atque Christi Vicario.

An Ioann. 6 De Ioanne affirmat Origenes homil. 2. in diuers. inquiens, *Paulum raptum quidem ad tertium cælum, Ioannẽ vero vltra omnẽ cælũ in Paradisũ Paradisorũ*, appellatq; eum, *Deividum*. Accedit Ambros. in Luc. lib. 7. dicẽs, *Ioannem in sinu Iesu recumbentem vidisse Verbum apud Deum.* De quo re affirmat quoque D. Anton. p. 4. tit. 15. q. 27 at sunt & qui negant, suffulti communi illo principio, *non videndi Deum in via.*

An Steph. 7 De Stephano concedit Nyssenus orat. de D. Stephano, & ait, *vidisse plena mentis comprehensione Deum et Trinitatem.* August. serm. 96. *vidisse reuelata facie Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.* Accedit Hilarius hom. de S. Steph. vna cum Glosa Act. 7. Oppositum autem sentit Lyran. ad c. 7. Act. Apost. aitque visionem illã fuisse corporeã, quod ex textu probatur, dum ait, *Ecce video Cælos, &c. Et Filium hominis, & Iesum stantem, &c.* ergo videbat humanitatẽ: & quod aliquid altius, & intimius videbat, poterat illud esse velatum imagine aliqua corporea repræsentante, &c Addit vero rationem, quia qui rapitur

tur ad visionē diuinitatis, solet alienari à sensibus corporis, nisi fiat à Deo dispensatio, at Stephanus vtebatur sensu visus, aiebat enim. *Ecce video cœlos apertos.* Item ait *video Filium hominis, Iesum, &c.* At humanitas est corporea, ergò, &c.

An Ioseph. 8 De Iosepho sponso Virginis, affirmat Morales in Matt. lib. 1 tra. 1. congruentiæ sunt plures; tum quia datus fuit in regimen, & custode.n corporis Christi: ex quo *erat subditus illi Luc.* 2. tum quia debuerat esse conscius eius, cui seruiebat, & cui ministrabat: tum, vt alia omittam, quia si Moyses orauit, *ostende mihi faciem tuam*, dum quadraginta dierū spatio, diuino potiebatur colloquio: cur non id ipsum poposcisse, existimandum erit, Iosephum, conuersantem cum Christo tot annorum curriculo, vt aliquando ei dixerit, *ostende mihi faciem tuam?* Quod si Moyses repulsam fuit passus, poterat amantissima ipsius sponsa Virgo Maria, intercedere, apud Filium, pro dilectissimo sponso. Sunt tamen ex aduerso, qui ob rationem illam generalem negant.

An Benedictus. 9 De D. Benedicto quæstionem attingit Salas t. 2. q. 5. ar. 3. tract. 2. dis. 10: sect. 4. refertque Gregorium, qui lib. 2. Dial. cap. 35. ait, Benedictum in vnico solis radio Mundum conspexisse; ratio, quia, inquit, *Anima videnti Creatorem angusta est omnis Creatura.* Et Bernard. in ps. 84. cū ait, *cognouisse in Creatore:* Accedit Dion. Carthus. serm. de D. Bened. & D. Bonau. de lumin. Eccl. serm. 20. At negat D. Tho. quodl. 1. art. 1. & 2. 2. q. 180. art. 5. Ad visiones autem, poterat fieri per imagines, & species infusas, sine visione diuinitatis.

10 De Augustino, eiusquè matre sanctissima Monica, affirmat Egid. Lusitan. t. 2. lib. 1. q. 8. art. 4. propter colloquia habita cum matre de æterna vita. Sicut, & de Beatissimo Hieronymo, id ipsum affirmat Petrus Vegas in eius histor. propter verba eiusdem Hieronymi in c. 26. Regulæ dicentis, *Trinitatem cernebam*. At negāt alij propter communem legem, & ad visiones, aiunt, fuisse per imagines, & similitudines, &c. *An Augustinus, & Hieronym.*

11 Denique de D. Francisco Ordinis Minorum institutore, vidisse diuinam Essentiam affirmat Author Conformit. lib. 3. tract. 3. Francisc. de Mayron. ser. 1. de D. Francis. Apodix paric. D. Franc. Horum autem fundamenta sunt, tum quia accepit stigmata in corpore suo, inquiens cum Paulo Gal. 6. *Ego enim stigmata Iesu Christi in corpore meo porto.* Itaut ex tali, tantoq; fauore stigmatum, euectū quoq; fuisse dicatur ad videndū Essentiā: tum quoniam ex D. Bernardino ser. in Euang. æter. *Caro eius fuit quasi Deificata*, ex receptione stigmatum, vt idem sanctus loquitur, tum denique quia de illo D. Bonau. in prolog. eius vitæ exponit illud Ioan. Apo. 7. *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui* idque fuisse eidem reuelatum refert D. Bernar. se. 6. in Euang. ęter. c. 1. § 7. Quod si Angeli, & si degant in terris homines custodiendo, nihilominus Matt. 18. habetur *Semper vident faciē Patris, qui est in cœlis.* ergo, & Franciscus tanquam alter Angelus. Nihilominus obstant alij, negantes diuinā vidisse Essentiam, ob regulam vniuersalem recensitam, &c. *An D. Frāciscus.*

12 Quidquid tamen sit, tùm de D. Francisco, tùm de reliquis recensitis hic, & superiùs, eā amplectimur sententiam, quæ melior videbitur saniori iudicio Thologorum, & quā sancta Mater docet, & tuetur Ecclesia.

QVÆSTIO X.

Vtrum diuina Essentia videatur mediante specie repræsentante eam.

Sententia affirmatiua

1 IN primis sũt qui affirmatiue respondeant, videre Beatos mediante specie Essentiam, ita Aureol. pænes Capreolum in 4. d. 49. quæst.5. art.2. quod & Riccardus probabile æstimat in 3.d.14.q.3.art.3.& in 4.d.49. ar.3.q.1. Alijque,pęnes ipsũ & Mayron.quæst.15.Prol art.2.concl.2.qui & si loquatur de cognitione abstractiua,tamen in quodl. 4 art.2.in resp ons.ad sext.difficult.loquitur etiam de intuitiua.

2 Primo species intelligibilis requiritur adhoc,vt constituat intellectum in actu primo ad intelligendum, sed Deus per suam Essentiam immediatè non potest intellectum constituere in actu primo ad intelligendũ,ergo requiritur necessariò species,probatur minor,constituere sic intellectum in actũ primo ad intelligendum competit speciei in genere causæ formalis, patet, quoniam species intelligibilis est forma intellectus, sed Deus non potest supplere vicem causæ formalis,esset enim forma informans, sicut nec supplere poterit vicem causæ materialis,dum poterit vicem supplere solummodo causarum extrinsicarum efficientis, & finalis quod si, inquam,supplere nequit vicem causæ formalis, sequitur, vt supplere etiam nequeat vicem speciei, igitur à primo ad vltimum danda erit species intelligibilis,qua mediãte constituatur intellectus Beati in actu primo,seu in potẽtia proxima ad ipsum Deũ videndũ.

3 Secundo August 9. de Trinit. ait,*Cum Deum nouimus,fit aliqua Dei similitudo in nobis*; similitudo antem hæc non poterit esse, nisi species ipsius Dei, etenim species & imago Cæsaris est similitudo Cæsaris.

4 Tertio non repugnat ex parte Dei dari talem speciem repræsentantem Deum,ergo saltem probabilissima est sententia, Beatos videre mediante specie intelligibili Deum. Quarto arguitur 2. Cor. 5. *per fidem ambulamus,nõ per speciem*,ergo Beati vident per speciem, probatur sequela, Viatores non ambulant per speciem,ergo Beati vident per speciem.

Sententia negatiua probatur.

5 His tamen non obstantibus dicendum est, Beatos videre Deum non per speciem,sed immediatè per seipsum, & per Essentiam. Assertio hæc est communis Theologorum, tum D.Thom.part. 1 quęst.12,art.2. atque expositorum,tùm etiam Scoti in 4.d.49.passim,& sæpè, atque discipulorum eius Linqno errores Armenorũ,& Anomæorũ,de quib. meminimus in mater de Visione Beati, quos & confutauimus, quorum impugnationes possunt etiam deseruire pro præsenti quæsito;nihilominus,vltra illas ibi adductas, adducemus & alias in præsentiarum, probando non videri de facto,quicquid sit de possibili,Essentiam intuitiuè à Beatis mediante specie intelligibili; Hæc autem propositio duas habet partes, altera namque loquitur de facto,altera de possibili,quarum prima est communis,& secunda est cõtra Vulpes tit.1.d.23, art.5. vt paulò infra, vtranquè verò probabimus passim,& simul.

6 Probatur sic species intelligibilis

Species ad- mittitur, vt repræsentet obiectũ in sua absẽtia. bilis, (hæc autem sit prima ratio) ideo inter cæteras causas admittitur in intellectu, vt repræsentet absentiã obiecti; doctrina hæc communis est ex 3. lib. de Anima, hinc autem arguitur, Deus non est absens ab intellectu Beati, immo coniunctus est, & præsens, ergo non est necessaria species intelligibilis. Confirmatur licet namquè Deus sit vnicuique præsens se cundum generalem, intimumquè illapsum ratione suę immẽsitatis triplici modo in vnaquaque rè existens per præsentiam, potentiam, & essentiam, nihilominus ex hac intima præsentialitate non videtur à nobis, non enim præsentialitas ista est præsentialitas obiectiua, at verò intellectui Beati vltrà prædictos modos præsens fit in ratione obiecti visibilis & attingibilis intuitiuè per operationem intellectus, ergo præsentialitas in ratione obiecti attingibilis id facit, vt ipsum verè intueatur Beatus, alias non esset ità præsens perfectè Beato, confirmatur, nam diceretur esse absens, si per speciem aliquam manifestaretur Beato, munus namque speciei intelligibilis illud est, vt repræsentet obiectũ, quandiù absens est ab intellectu creato.

7 Ex hoc demonstratur non benè Suarius infrà citandum, dixisse, ea ratione, qua Deus est omnibus præsens, inde forè videndus, etiam si daretur species repræsentans ipsum, videndus inquam intuitiuã, ità vt species illa necessariò ræpræsentaret eũ intuitiuè, cum sit omnibus præsens, hoc quidem non est necesse, licet namquè species daretur, non tamen sequitur, vt necessariò repræsentaret intuiuè, non enim immensitas, & præsentialitas in causa est, vt offeratur intellectui sub ratione obiecti intelligibilis, sicut enim ex præsentialitate sui hoc in loco absquè specie repræsentante, non sequitur, vt videatur, siuè vt sit præsens præsentialitate obiectiua, ità dato quod sit pręsens per speciem intelligibilem repræsentantem, non sequitur necessariò, vt videatur intuitiuè, sufficit verò, vt cognoscatur abstractiuè, etenim ex immensitate Dei non sequitur cognoscibilitas necessariò ipsius Dei, alias omnes videremus Deum, cognoscitur autem ab eo, cui voluerit se Deus manifestare, siuè abstractiuè cum specie, siuè intuitiuè absque specie.

8 Arguitur item ad principale intentum: species in cognitione intuitiua est omnino superflua, Beati autem vident Deum intuitiuè, probabatur antecedens; *à potentia & obiecto pariter notitia*, inquit August. 9. de Trinitate cap. 7. quandiù namque potentia, & obiectum sunt debitè approximata & non impedita, tunc vtiquè superflua erit omnis species, sufficit namquè applicatio obiecti, seu coniunctio ad potentiam, vt fiat cognitio, taliter se habet diuina Essentia, intellectui Beati coniuncta, in ratione obiecti, ergo ipsa sufficit. *Potentia, et obiectũ approximata & non impedita sufficiunt, nec quid aliud requiritur*

9 Præterea species, est vicaria, & substitutum obiecti; quandiù enim est absens obiectum, tandiù substituitur species, veluti vicaria, gerens vicem obiecti; Deus autem est omninò præsens Beato in ratione intuitiue intelligibilis, non ergo opus est tali specie, alias videretur esse absens obiectum, cuius species supplere deberet vicẽ tanquã vicariam obiecti. *Species est vicaria obiecti.*

10 Rursus non est necessaria species ex parte potentiæ, neqnè ex parte obiecti, ergo non est ponenda in Beatis: antecedens probatur, tum quia obiectum beatificum est debitè approximatum, & non impeditũ: tùm etiam quoniam ex parte potentiæ requiritur lumen gloriæ, quod licet nõ sit species Essentiæ, nihilominus est instrumentũ eleuans potẽtiã. *Lumen nõ est species obiecti, sed instrumentum eleuãs potentiam.*

11 Insuper, Diuina Essentia, supplet vicem speciei, sicut verè supplere potest, prout tùm Scot. tùm D. Thom. apertè asserunt, ergo superuacaneus est concursus speciei, nihil.n. frustrà, vel superuacanee agi Deus. *Essẽtia supplet vicem speciei.*

12 Item visio beatifica vocatur visio facialis, testante Apostolo *videmus nunc per speciem in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciẽ*, quod si species interueniret intermedia, non esset facialis, sed velamine speciei occultata.

13 Denique assertionem hanc probant Thomistæ, non posse dari, in

quiunt species intelligibilis repræsentans diuinam essentiam, ergo nec in Beatis datur species talis. Ratio hæc penes Scotistas nullius est ponderis, etenim assumptum negant, docentes dari posse speciem talem, de qua agemus quæstione sequenti; sufficiat verò pro confirmatione assertionis, allatæ rationes citatæ.

14 Apertè docuit hoc Scot. in quolib. quæst. 1. litt. X. & in 4 d. 49. quæst. 11 quod est communis Scotistarum, cum Bassolio ibidem. Duran. Argentina, & Thomistis cōmuniter.

15 Vnum tamen ex Scotistis excipimus nempè Vulpes, qui primo tom. disp. 23. art. 5. concedit de facto speciem impressam Essentię diuinæ in Beatis; vtrum vero loquatur consequenter ad sui doctrinam Scoti, & Scotistarum, apertè constat minimè id præstare, vt patet tùm ex locis recensitis, tùm ex communi consensu Scotistarum: Ipse insuper Vulp. sibimet inconstans videtur esse, modo enim ait, modo negat speciem diuinæ Essentię in eodem articulo in Beatis, immo & contradictoria docere, dum eodem loco negat posse concurrere speciem intelligibilem ad cognitionem intuitiuam, & nihilominus in fine eiusdem articuli concedit eandem speciem impressam in cognitione intuitiua in Beatis, huiusmodi verò contradictio magis patebit in secunda assertione.

Vulpes recedit à Scoto.

16 Secundo Asserimus quod licet de facto non detur, nihilominus per Dei potentiam dari potest species impressa in cognitione intuitiua Beatorum. Assertio hæc imprimis colligitur ex Scot. qui in 4. loco citato de possibili loquēs, §. Præterea visio: ait, *minus vid. tur mihi necesse ponere lumen, quàm speciem.* & in Repor tat. in 4. d. 49. quæst. 10. §. Sed credo: inquit, *Immo magis credo quod species sit ponenda ibi propter memoriam perfectam, quàm lumen gloriæ:* loquendo tamen de lumine gloriæ eo modo, quo loquuti fuerimus in propriá quæstione, de necessitate luminis gloriæ, exponendo mentem Scoti. Hoc etiā ex eodem Scoto deducit Fauent. in 3. disp. 34. dist. 14. atque Suar. hoc idem de Scoto ponderat lib. 2. de attrib. cap. 12. & hanc eandem assertionem de possibilitate speciei tuetur Molina quæst. 12. disp. 1. art. 2 Suar. loc. cit. & in Metaph. disp. 30. Vasq. prima parte disp. 38. Beccan. de visione beatifica cap. 9. Salas pri. 2. dis. 3 & 5. q 3. tra. 2 sect 2. cum Capreol. & Riccard, vt supra: suadetur autē breuiter; Nulla est implicantia, neq; ex parte Dei, neq; ex parte speciei impressę, ergo de potentia Dei posset dari probatur vtrumq; quoniam datur species expressa diuinæ Essentiæ de facto in Beatis, comproducta tùm ab intellectu Beati, tùm ab ipso Deo, ergo saltem de possibili dari poterit species impressa, producta ab ipso Deo. Scio ad rationem hanc multipliciter respondere Thomistas, nihilominus euasiones eorum non impugnabimus modo, sed in quæstione sequenti, in qua cōtinget eandem rationem iterato afferre, atque ibi commodius, & aptius responsiones aduersariorū confutabimus.

In cognitione intuitiua Dei potest dari species per Dei potentiam.

17 Assertionem istam negat, vt supra Vulpes, fundamentum autem ipsius est, quoniam cognitio intuitiua non potest fieri per speciem, quod & sequitur Bargius in 4 d 3. quæst. 6. ad 2, omnis nanque cognitio per speciem fienda, est inquit, abstractiua, cognitio verò Beatorum est intuitiua, ergo nec de potentia Dei posset dari species impressa in visione beatifica intuitiua. Quod autem cognitio per speciem fienda sit abstractiua sæpissime id docet Scot. tùm in 2. d. 3 quæst 11. tùm in d 9 quæst. 1. atque in 3. d. 14. quæst. 3 & in 4. d. 45. quæst. 3. & d. 49. quæst. 11; & alibi sæpe, differentiam admittens inter intuitiuā cognitionem, & abstractiuam, quod illa fiat sine specie, hæc verò cum specie, cùm autem beatifica cognitio sit intuitiua, meritò nullatenus fieri poterit mediante specie. Hoc est fundamentum eius.

Vulpis opinio de cognit. intuit.

18 Verum imprimis assumit vnum, quod non est cōcessum ab omnibus, etenim cognitionem intuitiuam posse etiam fieri per speciem docuit OKa. in prol. quæst. 1 Aureol. quæst. 2. & ex recentioribus ij, quos

nuper

nuper citauimus. Loquendo inſuper de Scotiſtis, Fauen. id fatetur tũ loco citato dum ait de mente Scoti, poſſe interuenire ſpeciem in viſione intuitiua Beati, tũ etiã in 2.d.36. ac nouiſſimè Smyſing. ad longũ id demonſtrat to.1.tra.2.d.6.n.12. Quapropter minimè morem gerit vniuerſis Scotiſtis ipſe Vulpes, negando, poſſe ad cognitionem intuitiuam interuenire ſpeciem, imo, & hoc ipſum docet Licch. in 2.d.3.q.9.

Impugnatur.

Cognitio intuitiua poteſt fieri etiam mediãte ſpecie.

19 Inſuper ipſemet Vulpes ſibi apertè inconſtans videtur, quandoquidem d.19. art.2. expreſsè ait ſpeciem impreſſam requiri neceſſario ad cognitionem intuitiuam, quod ibi multis demonſtrat, & nihilominus diſp. cit. 23. apertè eam negat, itaque contradictoria docet tùm in diſp.23. ſimul, tùm etiam diuiſim in d.23. & 19.

20 Contra eundem ſunt & loca alia allata à Smyſingo vbi ſupra.

21 Adeſt denique ratio hæc nẽpè, viſio ocularis non fit ſine media ſpecie viſibili, ergo & viſio intellectiua non implicat, vt fiat mediante ſpecie intelligibili; antecedens patet & probatur conſequens, quia vtraq; eſt intuitiua, eſt enim de obiecto præſenti, vt præſens eſt, paries namq; eſt præſens potentiæ viſiuæ, & Deus eſt præſens potentiæ beatificæ cognitiuæ.

22 Reſpondet ad rationem hãc Vulpes concurrere ſpeciem, tanquã effectum præuium, emanantem ab eodem obiecto: vnde Scotus docet ab obiecto prodire duos effectus ordinatos, quorum prior eſt immiſſio ſpeciei, & ſecundus effectio ipſius ſenſationis, vnde eſt, inquit Vulp. vt talis ſpecies præcedat viſionem, non tanquam principium, & cauſam, ſed tanquam effectus præuius, immiſſus antecedenter ab obiecto, & ſubdit: hanc eſſe communem ſententiam omnium Scotiſtarum.

23 Verum, quod hæc ſententia ſit omnium Scotiſtarum, contrariũ conſtat, licet namque in ſui ſententiam trahat Bargium in 1.d.3. quæſt. 2. & Tataret. nihilominus habemus pro ſententia noſtra Licch. in 2. d. 3. quæſt. 9. qui ait, *ſpeciem concurrere tum vt effectum præuium, tum etiam vt principium, & cauſam ſenſationis*, habemus etiam Smyſing. qui longo ſermone cognitionem intuitiuam demonſtrat fieri poſſe per ſpeciem, atque idem innuit Vulpes nu. 7. ait Scotum in Reportatis docere, *ſpeciem viſibilem eſſe principium formale* [illegible] *onis*. quapropter minimè verum eſt aſſertionem ſuam eſſe omnium Scotiſtarum, Quicquid tamen ſit de controuerſia iſta, quoniam ſub iudice lis eſt, quia Scotus dubius manet an obiectum, an etiam ſpecies agat ad intuitiuam, in quodlib. 1[illegible] art.1. §. Si vero, nihilominus in eo, quod Vulp. ait in fine illius articuli, dari de facto ſpeciem impreſſam in Beatis diuinæ Eſſentiæ in cognitione intuitiua, apertè contradicit, tum communi ſententiæ Theologorum, pauciſſimis antiquioribus exceptis, tum communi ſententiæ Scotiſtarum, & apertiſſimè Scoto quæſt. 15. quolib. cit. ſub lit. X cum ait, *Nõ cauſatur aliqua forma in intellectu Beato prius repræſentans diuinã Eſſentiam* & ibi Lycch. & expoſitores vltra alia loca citata.

24 Dices D. Paulus in raptu habuit ſpeciem intelligibilem diuinæ Eſſentiæ, repræſentantem illam, quoniam poſt raptum recordabatur de ea, inquit Scot. in 2.d.3. quæſt. 9. ergo vidit in cognitione illa intuitiua ſui raptus Eſſentiam mediante ſpecie intelligibili, ergo datur de facto etiã in ſententia Scoti, nedum de poſſibili, ſpecies impreſſa in cognitione intuitiua diuinæ Eſſentiæ.

25 Difficultatem iſtam non reperi adhuc apud Scotiſtas, quos viderim, nihilominus præſentiens illam idem Vulpes, inquit in fine cit. art. dari in Beatis ſpeciem impreſſam diuinæ Eſſentiæ, ſicut habuit eam Paulus in raptu ex Scoto: Sed in hoc neque bene Scotizat, nuſquã enim Scotus poſuit ſpeciem impreſſam, ſiuè in Paulo in raptu, ſiuè in cæteris Beatis, antecedenter ad beatificam viſionem, imò Scotus apertè contrarium docuit q. cit. quolib. vbi ſic inquit: *Eſſentia diuina non eſt in memo-*

Vulpis reſponſio eluditur.

Pauli ſpecies de raptu quã

memoriæ creata Beati aliquo ordine prius, quàm intelligentia, quia non causatur aliqua forma in intellectu Beato, repræsentans illam Essentiam, sed primum, quod causatur in intellectu Beato, est ipsa visio illa autem causatur (nempè forma seù species) in ipsa intelligentia: hæc Scot.

Scotus qualem speciẽ Essẽtiæ apponit in Paulo.

26 Hinc vero deducitur, vt sensus Scoti sit, quod ante visionem beatificam non præcedit in intellectu Beati species aliqua, quę vnà cum intellectu constituat memoriam productiuam visionis beatificæ, sed species remanens in intellectu Beati habetur in intelligentia, idest post ipsam beatificam cognitionem Essentiæ diuinæ, cuius intelligentiæ seu visionis remanet inde species.

Species in intellectu Pauli non præcessit visionem Essentiæ, sed fuit subsequuta.

27 Et ità ad illud Pauli responde tur recordatum quidem fuisse Paulum Essentiæ, & Arcanorum diuinorum, quæ viderat, nihilominus species, quæ in ipso remanserat, non fuit habita à Paulo ante visionem beatificam, sed producta fuit in ipso post, atque remansit ex *intelligentia*, inquit Scotus, siuè ex cognitione *subsequenter* ipsius Essentiæ diuinæ: hæc est germana mens Scoti, vnde est vt absque ratione à primo ad vltimum posuerit idem Vulpes, tum speciem in Beatis, tum etiam in ipso Paulo in suo raptu ante visionem intuitiuam Essentiæ, ideoque in sententia Scoti est concedenda Paulo, sicut & cæteris Beatis post visionem, seu, vt Scotus ipse loquitur, in *intelligentia*.

Paulus recordabatur per speciem remanentẽ post visionẽ

28 Sed quid dicendum ad Scot. dum cognitionem fiendam per speciem, vocat abstractiuam, ità vt differentiam admittens inter intuitiuã, & abstractiuam, dicat, illam fieri sine specie, hanc cum specie.

29 Respondetur primo, Scotum loqui de illa specie, quæ repræsentat obiectũ, nõ quatenus præsens est, sed quatenus absens, ità apertè loquitur in 2.d.3.quęst.11.sub lit.F. vbi inquit, *Impossibile est cognitionem intuitiuam esse per aliquam rationem, quæ sit in eadem dispositione, & eodem modo repræsentans, remanente, & etiam non manente:* Hæc Scot. igitur dum res non manet, vtique cognitio habita per speciem erit abstractiua, dum verò manet, erit intuitiua, dũmodo tamẽ species repræsentet obiectum, vt pręsens est, alias licet obiectũ sit existens non est tamẽ necesse, vt cognoscatur intuitiuè; quoniã potest cognosci abstractiue, inquit Scotus, ibidẽ, tũc verò non cognoscetur existens, vt præsens est, sed vt absens, in sensu reduplicatiuo, & hinc patet amplius error Suari. existimantis, speciem repræsentantem Deum causare necessario cognitionem intuitiuam, quia repræsentat Deum, inquit, qui est existens, & de cuius intrinseca ratione est existentia: discursus non est vnde quandoque verus, siquidem de re existẽti possumus habere cognitionem abstractiuam, quandiù non repræsentatur, vt existens est, & vt præsens reduplicatiue, talisque fuit Angelorum cognitio in via, habita ab Angelis de Deo per speciem intelligibilem, inquit supra Scot. in 2.d.3.q.9. A primo autem ad vltimum, species causabit cognitionem; quod si repræsentabit obiectum, vt absens est, erit cognitio abstractiua, si vt præsens, erit intuitiua. Sed quid dicetur ad commune eloquium, *cognitio causata per speciem est abstractiua*, Respondetur, verũ de cognitione causata à specie repræsentãte obiectũ, vt absens est, nõ autẽ de repræsentante, vt pręsens est; non.n. est verũ quod omnis cognitio causata per speciẽ est abstractiua; si nãque species repræsentat obiectũ vt præsens est, cognitio per talem speciẽ erit intuitiua: si repręsentat, vt absens est, cognitio erit abstractiua.

An omnis cognitio causata per speciem sit abstractiua

Non omnis cognitio causata per speciem est abstractiua

30 Respondetur secũdo ad principale intentum, quod Scotus non quærit vtrum cognitio intuitiua possit causari per speciem, si enim de hoc inquireret, vtique affirmaret.

Speciem de facto in beatis quare Scot. negat

31 Respõdetur tertio, quod Scotus non negat speciem intelligibilẽ de facto in Beatis propter impossibilitatem eius, sed propter superfluitatem, vt patet in loco 4. ita & in omni cognitione intuitiua non est impossibilis species intelligibilis, sed est superflua, & propter superfluitatem à Scoto negatur, non propter impossibilitatem, quia vt vidimus, iã

Obiectũ ad cõstituti[?]

do-

doceuit posse dari speciem intelligibilem in Beatis, quamuis de facto non detur, quia præsente obiecto beatifico species illa superflua esset.

Non est necessarium, vt obiectũ cõstituat potentiam in actu informando. Sed assistendo,

32 Descendendo autem ad argumenta, respondetur ad primum, quod non est necessarium, vt obiectum constituat potentiam in actu primo, informando illam, sed sufficit, vt per se assistat illi, coniungendo se eidem. Ita Scotus in 2. d. 3. quæst. 8. liter. D. Ad illud de supplere vicem causæ formalis respondetur, in forma, seu in specie intelligibili duo esse, alterum est informare potentiam, & alterum esse causam cognitionis comproductæ à specie, & à potentia. loquendo de primo, illud quidem est imperfectionis, vt patet ex 2. physic. de causis; loquendo autem de secundo, vtique illud est perfectionis. Ad propositum autem applicando, Deus non gerit vicem speciei quoad primum, id enim imperfectionis esset in eo, supplet vero vicẽ speciei quoad secũdũ, & sic Essẽtia, vt diximus, loco speciei causat visionẽ.

Beati similes Deo non in specie intelligibili, sed in gloria.

33 Ad secundum respondet D. Thom. quod August. loquitur de cognitione Dei, quæ habetur in via. Respondemus nos, quod siue loquamur de viatore, siue de comprehensore, semper reperiri poterit similitudo, etenim in via iustus est similis Deo per gratiam, & in Patria Beatus est similis Deo per gloriam, non tamen mediante specie intelligibili, ita Ioa: inquit. *Scimus quod cum apparuerit, similes ei erimus* nempè in gloria.

Species negatur quia superflua.

34 Ad tertium concedimus, quod non repugnat, ideoque non est neganda propter repugnantiam, verum, quia superflua est, ideo negamus eam propter superfluitatem.

Species sumitur multipliciter.

35 Ad quartum, species non sumitur ibi propriè, & rigorosè pro qualitate informante potentiam, sed sumitur metaphoricè. Respondetur secundo, pro specie Dei accipitur facies Dei, sic Ioann 5. *Neque vocem eius vnquam audistis, nec speciem vidistis*; Deum igitur de auditu loquens, exprimit *vocem*, sic de oculis loquẽs exprimit Dei faciem, quæ est Essentia diuina. Respondetur tertio, quod pro specie sumitur speciositas ipsius diuinæ Essentiæ, quam tantopere affectabat Moyses inquiens, *Ostende mihi faciem tuam*, ità nanque sumi solet in capit. de specie iuxta illud: *species Priami digna est imperio*, & ita intelligendus venit etiam Augustin. primo de Trinit. cap. 8. inquiens: *Sanctos ex fide peruenturos esse ad speciem*, nempè Beatos peruenturos fore ad claram visionem speciosissimæ faciei Dei, quæ est Diuina Essentia, sicut quoque loquitur Anselm. Monolog. cap. 25. Atque denique respondetur, quod per speciem rei, sumi solet ipsa natura rei præsentata oculis in propria specie, nempe in propria essentia rei, & ità contingit in Beatis, qui vident Deum in propria specie, nempe in propria Essentia ipsius Dei: cum ex opposito viatores tendunt per obscurum lumen fidei, & per velamen ipsa arcana Dei, iuxtà locutionem Apostoli: *Ambulamus nunc per speciem in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Obstatur.

36 Dices si Essentia supplet vicem speciei, ergo omnes visiones beatificæ erunt eiusdem gradus, probatur consequẽs, quia Essentia equanimiter se habet in manifestando se õnibus Beatis; sequeretur etiã quod naturaliter, & necessario beatificaret existentes in Patria, probatur consequens, quoniã quantũ est de se, mouere necessario, & naturaliter, atque equanimiter, dũ in potestate eius non esset, magis minusque mouere.

Respond.

37 Respondetur, negando vtrunque, & ratio est, quia ad extra non mouet Essentia sola, sed Essentia vna cum diuina voluntate, & hinc sequitur, vt gradus visionis non sit eiusdẽ rationis, seu intensionis. Sequitur etiam, vt beatificatio promanet liberè à Deo, agẽte ad extra libere, & cõtingenter. Ita Scot. quolib. 14. lit. X. qua propter pro libito suæ diuinę voluntatis concurrẽte etiã inæqualitate meritorũ ex parte Beatorũ, distribuet gradus gloriç iuxta illud Ma. 14. *In domo Patris mei mãsiones multę sũt.*

Inęqualitas gloriæ.

38 Verum, aduersus secundam conclusionem, insurgit difficultas ex eod. Scoto, quandoquidem videtur

nedum

nedum de possibili, sed etiam de facto, admittere speciem impressam in Beatis: ait enim loco cit. in Reportat. *Magis credo, quod species sit ponẽda ibi, quam lumen gloriæ*, quæ verba faciunt sensum *de facto*, nullam namque mentionem agunt de possibili: & in sentẽtijs loco cit. inquit, *minus videtur mihi necesse ponere lumen, quam speciem*: sicut vero loquitur de lumine de facto, ita & de specie de facto.

39 Sed respondetur primo, esse apertissimum in via Scoti, & Scotistarum, vt vidimus, Scotum non exigere speciem in Beatis in beatifica visione. Secundo respondetur, loqui de possibili. Respondetur tertio, loqui comparatiue ad lumen gloriæ, quod spectando vtrumque, dato, quod alterum istorum esset relinquendum, & alterum apponendum, potius ponenda esset, inquit, species impressa, quam lumen gloriæ. Quomodo verò cohæreat hoc cum necessitate luminis gloriæ, habituali, vel actuali, spectat ad materiam de Visione beatifica. Et quarto, non loquitur de specie, quatenus requisita ad visionem beatificam, & intuitiuam in præsentia obiecti beatifici, sed de specie, prout requisita ad cognitionem abstractiuam; ratio, quia remanet in viatoribus species obi.cti visi, & cogniti, natura autem id prouidit, vt cessante oculari visione, & intellectiua intuitione, possimus mediante specie remanente, recordari parietis iam absentis, & præintellecti ita cõtigit in Paulo, ait Scotus, quod remansit in ipso species diuinæ Essentiæ, qua mediante post raptum recordabatur de ea: ita à pari de Beatis, si Scotus speciem admittit, non admittit, vt per eam procedant de Essentia præsenti cognitionem beatificam intuitiuam, sed quatenus species eadem posset deseruire veluti principium rememoratiuum, & abstractiuum, si per impossibile cessarent à visione Dei intuitiua: & talis est sensus Scoti, dum ait, *magis credo quod species sit ponenda ibi propter memoriam perfectam*, quam &c. apponere vero talem speciem in memoria est perfectionis in ipsa memoria, & reminiscentia: quamuis de fide sit quod nunquam Beati cessabunt ab intuitiua beatifica visione Dei.

QVAE.

QVÆSTIO XI.

Vtrum possit dari species intelligibilis repræsentans distinctè diuinam Essentiam.

ARTIC. I.

Affertur sententia negantium, tum de facto, tum de possibili.

Sententia Negatiua. 1 IN primis negant dari posse speciē creatam, quæ repræsentet diuinā Essentiam, aiunt Henricus 1.part. summ.art.33.q.2 & quodlib.3. quæst.1. D.Thomas 1. part.quæst.12.art.2.& contra Gentes 3.cap.49. iteque in 4.d.49.quæ 1.2.ibique Caetan. & Ferrar. Capreol. in 4. d.49.quæst.5. Durand. ibid. quæst.2. Palud.quæst.1.Bassol.in 3.d.14.quæst. 1.art.1.Sotus quæst.2.art.3.Marsill.3. quæst.10.art.2. Angles in 4. d.49. art. 2.diffic.6.idemque Ferrariens.1.contra Gent.cap.53. Arrubal. ad 1.part. quæst.12.disp.16.cap.5.

2 Ex Henrico autem sic arguitur. Primo, si dari posset species ista media inter intellectum creatum, & Essentiam diuinam, tunc visio diuinæ Essentiæ esset simul mediata, & immediata; probatur, esset quidem immediata, quoniam cognitio eius esset intuitiua: esset autem mediata, quandoquidem fieret per speciem, cuius cognitio esset abstractiua.

3 Secundo, species alicuius creaturæ est magis apta repræsentare creaturā, quā Essentiā diuinā: Ratio, quia plus distat Creatura à Creatore, quā Creatura à Creatura: at implicat per speciem alicuius creaturæ repræsentari, & videri aliam creaturam, ergo magis implicabit per speciem creatā videri Essentiam diuinam: Antecedēs probatur, quoniam plus distat creatura à Deo, quam Creatura à Creatura in ratione assimilandi, & essendi; ergo plus distabit etiam in ratione repræsentandi.

4 Tertio, data specie hac in Angelo; sequæretur Angelum posse naturaliter inde videre Essentiam, & Trinitatē; probatur, species continet in sē tū obiectū, tū omnia, quæ sunt in obiecto, cuius est species: ergo videndo speciē, videret Essentiā diuinam, & Trinitatem, consistentem ad intra in diuinis: at nulla Creatura cōtinet Essentiam, & Trinitatem, ergo non dabitur species, nec dari poterit, quæ possit esse ratio cognoscendi Essentiam diuinam.

5 Quarto si dari posset, sequeretur, posse Deum videri, etiam vt absentem; probatur sequela, adhoc nāq; admittitur species intelligibilis, vt gerat vicem obiecti absentis. Quinto sequeretur, speciem hanc fore magis imaginem, & similitudinem Dei, quā quamcunque aliam Creaturam: hoc autē est falsum, quoniam Angelus, & Anima rationalis, quatenus est imago Dei, repræsentat Deum plus cunctis irrationalibus creaturis.

5 Quinto talis species demonstrat obiectum esse imperfectum, probatur, ideo admittitur species in potentia, quia non potest esse obiectum in potentia: impotentia autem talis

reddit obiectum, vtpote impotens, imperfectum: sicque diuina Essentia apparebit imperfecta, quatenus non valens coniungi cum creato intellectu, nisi mediante intelligibili specie.

7 Sexto, species creata distat in infinitum à diuina Essentia, cum hæc sit infinita, illa finita: at *finiti ad infinitum nulla est proprio.*

8 Septimo, species perfecte, & distincte repræsentatiua alicuius, debet repræsentare illud adæquate, alias non esset repræsentatio perfecta: at nulla creatura potest adæquate repræsentare Creatorem, ratione, qua illa est finita, hic infinitus, ergo repræsentatio erit inadæquata, & consequenter non quidditatiua, nec distincta.

9 Ex Paludano arguitur, species corporea non potest esse repræsentatiua obiecti spiritualis, & incorporei: quemadmodum nec species alicuius singularis poterit esse repræsentatiua alicuius vniuersalis: ergo multominus species finita repræsentare poterit Deum infinitum. Dices assumptum esse falsum, siquidem species expressa, qualis est actus videndi Deum, est finita, & tamen repræsentat Deum infinitum, ergo argumentum non valet: contra redarguit; quia repræsentare non pertinet ad actum, etenim actus videndi præsupponit repræsentationē obiecti visi: repræsentare autem pertinet ad speciem.

10 Ex Durando, species repræsentans, & obiectum repræsentatum sūt eiusdem rationis specificæ, quamuis differant in modo essendi: at nihil potest esse eiusdem rationis specificæ, cum diuina Essentia, ergo non poterit dari species repræsentans.

11 Ex D. Antonino arguitur, Beatitudo nō potest haberi per illud repræsentatiuum, quod est æque repræsentatiuum præteriti, præsentis, & futuri, præsentis, & absentis: existentis, & non existentis: at species ita se habet, quia repræsentat indifferenter ad omnem differentiam temporis: at visio beatifica est de Essentia diuina, quatenus existente, & præsente, ergo, &c.

12 Ex Marsilio, & Bassolio arguitur, species [illegible] naturaliter à suo obiecto, ergo Deus ageret ad extra necessario, & naturaliter, non ergo libere immitteret, & causaret hanc speciem, sed necessario flueret ab Essentia diuina. Confirmatur, species producitur ab Essentia, vt Essentia est ac vt sic, præcedit voluntatem. Item species fluit ab obiecto intelligibili, prout intelligibile est; sed Essentia est de se intelligibilis, independenter à voluntate. Insuper Deus potens est, semetipsum reddere immediate præsentem intellectui creato sub ratione obiecti, proxime, & actu intelligibilis, ergo frustra poneretur talis species.

13 Ex Dominico Soto arguitur, Implicat dari Agens creatum, quod producat effectiue sanctitatem: ergo implicabit dari speciem creatam, quæ effectiue producat beatificam visionem. Dicitur in argumento, implicare dari Agens creatum, quod sanctitatem producat effectiue quidem; etenim non implicat dari formam creatam, quæ sanctificet formaliter, vt est gratia: ergo à simili non implicabit quidem dari visionem beaticā, quæ sit formaliter Beatitudo; implicabit tamen dari talem speciem, quæ beatificet effectiue. Item species impressa debet esse immaterialior obiecto: at species hæc non est immaterialior Deo, qui est purus Spiritus: antecedens patet, etenim species materialis non potest repræsentare Angelum, & Animam, qui sunt spirituales.

14 Ex Angles arguitur, Causa secunda non potest supplere vicem causæ primæ, sicut è conuerso, causa prima supplere potest vicem causæ secundæ: ergo species ista non poterit supplere vicem præsentialitatis Dei: antecedens est notum, & probatur consequens, quoniam ideo poneretur species, vt suppleret vicem actuitatis, & præsentialitatis obiecti.

15 Ad hæc insuper arguitur, vltra allata: & primo, species hæc manaret naturaliter ab Essentia Dei, ergo intellectus creatus, vtens tali specie, comprehenderet Deum; probatur consequens, species est repræsentatiuum necessario, & naturale sui obiecti, ergo non est in potestate speciei

repræ-

repræsentare magis, vel minus de obiecto, sed repræsentabit totaliter, & adæquate, siue vndequaq; obiectum; ergo intellectus, stante tali omnimoda repræsentatione, intelliget adæquate, & omnimode Essentiam diuinam. confirmatur, quoniam idem met intellectus est potentia naturalis, nec in eius situm est potestate fie, vel minus intelligere, sed intelliget iuxta mensuram inditæ sibi speciei.

16 Secundo, tanta erit species obiecti, quantum est ipsum obiectum, cum vna sit similitudo, imago, & figura alterius, ergo quo perfectius erit obiectum, eo erit perfectior sua species: ergo à perfectissimo obiecto manabit perfectissima species; ergo denique, ab infinito obiecto fluet infinita species: Essentia diuina est infinita, species autem hæc est finita, ergo non poterit esse repræsentatiua diuini obiecti.

17 Tertio, species, siue sẽsibilis, siue intelligibilis, est accidẽs obiectiuũ, ergo subiectabitur in suo obiecto, ergo informabit obiectũ, eritque perfectio obiecti: implicat vero Deum informari, & perfici ab aliqua forma creata: implicatque Deum fore subiectum informabile ab accidenti creato, ergo implicat species Essentiæ diuinæ. Assumptum probatur, quemadmodum accidens subiectiuum informat, & perficit subiectum, cui inhæret, sic & accidens obiectiuum informabit obiectum, cuius est species; reddendo enim singula singulis; quodlibet accidens informat, & perficit propriũ perfectibile.

18 Quarto, sequæretur eiusdem effectus dari duas causas adæquatas, & totales. probatur, concursus Dei est necessarius ad cognitionem Essentiæ, quia Essentia, vt Essentia, concurrit: speciei quoque concursus interuenit, alias species illa esset frustranea, si nõ ageret: ergo dabuntur duæ causæ adæquatæ eiusdem rationis; probat. consequent. cõcursus Dei est eiusdem rationis cùm concursu speciei, quoniam ambo tendunt ad eandem intellectionem. Confirmatur, quia Essentia facit totaliter de sẽ quidquid facit species, ergo erunt duæ causæ totales.

19 Quinto Si species, v.g. esset in intellectu vnius Angeli, posset Angelus alter speciem istã videre: tunc autem per eam videret & iste Essentiam, cæteraque repræsentabilia à tali specie, & ita posset viribus naturæ videre Essentiam.

20 Sexto Si daretur in intellectu alicuius, ergo iste talis videndo Essentiã, videret quoq; Trinitatẽ, & omnia contenta in Essentia; sicque cognosceret naturaliter Trinitatem.

21 Septimo Ratio formalis repræsẽtatiua obiecti debet esse determinata; aliter nõ magis repræsentaret obiectũ vnum, quã alterum: at Deus, teste Augustin. 8. de Trinit. cap. 4. est maxime indeterminatus, ergo non potest dari species determinate repræsentans eum.

ARTIC. II.

Statuitur dari posse speciem intelligibilem repræsentantem Essentiã Dei.

1 Oppositam sententiam tuentur plures: inter quos alij eã sent dari de facto, alij vero non repugnare, vt detur. Sunt autem in primis Scotus in 2. d. 3. quæst. 9. qui vtrumque docet, primo non quidem repugnare, vt dari possit: & secundo, datam fuisse de facto Angelis viatoribus speciem intelligibilem distinctè, & quidditatiue (abstractiue tamen) repræsentantem eis diuinam Essentiam. Mayronis in Prol. quæst. 15. art. 2. & in quodlib. 4. art. 2. Expositores Scoti ad eum locum. Accedunt Petrus Tarantasiensis penes Carthus. in 3. d. 14. quæst. 1. Maior in 2. d. 3. quæst. 2. Palatius in 1. d. 3. disput. 4. Aureolus penes Capreolum in 4. d. 49. quæst. 5. art. 2. Richardus in 3. d. 14. quæst. 3. art. 3. & in 4. d. 49. q. 1. art. 3. alijque penes ipsum: Molina 1. part. quæst. 12. art. 2. ibique Valentia, Vasquez, Suarez de attribu. lib. 2. cap. 13. & *Sententia affirmatiua*

13. & in Metaph. disput. 30. sect. 11. Herice part. 1. tract. 4. disput. 4. cap. 8. Becanus 1. part. cap. 9. quæst. 2. pluresque alij). De hac autem sententia Henricus 1. part. sum n. artic. 33. quæst. 2. ait, quod *Est multorum, & magnorum opinio*: Salas in 1. 2. tract. 2. disp. 5. sect. 2. num. 33. inquit: *Esse opinionem valde probabilem, & longe probabiliorem, stando in sola ratione*. Atque Vasquez 1. parte disp. 38. num. 2. subdit: *fuisse suo tempore opinionem valde communem in scholis*. Atque hinc infertur immerito Zumelem Disput. 2. sup. 1. part. q. 12. art. 2. dixisse, sententiam illam sustineri ab Authoribus non magni, sed obscuri nominis; immeritoque Hericem 1. part. tract. 4. disp. 4. cap. 8 protulisse sententiam istam apud nobiles Theologos nostra tempestate esse pene extinctam.

2 Sed antequam sententiam hanc probemus, explicanda venit mens Scoti, ex quo facilius diluentur obiecta aduersariorum, & sententia eius apparebit rationabilior. Loquendo ergo Scotus de specie ista in 2. loco citato, sic ait, *Licet secundum communiter loquentes, non posset Angelus ex puris naturalibus habere cognitionem Dei intuitiuam, tamen non videtur negandum, quin possit naturaliter habere cognitionem eius abstractiuam, hoc modo intelligendo, quod species aliqua distincte repræsentet istam Essentiam; licet non repræsentet eam, vt in se præsentialiter existentem: bene quidem possibile est habere cognitionem distinctam, licet abstractiuam, nam abstractiua distinguitur in confusam, & distinctam, penes rationem aliam, & aliam cognoscendi: & istam talem speciem repræsentantem Essentiam diuinam intellectui Angelico, non videtur inconueniens ponere, intellectui Angeli inditam esse à principio; ita quod, licet ipsa non sit naturalis intellectui, hoc modo, quod iste intellectus possit ex naturalibus suis eam acquirere; neque etiam & possit eam habere ex actione alicuius obiecti agentis naturaliter, quia non potest eam habere præsentialitate alicuius obiecti finiti mouentis; nisi Essentiæ diuinæ tantum; quæ nihil aliud à se causat naturaliter naturali causatione; tamen sicut perfectiones datæ Angelo in sua prima creatione (licet non necessario sequantur naturam eius) dicerentur naturales, distinguendo contra meræ supernaturales scilicet gratiæ, & gloriæ, ita ista perfectio data Angelo, qua Essentia diuina esset ei præsens distincte, licet abstractiue, potest dici naturalis, & ad cognitionem naturalem Angeli pertinere, ita quod quidquid cognoscit de Deo virtute huius speciei, aliquo modo non cognoscit naturaliter, & aliquo modo naturaliter; naturaliter, in quantum ista non est principium gratuiti actus, nec gloriosi: non naturaliter autem, in quantum ad istam non posset pertingere ex naturalibus, neque aliqua actione naturali.*

3 Circa hunc textum Scoti plura sunt ponderanda: Et primo docet cognitionem, quam habuit Angelus, siue quicumque alter creatus intellectus, mediante specie hac de Essentia diuina, nõ esse vocandã intuitiuã, sed abstractiuã. Ratio esse potest, tũ quia Angelus erat viator, Viatori autẽ nõ cõceditur, nisi ex priuilegio, & lege extraordinaria, ac per modum transeuntis videre Deum vt in superioribus quæstionibus fuit discussum; tum etiam, Beati intuitiue videntes Deum, vident Essentiam Dei immediate, & sine specie, ex quæst. præcedenti: tum quoque, quoniam in sententia multorum, cognitio intuitiua non potest fieri per speciem, de qua re quæstione antecedenti; quod si cognitio hæc per speciem nõ est intuitiua, ergo erit abstractiua. Hoc est maxime obseruandum, vt habeatur sensus Scoti, etenim aduersarij arguendo deducunt cognitionem illam debere esse intuitiuam.

4 Secundo Scotus ait, cognitionem hanc habendam per speciem, esse cognitionem distinctam: Verum Scotus ipse semetipsum declarat, aitque esse distinctam, sed abstractiuam; rationem reddit, quandoquidem cognitio abstractiua distinguitur in confusam, & distinctam, hæc vero esset abstractiua, non confusa, sed distincta: Aduersarij autem non capiunt quomodo fieri possit, vt cognitio aliqua sit distincta, & tamen sit abstractiua,

etenim

etenim implicare, aiunt, notitiam distinctam cum abstractiua, eo quia si notitia est distincta, erit consequenter intuitiua, intuitiuę enim cognitioni competit esse distinctam, non abstractiuæ; propter hæc Suarez, Becanus, pluresque admittentes possibilitatem speciei cum Scoto, negant inde cum eo, cognitionem ex tali specie depromptam, esse distinctam. Verum nec Scotistæ capiunt quonam pacto cognitio abstractiua non possit esse aliquando distincta, licet sit abstractiua: vnde sic potest discurri, noui intuitiue Amicum, remansit autem in me ex intuitiua, præsentialique cognitione Amici, species intelligibilis, qua specie mediante, etiam & nunc cogito de Amico: cogitatio hæc est abstractiua, etenim nec præsens est, nec in rerum natura existit Amicus, vtpote emortuus: at licet sit abstractiua hæc cognitio, tamen est mihi omnino distincta (in genere quidem abstractiui) quoniam & nunc quoque recogito perfectissime seorsim, & distinctissime de qualitate, temperamento, figura, cæterisque conditionibus, quibus honestabatur Amicus, pro loco, tempore, & huiusmodi; taliterque de his perfecte recordor, vt nihil eorum me lateat, nil fugiat: an non dixerim cognitionem hanc fore distinctissimam? Confirmatur, quia adeo perfecte, distincteque de ipso recogito, vt perfectiorem, distinctioremque cognitionem habere de eo non valeam, imo nec cupiam, cum nec apex, nec iota vnum de eo me prætereat. Euenire quidem poterit, vt longo post tempore, excidentibus ex parte speciebus Amici, recogitando de eo minus bene, nec plene, nec distincte de ipso meminerim, hæc quidem de eo cognitio vocanda veniet abstractiua cōfusa: at prima erit omnino abstractiua distincta. Aduersarij ad cognitionem distinctam exquirunt præsentiam rei: at id locum habet in cognitione intuitiua: vnde cognitio venit secernēda in confusam, & distinctam: distincta vero in intuitiuam, & abstractiuam: prima exquirit obiecti præsentiam, secunda nequaquam. Imò quæstio oriri solet, Verum intuitiua possit esse de obiecto absente, saltem repræsentato in alio eminenter continente: quod conceditur à plerisque, vt Buridano in 2. de Anim. quæst. 21. Lychet. in 2. d. 1. quæst. 4. ad vltim. Okam, Molina q. 55. d. 2. art. 2. Vasqu. 1. part. d. 38. cap. 2. Hurtado d. 10. sect. 2. &c. Quod si in sententia, saltem istorum, intuitiua, quæ est cognitio distincta, potest haberi in absentia obiecti, & non obstante obiecti absentia, cognitio nihilominus intuitiua erit distincta, cur non etiam distincta esse poterit abstractiua, quæ itidem exquirit absentiam obiecti? Ergo confundunt Aduersarij distinctam abstractiuam cum intuitiua, dum pro distincta abstractiua capiunt intuitiuam: Insuper abstractiua haberi poterit etiam de rē existenti ex Scot. in 2. d. 3. q. 11. & Quodlibet. 13. lit. I.

Intuitiua an possit esse de obiecto absenti.

5 Tertio, Scotus cognitionem hāc habitam ab Angelo per speciem, vocat *Naturalem*. Qualis vero sit sensus, patet penes eum, etenim semet ipsū declarat: & quidē species illa appellatur à Scoto, *naturalis, & non naturalis*: naturalis quidē, prout distinguitur *contra super naturale gratiæ, & gloriæ, inquantum non est principium actus gratuiti, & gloriosi*; sensus est, quia non gratificatur, nec sanctificatur, nec glorificatur per istam speciem Angelus: Non naturalis autem, *inquantum ad istam non poßet pertingere ex naturalibus, neque aliqua actione naturali.* Item appellat naturalem eo modo, quo dona ab initio *Creationis* collata alicui Naturæ, dicuntur naturalia, idest connaturalia, quasi connata Naturæ, seu concreata simul cum ipsa Natura, licet non prodeant à Natura, sed supernaturaliter ab Authore naturæ, inquit enim, *Sicut perfectiones data Angelo in sua creatione* (licet non necessarie sequantur naturam eius) *dicerentur naturales, &c.*

Speciē hāc vocat Scot. naturalē, et nō naturalem.

6 His stantibus, est prima assertio, possibilis est species intelligibilis, repræsentans Essentiam diuinam. Probatur autem primo, Paulus in raptu vidit Essentiam Dei, vt demonstratū est supra: recedens vero à raptu recordabatur eiusdem Essentiæ iam visæ: at talis reminiscentia haberi non pote-

rat

rat absque specie repræsentante Essentiam, ergo remansit in eius intellectu species.

Capreoli, et Caetani responsio impugnatur.

7 Capreolus respondet primo, Paulum non meminisse Essentiæ, sed attributorum, perfectionumque diuinarum, quas viderat: vnde & remanserit in eo species quidem aliquorum attributalium perfectionum. Responsio hæc parum prodest, vel nihil sibi, cæterisque Thomistis, etenim sustinêt Thomistæ, Beatos non posse videre Essentiam sine attributis, nec attributa absque Essentiam; ergo nec recordatio, & reminiscentia, siue species illa remanens in Paulo, terminari solummodo poterat ad attributa. Insuper negando distinctionem formalem inter attributa, & Essentiam, prout negant, magis vrget argumentum, sunt namque idem a parte rei, & sola ratione per eos, distincta, ergo species illa intelligibilis non poterat terminari ad attributa, quin ad Essentiã. Magisque vrget aduersus eos, qui sustinent attributa esse de quiditate Essentiæ. Responsio igitur hæc non satisfacit.

8 Respondet secundo, & cum ipso Caetanus, Paulum non recoluisse Essentiæ iam visæ, nisi in confuso; meminit ergo post raptum, quando referebat de eo, vt 2. Corinth. 12. meminit, inquiunt diuinæ Essentiæ iam visæ, sed in confuso. Responsio ista est contra eos, & firmat intentum Conclusionis: Et quidem, memoria, siue distincta, siue confusa, non potest de obiecto aliquo haberi absque specie talis obiectis dempta namque omni specie, ruit reminiscentia, & memoria: at concedunt, Paulum retinuisse memoriã, quamuis confusam de Essentia iam visa, ergo remansit in eo species Essentiæ: igitur non euadunt argumentum. Scotus quidem quacunque, & qualicunque specie contentus esset, siue distincta, siue confusa, dummodo concedatur haberi posse speciem de Essentia. Verum profecto est, quod speciem, quam ipse apponit in Angelis viatoribus, appellat distinctam; nihilominus suum intentum absolute est, demonstrare non implicare dari posse speciem repræsentantem diuinam Essentiam, qualiscunque foret species illa, siue distincta, siue confusa. Confirmatur, recordabatur Paulus, inquiunt, Essentiæ in confuso, ergo habuit speciem Essentiæ; vt Essentiæ reduplicatiue, alias non recordatus fuisset Essentiæ, concedunt tamen, memoriam retinuisse de Essentia. Item recordabatur, inquiunt in prima responsione, eorum, quæ viderat in Essentia, quæ erant, *Arcana, quæ non licet homini loqui*: Ergo & recordabatur ipsiusmet Essentiæ: probatur consequens, meminerat eorum, prout visorum in Essentia, ergo & meminerat Essentiæ: consequens sequitur, quia non recordabatur eorum; prout fuerant visa in se solis, nec prout visa in Creaturis, sed quatenus visa in Essentia, ergo consequenter recordabatur Essentiæ: incredibile namque est, vt videam obiectum visibile, & non videam id, per quod video tale visibile, seu id, quod facit me deuenire in visionem visibilis: Essentia autem erat ratio videndi talia visibilia.

Ratio, et medium videndi an videatur.

Obstabis, non esse necessarium, vt videndo visibile, videatur quoque ratio, & medium videndi tale visibile; siquidem video parietem per speciem visibilem, quæ est ratio, & medium videndi parietem, at non est necesse, vt videam ipsam speciem sensibilem; ergo nec fuit necesse recordari Essentiæ in recordatione cæterarum perfectionum, licet Essentia fuerit medium, & ratio videndi tales perfectiones. Respondetur, aliud esse loqui de medio videndi, siue de ratione videndi cognita; aliud de ratione videndi non cognita: species quidem, siue intelligibilis, siue sensibilis est ratio videndi nõ cognita, nõ. n. necesse est, vt videatur, siue vt intelligatur: at Essentia diuina est mediũ, & ratio vidẽdi cognita; per ipsam namq; Beati vident, igitur dum concedunt, recordari Paulum eorum, quæ viderat in Essentia, prout in Essentia, vtique recordatus quoque fuit Essentiæ, retinuitque speciem, & si confusam, Essentiæ; ergo à primo ad vltimum, cõcedunt speciem Essentiæ, parum enim curant Scotistæ verum sit distincta, an confusa, dummodo concedatur eis, dari posse speciem

ciem repræſentantem Eſſentiam.

Becanus impugn.

9 Becanus ait, non recordatum fuiſſe Paulum Eſſentiæ viſæ, ſed recordatum fuiſſe viſionis, ſeu habuiſſe iã viſionem: ideoque formaſſe actum nouum, non de Eſſentia, ſed de viſione iam habita: Reſponſio hæc gratis datur; etenim ſuſtinet ipſe, Paulum non vidiſſe in raptu diuinam Eſſentiam: quo ſtante, nec vtique recordari poterat Eſſentiæ, non enim recordamur eorum, quæ nuſquam vidimus, dum ſpecies eorum, quæ non vidimus, nobis non inſit: quapropter loquitur cõſequenter, & ex ſuppoſitione, ſupponendo nuſquam Eſſentiam vidiſſe: at ipſemet alioqui probat dari poſſe ſpeciem repræſentantem diuinam Eſſentiam. Porro reſponſio hæc dari ſolet etiam ab aliquibus ſuſtinentibus, tum poſſibilitatem ſpeciei, tum viſionem Pauli habitam de Eſſentia diuina in raptu; hi namque negant, recordatum fuiſſe Paulum Eſsẽtiæ, ſed formaſſe ſolummodo conceptum nouum de viſione, & inter ceteros, nunc

Faſeoli reſponſio.

nouiſſime ad manus peruenit Faſeolus, qui 1. part. tom. 1. quæſt. 12. art. 2. num. 66. inquit, recordatum fuiſſe non Eſſentiæ immediate, ſed mediate: & memoriam Pauli fuiſſe, *per ſpeciem, non quidem immediatam Eſſentiæ diuinæ, vt contendunt Aduerſarij, ſed immediatam ſolius viſionis diuinæ Eſſentiæ; & conſequenter fuiſſe ſpeciem ſolum mediatam diuinæ Eſſentiæ: quare ille actus memoriæ Pauli non repræſentabat immediate rem aliquam increatam, ſed ſolum creatam, eſſentialiter tendentem ad obiectum increatum: hac ille.*

Impugnatur.

10 Verum multa ſunt in hac eius reſponſione, quæ indigent examine: & quidem ipſe Faſeolus imprimis cõcedit, Paulum vidiſſe in raptu Eſſentiam Dei, vt habet eodem to. 1. quæſt. 12. art. 11. dubit. 3. 4. 5. Item loco citato ſuſtinet dari poſſe ſpeciem repræſentantem Eſſentiam diuinam. Hoc ſuppoſito, quæro cur neget memoratum fuiſſe Paulum Eſſentiæ iam viſe? iam vidit ex ipſo, ergo & recordari poterat eiuſdem Eſſentiæ viſæ, vtpotè remanente ſpecie Eſſentiæ viſæ. Item quæro, cur negari poſſet recordari Eſſentiæ Dei? vel quia eam in raptu nõ vidit; vel quoniam ſi vidit, exciderit forte, ac deperdita fuerit ſpecies Eſſentiæ viſæ, ob cuius ſpeciei caſum, meminiſſe amplius non valuerit Eſſentiæ viſæ; quemadmodum & nobis contingit, cum namque excidunt intelligibiles ſpecies, non amplius intelligimus, nec recordamur præteritorum: non vtique ait id euenire, quaſi exciderit Eſſentiæ diuinæ ſpecies: ergo ſi non recordatur, aliundè erit, vtpotè, quoniam non viderit in raptu ipſam Dei Eſſentiam; at concedit vidiſſe in raptu, quomodo ergo aſſerere poterit non meminiſſe Eſſentiæ? Itẽ ait, quod ſpecies remanens in Paulo, repræſentauit Eſſentiam mediate, non inmediate: hoc nõ officit, etenim vbique verum eſt, quod ſpecies de quocunque, etiam creato obiecto, remanens, repræſentat obiectum mediate: & operationem iam exercitam circa tale obiectum, immediate: remanſit namque ſpecies in mè repræſentans iter, & regreſſum è foro, quæ quidem ſpecies repræsẽtat immediate aggreſſũ, & regreſsũ, at mediate ipsũmet forũ; ex quo autẽ repræſentat mediate, non inde tollitur ſpecies ipſius fori; ſic à pari, ſpecies, per quam meminerat Paulus, repræſentat quidem immediate viſionem, & mediate Eſſentiam, at non inde ſequitur, vt non remãſerit ſpecies ipſius; Accedit, quod repræſentatio, etiam mediata, fieri nõ poteſt ſine ſpecie. Inſuper ait, *ſpeciem illam repræſentaſſe rem creatam*, nempe Viſionem, *eſſentialiter tendentem ad obiectum increatum:* hinc autem inſero, ergo repræſentabat quoque Eſſentiam; probatur conſequens, viſio dicit

An viſio eſſe poſſit abſque obiecto

eſſentialiter ordinem ad obiectum increatũ, vt loquitur ipſe: tale obiectũ eſt Eſſentia, ergo ſi repræſentabat viſionẽ, repręsẽtabat quoque; Eſſẽtiã cõfirmatur, nõ poteſt haberi Viſio, ſine obiecto viſo, ergo nec recordari poterat Paulus viſionis niſi quatenus erat de Eſſẽtia viſa; da oppoſitũ, quod ſit viſio abſque tẽdentia ad viſum, iã non erit amplius viſio; Dices, Scotus concedit haberi poſſe viſionem abſque obiecto, ſiue conſimilem operationem aliam abſque ſuo obiecto: in 4. d. 10. quæſt. 9. & quæſt. 5. §. Ad quæſt. Reſpondeo viſio-

nem

nem concipi, vel vt abſolute qualitas eſt, vel vt actus, & operatio viſiua eſt: primo modo non implicat: ſecundo implicat; & ſic loquitur Scotus.

11 Probatur inſuper principale itetum, Datur ſpecies expreſſa diuinæ *Eſſentiæ*, ergo datur & impreſſa: admiſſo antecedenti, neceſſe eſt admitti & conſequens, atque hinc Caietanus ait, *Cum enim ſimilitudo expreſſa clarius repræſentet rem conceptam, quam ſpecies impreſſa, ſi impoſſibile eſt inueniri ſpeciem impreſſam creatam reſpectu alicuis, propter eminentiam rei cognitę, multo magis impoſſibile eſt inueniri ſpeciem expreſſam, omnes enim rationes contra illam, ſunt etiam contra iſtam*, Argumentum maxime vrget Aduerſarios, & tenet cōſequētia à maiori ad minus; etenim ſpecies expreſſa; eſt magis repręſētatiua, quā impreſſa; actus nāq; cognoſcēdi, & videndi expreſſus ab obiecto cognoſcibili, eſt perfectior ſpecie ipſa intelligibili; at datur ſpecies iſta expreſſa, ergo multo magis impreſſa.

12 Quamplures, vt effugiant vim argumenti, negant dari ſpeciem expreſſam *Eſſentiæ* diuinæ; ita idem Caetanus 1. part. quæſt. 27. art. 1. Henricus Quodl. 4. quæſt. 8. Sincinas in 4. d. 49. quæſt. 5. & cuius negatione, negare quoque intendunt ſpeciem expreſsā

13 Verum communior ſententia, docet, dari ſpeciem expreſſam, atque verbum mentis de *Eſſentia* diuina: ita Scotus in 4. d. 49. quæſt. 2. art. 2. Ferrarienſis 1. contra Gent. cap. 63. Capr. in 1. d. 27. quæſt. 2. Sotus in 4. d. 49. quæſt. 2. Suarez lib. 2. de attribut. cap. 11. Vaſqu. 1. part. diſputat. 38. cap. 2. probabilemque cenſet hanc ſententiam Torres 1. part. quæſt. 27. art. 1. diſput. 5. & nos ſpecialiter lib. 3 loquendo de Verbo diuino, quærentes Verum Beati in patria forment Verbum de *Eſſentia* diuina. Imò D. Thomas, dum 1. part. quæſt. 27. artic. 1. & quæſt. 9. de potent. art. 5. & 4. contra Gent. cap. 11. 12. docet intellectione produci verbum: expreſſius autem de Verit. quæſt. 4. art. 2. ait in omni intellectione produci verbum. Eſtque ſententia D. Auguſtini, qui lib. 15. de Trinitat. cap. 16. Loquens de viſione beatifica, ait, *Tum quidem verbum noſtrum non erit falſum, quia neque mentiemur, neque fallemur.* Et inde ſubdit, *Fortaſſe non erunt ibi volubiles cogitationes noſtræ.* & lib. 9. cap. 7. *In illa æterna veritate formam, ſecundum quam ſumus, vel aliquid recta ratione operamur, viſu mentis conſpicimus; atque conceptam rerum veracem notitiā, tanquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus, nec à nobis naſcendo diſcedit.*

14 Suadetur etiam ratione, quoniam Beati Deum vere vident; quęro autē aut vident viſione increata, aut creata; non primum, cum illius non ſit capax intellectus creatus, ſitque propria ſolius Dei increati, ergo ſecundum, igitur habent ſpeciem expreſſam, ſeu actum videndi ipſam *Eſſentiam* increatam; Item non vidēt per viſionem increatam, vt conſtat; non per viſionem creatam, per eos; ergo Beati nullatenus *Eſſentiam* viderent; non enim patet alia via videndi. Inſuper intellectio, aut eſt actio de genere actionis, aut de genere qualitatis, ſi primum, ergo habebit terminum, terminus autem actionis intellectiuæ eſt notitia, ſeu verbum; ſi ſecundū, erit ergo ipſamet intellectio verbum, & ſpecies expreſſa. Denique implicat haberi actionem ſine termino: per eos intellectio eſt actio, & per intellectionē, vt per actionem, vident *Eſſentiam*, ergo per eā producūt viſionē, & verbū. Quæſtionē hāc etiā decidere tacito videtur idem Auguſt. qui lib. 9 de Trinit. cap. 10. & 11. concludens inquit, *Quo circa inquantum Deum nouimus, ſimiles ſumus ſed nō ad æqualitatem ſimiles, quia non tantum eum nouimus quantum ipſe ſit.* Ratio, cur ipſi negant ſpeciem expreſſam, eſt, ne videamur Deo coæquari, & eſſe ſimiles, quia verbum exprimere debet perfectè ſuū obiectū: Auguſt. vero reſpondet, non ſequi indè æqualitatem, *quia non tantū eū nouimus, quantū ipſe ſit.* Remanet ergo in ſua vi argumētū.

15 Alij ad argumentum reſpondentes, concedunt quidem ſpeciem expreſſam, at negant impreſſam: ad ſimilitudinem vero reſpondēt, diſparitatem interuenire inter vtramque, itaut

itaut ſi daretur ſpecies impreſſa, illa deberet repræſentare obiectum diuinum adæquate, & totaliter; ratio, quia manat à potentia, & lumine gloriæ: Item, vtens ſpecie comprehenderet Eſſentiam: vtens vero actu non comprehendit: hinc ergo concedunt expreſſam, & non impreſſam. Inſuper, ſpecies repræſentans debet eſſe immaterialior obiecto repræſentato, &c. vna cum cæteris alijs addendis in argumentis principalibus.

16 Verum differentia hæc non tenet. & circa id, quod aiunt ſpeciem debere repræſentare adæquate, totaliter, & comprehenſiue Eſſentiam, id non eſt neceſſe, quandoquidem Deus agit ad extra libere: & Eſſentia, vna cum volũtate, ſiue Eſſentia vt volens, demonſtrat ſe Beato, & ſi ſpeciem produceret, vtique tot repræſentandi gradus ei tribueret, quot ſibi placeret: ij autem eſſent, tum numero, tum entitate finiti, proindeque ſequitur, vt non repræſentaret, niſi inadæquate, & modo limitato, ac finito, vnde, & ceſſaret omnis comprehenſio: ſoli autem intellectui diuino, vtpotè infinito repræſentat ſe Eſſentiam adæquate, & infinite; etenim in ordine ad infinitum Eſſentia diuina eſt obiectum neceſſarium, neceſſarioque mouens: cum tamen in ordine ad intellectum creatum ſit obiectum voluntarium, & libere mouens. Ad illud de ſpecie immaterialiori reſpondebitur in ſerie argumentorum principalium.

Species poteſt repræſentare abſtractiue, et diſtincte.

17 Secunda aſſertio, talis ſpecies intelligibilis poteſt repræſentare diſtincte, & quidditatiue, cognitione tamen abſtractiua, Eſſentiam diuinã. Concluſio declarata, & ex parte, probata remanet ſupra in expoſitione mentis Scoti 5. *Secundo Scotus ait:* nunc vero confirmatur, Mathematicus cognoſcit abſtractiue intra, verbi gratia, cubiculum incluſus, Eclypſim Solis, quæ hodie contingit: vnde de re iam exiſtente habet cognitionem abſtractiuam, eamque cognoſcit diſtinctiſſime in genere cognitionis abſtractiuæ, vtpotè calculando tempus, Annum, menſem, diem, horam, & minuta: ergo pariformiter fieret de tali ſpecie diuinæ Eſſentiæ, vt quamuis ſit exiſtens, nihilominus cognoſci poſſit diſtincte abſtractiue. Item cognitio abſtractiua terminari poteſt ad rem, etiam exiſtentem, ex Scoto ſupra recenſito, exque alijs, ſola namque diſtantia, & præſentialitas facit differre abſtractiuam ab intuitiua: ergo de Eſſentia exiſtente haberetur, per talem ſpeciem cognitio abſtractiua.

Diſtantia, & præſentialitas, an faciant differre abſtractiuam ab intuitiua.

18 Vt vero amplius intelligatur huius rei poſſibilitas, aduertimus, præſentiam obiecti non ſufficere ad cognitionem intuitiuam, ſed neceſſario vltra requiri motionem, itaut quamuis obiectum ſit præſens, debeat quoque mouere potentiam ad cognoſcendum: vnde de duplici præſentia eſt diſtinguendum, alia quidem entitatiua, etenim multa mihi præſentia eſſe poſſent, at quia non omnia mouerent, non ea cognoſcerem intuitiue: atque hinc fit, vt Deus quidem immenſitate ſua ſit omnibus præſens, attamẽ non cognoſcitur ab omnibus intuitiue, ratio, quia eſt præſens præſentialitate entitatiua, non autem obiectiua, & motiua, vt in Beatis: hoc ſtante, per talem ſpeciem Deus eſſet præſens, at quia non eſſet præſens motiue, & obiectiuè, inde eſt, vt per eam cognoſcatur ſolum abſtractiue.

Præſentia entitatiua, & obiectiua.

19 Et ex hoc ſoluitur argumentum Suarij, & cæterorum, arguunt enim, Deus eſt præſens, & per immenſitatem, eſt vbique, ac per durationẽ; ergo cognoſcitur per ſpeciem intuitiue. Negatur conſequens, quia, & ſi ſit præſens entitatiue, non tamen obiectiue. Dices, eſt etiam præſens obiectiue, quia mouet intellectum per ſpeciem: Respond. ea ratione, qua mouet, ea eſt præſens, at mouet mediante ſpecie, tanquam principio cognoſcendi abſtractiue, ergo eſt etiam præſens, mouendo tamen abſtractiuè: eo magis, quod non moueret immediate, vt in Beatis, ſed mediate per ſpeciem.

20 Arguunt, exiſtentia eſt de quidditate Dei, ergo per ſpeciem cognoſcendo, cognoſcet non abſtractiuè, ſed intuitiuè, quia intuitiua eſt ad exiſtentiam. Reſponſio iam patet, negando conſequens, quia licet ſit exiſtens, non tamen mouet, vt præſens ie

Cognitio nõ quia eſt de exiſtenti ideo intuitiua.

sensu reduplicatiuo: Item quia etiam de existenti potest esse cognitio abstractiua.

21 Obstat, cognitio distincta, est cognitio quidditatiua omnium, quæ sunt in re cognita: ergo habens hanc speciem cognosceret quidditatiue, & distincte Essentiam, cum perfectionibus, atque insimul Trinitatem. Respond. verum de cognitione distincta intuitiua, hæc autem esset distincta in genere abstractiui. Item negatur consequens, quia cognoscens abstractiue distincte naturam humanam non est necesse, vt cognoscat supposita, in quibus reperitur natura humana: ita nec necesse erit, vt per speciem hanc cognoscantur Trinitas, & supposita, in quibus reperitur natura diuina: ita Scotus, de quo amplius in Argumentis: vere quidem Beati cognoscunt, & Essentiam, & Trinitatem cæterasque perfectiones diuinas, quia cognoscunt intuitiue ex Apost. *Videbimus eum sicuti est.*

Cognoscens abstractiue distincte naturam, non est necesse, vt cognoscat eius supposita.

22 Rationes alias congerit Scotus pro stabilimēto speciei possibilis dari, Verum quia ex fundamentum habent super persona Angeli, alio eas transferimus, ad materiam Angelorum.

ARTIC. III.

Occurrritur Argumentis Articuli primi.

Medium quod, & quo.

1 His actis respondendum rema net ad opposita. E ad primū Henrici dicendum, speciem illam fore *medium quo*, non *quod*: medium autem *quo* non impedit cognitionem, siue visionem immediatam: oculus namquè immediate quoque fertur ad parietem, licet inter ipsum, & parietem mediet species visibilis: ita & de specie intelligibili circa intelligibile, est enim medium *quo*: medium autem *quod* impedit immediationem, quia habet rationem obiecti prius, & immediate cogniti, estquè ratio videndi visa: at species est ratio videndi non visa. Item respondetur speciem hanc esse abstractiuam, ac propterea non videri per eam, nisi abstractiuè, non autem intuitiue in propria præsentialitate, quapropter, vt sic, non erit immediata ipsa visio, quia non esset intuitiua.

Species est ratio vid. di non visa.

2 Ad secundum, plus quidem distat Creatura à Creatore in essendo, quam Creatura à Creatura; etenim Creaturæ sunt finitæ, & limitatæ, Creatura autem, & Creator, se habent, vt finitum, & infinitum: finiti autem ad infinitum nulla est proportio: quamuis vero plus distent in essendo, non tamen plus distabūt in repræsentando; species namquè consideranda venit, vel entitatiue, & formaliter vel repræsentatiue; primo modo conuenit in essendo in essendo cum cæteris creaturis, quia ambæ sunt finitæ; & limitatæ in essendo; at in repræsentando, minimè; sic autem concepta, minus distabit à Deo, quia ipsa repræsentabit Deum, cuiusmodi non se haberent aliæ Creaturæ. Ad minorem vero, non dicimus Deum repræsentari hoc modo per Creaturam, sed dicimus Deum repræsentari per speciem quæ est eos creatum: licet vero etiam ipsa sit creatura, nihilominus habet munus repræsentandi tale, quale non habent cæteræ creaturæ.

Species, et plus distat à Deo, quā alia Creatura.

3 Ad tertium negatur consequēs ratio, quia cognoscens abstractiuè naturam hominis in se, non est necesse, vt cognoscat singularia, & supposita, in quibus reperitur talis natura: ergo cognoscens per speciem impressam, Essentiam diuinam, non est necesse, vt cognoscat supposita Trinitatis, in quibus reperitur. Ratio, quia Deus dat ipsi speciei vim repræsentandi tantum, quantum suæ diuinæ voluntati placuerit, vnde si dabit virtutem repræsentandi solam Essentiā absquè Trinitate, Essentiam repræsentabit, & non Trinitatem: si vero vim conferet repræsentandi Essentiam, & Trinitatem, tunc repræsentabit verūquè, Dieo species non est agens liberum, sed naturale, ergo non poterit repræ-

Species repræsentat à Deo, secundum virtutem repræsentādi sibi à Deo.

repræsentare vnum sine alio; Respon. concesso antecedenti, negatur consequens, ratio, quia ea solummodo repræsentat, quæ nata est repræsentare: ea autem nata est repræsentare, quorum virtutẽ recepit à voluntate Dei,

Species an repræsentat libere, an necessario.

repræsentandi, & non amplius: cum vero ais, esse agens naturale, ob quod necessario repræsentat, concedo necessario repræsentare, quantum est ex parte speciei, licet non ex parte Dei attamen species non potest plus repræsentare, quam recepit virtutem repræsentandi. Contra, supposita sunt in Natura diuina naturaliter, ergo videns Essentiam, videt & supposita. Negatur consequ. quia Essentia per speciem moueret, v. g. ad cognitionem sui, & non suppositorum.

4 Ad quartum, conceditur, quod per talem speciem Deus videretur, vt absens, videri autem, vt absentem, licet non sit absens, vt dictum fuit in responsione ad Suarium art. præced.

Deus præsens videretur per speciem nõ vt præsens.

Deus namquẽ est quidem præsens secundum entitatem, & immensitatẽ, at non omnibus fit præsens in ratione obiecti intelligibilis: vnde per hãc speciem videretur quidem Deus præsens, non autem, vt præsens; ratio fuit allata, alias cognitio esset intuitiua,

Cognitio intuitiua, & abstractiua de quo?

quæ est de præsenti, vt præsens est, non autẽ abstractiua, quæ est per speciẽ de obiecto, vt absens est, licèt aliũdẽ sit præsens.

5 Ad quintum, species esset vtique Magis assimilatiua Dei in repræsentando, non autem in essendo, & imitando, ratio, quia Deus, Anima, & Angelus sunt substantia licet differant in ratione finiti, &c. species autem est accidens; magis autem conueniunt substãtiæ inter sè in entitate, quam substantia. & accidens.

Potest Deus dare speciei maiorẽ vim repræsentãdi, quã Angelo, & Animæ.

Item Angelus, & Anima sunt imago Trinitatis: insuper imitantur Deum per operationes intelligendi, amandi, fruendi, &c. hæc vero non competunt speciei, cæterum potest Deus dare speciei maiorem vim repræsentandi, vnde se habent sicut excedens & excessum, in vno, vel in altero, & viceuersa, &c.

6 Ad sextum, distat species ab Essentia in infinitum, distantia vtique entitatiua, siue in essendo, non autem repræsentatiua, siue in ostendendo.

Species qualiter distet ab Essentia

7 Ad septimum, aliquid adæquari alteri contingere potest, vel in essendo, vel repræsentando: & hoc, vel in repræsentando simpliciter, absolute, & vndequaque, vel secundum proportionem: species nulla adæquatur suo obiecto substantiali in entitate, cum illa sit accidens, hoc substantia: nisi tamen, & ipsum obiectũ sit accidens; tunc enim staret adæquatio in entitate, vt albedo, & species eius: species diuinæ Essentiæ adæquari nequit ei in entitate, tum quia illa est accidens, hæc substantia; tum quoniam illa finita, hæc vero ro est infinita: cessat ergo adæquatio in entitate. Verum vtrum adæquetur in repræsentando, si loquamur absolute, & simpliciter, nequaquam, etenim Essentia est infinita, & species non potest repræsentare eam infinite, sed semper repræsentabit modo finito; vnde repræsentabit quidem infinitum, sed finite: si vero sit sermo de adæquatione in repræsentando proportionaliter, id concedatur: sensus autem erit, vt tantum repræsentet, quantum capax est intellectus creatus percipere: at non potest percipere repræsentationem infinitam, seu modo fiendam infinito, ideo repræsentatio erit ad proportionem; quæ proportio duo respicit, tum intellectum, tum eius operationem, si daretur namque species talis, vt per eam intellectus intelligeret: igitur Deus speciem illam inderet ad proportionem, vt tantam virtutem, tantamquẽ vim repræsentandi tribueret speciei, ad quantam Deus ipse ordinaret, & eleuaret intellectum creatum ad intelligendum: Verum, quia alter altero intelligere posset magis, minusque, hinc daret speciem vni intellectui creato repræsentatiuam magis, & alteri minus.

Species, an adæquetur, obiecto.

8 Ad rationem Paludani negatur consequens, etenim species ista, licet finita, repræsentaret infinitum, quamuis finite: esset autem non corporea, sed spiritualis. Ad id de actu, falsum est, actum intelligendi non

esse repræsentatiuum obiecti cognitiest namque etiam species expressa, similitudo sui obiecti.

Species an eiusdem rationis, cum obiecto.

9 Ad Durandũ, speciem, & obiectum esse eiusdem rationis, non semper in essendo, sed semper in esse intelligibili, & obiectiue: species namque albedinis est eiusdem rationis cũ albedine, tum in essendo, seu entitatiue, quia ambo sunt accidentia, & eiusdem speciei; tum obiectiue: at species intelligibilis substantiæ, non esset eiusdem rationis entitatiue, cum substantia, est enim illa accidẽs hęc substantia: essent autem eiusdem rationis obiectiue: ita & species diuinę Essentiæ, quæ esset eiusdem rationis cũ ea obiectiue, nõ entitatiue.

Beatitudo Angeli in via qualis?

10 Ad D. Antoninum, Beatitudo vtique est de obiecto præsenti, vt præsens est, quia *Videbimus eum sicuti est*: at per speciem hanc videretur abstractiue ipsa Essentia, & proinde abstraheret à præsentialitate obiectiue, vt dictum fuit ad Suarez. Contra, Scotus ait, Angelum esse Beatũ per cognitionem habitam per talẽ speciem, ergo non erit cognitio hęc abstractiua. Resp. Scotum docere Angelũ fuisse tunc Beatum beatitudine naturali, quæ bene potest esse in speculatione obiecti, abstrahentis à sua præsentialitate, licetq; sic præsẽs, non tamen contẽplati, vt præsens: at Beatitudo supernaturalis est illa, quæ non est abstractiua, sed intuitiua, & requirit absolute præsentiam obiecti.

Species fluens ab obiecto naturali est necessaria; secus à libero.

11 Ad Marsilium, & Bassolium, species illa fluit naturaliter, & necessario ab obiecto, quod obiectum est agens necessarium, & naturale: vt à pariete fluit necessario species parietis, quia est agens naturale: cæterum Deus non agit ad extra necessario, sed libere: ideoque speciem illam causat libere. Ad confirmationem non agit ad extra Essentia de se sola, sed Essentiam, vna cum voluntate, seu Essentia volens. Ad illud, quod species fluit ab Essentia, tanquam ab obiecto intelligibili, verũ, attamen fluit, tanquam ab obiecto intelligibili libero, libereque causante ad extra speciem, & intellectionẽ sui cum solum ad intra sit obiectum naturale intellectus diuini. Ad aliud, vtiq; Deus potens est se ipsum immediate reddere præsentem sub ratione obiecti intelligibilis, attamen species non ponitur frustra, sed poneretur adhoc, vt intellectio esset in potestate, verbi gratia Angeli, quatenus habẽdo speciẽ de Essẽtia, posset de ea producere intellectionẽ quandocunq; sibi placuerit, quod tamẽ facere nõ posset, si nõ haberet speciẽ.

Species obiecti cur ponitur.

12 Ad Sotum, Argumentum nõ magis militat contra speciem, quam contra lumen gloriæ, & contra gratiam, & charitatem: & quidem Deus est causa primaria, & principalis efficiens luminis gloriæ, actus gratifici & actus amoris: & nihilominus etiã lumẽ gloriæ est causa efficiens, at nõ primaria, visionis beatificæ; ita nec gratia actus meritorij, nec charitas amoris erga Deum, & proximum: quod si nõ implicat, vt hæc, depẽdẽter tamen à Deo, sint etiam causa effectiua horum effectuum, nec implicabit, vt species sit causa efficiẽs cognitionis abstractiuæ de Essentia. Ad illud de specie, quod debeat esse immaterialior obiecto, distinguendum, vel loquimur de obiecto materiali, vel immateriali: de primo verũ, & ita species parietis erit immaterialior pariete: de secundo falsum, etenim species Angeli, & Animæ non est immaterialior Angelo, & ita nec species diuinæ Essentiæ erit immaterialior ipsa Essentia.

Species an immaterialior sit obiecto.

13 Ad Angelos dicendum in potestate causæ primę situm esse, vt concursus eius, suaque causalitas suppleatur à causa secunda: & quidem posset Deus beare immediate per se ipsũ, attamen id facit mediante lumine gloriæ. Posset gratificare immediate per seipsum, seu immediate animam iustificare, nihilominus id agit mediante habitu gratiæ iustificantis. Possetque hominem immediate producere per seipsum, hoc tamen non obstante, vult quod homo producatur ab homine, & à Genitoribus. In his, & consimilibus casibus, contentus est Deus, vt creatura suppleat causalitatem immediatam Dei, sicque lumen gloriæ habitus

Causa secunda, an supplere possit vicem causæ primæ.

bitus

bitus gratiæ, & Genitoris ipsi supplent modum illum, quo vti posset Deus, at de facto, & vt plurimum, nō vtitur: & demum multa potest facere Deus de potentia absoluta, hæc tamen non facit, sed vult, vt Creatura operetur, ipseque desistat à modo illo operandi extraordinarie: ex his patet Creaturam supplere operationem alioqui immediatam causæ primæ, in hoc tamen nulla est implicanda imperfectio. Cum namque dicatur Creatura supplere vicem causę primæ, duo aduertantur, primo, quod tale supplementum fiat ex consensu, & voluntate Dei: & secundo, quod ex hoc non sit existimandum, causam secundam supplere aliquam impotentiam Dei, id enim esset blasphemum, Creaturæ namque, vtpotè imbecillis, & impotentis, solent vires, & vices suppleri, non autem Omnipotentis, & indefectibilis Dei: ergo id totum admittitur, omnibus semotis imperfectionibus, Applicando autem dicimus, Deum immittere posse speciem intelligibilem, qua mediante intelligatur abstractiuè Deus; qui dum potest immediatè per seipsum facere se præsentem, potest manifestare se per speciem, tanquam gerentem vicem sui.

Causam secundam supplere vicem primæ, quo modo admitti possit.

14 Ad alia subsequentia, & ad primum, iam dictum est speciem illam non manare necessario, & naturaliter, ex responsione ad Marsilium, & ad Bassolium. Ad id vero de comprehendere, negatur per eam comprehendi Essentiam; & ad probationem, tunc sequeretur comprehensio & adæquata manifestatio, quando Essentia esset causa naturalis talis speciei, etenim totam semetipsam manifestaret per speciem, sicut paries totum seipsum manifestat per sui speciem, nec in potestate sua est manifestari plus, minusque: at in potestate Essentiæ est dare speciei tot manifestationis, & repræsentationis gradus, quot placet, vt dictum fuit in responsione ad septimum. Ad confirmationem, licet non sit in potestate intellectus, plus minusue intelligere, est tamen in potestate Dei, magis minusue repræsentare; & ad mensuram manifestationis, & repræsentationis intelliget intellectus.

Species, an emanet necessario.

15 Ad secundum; tanta quidem erit species, quantum obiectum, non entitatiuè, cum obiectum sit infinitum, species finita: sed tanta proportionaliter, nempè tantum species repræsentabit, quantum placuerit ipsi Deo per speciem repræsentare.

Species, an tanta, quantum obiectum.

16 Ad tertium, accidens tale obiectiuum est mere fictitium, ratio, quia accidens dicit ordinem ad subiectum, cui inhæreat, non ad obiectum: ergo concesso accidenti subiectiuo, quod erit species subiectata in intellectu, negatur accidens obiectiuum informans obiectum: nisi dixeris, ex eo appellari obiectiuum ex quo paritur, & efficitur ab obiecto, quod conceditur, at non informabit obiectum.

17 Ad quartum, Deus, & species non se haberent eodem modo, etenim Deus esset causa primaria, & principalis, species autem causa instrumentalis, & minus principalis: idemque argumentum fieri posset de lumine gloriæ, & nihilominus concurrunt cum Deo ad causandam visionem beatificam, & iustificationē: ita, & hic.

18 Ad quintum negatur sequela, ratio quia, vt potentia operetur, oportet habeat in seipsa principium operandi, & non in altero non enim oculus meus videt per speciem albedinis existentem in oculo fortis; sed per existentem in oculo meo formaliter: non igitur Angelus videndo speciem Essentiæ in intellectu alterius, videret Essentiam. Dices videret speciem illam, ergo, & videret contentam Essentiam in illa spècie: Negatur consequens primo, quia species illa haberet rationem obiecti, non rationem videndi: secundo, quoniam species intantum repræsentat, in quantum vult ipse Deus, nec repræsentaret illi, cuius intellectum informaret, non autem huic, qui speciem videret. Tertio, quia species tunc haæret obiecti visi, non autem rationem videndi diuinam Essentiam.

Videns speciem in intellectu alterius, an videat Essentiam.

19 Ad sextum responsio patet

ex

ex responsione ad tertinm Henrici.

Indeterminatum multiplex.

20 Ad septimnm, duplex est indeterminatum, aliud est indeterminatum indeterminatione opposita singularitati: & taliter dicitur esse vniuersale, quia est indeterminatum ad inferiora, vt non potius de sè respiciat hoc, quam illud: aliud est indeterminatum indeterminatione opposita certo, & limitato gradui entis; loquẽdo de primo, Deus nõ est sic indeterminatus, quia vere est ens, existens, & singulare, habẽs indiuiduum Deitatis: secundo modo est indeterminatus, est autem sensus, quia eius entitas non est determinata ad certum, & limitatum gradum perfectionis, sed est limitata, & infinita: oppositam habet determinationem natura Creaturæ, quæ est determinatæ, atque certæ, limitatæ finitæque perfectionis: talis autem Dei indeterminata, seu infinita perfectio non impedit, vt possit per speciem, licet finito modo repræsentari.

Deus an indeterminatus.

DISPVTATIO SEXTA

De effectibus missionis Spiritus sancti, siue de Donis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, Quænam, & Quot sint Spiritus sancti dona.

Doni quid 1 QVid in primis intelligendum veniat per nomen *Doni* in præsenti materia, dicendũ, *Donum* hic non stare *notionaliter* pro persona Spiritus sancti; de ipsa namque in tali significatione actum est supra: Nec per *Donum* intelligimus id, quod circũscribitur sub ratione *irredibilis*, vtputa *donum est datio irredibilis*, dare namque, vt recipiat, *Quaestus est non donum*, ex Auic. Sed alia diuersa ratione de ipso loquimur in præsentiarum, nempè pro munere aliquo specialiter, & gratis collato à Spiritu sancto. Nec tamen insuper dicimus, quidquid à Spiritu sancto gratis collatum fuerit, inducere hoc in loco, rationem doni, ad sensum, de quo loquimur, quandoquidem sequeretur, virtutes, præsertim infusas, gratiam iustificantem, gratiasque gratis datas, fore appellandas dona: Non quidem negamus, omnia hæc esse dona Spiritus sancti, etenim ipse est Anthor istorum, & liberalis, gratiosusque ipsorum largitor, sic namque loquitur Iacobus cap. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum*, attamen in proposito nostro, longè aliter sumimus nomen doni, itaut late loquendo de dono, comprehendat ea omnia recensita. At vero dum presse, & rigorose de donis loquimur, ea appellanda nunc veniunt, quæ peculiari, ac specialiori titulo elargiuntur à Spiritu sancto, siuè ad prompte agendum; siue modo inhumano, vel superhumano operandum; siue ad operandũ perfecte: siue denique ad disponendum voluntatem, quatenus fiat mobilis à Spiritu sancto: iuxta sententias varias Henrici, D. Bonauenturę ac D. Thomæ, de quibus infra. Pro nunc vero dicimus, *Dona esse habitus quibus, Homo disponitur ad hoc, vt prompte, & faciliter exequatur motionem Spiritus sancti, in ordine ad actus singulares, & extraordinarios.* descriptio constabit infra.

2 Et autem sunt, quæ Isaias cap. 11. enumerat dicens, *Et requiescet super eum Spiritur Domini: Spiritus sapientiæ, & intellectus; Spiritus consilij, & fortitudinis: Spiritus scientia, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* *Dona quænam.*

3 Numerus talium donorum est

infi-

insinuandus, & ratio afferenda, cur non sint pauciora, vel plura.

Dona quot. 4 Quoad numerum, numerus est septenarius, vt patet: & consentiunt Patres ad eum locum, atque Scholastici D. Bonauent. Scot. Richardus, cæterique Sententiarij in 3. dist. 34. cum D. Thom. 1. 2. quæst. 68 art. 4. Verum vbi nos legimus, *Spiritus pietatis, & timoris*, Vatablus, & Pagninus ex Hebræo legunt, in fine, loco pietatis, *Timoris*: ac pro verbis illis, *Repleuit eum Spiritus timoris Domini* legunt *Odorari faciet eum omnes in timore Domini*, idest, exponente Rab. Dauid, & Vatablo, *Spiritus sanctus operabitur in Christo, vt cito, & facile odoretur ac cognoscat illum, qui timet Dominum, distinguatque bonos à malis.* Nihilominus legendum est cum Hieronymo, & cum septuaginta Interpretibus, atque cum Rabi Salomone, & vulgata, *Replebit eum Spiritus timoris Domini*, etenim Concil. Tridentinum Vulgatam editionem approbauit: sicque remanent dona esse septem: ita Hieronym. Cyrillus ad locum Isaiæ, August. 17. contra Faustin. cap. 15. Cyprian. 1. aduersus Iudæos cap. 20. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto. Nazianzenus orat. Penthec. Hilar. cap. 17. in Matt. &c.

Sufficientia enumeratio nis donorū. 5 Quoad secundum ideo septem enumerantur quia opponuntur septem capitalibus vitiis, quæ generantur in hominis irascibili, & concupiscibili: & quidem aliqui sic enumerant, penes D. Bonauent: Ex peccato causatur in concupiscibili duritia, & veluti impietas erga proximum indigentem: huic autem opponitur donum *pietatis*. In irascibili producitur timiditas sustinendi ardua pro amore Dei, & virtutis: huic autem opponitur *fortitudo*. Temeritati, autem, & præsumptioni opponitur *timor*. In parte rationali, siue in intellectu oriri solet inertia, & hebetudo, siue tarditas mentis ad cognoscendum Deum: huic vero opponitur donum *intellectus*, producitur in eodem passio quædam retrahans hominem ab amore vltimi finis; at huic opponitur donum *sapientiæ*. Causatur ignorantia, qua mediante ignoret ea, quæ conducunt ad vltimum finem: & huic opponitur donum *scientiæ*, atque demum oriri solet, veluti in parte eadem, stultitia quædam & inaduertentia circa media ad finē: & huic opponitur donū *consilij*: sic autem septem vitiis, septē correspondent opposita dona, tanquam medicina, & remedia vitiorum.

6 Alij sufficientiam sic tradunt, aiunt namque, dona perficiunt hominem, tum quoad partem contemplatiuam, tum actiuam: Incipiendo autem à contemplatiua aut dona perficiunt eam per modum intimæ penetrationis, seu speculationis, & hoc fiet per donum *intellectus*: aut per modum experientię & gustus, & id fiet per donum *sapientiæ*. Pergendo vero ad actiuam, aut perficiunt ipsam per recessum à malo, & hoc fit per donum *timoris*, qui quidem timor, cum sit perfectus, & filialis, erit propter Deum, procedens à dilectione Dei, retrahens ab offensa Dei: aut perficiunt quantum ad operationem boni, & hoc dupliciter: quandoquidem bonum illud, vel tenent omnes operari, vel non omnes: si primū vel donum consideratur, vt dirigens ipsam virtutem actiuam, & hoc fiet per donum *scientiæ*, vel consideratur, vt exequens, & hoc spectabit ad donum *pietatis*; si secundum, vel donum dirigit eandem virtutem, tanquam ad opus arduum, & id fiet per donū *consilij*: vel perficit virtutem, tanquā operantem opus arduum, & erit donum *fortitudinis*. Scotus aliundè enumerat, nempe ex septenario numero virtutum, quarum tres theologicę, & & quatuor Cardinales, numerum referunt septenarium. Sicut fidei correspondet donum intellectus, & sciētiæ: spei donum timoris, vel etiam temperantiæ charitati donum sapiētiæ: Prudentiæ donum consilij: Iustitiæ donum pietatis: & fortitudini donum fortitudinis. Ac denique Greg. lib. 2. Moral. cap. 36. sic opponendo, enumerat, dicens, *Spiritus sanctus cat sapientiam contra stultitiam: intellectum contra hebetudinem: consilium contra præcipitationem: fortitudinem*

con-

contra vilitatem; scientiam cōtra ignorantiam; pietatem contra duritiem mitimorem, vel humilitatem contra superbiam.

Dona figurata in scripturis.

7 Dona numero septenario recensita habent figuras plures in scriptura; Et quidem Gregorius lib. 35. Moral. cap. 7. accommodat ad ea, septem sacrificia oblata ab amicis Iobi. Bernardus tract. de donis cap. 7. septem lucernas fulgentes in candelabro, Exodi 25. & septem oculos existentes super lapidem vnum Exod. 37 idem que lib. 1. moral. cap. 28. septem filios Iob exponens illud Iobi 1. *Nati sunt ei septem filij.* Atque septem oscitationes Helisei super puerum mortuum ex 4. Reg. 4 Augustinus, serm. 209. de temp. septem candelabra aurea ex Apocal. 1. Beda homil. super 12. Matt. septem viros mulieris. Glosa in Isa. 4. septem mulieres, quæ apprehenderunt virum vnum, ibique Origen homil. 3. in Isa: Gregorius homil 7. in Ezech. septem gradus ascensus Ciuitatis: & homil. 19. septem gradus quibus ad portam ascendebant. Bernard. cap 8. de donis, septem spiritus relatos à Ioanne Apoc. 1. sicque figuris pluribus designata reperiuntur in scripturis.

Obstatur.

8 Dices, videntur esse plura, quam septem: probatur, quia scriptura post enumerationem donorum, subdit, *Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius,* ergo superaddendo iustitiam, & fidem, erunt nouem. Responsio prima est, quod ita sentiunt plerique esse nempe plura, quam septem, & inter cæteros, id obijcit Durandus.

Occurritur

Respondetur secundo non esse recedendum à communi sententia Patrum, & Theologorum, enumerantium non plura, nec minus, quam septem. Et ad obiectionem dicendum, per *fidem*, & iusti iam ibi intelligi virtutes, non dona, non enim ait, & erit spiritus iustitiæ, & fidei sicut dona circumferri solent sub nomine Spiritus, sed ait absolute, *iustitia, fides, &c.* Et per fidem hic Cyrillus, & Hieronymus, colligentes ex versione 70 non intelligunt fidem theologicam, sed fidelitatem, & veracitatem in adimplendis promissis. Ita Tanner. tom. 2. disput. 3. quæst. 6. dub. 1. num 11.4. Nec obstat.

QVÆSTIO II.

Vtrum dignitas donorum Spiritus ſancti attendatur ſecundum enumerationem Iſaiæ, an Matthæi,

1 Circa ordinem enumerationis non conueniunt Iſaias, & Matthæus; quandoquidem Iſaias incipit à dono ſapientiæ, cap.11.inquiens, *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, enumerans vero, ait, *Spiritus ſapientiæ*, apponens primo loco ſapientiam: Matthæus vero c 5 ait, *Beati pauperes ſpiritu*, exordiens hinc enumerationem, vtpote ab *humilitate*. Cauſa autem huius differentis enumerationis diſquiritur: ex quo minime videtur conuenienter fieri, dum inter ſe non conueniunt: probatur autem.

Arguitur pro negatiua.

2 Primo enumerationem Iſaiæ non eſſe ordinate factam, ſic, Progreſſus fieri debet ab inferiori ad ſuperius: aut Iſaias progreſſum donorum non ſic coordinauit, probatur, incæpit namque à ſupremo, quod eſt donum ſapientiæ, cum potius incipere debuiſſet à dono timoris, qui tamen eſt in poſtremo loco. Secundo, illud videtur potiſſimum inter doua, quod maxime exigitur à Deo: at timor quam maxime expetitur à Deo, probatur Deut. 10. *Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi, vt timeas Dominum Deum tuum?* & Malach. 1. *Si ego Dominus, vbi eſt timor meus?* Ergo debuerat incipere à timore. Tertio, habitus intellectiuus præcedit habitum affectiuum: ſapientia ſpectat ad affectiuam: intellectus vero ad cognitiuam; ergo donum intellectus præcedere debuerat donũ ſapientiæ: ſapientiam vero ſpectare ad affectiuam patet, quoniam per ſapientiam, ex communi, intelligitur charitas. Quarto Iſaias enumerat prius *conſilium*, quam *fortitudinem*; & prius ſcientiam, quam pietatem: at nobilior eſt fortitudo, quam conſilium: nobiliorque pietas, quã ſcientia: ergo non obſeruatur ordo. Quintò pietas eſt quoddam bonum vniuerſale: ait namque Apoſtolus ſcribẽs ad Timoth *pietas ad omnia vtilis eſt*. Bonum autem vniuerſale eſt præferẽdũ particulari: ergo debuerat ante omnia enumerari donũ pietatis.

Enumeratio eſt rite facta tum ab Iſaia, tũ à Matthæo.

2 Nihilominus eſt abſolute dicẽdum, optima cum ratione factam fuiſſe enumerationem, tum ab Iſaia, tum à Matthæo. Ita expreſſe Auguſtinus lib. 1. de ſermon. Domin. in Mont. cap. 9. inquiens, *Mihi videtur ſeptiformis operatio Spiritus ſancti, de qua Iſaias loquitur, his gradibus, ſententijſque congruere, de quibus fit mentio* Matt. 5. Accedit D. Bonauentura in d 34 quæſt. 2. art. 2. & D. Thomas 1. 2 quæſt. 68 art. 7. aſſignantes optimas rationes talium ordinum, & enumerationum.

3 Et quidem ordo vtriuſque aſſignationis haberi poterit ex multiplici capite: primo ſecundum prius, & poſterius tempore, vel perfectione ſecundo iuxta varium ordinem aſcendendi, & deſcendendi: & tertio iuxta diuerſitatem efficientis, & ſubjecti reſpectu habituum.

Ratio aſſignationis penes prius tempore, & perfectione

4 Loquendo de primo, aut ſpectamus hæc ſecundum prius, & poſterius perfectione, & ſic donum ſapientiæ eſt primum: & hinc incipit Iſaias, ſpectando ordinem perfectio-

nis:

nis: aut spectamus iuxta prioritatem temporis, & vtique donum humilitatis secundum Matthæum, seu timoris, est primum, istud namque præcedit quantum ad vsum; ratio, quia humilitas, & timor viam sternit ad ipsa vlteriora dona, & præcipue ad sapientiam, nam Sap. 11. dicitur, *Timor Domini initium sapientiæ*: quod etiam docet Scotus in 3. d. 34. quæst. vnica lit. O.

Penes ascensum, & descensum.

5 Loquendo de secundo, variatur enumeratio, iuxta ascensum, & descensum: sicque in ascendendo, dicendū est, fieri exordiū à dono inferiori, & ita egit Matthæus: at in descendēdo, exorsum est à dono superiori, & talis fuit enumeratio Isaiæ: ille dixit, *Beati pauperes Spiritu*: hic vero, *Replebit eum Dominus Spiritu sapientiæ*: illud Matthæi est infimum, at hoc Isaiæ est supremum.

Penes causam efficientem, & subiectiuam.

6 Loquendo demum de tertio, in ordine ad principium efficiens, & in ordine ad recipiens subiectum talium donorum: circa primum, attendenda est persona Spiritus sancti, qui est collator donorum: & sic potest præponi id, quod perfectius est; etenim in Spiritu sancto summa perfectio est, atque hinc est, vt præponatur id, quod magis approximat Spiritus sancti perfectioni, id vero est sapiētia, seu charitas quę Spiritui sancto appropriatur, qui est Amor Spiratus: circa secundum, attendendum est liberum arbitrium in ratione subiecti receptiui donorum: hoc autem stante, præmittitur donū illuc, quod magis appropinquat imperfectioni Creaturæ, & hoc est donum humilitatis & timoris; Ita de vtraque, Isaiæ, & Matthæi enumeratione discurrit Bonauentura. Vnde concluditur diuersimode fieri ennumerationem: modo incipiendo à superiori: modo ab inferiori.

Isaias, & Matthæus concordant

7 Hoc totum confirmat idem Augustinus, qui ibidem, ait, *Aliquando enumeratio donorum incipit à primo vtpotè à timore, sicut Dominus innuit in Matthæo: aliquando à summo, vt potè à sapientia, sicut scribitur in Isaia.* Et insuper, cum prius dixisset, *Videtur mihi septiformis operatio Spiritus sancti, de qua Isaias loquitur, his gradibus, sententijsque congruere de quibus fit mentio Matt. 5.* inde tamen subdit, *sed inter est ordinis; nā ibi; scilicet in Isaia, numeratio ab excellentioribus capit: hic verò ab inferioribus.* Et ex his reconciliantur hi duo textus; non enim dissordes sunt, dum ambo Spiritu sancto inspirati, ordinem sic, vel sic texuerunt, spectato tamen alio, & alio enumerādi ordine ipsa dona; & vterque enumerandi ordo, congruus, & rectus est.

8 Atque hinc facile occurritur argumentis. Et ad primum de Isaia & Matthæo, iam constat ratio huius variæ enumerationis.

9 Ad secundum, respondet D. Thomas, vtique Deum exigere quā maxime à nobis donum timoris: at, tamen non exigit hoc quā maxime quasi ipsū sit cæteris donis nobilius, & dignius, sed quia ipse timor est quoddam primordium perfectionis donorum; nam prius est recedere à malo, quod fit per timorem, vt dicitur Prouerb. 16. quam facere bonū quod fit per alia dona. Coincidit cum Bonauentura, qui iam dixerat, timorem præcedere *quantum ad vsum*, & esse priorem *tempore*, non autem *perfectione*.

Habitus intellectiui præcedunt origine affectiuos.

10 Ad tertiū, vtiq; habitus intellectiui præcedūt origine, seu originatione habitus affectiuos: nempe habitus pure & præcise affectiuos: at sapiētia, inquit Bonauent. non est habitus sōlummodo, & præcise affectiuus, quoniam, inquit, ipse, *Sapientia habet intra sè cognitionem experientiæ, qua adeo dirigit, & ordinat, quod circa vsum illius doni, vix, aut nunquam habet error accedere; & propter hoc dicit quadam Glosa; quod donum sapientiæ, donum intellectus habet dirigere, quod ideo dictum est quia cognitio experimentalis de diuina suauitate amplificat cognitionem speculatiuam de diuina veritate; secreta enim Dei, amicis, & familiaribus consueuerunt reuelari.*

Sapientia est habitus directiuus, et affectiuus

11 Ad quartum vtique pietas nobilior est scientia: & fortitudo cōsilio; attamen præcedunt illa in ratione directiui; consilium namque, & scientia sunt habitus directiui: at

Ccc 2 prius

prius est dirigens quam directum in ratione regulæ, & directiui, licet sit aliunde minus perfectum.

12 Ad quintum ait D. Thomas, quod Apostolus non comparat pietatem cæteris donis: sed exercitationi, & labori corporali; & in ordine quidem ad hoc, ait, pietatem esse vtiliorem, & meliorem; de tali autem exercitatione, inquit, quod *ad modicum vtilis est.*

QVÆSTIO III.

Vtrum dona sint necessaria ad salutem.

Necessitas donorū ex D. Thom.

Dona esse necessaria ad salutem ait D. Thom. 1.2. quæst. 68. art. 2. Probari autem potest, ex psal. 143. vbi habetur, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Item Spiritus sancti dona tribuuntur solis iustis, qui in gratiam Dei recipiuntur, vt colligitur ex Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei.* & rursus, *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Confirmatur, quia Spiritus sanctus neminem inhabitat, nisi per charitatem, vt Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis:* at perfecta charitas datur iustis, Spiritus autem sanctus datur per charitatem diffusam in cordibus iustorū ergo Spiritus sancti dona sunt necessaria ad salutem. Insuper probatur ratione, Deus, veluti author, conseruator, & restaurator, ac glorificator naturæ prouidere non desinit, quantum est ex parte sui, de medijs necessarijs, ad consequendum hominis finem: finis autem hominis duplex est alter naturalis, & supernaturalis alter: loquendo de naturali; tribuit ei virtutes intellectuales, atque morales quibus intellectus eius, & voluntas tenderet in finem naturalem: loquendo de supernaturali, contulit eidem virtutes theologales quibus adipisceretur finem supernaturalem: inter cæteras autem virtutes perfectior est charitas, cum ipsa sit forma virtutum: at Spiritus sanctus datur, *per charitatem diffusam in cordibus nostris* ex Apostolo, est vero necessaria ad salutem charitas, ergo & erunt necessaria ipsa dona. Et hinc D. Thomas infert ar. 5. huiusmodi dona esse coniuncta cum charitate, quemadmodum virtutes morales connexæ reperiuntur cum prudentia.

Dona sunt connexa cum charitate sicut virtutes morales cum prudentia.

Quod si quis necessitatem hanc negauerit, non poterit quidem negare absolute necessitatem omnium; nam de aliquibus donis fit expressa mentio in scripturis, & quidem de timore dicitur Ecclesiast. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari:* & de sapientia cap. 7. Sap. habetur, *Neminem diligit Deus: nisi eum, qui cum sapientia inhabitat.*

Ex Scoto.

2 Scotus in 3. d. 34. aliunde facillime probat dona esse necessaria ait, ad salutem, ex eo quidem, quia dona, ait esse idē, & non distingui à virtutibus: hinc vero arguitur, virtutes Theologales sunt necessariæ ad salutem: at dona sunt idem cum virtutibus, ergo consimiliter ex identitate, colligitur necessitas donorum ad salutem.

Richardi sententia. 3 Richardus vero in 3.d.34. art. 1. quæst. 5. refert sententiam aliquorum, quos ipse appellat *Magnos* negantium esse necessaria; ratio, quia per virtutes homo sufficienter disponitur ad salutem: dona autem esse superflua, & dari ad superabundantiam, non ad opera necessitatis, sed super erogationis, ipse vero problematicus est, & disputat ad vtramque partem.

An necessaria quo ad actum. 4 Vnum super est, disquirere vtrum dona necessaria sint quoad habitum, & actum simul, an sufficiat alterum istorum, dato quod sint necessaria ad salutem. Non esse absolute necessaria quoad actum, probatur primo de paruulis, hi namque, vtpote vsu rationis carentes, decedentes cum baptismatis gratia, saluantur, at non saluantur per aliquem actum meritorium ipsorum, sed per merita Christi. Secundo probatur de adultis, plures namque adipiscuntur salutem actibus virtutum ordinarijs; non enim in omnibus experimentũ, & exercitium reperitur illius tam magni impulsus prouenientis, vel ab excellenti dono sapientiæ, & consilij, vt in Salomone, adhuc duodecim annorum, iuxta Hieronymum epist. ad Rufinnm, de iudicio acto, & sententia lata in dissecando puero, ad discernendam veram pueri interempti, & viuentis matrem. ex 3. Reg. 3. Nec in omnibus elucet animi fortitudo Eleazari, qui 1. Machab. 6. *Iuit sub pedibus Elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum, & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.* qui & prius intrepidanter *irrupit in mediũ legionis, interficiens à dextris, & à sinistris.* Nec strenuitas Sampsonis, ex columnarum ædificij euulsione, phi listæos, ac insimul semeripsum perimentis: Nec denique elucent in omnibus virtutes illæ *heroicæ*, quæ reddant teste Aristot Ethic. 1. homines, *quodammodo diuinos* sicut, & de speciali etiam motione Spiritus sancti habemus de Simeone de quo Lucas 2. *Venit in Spiritu in templum*, nempe

Salomon duodecim adhuc annorum sententiam tulit in causa vtriũ demortuo, & viuo infante.

ex speciali impulsu Spiritus sancti, ad recipiendum, quem tantopere expectabat, in vlnis suis Messiam, quemadmodum quoque de Christo Domino Lucas idem cap. 4. ait, *Iesus autem plenus Spiritus sancto, regressus est à Iordane, & agebatur à Spiritu in desertum*, ac Matt. 4. *Tunc Iesus ductus est à Spiritu in desertum, vt tentaretur à Diabolo*: Spiritus autem ille erat Spiritus sanctus, inquit Gregor. homil. 16 in Euangel. Cum ergo hæc & similia non reperiantur semper, & in omnibus: remanet statuta conclusio, vt dona minime ab solute necessaria sint quantum ad actum, & ad hunc sensum traliũt. D. Tho. Valent. tom. 2. disput. 5. quæst. 8. punct. 3. & Salas 1.2. quæst. 68. tract. 12. disp. vni. sect. 7.

5 Atque his stantibus, consequenter inferimus, necessaria esse quantum adhabitum: ita Authores prædicti. Rationes primi asserti iam patent: & fundamenta secundi tradita sunt initio quæstionis.

6 Obstari poterit ex Gregor. qui lib. 1. Mora. cap 32. ita scribit, *Neque eũ hoc, est sapere, quod intelligere, quia multi æterna quidem sapiunt, sed intelligere nequaquam possunt: sapientia ergo in die suo conuiuium facit, quia mentem de æternorum spe, & certitudine reficit: intellectus in die suo conuiuium parat, quia in eo, quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illustrat.* Ex hinc autem deducitur dona hæc non esse necessaria, quia ait, non esse idem sapere & intelligere: atque aliũ esse diem conuiuij sapientiæ, alium intellectus. Sed respondetur primo negando sequelam: etenim quamnis sint necessaria, non tamen inter se sunt idem, distinguitur namque vnũ ab altero. Dicendum secundo Gregorium loqui de donis, quantum ad actũ, quia aliquis habebit actum, & operationem vnius doni, & non alterius, quia non erit fortasse dispositus ad talem actum; cæterum esse inter sè connexa quoad habitum, de quo loquemur quæst. seq.

Obstatur. *Occurritur.*

QVAE.

QVÆSTIO IV.

Vtrum dona sint habitus.

Scotistarũ sententia affirmatiua

1 Scotistæ facillime se expedirent ex quæstione hac, innixi supra identitate virtutum, & donorum, de quibus infra quæstio. 5. dum namque docet Scotus in 3 d. 34. quæst. vnic. non distingui realiter, inde facile colligi potest, vt dicant, dona esse habitus, probatur, virtutes sunt habitus: dona sunt idem cũ virtutibus, ergo & ipsamet sunt quoq; habitus.

Probation. D. Thomæ.

2 Diuus Thomas 1. 2. quæst. 68. artic. 3. Sic probat ita se habent dona ad homines comparatione ad Spiritum sanctum, sicut se habent virtutes morales ad vim appetitiuã, comparatione ad rationem; at virtutes morales sunt habitus, quibus vires appetitiuæ disponuntur ad prompte obediendum rationi, ergo & dona Spiritus sancti sunt quidem habitus, quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui sancto. Secundo probat ex eo, quod Dominus dixit discipulis de Spiritu sancto Ioann. 14. *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Manere autem indicat statum, & consistentiam per modum habitus. Item Isa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Requiescere autem dicit statum, & permanentiam: sicut apud eundem Ioannem, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

3 Secunda istarum probationum patitur ab aliquibus instãtiam: quandoquidem modus ille *manendi*, & *requiescendi*, ac *mansionem faciendi* nedum locum habet in habitibus, verum, & in actibus, probatur, per actus bonos, vel prauos dicitur Spiritus manere, vel recedere ab Anima: Item per actum peccati dicitur Diabolus manere in ea quamuis eo vsque habitum non effecerit peccator peccandi: & per eundem peccaminosum actum dicitur in Anima inhabitare: non ergo ex tali loquendi modo, *manendi, & quiescendi*, elicitur necessario ipse habitus.

Permanentia physica, & moralis.

4 Verum plura dicimus, & quidem verbum ipsum *manendi*, sicut & *Quiescendi*, est verbum *status*, & *permanentiæ*, Item distinctio penes theologos nota est, nempe dicendo, per modum *permanentis*, & per modum *transeuntis*. Rursus *permanentiam*, siue *quiescentiam*, seu *quietem* considerare possumus, vel physice, vel moraliter: physica permanẽtia habet pro fundamento, vel actum continuatũ, vel habitum: moralis neutrum istorum de necessitate; primum patet ratione actus continuati per tempus aliquod, vtpote actus istius scriptionis continuatæ, verbi gratia, per horam: secundum quoque patet, ratione habitus iam acquisiti de ipsa scriptione: vterque autem physice permanet, licet alter diutius altero. Moralis autem permanentia haberi potest absque physica: probatur in homine peccatore: in quo quidem, transacto peccato nil physicum remanet, non enim manet actus peccaminosus, iam consummato peccato: Demus quoque talem nunc primo peccasse, & consequenter nec habere in seipso habitum, qui foret derelinquendus ex pluribus actibus: nisi tamen dicamus ex vnico actu intenso oriri inde habitum, at abstrahamus ab hoc, & demus, actum illum

vnicum

Permanentia, an competat actui. vnicum esse remissum, impotentemq; producere habitum: concessis, & suppositis his, quid nam remaneret in illo peccatore, per quod remaneret per modum permanentis, iniustus? dato, quod non statim recedat ab iniustitia sua, Remaneret vtique reatus, & macula: & ex hoc appellaretur permanenter iustus. Ex discursu autem elicitur, quod peccator dum quidem peccat, eo tunc dicitur ex actuali peccati perpetratione iniustus: at iniustitia, hæc transit, quia transit ipsa actio, remanet vero reatus, & macula, ex quibus inde, transacto actu, dicatur permanēter iniustus. Ita, & de iusto, dum namque opus meritorium facit, appellatur actuali denominatione iustus at quia actio illa transit, dicetur per modum transeuntis, iustus: verum quia & si actio transeat, remanet nihilominus habitus gratiæ, & charitatis in eo, hinc appellatur indè habitualiter iustus. Concludimus autem, stante actuali operatione, appellari per modum transeuntis iustum, vel iniustum: transacta autem, denominari per modum permanentis iniustum. Aliqua infra quæstione sequent. linquo quæ dicuntur de quiete negatiua, de qua in physicis.

5 His actis ad argumentum dicimus, quod si spectemus actualem operationem, siue bonam, siue prauam, non poterit per eam appellari quis permanenter, vel valde permanenter, siue longo tempore actualiter iustus; quamuis namque operatio aliquanto duraret, non tamen foret valde ad longum durans: Et propterea bene concludit ratio D. Thomæ, colligētis ex permanentia donorum, dona ipsa esse habitus: permanentia namque competit habitui: Si vero spectemus id, quod ad talem operationem sequitur, inde quidem poterit permanenter appellari iustus, vel iniustus, nisi tamen cito à iustitia per peccatum recedat, vel ab iniustitia per conuersionem: sicque dicetur homo, iustus, transacto actu, per habitum iustitiæ formaliter sibi inhærentem, vt loquitur Concil. Tridentin. Session. 6. cap. 7. Et peccator dicetur iniustus per reatum, maculam, priuationemque gratiæ, siue per iniustitiam habitualem, per modum permanentis in eo existentem. At de hoc in 4. dist. 14. quæst. 1. Ex Scoto. Ex quo fit, vt permanentia competat propriè, & rigorosè habitui, ipse namque permanet de sè, actus autem transit: dixi de sè, quia dum habitus est de difficili mobilis, ideo quantum est de sè, competit sibi permanentia. Quod vero talis habitus in hoc homine decidat, per accidens est.

Habitui cō petit de sè permanentia.

6 Arguitur aduersus principale intentum, Prophetiæ donum non habet rationem habitus, ergo nec cætera dona Spiritus sancti: probatur ex Gregorio homil. 1. in Ezech. dicente, *Non semper Spiritus prophetiæ adest Prophetis*. Secundo Spiritus sancti dona perficiunt hominem, secundum quod agitur à Spiritu Dei: at id, quod agitur ab aliquo, se habet tanquam instrumentum illius: non conuenit vero apponere habitum in instrumento, ergo nec dona in homine habebunt rationem instrumenti, est namque homo, veluti instrumentum Dei. Tertio Gregorius 2. Moral. cap. 41. ait, *In cunctis fidelibus Spiritus sanctus venit; sed in solo Mediatore semper singulariter permanet*. Ergo saltem in cæteris Beatis dona non erunt habitus. *Obstatur.*

7 Ad primum respondetur, donum prophætiæ esse de donis illis, quæ ordinantur ad manifestationem Spiritus, & in vtilitatem aliorum, ideoque non est necesse, vt habeat rationem habitus: dona autem Spiritus sancti conferuntur ad propriam salutem, ideo habebunt rationem habitus, tanquam formæ inhærentes, veluti principia talium operationum. Vide D. Thom. *Prophetia; an habeat ratione habitus.*

8 Ad secundū, procedit de instrumento artis, nō enim securis habet habitum inhærentem ad scindendum: Homo autem, tanquam instrumentum non artis, sed Dei, bene potest informari habitu ad operandum. Vide Scotum 4. d. d. 1. quæst. 1. Respondet D. Thom. verum esse de instrumento, cuius non est agere, sed solum agi: at Homo taliter agitur à Spiritu san- *Instrumento, an possit apponi habitus.*

sancto, quod etiam ipse agit.

9 Ad tertium, sensus est, quod fideles recipiant dona Spiritus sancti, nihilominus plures ex ijs ea dona perdunt, dum peccando, ipsa dona amittunt, ideoque non semper in omnis manent, at Christus Dominus ab initio suæ Conceptionis repletus fuit donis Spiritus sancti, & perseuerauerunt in ipso semper.

QVÆSTIO V.

Vtrum Spiritus sancti dona distinguantur à virtutibus.

Henrici sententia.

VTrum autem dona hæc distinguantur à virtutibus, an vero sint idem habitus, variāt Theologi. Primo autem loco se se offere sententia Henrici, qui Quolib. 4. quæst. 43. ait omnino distingui, quandoquidem virtutes perficiunt hominem modo humano, dona autem modo super humano: vt hoc, & alia plura de eo refert Scotus citandus. Explicans vero Henricus modos illos, inquit, contingit hominem tripliciter se habere: modo quidem humano, vt quando sustinet terribilia ex instinctu virtutis moralis acquisitæ, siue infusæ, non tamen absque tristitia: Modo super humano, vt quando terribile sustinetur cū gaudio, sicut in Apostolis, & Martiribus: & modo inhumano, & quasi diuino, quando mors non solum non timetur, sed cum gaudio appetitur, vt de Paulo, *cupio dissolui, &c.*

Impugnatur. 2 Sententiā hanc impugnat Scotus in 3. d. 34. quæst. vnic. multipliciter & primo, Charitas est excellentissimum donum ex Paulo 1. Corinth. 13. *Si si adidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, & ex August. 15. de Trinit. cap. 19. igitur non videtur reperiri aliquod donum, quod perficiat hominem excellentius charitate. Item habitus disponit ad agendum modo infimo, perfecto, & supremo: vtputà idem habitus fortitudinis disponere potest, & inclinare ad sustinendum terribilia perfecto modo, perfectiori, & perfectissimo: est autem idem habitus habilitans ad sustinendum sic, & sic, secundum varios gradus, ergo non prouenit à dono. Dices, id non prouenire ex eodem habitu, sed à diuersis alterius rationis, quemadmodum diuersi sunt gradus sustinentiæ. Contra, primo, quia sequeretur, quod habitus, qui disponit, verbi gratia ad sustinendum in infimo gradu, esset necessario imperfectus, probatur, quoniā non posset habere actum perfectiorem at non est ita, etenim cooperante homine ad virtutem, & expendendo totum conatum suum, posset vtique elicere actum perfectiorem. Secundo frustra multiplicarentur species talis virtutis, quia nulla adesset necessitas, sufficiente illo habitu virtutis.

3 Insuper, Christus Dominus tristabatur, iuxta illud, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; & quamuis voluntarie sustinuisset mortem, iuxta psalm. 102. *Voluntarie sacrificabo tibi*, nihilominus, talis oblatio, sacrificiū, & mors non fuit absque tristitia ex Ac-

August. 13. de Trin. cap. 7. at in Christo fuerunt dona, ergo per dona non egit modo super humano; etenim modus sic sustinendi ex Henrico, expellit tristitiam. Ita quoque arguitur de martiribus, in quibus erãt dona, & tamen dolebant, quando per miraculũ nõ impediebatur dolor. Confirmatur ex eo, quod refert ibidẽ Augustinus, de Pphilosophis: dicebant namque Philosophi se esse Beatos, quia habebant quidquid volebant; nam si prospera accidebant, ea volebant: si aduersa adueniebant, similiter acceptabant, quia patienter sustinebant: Arguit vero Augustinus inquiens, In aduersis non habuerunt, quod voluerunt quia quantum erat ex sè, nolebant illa accidere: si tamen accidebant, voluerunt ea patienter sufferre, ne amissa patientia, miseriores essent: Ex hoc autem insuper arguitur, patientiæ obiectum non sunt res appetibiles, sed circa eas potius delectamur: sustinendo ergo aduersa, tunc exercebant patientiam, quia aduersa non sunt secundum se à portione inferiori, & sensu appetibilia, quod si appetibilia non sunt, ergo non habebant quidquid volebant, quia quamuis sufferebant, tamen natura talia aduersa respuebat.

4 Rursus, impossibile est aliquẽ operari, seu pro ducere actum aliquem, *humane, superhumane, & inhumane*; ergo dum Homo aliquis operabitur simul humane, & suuperhumane, non proueniet operatio talis ab eodem habitu, sed à diuersis, quorum alter erit principium inclinans ad agendum humane, & alter superhumane.

5 Item sequitur, quod adueniente infusione doni, euacuabitur virtus prius acquisita, vel infusa: & ita euacuabuntur virtutes infusæ in baptismo, adueniente dono, probatur, quia donum est ratio exeundi in eundem actum, in quem inclinabant virtutes, imo perfectiori modo, ratione doni, dum ait, quod mediante virtute operatur Homo modo humano, & mediante dono, modo super humano: vel saltem non erunt amplius necessariæ ipsæ infusæ, & acquisitæ virtutes, haberetur namque æquiualens imo super excellens quod esset ipsum donum. Consimiliter arguitur de Beatitudinibus, quod aduenientibus ipsis euacuabuntur dona, & infusæ virtutes, at in Patria per beatitudines non euacuabitur charitas.

6 Præterea, *humane*, & *superhumane* sunt vocabula metaphorica: quoniam proprie loquendo, modus agendi hominis, est agere modo humano, & appellabitur humanus: non enim conuenit mihi, inquit Scot. agere, quod agere conuenit Regi, & multominus, quod conuenit agere Angelo: igitur quicunque habitus disponit hominem ad agere modo humano. Confirmatur, nam dum Homo operatur virtuose, atque meritorie, tanquam eleuatus per habitum gratiæ, operatio illa non venit appellanda operatio Angelica, sed humana.

7 Insuper, si alicui tribueretur donum *intellectus*, & non exercitaret se circa credibilia, eo quia non haberet fidem acquisitam, nam fides infusa non exit in actum sine acquisita; posset vtique ille talis operari modo superhumano propter donum intellectus, circa principia fidei; & consequenter posset excellentius operari circa talia, quam quilibet alius exercitatus in scriptura: quod tamen non experimur, inquit Scotus, imò quicunque talis forte facilius, subdit Scotus, erraret circa credibilia, quam alius exercitatus in Scriptura. Denique arguit, circa tot conuenit ordinari bene humane, circa quot superhumane, ergo est modus idem operandi vbique. Hic vero obseruandum, quod cum ait Scotus, circa tot conuenire operari bene humane, & superhumane, non excludit ab operari humane gratiam Dei: itaut sit sensus, id quod *superhumane* operaretur quis per donum, posset quoque operari *humane* per virtutem, & gratiam. Hæc de Henrico.

8 Vltra autem Henricum sunt, & plures alij conuenientes in distinctione donorum à virtutibus, quamuis in assignanda ratione, & via differentiæ non conueniant: referamus tamen aliquas ex ipsis, vnde.

9 Secundo loco succedit opinio

Differētia donorum à virtutibus ex D.Bona. D.Bonauent.is namque in 3.d.34.ar. 1. qu. 1.ait differre virtutes à donis: differentiam vero consistere asserit in eo,quod per virtutes homo agit *recte* per dona autem, *perfecte*. Hanc impugnat quoque Scotus,inquiens,per eandem virtutem ago recte,& perfecte,ergo non distinguuntur. Explicatur magis ratio Scoti, virtuti competit,& rectificare potentiam, & perficere eam: ergo per eandem virtutem agimus recte,& perfecte. Insuper virtus est perfectio habentis in se,qua opus eius perfectum redditur, & expeditum, quia virtus est habitus faciens expedire, & faciliter operari: per hoc autem vltimum impugnat membrum alterum de Beatitudinibus,de quibus Bonauentura ait, quod faciunt agere expedite: Scotus vero inquit,expedite agere conuenit etiam virtuti, quoniam virtus facit prompte,faciliter,& expedite agere.

Differētia ex D.Tho. & Henr. 10 Tertio loco se se offert sententia D.Thomæ, & Richardi:aiunt autem,virtutes distingui à donis,quia virtutes disponunt voluntatem,prout est mobilis à recta ratione: dona autem disponunt eandem, prout est mobilis à Spiritu sancto.Confutat vero insuper Scotus sic arguendo, & primo,falsum est,inquit Scotus,quod ratio moueat voluntatem,ergo virtus non erit dispositio mobilis in voluntate.Vrique rationi non competit,nisi regulatiuas,& directiuitas penes voluntatem, præostendendo obiectum voluntati, cæterum voluntas ipsa est Domina, & Regina in toto regno Animæ, vt probat Scot.in 4. d. 49. quæst.4.Acceditque Themistius, qui 3.de Anim.cap.59.text.46.ait,*Dominum motus non esse intellectum practicum,sed solum appetitum esse Dominū*; per appetitum autem intelligit potētiam appetitiuam voluntatis. Arguit secundo Scot. quia per talem differentiam non ponitur distinctio Beatitudinum à donis,& virtutibus. Et tertio,quia per idem aliquid est proportionarum moueri primo,& secundo; ergo si per virtutem proportionatur voluntas rationi, per eandem proportionatur Spiritui sancto, & consequenter non oportet ponere alios habitus propter motionem fiendam à Spiritu sancto.Antecedens probatur quia quando Deus confert habitum voluntati assistit voluntati,& habitui ad actus sibi conuenientes, queadmodum,ex quo miraculose illuminat cæcum,semper tamen assistit ei ad videndum:ergo sufficit virtus,vnam cum assistentia,& motione ipsius Dei,assistendo tali virtuti ad virtuose operandum. Addunt D.Thomas,& sequaces virtutes perficere hominem,mouendo eum ad operationes virtutum:dona vero disponunt hominem adhoc, vt facile,& prompte moueatur ab inspiratione diuina.

Ex alijs. 11 Quarto fuit opinio dicentiū ideo dona à virtutibus differre,quia per dona perficitur liberum arbitriū, prout est *facultas rationis*: per virtutes vero perfici idem liberum arbitrium, prout est facultas voluntatis. Impugnat autem D.Thomas hunc modum dicendi, quia nec omnes virtutes sunt in voluntate;nec omnia dona in intellectu.

12 Quinto Alij dicebant differre in eo,quod per virtutes ordinatur homo ad bene operandum: per dona vero ad tentationibus obsistendum. Impugnatur,quandoquidem eædem virtutes, quæ sunt principia bene,& virtuose agendi, erunt quoq; principia ad tētationes impugnandas & conculcendas.

13 Sexto inquiunt Alij, inde distingui,quia virtutes ordinantur ad simpliciter bene agendum,dona autē ad hoc,vt Christo conformemur,precipue quantum ad ea, quæ passus est: At impugnatur, quoniam exhortatur nos Christus ad sui imitationem, at vero exhortatur per affectionum virtutum,ait namque Matthæi 11. & & Ioannis 15. *Discite à me, quia mitis sum,& humilis corde*, vnde exhortatur ad effecutionem virtutis mitiatis,& humilitatis;in patientia vestra possidebitis animas vestras Matt.14. *Qui vult venire post me abneget semetipsum,& tollat crucem suam,& sequatur me*,Io:16. ergo imitandum semetipsū nobis proponit Christus per virtutes, igitur ex hoc capite insufficiēs redditur distinctio donorū,& virtutē.

14 Sep-

14 Septimo dixerunt alij virtutes ordinari contra peccatorū morbos: dona vero contra eorundē peccatorum effectus, & sequelas: vt sunt stultitia, hebetudo, præcipitatio quibus opponuntur dona sapientiæ, consilii, & intellectus. Sed impugnatur quoniam pronitas ad peccandum est quædam sequela derelicta ab habitu vitioso, & peccaminoso: at pronitas talis tollitur per oppositum exercitium frequentatum, perque habitum frequenter exeuntem in actus contrarios virtuosos. Item virtus ipsa valens est, tum ad peccatum destruendum, tum vero ad sequelas ipsas peccatorum tollendas.

15 Octauo Alij sentiunt differre, veluti excedens, & excessum: itaut omnes virtutes sint dona: dona autem excedere virtutes, vt sint plura numero, quam virtutes; hæc namque ex tribus theologicis, & quatuor cardinalibus conficiunt numerum septenarium: dona vero sint plura, quam septem: quandoquidem donis septem initio capitis 11. Isaiæ exaratis, adducitur inde alia, cū subdit, *& erit* iustitia cingu'ū lūborūeius, & fides cinctorium renum *eius*. Verum sententia hæc est contra communem sententiam Patrum, & Theologorum, vt vidimus quæst. 2. huius disputat. quid autem in terim intelligatur per fidē, & iustitiā penes Isaiam, diximus ibi.

16 Quidquid tamen sit de differentia Doctorum in assignanda varia ratione distinctionis donorum, & virtutum, conspicuum tamen est, omnes præcitatos in eo conuenire, vt dicant dona distingui à virtutibus. Probatur autem primo authoritate Cyrilli, qui lib. 2. in Isa: inquit, *In hoc germine ex stirpe Iesse acquieturum Spiritum Dei multis virtutibus, & viribus pollentem*. In hoc autem, quo seorsim nominat vires à virtutibus, ostendit distingui dona à virtutibus. Secundo authoritate Gregorij, qui lib. 1. Moral. cap. 28. seu 12. vel 13. explicans verba illa de Iob, *Nati sunt ei septem filij, & tres filiæ*, per septem filios intelligit septem dona Spiritus sancti, & per tres filias, tres virtutes theologicas. Insuper lib. 2. Moral. cap. 36, vel 26. distinguit septem dona à quatuor virtutibus cardinalibus: qui etiam quatuor virtutes comparat quatuor angulis domus Iob, quibus dirutis, ruente domo, oppressi remanserunt filij Iob, vt ex inde intelligitur, quod quassatis quatuor virtutibus, corruūt, & septem dona Spiritus. Tertio Aristoteles 7. Et hic cap. 1. docet, quod præter virtutes communes, sunt & aliæ virtutes *heroicæ*, quæ efficiunt homines quasi diuinos ad singularia quædam opera exercenda. Sicut Homerus inducit Priamum de Hectore dicentem, *Non hominis mortalis filius ille esse videbatur: sed magna è stirpe Deorum*. Et 7. Moral. cap. 18. negat eos, qui Dei instinctu aguntur, debere rationem humanam consulere, ait enim, *Principium habent intellectu, & voluntate præstantius*. Hæc autem præstant ipsa dona, quæ impellunt homines ad opera quædam singularia, singularium virtutum, vt de sapientia Salomonis: fortitudine corporea Sāpsonis: fortitudine animi Eleazari: & sic de singulis. Quarto, vitium bestialitatis, quo quis operatur modo inhumano, est alterius speciei à vitio, quo quis operatur peccando modo humano; ergo ex opposito, virtus, qua quis operatur modo humano, est alterius speciei à dono, quo mediante operatur quis modo super humano per dona. Authores talis distinctionis sunt D. Thom. 1. 2. quæst. 68. D. Bonauent. vbi supra Albert. in 3. d. 34. art. 1 Antonin. 4. par. ti. 10. cap. 1. 2. Abulēs. quæst. 81. in Matt. 5. Durand. d. 34. quæst. 1. 2. &c. Arguitur, quinto, in peccatoribus virtus fidei, & spei separatur à donis, ergo sunt distincti habitus. Antecedens probatur, quia dona conferuntur solis iustis; & consequens etiam probatur, quia nulla maior ratio distinctionis, realis aliquorum, quam separabilitas eorundē. Sexto, Scotus negat dari virtutes morales per sē infusas; at dona habent esse per infusionem, ergo distinguuntur. Septimo virtutes infusæ imperfecte participantur ab anima, ergo indigent alijs adminiculis, seu habitibus donorum, vt adiuuentur, & & consequenter distinguentur ab ipsis

fis tanquam ab adiutorijs, & perfectiuis. Octauo, Concil. Tride. Sess. 6. cap. 7. ait iustificationem fieri per infusionem gratiæ, & donorum: ergo dona distinguuntur à gratia, & virtutibus.

17 Ex opposito autem, dona non distingui à virtutibus sentit Scotus in 3. d. 34. quæst. vnica Gabriel ibidem q. art. 2. Okam in 4. quæst. 3. lit. N. Maior quæst. 1. in 3. d. 34. Almaynus lib. 3. Moral. cap. 2. & in 3. d. 34. quæst. vnic. ibique Palacius quæst. vnica. Gulielm. Paris. lib. de Virtut. fol. 73. Vasquez 1. 2. dispu. 89. & Durandus, licet problematice, atque Salas t. 2. tract. 12. disput. vnica sect. 1. Hi omnes distingui negant, sed esse idem cum virtutibus respectiue, & seruata proportione. Antequam tamen afferamus probationes, adducenda est mens ipsius Scoti, modusque singillatim discurrendi, & copulandi dona cum virtutibus.

Ex Scoto dona sunt idem cum virtutibus.

18 Scotus ergo loco citato §. de donis lit. O. sic ait, *De donis dico, quod ibi numerantur quatuor virtutes cardinales, Prudentia enim est habitus consiliatiuus, quia est habitus recte syllogizandi practice; & tale syllogizare est consiliari: vnde habitus quo quis est consiliatiuus, est prudentia. Fortitudo exprimitur suo nomine inter dona. Timor autem est species temperantiæ, idem enim est omnino timor, quod humilitas, licet alio nomine nominetur, sicut patere potest per August. super illud Matt. 5. Beati pauperes spiritu; frequenter enim numerantur non nominibus propriis; quod ideo scriptura frequenter commendat timorem, vnde illud, initium sapientiæ timor Domini, nihil aliud est, nisi humilitas, quæ est principium virtutum. Et cum inter dona ponitur pietas, hæc est, quæ apud Saluatorem vocatur misericordia, & ista est species iustitiæ. Exprimuntur ergo inter dona quatuor virtutes cardinales; duæ quidem, vt prudentia per consilium, fortitudo nomine suo: duæ autem aliæ non sub ratione illarum specierum intermediarum, quæ enumerantur in illo alio septenario, sed quibusdam speciebus earum, puta, temperantia in timore; & iustitia in pietate. Duæ infusæ exprimuntur ibi; Charitas quidem per Spiritum sapientiæ; vniuersaliter enim, quando in scriptura commendatur sapientia, vt Beatus vir, qui in sapientia morabitur; & huiusmodi, ibi sapientia est charitas, est enim habitus, quo sapit habenti, illud obiectum, quod est in se sapientissimum, ipso scilicet placet mihi bonum eius in se, & illud volo mihi. Per alia duo dona, intellectum, & scientiam, exprimitur fides infusa, ita quod illa duo non circumloquuntur duos habitus sed vnum tantum, secundum perfectum & imperfectum, & vnus potest dari sine alio, sed non è conuerso; posset enim intellectus dici fides imperfecta, quæ est notitia articulorum principiorum: & scientia fides perfecta, quæ est explicita notitia de articulis, sicut in scibilibus naturalibus intellectus dicitur esse principiorum, & conclusionis, spes autem explicite non numeratur hic, sed datur intelligi per charitatem, quæ est sapientia, sapientia enim est qua sapit mihi Deus in se, & qua sapit mihi vt bonum; nam qui sapit, & saporem in se approbat, & sibi appetit.* Hæc Scotus.

19 Ex quibus concluditur enumeratio virtutum in donis, siue identitas *respectiue, & proportionaliter* reperta inter virtutem, & donate, numerantur namque septem virtutes, ad instar septenarij numeri donorum: & quidem charitas, & spes spectant ad *sapientiam*; dum namque diligo Deum in se, habetur *charitas*; dum diligo vt bonum mihi, appetoque illum mihi, veluti fruendum à me, habetur *spes*. Fides habetur in *intellectu*, & *scientia*; dum enim habeo fidem absolute, simpliciter, correspondet sibi *intellectus*, qui est habitus principiorum fidei, sicut in naturalibus intellectus est habitus principiorum naturalium: dum vero circa eosdem articulos fidei discurrimus, eliciendo inde conclusiones catholicas, habetur inde scientia, de qua Augustinus 14. de Trinit. cap. 1. ait, *Aliud est scire quid credere debeamus, quod docet fides, aliud autem quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam Apostolus videtur.* Prudentia habetur per *consilium*. Iustitia habetur in sua specie scilicet

in

in *pietate*, quæ est *misericordia*. Temperantia in sua specie in timore, qui est *humilitas*. fortitudo habetur proprio nomine: ex quibus patet virtutes, & dona, esse idem, saltem proportionaliter, & respectiue.

Probatur identitas. 20 His satis deueniendum est ad probationes, probatur autem primo identitas: illa, quorum eadem est definitio, sunt quoque inuicem inter se eadem, at virtutum, & donorum est eadem diffinitio: probatur, virtus est bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nullus male vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur: at hæc conueniunt quoque donis, sunt namque vnum quodque ipsorum, bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nullus male vtitur, & quam Deus operatur in nobis sine nobis, vt constat, ergo sunt idem.

21 Secundo, ex Arist. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum*, estque *vltimum de potentia, quæ habentem bonum facit, & opus eius perfectum reddit*; hæc autem competunt similiter donis.

22 Tertio ad perfectionem naturalem sufficientes sunt acquisitæ virtutes: ergo ad perfectionem supernaturalem sufficiunt virtutes infusæ, ergo non oportet distinguere dona à virtutibus. Confirmatur, ad hominis salutem sat est, quod homo recte se gerat, tum circa diuina, tum circa humana, ad quod homo sufficienter præstat per septem virtutes; probatur minor, circa quidem diuina homo recte se gerit per tres virtutes theologales fidei, spei, & charitatis: circa autem humana recte se agit per quatuor virtutes cardinales, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam.

23 Quarto destruendo fundamentum sententiæ oppositæ, aiunt enim, dona distingui à virtutibus, quia per virtutes disponitur homo ad simpliciter recte agendum, per dona vero ad prompte, faciliter, & expedite operandum: At talis promptitudo, & expeditio prouenit etiam à virtutibus, ergo frustra distinguuntur, probatur, quia *virtus est, qua vtimur, cum volumus*. Dices, talem promptitudinem non præstare virtutes infusas, ergo danda erunt dona, quæ eam præstent: Contra, hanc promptitudinem non experiuntur, semper omnes iusti, & nihilominus Aduersarij aiunt dona conferri omnibus iustis: assumptum patet, quoniam nouiter iustificati, sentiunt adhuc tarditatem, repugnantiã, & hebetudinem derelictam ex habitu prauo, & peccaminoso.

24 Quinto non sunt multiplicanda entia sine necessitate: videtur autem sine necessitate multiplicari talis donorum à virtutibus distinctio; probatur, etenim per virtutes theologicas, & morales sufficienter ordinatur homo ad æternam salutem.

25 Accedit Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 20. August. quæst. 8. in Euangel. Gregorius lib. 1. moral. cap. 13. alias 28. & lib. 2. cap. 27. alias 36. solent enim Sancti Patres dona appellare virtutes.

26 Ex his primo dicimus, dona non distingui realiter à virtutibus. Conclusio iam manet probata rationibus, & auctoritate.

27 Secundo dicimus non adeo esse eadem dona, & virtutes, vt nulla veniat apponenda differentia inter eas: diceremus aliquo modo dona differre à virtutibus, licet non realiter, nec vt habitus distinctos: differentia vero inde se tenet, vt differant in modo operandi, seu in gradu, vt alij volunt: seu secundum perfectum, & magis perfectum: seu denique differant extrinsece, vel extensiue. Declarantur omnia, quandoquidem virtus inclinat ad operandum quidem, sed ordinario modo; & donum excitat magis virtutes, seu adauget magis, extrinsece tamen, vires virtutis, vt operetur extraordinario, & singulariori modo. Virtus inclinat ad opus quidem virtutis simpliciter, at donum inclinat, & impellit ad opus eminentius, excellentius, & heroicum. Virtus mouet ad operandum, at motio talis erit ille ordinarius concursus, quem Deus præstat virtuti, & operanti per eam: at donum mouet motione, & instinctu, atque impulsu quodam specialiori super addito ad ipsam virtutem. Ergo ex his varie operandi modis elicitur aliqualis differentia inter ea. Item differ- *Dona, & virtutes nõ omnino idẽ*

differentia hæc non eſt intrinſeca, quoniam dum ſunt idem habitus, non dabitur intrinſece differentia inter ea: ergo erit extrinſeca; id vero proueniet ex extrinſeco impulſu Spiritus ſancti, addito ſupra virtutem. Nec tame ex hinc colligere licebit diuerſitatem habitus; quia ſuper habitu vno, eodemque numero, poterit talis diuerſitas reperiri; exemplum de virtute fidei, & ſpei, fortitudinis, & huiuſmodi, quæ quidem inclinant potentias ad operandum opera talium virtutum, at operatio erit tanta, quantus erit impulſus virtutis, & non maior: vt vero ſit maior, vtpote maior actus fidei, ſpei, & fortitudinis, accedit extrinſeca, ſpecialis tamen motio Spiritus ſancti per dona.

Contradictio ex Sco. 28 Dices, hoc aduerſatur Scoto, qui ſupra in impugnationibus aiebat virtutem præſtare agere bene, perfecte, & perfectius; eandemque virtutem inclinare ad opus ordinarium, & extraordinarium; ergo hoc non prouenit ex dono. Reſpondeo Scotum non aduerſari his, quæ diximus; quandoquidem in tantum ea docuit, inquantum noluit admittere differentiam realem inter dona, & virtutes: ſed inquantum noluit aſſerere eſſe habitus diſtinctos: ceterum ipſe ſuſtinendo eſſe eundem habitũ, non negaret aliquo modo differre, vt diximus, quod autẽ ita ſit, clare oſtenditur in eodem Scoto, qui in reſponſione ad vltimum, loquendo de virtute

Soluitur cõtradictio. heroica, inquit, *Non ſequitur heroicam eſſe alterius ſpeciei à virtute humana, quia circa idem obiectum ordinat, ſed excellentius.* Vbi concludere intendit, donum non eſſe diſtinctum ſpecie à virtute, licet ſit excellentius: vt ſic ergo, & modis traditis apponenda erit diſtinctio inter dona, & virtutes.

29 Qualis vero ſit appellanda

Qualiter diſtinguũtur diſtinctio iſta, eſt tradendum, vtrum rationis? nequaquam, nam extraordinaria illa operatio, ſingularis, & excellẽs, eſt à parte rei, & à parte rei excedit virtutes, non ergo erit diſtinctio per rationẽ. Vnde dicendũ, eſſe diſtinctionem *modalem*: probatur, non eſt realis, vt remanet ex prima concluſione probatum: non rationis, vt iam probauimus; ergo erit modalis. Dices fore diſtinctionem formalem, contra, diſtinctio formalis eſt inter varias formalitates, ſeu conceptibilitates: at operatio pendens à virtute, verbi gratia fortitudinis, & à dono fortitudinis, eſt vna, eademque numero realiter, & formaliter: ergo non erit formalis: hinc ergo dicimus eſſe modalem; quoniam alio modo promanat à virtute, & alio à dono, quapropter eadem operatio diuerſis modis acta, ſeu ex diuerſo impulſu proueniens, erit vna realis, ſed non modalis.

30 Differentiam hanc, ſeu potius totam doctrinam aſſertionis totius confirmamus ex ſcripturis, & quidẽ ſcriptura refert actiones quaſdam, quæ licet promanauerint ex virtutibus, tamen indigebant peculiari impulſu Spiritus ſancti: huiuſmodi fuit illud Sampſonis Iudic. 16. quando concutiens columnas domus, peremit ſemetipſum cum Philiſtæis: hæc autem operatio tam heroica, honeſta eſſe non poterat, nec tanti roboris, niſi ex ſpeciali impulſu Spiritus ſancti, qui in Sampſonem irruit. Conſimilis fuit & illa Eleazari 1. Machab. 6. qui Elephanti ſe ſuppoſuit, cumque occidens, ſemetipſum interemptioni tradidit ex caſu beſtiæ, & ex loquutione Ambroſij 1. offic. 40. *ſuo triumpho ſepultus.* Itidem de Salomone, de quo ex Hieronymo ad Ruffinum, duodecim adhuc erat annorum, quãdo iudicium formauit, & ſententiam protulit de diuidendo infante viuo, ad explorandam quænam vera foret mater ex 3. Reg. 3. hæc vero, & ſimilia, ſupra ætatem, ſupra naturæ vires, fieri nequibant abſque ſpeciali impulſu Spiritus ſancti, & ſic paſſim de pluribus in ſcriptura. Ex his autem elucet differentiam aliqualem apponendam eſſe inter virtutes, & dona, nec tamen omnem omnino reijciendam, vt putant perplures Scotiſtæ.

31 Ex his ſoluitur facillime inſtantia, quæ fieri poſſet: ſi dona ſunt idem cum virtutibus, ergo, vel ſuffi- *Obſtatur.*
ciunt virtutes, & ſuperfluunt dona: vel ſi admittimus dona, ſuperfluunt virtutes. Reſponſio patet, etenim *Occurritur*

non

non superfluunt, quia dona dantur non ad operandum simpliciter, & ordinario modo, sed ad operandum excellentius, vt Scotus loquitur in fine quæstionis, & ad operandum extraordinario modo. Responsionem aliam habebimus in solut. argumentorum, hæc enim modo sufficit ad obiectionem.

In Christo, quid fuit loco fidei? 32 Quæras autem duo. Primum est in Christo fuerunt dona, & virtute, at non fuit virtus theologica fidei, quia erat Comprehensor; ergo vel dona, & virtutes non sunt idem; quia dona separantur à fide in Christo; vel si sunt idem, igitur non omnia dona fuerunt in Christo, probatur, quia fides est idem cum dono, at deerat fides, ergo deerat aliquod donum. Respondetur, in Christo non fuisse fidem, ob rationem, qua erat comprehensor; attamen loco eius erat habitus luminis gloriæ, scientia beatifica, & infusa, & beatifica visio.

Spes an in Christo. 33 Dices non aderat spes, quia iam possidebat gloriam: ergo, & aliquod aliud deficit. Respon. spem in ordine ad assequendam gloriam non fuisse in eo, cum iam fuerit Comprehensor, & Beatus; aderat tamen spes in ordine ad aliqua alia, ita namque Augustinus super psalmum 55. exponendo illud, *Caro mea requiescit in spe* inquit, *in qua spe requiescet? in hac, quia nec Anima in inferno dabitur, nec corpus sanctum patieris corrumpi*, & Lyranus in spe ait, *scilicet resurrectionis futura*. Ita quoque spem habebat de profectu suæ futuræ passionis, gratia cuius multi erant saluandi, & sic de singulis, quæ Christus in hac vita sperabat, iuta illud psalmi 4. *singulariter in spe constituisti me*, præscindendo tamen à spe gloriæ, quam iam habebat: atque hinc Alensis 3. part. quæst. 12. mem. 3. ad 1. ait in Christo non fuisse spem in ratione spei; fuisse tamen in eo id, quod est perfectionis in spe, scilicet adhæsionē in bono, sed nō cum illa imperfectione, quæ est expectatio boni, quod non habetur, & D. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 4. in corpore in fine, ait, quod poterat sperare immortalitatem, & gloriam corporis, quam nondum habebat; in responsione vero ad primum inquit, spem, quā habebat Christus, *non fuisse virtutem theologicam*.

Dona an conferātur peccatorib. 34 Secundum, quod quæritur, est verum in peccatoribus sint Spiritus sancti dona. Communis responsio est ex D. Thoma quæst. 68. art. 5. dona elargiri solis iustis, non tamen peccatoribus. Sed obstatur, quoniam in peccatoribus reperitur actus fidei, & spei, hi vero procedunt à Spiritu sancto.

Responsio aliorum. 35 Respondet Tanner. tom. 2. disp. 3. quæst. 6. dub. 1. num. 9. inquiens *In peccatore autem dici potest, à Deo suppleri concursum doni; sicut etiam suppletur concursus habitus charitatis in eodem, quando primum per pœnitentiam consequitur gratiam.* Addit autē inde, quod licet probabilis sit responsio, nihilominus, inquit, *Verius existimo, actus donorum solum esse quosdam præstantiores virtutum actus, qui ex speciali, & singulari quadam inspiratione Dei eliciuntur.* Idemque docere ait, Caetanum, & Valentiam. Respondet etiam Salas supra citat. s. num. 5. inquiens, *Etiam peccatores, in quibus Aduersarij dona Spiritus sancti non constituunt, solet Deus mouere, licet varius, peculiari instinctu, ad similes actiones.* Sensus est, vt hi moueantur à Spiritu sancto non per donorum infusionem, quæ solis conceduntur iustis à D. Thoma, cæterisque, sed per extrinsecam assistentiam. Clarius autem resoluendo, dicimus hos moueri à Spiritu sancto, non quidem per gratiam, charitatem, & dona inhabitante, sed per extrinsecam assistentiam, impellente.

Solutio oppositorum. 36 Superest tandem, vt ad opposita respondeamus. Et primo ad Cyrillum, dicitur quod si verba eius indicant dona esse habitus, non tamen indicant esse habitus à virtutibus distinctos. Ad illud de *Requiescendi*, aisic nedum verificari de habitibus verū & de actibus, etenim per actus dicitur homo esse iustus, & Spiritus sanctus in eo manere. sicut ex opposito dicitur per actum peccaminosum homo manere iniustus, & Diabolus in anima remanere, & inhabitare.

37 Verum obstatur, actus non ma-

Quid manet in peccatore, & iuſto, tranſacto actu.

manet, ergo nec manet iuſtitia, ſiue iniuſtitia in homine peccatore, vel iuſto, igitur ly *R qui ſ...* non poterit verificari de actu. *Reſponſio* petenda eſt ex quæſtione illa quidnam manet in peccatore, tranſacto actu peccati, de qua Scot in 4 d.14.qu.1. Pro nunc vero dicẽdum, manere iuſtitiam, vel iniuſtitiam, non phyſice, dum actus bonus, vel prauus deſinit, ſed manere moraliter: iuſtitiã quidem, & meritum in acceptatione diuina, & ordinabilitate ad præmium: iniuſtitiã vero peccatoris manere in iudicio Dei quoad reatum, & ordinabilitatẽ ad pœnam: Quia vero aliquandiu durat ſiue iuſtus in ſua iuſtitia, ſiue peccator in ſua iniquitate abſque receſſu, hinc diciturſiue Spiritus ſanctus ſuper iuſto: ſiue communis hoſtis ſuper iniuſto requieſcere. Alia ſuper quæſt. 4.

38 Reſpondetur tamẽ ſecundo ad Cyrillum, quod verba, *donorum*, & *virtutum* penes Cyrillum ſunt ſynonima, ideoque donum pro virtutibus, & virtutes intelligi tur pro donis. Quamuis ſiſtendo in verbis eius, dum nominat *vires*, & *virtutes*, datur intelligi aliqua à proprio nomine deſumpta, differentia: vt per *vires* intelligantur vires corporis, vites enim magis ſpectant ad corpus: per virtutes vero habitus virtuoſi Animæ.

39 Ad Gregorium in primis, licet dona diſtinguat à virtutibus theologicis, non tamen conſtat, vtrũ diſtinguat ea tanquam habitus, an tanquam actus; nam dona Spiritus appellat *virtutum ſenſus*, at virtutum ſenſus, idem ſunt, ac effectus, actus, & opera virtutum. Item ſi diſtinguit dona à virtutibus, diſtinguit vtique non à theologicis, ſed à cardinalibus: & de his loquendo, forte diſtinxit ea à cardinalibus virtutibus acquiſitis, non ab infuſis. Alij reſpondent diſtinctionem Gregorij eſſe rationis. Nos vltra primam reſponſionem dicimus diſtinctionem eſſe modalem, vt ſtatuimus.

Virtus heroica ex Ariſt. quid.

40 Ad tertium de Ariſtotele; de virtute *heroica*, in primis cum ait virtutem hanc facere homines *diuinos*: & tales habere *principium intellectu, & voluntate præſtantius*, non hinc colligitur Ariſtotelem cognouiſſe dona Spiritus ſancti, nec effectus eorum: id vero aiebat, extollẽs eo modo, quo puro philoſopho concedebatur, virtutes *heroicas*. Quidquid tamen ſit, reſpondendo ad ſubſtantiam, negatur virtutem ſimpliciter ſumptam, & virtutem heroicam de eodem obiecto, eſſe diſtinctos habitus, ſunt enim vnus idem que bene tamen diſtinguuntur ſecundum perfectum, & perfectius, ſiue excellentius, modaliter, vt diximus. Cum vero aliqui dicunt de perficere modo *humano*, & *ſuperhumano* loquutio eſt metaphorica ait Scotus: & eſt ſenſus, quod attingere ad tale opus ſic, & ſic vel excellenti modo agendum, non conceditur communiter, abſque ſpecialiori impulſu inſtinctus eminentioris, & vrgentioris, non tamen neceſſe ſit, vt conſtituant habitus diſtinctos ſpecie: vnde modus ille ſic, excellentius agendi tribuit denominationem illam fiendi opus modo ſuperhumano.

41 Et ad illud de beſtialitate, negatur paritas, hæc vtique conſtituit peccati ſpeciem diuerſam à cæteris: non tamen opus virtutis, prout emanans à virtute, vt *virtus* eſt, & vt *heroica* eſt, cõſtituit diuerſum habitum, &c.

42 Ad quintum, dum dicimus dona eſſe idem cum virtutibus, ſenſus eſt, vt tunc virtutibus identificetur, quando virtutes ipſæmet coniunctæ ſunt cum charitate: cæterum, vbi charitas deeſt, aduenit diſtinctio. Et licet fides, & ſpes infuſæ ſint veræ virtutes theologicæ ex Scoto in 3.d. 36 q. vn. nihilominus ibidem ſubuit, deſſe ipſis charitatem, ob quod non meremur per ipſas vitam æternam, eſt enim charitas forma, & vita virtutum, per quam fides, & ſpes, cæteræque virtutes ordinant homines in fruendum Deum. Neque dona erunt idem cum moralibus acquiſitis, ſed cum infuſis. quæ omnia ſimul cum donis manent, manente charitate; etenim dona ordinant hominem ad Deũ ex ſpecialiori motione Spiritus. alia diximus ſolutione dubij ſecũdi.

Dona idem cum moralibus acquiſitis

43 Ad

Virtutes cardinales, an necessario infusa. 43 Ad sextum, dicendum primo virtutes cardinales catenus negari à Scoto esse per sè infusas, quoniam possunt humanitus acquiri, vt constat de temperantia, iustitia, fortitudine, & prudentia, in quibus plurimi ex gentilibus philosophis floruerūt: & ob hoc docet non esse necessario infusas, dum aliunde possunt acquiri: at si Scotus interrogaretur, vtrum possint à Deo cum donis infundi in ipsa iustificatione, vtique affirmaret nulla est nāque implicantia; at quo modo tunc appellari possent? infusæ, si negat virtutes morales infusas? Respond. virtutes tales appellari à Scoto tunc infusas quidem, sed infusas per accidens, non per sè, quoniā possunt aliunde virtutes tales acquiri: Deus autem posset illas infundere: Et qui ex Scotistis assereret in iustificatione, infundi virtutes morales, non contradiceret Scoto, etenim solum Scotus intendit virtutes has in iustificatione debere appellari nō infusas per sè, sed per accidens: exemplum de dono, v. g. linguarum, sine scientiæ, hæc namque possunt humanitus adipisci, attamen posset quoque Deus desuper infundere, vt sæpe egit: at dona hæc appellarentur non infusa per sè, sed per accidens: hæc, quoad virtutes infusas: sustinendo, *Virtutes morales, an infundātur ex Scoto.* eas infundi. Quodsi quis persisteret in negando infundi ipsas morales, nec per se, nec per accidens, responderetur secundo ad argumentum, tunc habentes tales virtutes acquisitas, operari ex motione Spiritus sancti, non quidem habitantis per dona, sed extrinsece mouentis, vt diximus dub. 2.

44 Ad septimum Salas nu. 6. ad 5. negat, talem indigentiam habituū: Verū id erit negare ipsa dona. Quod si neget necessitatem doni per modum habitus, & adstipuletur necessitatem doni per modum actus, seu assistentiæ, esset alia quæstio: at respondendum est consequenter ad doctrinam communem de adstipulatione per modum habitus; ideo q; dicendum, vtique danda esse dona, vt suppleant illud imperfectum, seu minus perfectum virtutis, quia ad hoc dantur, vt diximus, & h nc distinguuntur, attamen ex hoc non concluditur debere esse habitus distinctos.

45 Ad octauum, Aretinus in 3. d. 34. q. vn. art. 11. ait, quod non constat vtique modo verum intentio Cōcilij fuerit definire virtutes distingui à donis: Responpetur secundo mentem Concilij fuisse confutare hæresim dicentium, iustificationem nequaquam fieri per infusionem gratię, seu per iustitiam homini iustificato formaliter inhærentem, sed fieri solummodo per extrinsecam imputationem iustitiæ Christi: definit tamē, hominem iustificari per communicationem meritorum passionis Christi, & per infusionem gratiæ, & donorum. Quodsi instes, si non essent distincta, non distinctim nominaret gratiam à donis; respondetur id fieri, vt sol.ę, ad maiorem explicationem: solet enim fieri consimilis eiusdē rei, variis licet sub nominibus, repetitio ad maiorem expressionem. *Concilium an definit distingui dona à virtutibus.*

QVÆSTIO VI.

Vtrum Spiritus sancti dona sint inuicem connexa.

Arguitur pro negatiua.

1 Non esse inuicem connexa ipsa dona ostẽdi posset ex doctrina Scoti: Et quidẽ negat Scotus cõnexionem mutuam virtutum; nam in 3.d.36.quæst.vnic.negat virtutes morales necessario connecti cum theologicis, quandoquidem gẽtiles philosophi carebant theologicis virtutibus fidei, spei, & charitatis cũ tamen plures ex iis vixerient bene moraliter, & habebant virtutes morales: Nec theologicæ virtutes connectũtur necessario cum moralibus, plures namque peccatores carentes charitate, & pollentes sola spè, & fide, carent quoque virtute temperantiæ, iustitiæ, prudentiæ, &c. Nec fides ipsa theologica nectitur necessario, cum spè, & charitate: quodsi hæc inuicem connexa necessario non sunt, nec consequenter nectentur necessario inuicem dona. Confirmatur.

2 Primo, fides non necessario nectitur cum spè, & charitate; ergo nec inquam donum intellectus, & scientiæ, pertinens ad fidem, minus, magisque explicatam, seu explicitam, ex quæst. præced. nec, inquam, donum intellectus nectitur cum dono sapientiæ; probatur consequens, dictum enim fuit donum sapientiæ esse idem cum charitate. Item spes non necessario nectitur cum charitate, vt constat. dari spem sine charitate: ergo nec donum sapientiæ connectitur cum ipsa spe: probatur consequens, quoniam sapientia est charitas ex dictis.

3 Secundo, Prudentia non necessario nectitur cum temperantia, fortitudine, & iustitia, plures namq; hæc possident, at imprudenter agunt non conformiter ad virtutem prudentiæ: ergo nec donum consilii correspondens prudentiæ, nectetur cum dono pietatis, timoris, & fortitudinis quæ, correspondent illis.

4 Tertio Apostolus 1. Corinth. 12 *Diuisiones*, inquit, *gratiarum sunt; alij datur sermo sapientiæ per Spiritum alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum; alij fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum in vno spiritu, &c. hæc autem omnia operatur vnus, atque idẽ spiritus, diuidens singulis, prout vult.* At sapientia, & scientia connumerantur inter dona Spiritus sancti, & tamen ab Apostolo diuiduntur ergo dona non necessario connectuntur.

5 Quarto August. 14. de Trinit. cap. ait, quod scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide, inquit enim, *Hac* scientia non pollent fideles plurimi quamuis polleant ipsa fide; aliud est enim scire quid credere debeamus, quod docet fides: aliud autem, quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam, videtur *Apostolus*, at fidei correspondet donum *Intellectus*, ergo donum intellectus, & donum scientiæ non connectuntur.

6 Quinto Gregorius lib. 1. Moral. cap. 32. sic scribit: *Minor est sapientia si intellectu careat: valde inutilis intellectus, si ex sapientia non subsistat; Inutile est consilium, cui opus fortitudinis deest: & valde fortitudo destru-*

tur,

tur, nisi per consilium fulciatur; Nulla est scientia, si vt litatem pietatis non habeat: & valde inutilis est pietas, si scientia discretionis careat; timor quoque ipse, si non has virtutes habuerit. Apertissime autem loquitur Gregorius, indicans dona non esse inuicem connexa.

7 Sexto idem Gregorius subdit, *Nec hoc est sapere, quod intelligere: quia multi aeterna quidem sapiunt sed intelligere nequaquam possunt; Sapientia ergo in die suo cõniuium parat, quia mentem de aeternorum spe, & certitudine reficit; intellectus in die suo conuiuiũ facit, quia in eo, quod audita penetrat, reficiẽdo cor, tenebras illustrat:* Ergo ex loco hoc non sunt connexa, dum sapientia non copulatur cum scientia, & quandoquidem *Multi aeterna sapiunt, sed intelligere nequaquam possunt.*

8 Septimo Augustinus lib. de serm. Dom in Mont. ponit gradus inter dona, ita quod *ab vno paulatime fit processus ad alterum*; at hoc non esset si omnia essent connexa, & infunderentur simul.

Sententia D. Thom.

9 Diuus Thomas 1.2. quaest. 68. art. 5. docet dona esse inuicem connexa: ac probat, sicut enim vires appetitiuae disponuntur per virtutes morales in comparatione ad regimen rationis, ita omnes vires animae disponuntur per dona in comparatione ad Spiritũ sanctum mouentem at Spiritus sanctus habitat in nobis per charitatem iuxta Apost. Rom. 5. charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est uobis. Item sicut virtutes morales connectuntur in prudentia, ita dona Spiritus sancti connectuntur inuicem in charitate, itaut qui habet charitatem, omnia quoque dona Spiritus sancti habet, quorum nullũ, sine charitate haberi potest: Probat etiam ex Gregorio qui ibid praemittit dicens, *Illud in Iob filiorum conuiuio perscrutandum videtur, quod semetipsos inuicem pascunt*: per filios autẽ Iob, de quibus loquitur, significãtur dona Spiritus sancti, ergo dona Spiritus sancti; sunt connexa per hoc, quod se inuicem reficiunt.

Sententia D. Bonaue.

10 Diuus Bonauent. in 3. d. 36. quaest 2. art. 1. aliter respondet; & quidem distinguit de donis, aut enim considerantur secundum originem, aut secundum vsum: loquendo de prima acceptione, docet dona esse semper connexa. Ratio prium quoniam, *Cum origo, inquit, omnium habituum gratuitorum consistat quasi materialiter in natura, & completiue, & formaliter in gratia: quando Spiritus sancti gratia infunditur, ita sufficienter datur, quod omnes habitu gratuito possunt ex ipsa oriri, si nos velimus suscepta gratiae cooperari) non solum habitus virtutum, sed etiam donorum. & beatitudinum; ideo quantum ad originem, indubitanter verum est, & dona Spiritus sancti habere connexionem. Aliter est loqui de ipsis habitibus donorum quãtum ad vsum, secundum quem modum isti habitus reddunt potentiam facilem, & expeditam ad proprios actus, qui non tantum sunt necessitatis, & sufficientiae, sed etiam cuiusdam supererogationis, & excellentiae; & quantum adhoc non est necessarium in his esse connexionem; immo vix, aut nunquam vsus istorum habituum reperitur perfectus in aliquo, sicut innuit Gregor. super illud Iob 38. Numquid coniungere poteris micantes stellas pleiades? dicens, quod vsus septiformis in solo Christo fuit perfecte.* Hęc Bonauent. sentit ergo connexa esse quoad *originem*, non quoad *vsum*. Digna, vtique, quaestionis, breuisque, atq; vera resolutio: vnde ambo Doctores sancti conueniunt, vt dicant esse dona ipsa inuicem connexa.

Dona connexa, uel quoad habitum vel quoad actum.

11 Verum explicando amplius sensum amborum, quęstionem decidimus aliquanto differentius, in terminis. Vnde dicimus, de donis loquẽdum esse, vel quantum ad habitum, vel quantum ad vsum: Eadem prorsus est resolutio: licet termini aliquatenus varient, propter frequentiorẽ vsum loquentium: loquendo quãtũ ad habitũ, dicimus dona esse cõnexa: loquendo quantum ad vsũ, non sunt semper, nec in omnibus connexa. Haec est sententia aperta D. Bonau. idem namque est dicere, *quantum ad habitum*, vt nos loquimur, ac dicere, *quantum ad originem*; Et idem est dicere

cere, *quantum ad actum*; hae asserere, *quantum ad vsum*, vt loquitur idem sanctus. Et in hac eandem sententiā trahimus D. Thomam, vt iam traximus q. 1. vna cum Valentia, & Salas ibi citato.

Explicatur & probatur. 12 Quod *quantum ad habitum* sint connexa, probari potest ijsdem scripturæ locis, quibus necessitatem donorum adstipulati fuimus ibidem, quod vero quantum ad actum, non semper connexa sint, ex eadem quæstione patere potest; & probatur aperte; nā in paruulis iustificatis per baptismum, rationis vsu adhuc non eluescente, nullus reperitur vsus donorum, quia nulla operatio meritoria, quam eo temporis exercere non possunt: Item per plures adulti saluantur per ordinarios actus meritorios; non enim omnes saluandi exercent actus illos strenuos, ac singulares, & extraordinarios, qui manant à donis: ergo quantum ad actum, seu quantum ad vsum non in omnibus, nec semper sūt connexa. Excipe Christum Dominū: Beatissimam Matrem; illosque, quorū conditio, merita, & sanctitas, atq; donorum communicatio, strenuitas, excellētia, & singularitas actuum, Deo nota est.

Quare connectuntur, quoad habitum. 13 Ratio autem magis perquirēda est, quare connectantur quantum adhabitum. Ea quidem erit, quia dona hæc sunt simul in infundi, simul, inquam, habitualiter: & hæc est loquutio D. Bonauenturæ, vt sint simul *origine*, quia simul originantur. Item simultas quantum ad habitum inde pēdet, quoniam, ait Bonauent. *Origo omnium habituum gratuitorum consistit completiue, & formaliter in gratia; & quando Spiritus sancti gratia infunditur, tā sufficienter dantur, quod omnes habitus gratuiti ex ipsa oriri possunt.* Fundamentum talis connexionis habitualis est ipsa infusio gratiæ, in qua gratia continentur hi habitus; vnde, qui gratiam habet, dicatur & habitus istos habere *habitualiter*. Insupep amplius id explicans, subdit, *In infusione gratiæ habentur radicaliter, virtualiter & implicite.* Gratia, ergo est radix horum habituum: & in ea continentur habitualiter. Affertque exemplum deductum ex Augustino, de paruulo, *Qui habet*, inquit, *in virtute quidquid postmodum habiturus est in mole, licet magnitudinem molis nondum habeat in actu.*

14 Verum obstari potest, sicut actus virtutum simul connectuntur, quandiu nexi sunt etiam eum charitate; ita, & actus, vsusque debent semper simul connecti, eo magis, quo non infunduntur absque charitate. Assumptum probatur, quandoquidem actus fidei, spei, charitatis, temperantiæ, cæterarumque virtutum sunt in omnibus iustis, alias nec iusti forent, nec saluarentur, ergo consimiliter de vsu donorum: igitur dona erunt frequenter, immo in omnibus iustis, nedum habitualiter, & radicaliter, seu virtualiter, & in actu primo, verum, & in vsu & actu secundo. Item virtutes simul se adiuuant, nutriunt, atque inuicem fouent per proprios actus impensos, hinc inde in fomentum alterius virtutis; ergo & dona se inuicem mutuo, fouebunt, tale autem fomentum consistit in actu, & vsu. *Obstatur.*

15 Respondet ingeniosissime Bonauent. negando paritatem de virtutibus, & donis, ratio, inquit, quia vsus virtutum est necessarius ad salutem, loquēdo de Adultis, oportet, namque vltra habitum fidei, spei, & charitatis habere usque actum credendi, sperandi, & diligendi, vt saluentur; attamen vsus donorum non est sic necessarius, plures namque saluētur actibus ordinarijs meritorijs, vt inquiebat Valentia loco citato. *Vsus virtutum necessarius in adultis, sed quid de vsu donorum?*

16 Ad aliud, Scotus ex d. 36. docet virtutes inuicē se fouere, & aduna re, inquit enim sub lit. E. *Ad authoritates Gregorij*, paulo infra, *Concedo quod sorores, & si mutuo se iuuent ad conuiuendum, vna tamen non est altera nec essentialiter perficit aliam; ita ista virtutes bene iuuant se ad saluandum se mutuo, & in hoc potest intelligi dictum quorundam, quod vna non est tota sine alia, quia non ita bene saluatur, sine alia; nam homini exposito multis tentationibus circa diuersas materias, imperfectio circa vnam materiam est vna occasio imperfecte agendi circa aliam; et perfecta dispositio circa vnam iuuat* *Virtutes inuicem se fouent; declaratur.*

iuuat ad recte se habendum circa aliam: iuuant ergo se mutuo sicut sorores.

17 Quæ diximus, procedunt de donis, quæ quidem, quatenus sunt speciales effectus Spiritus sancti, conferuntur cum gratia, & charitate; proptereaque simul nectuntur; eo magis, quo solis iustis conceduntur, ex supra dictis: At virtutes si cum charitate, & gratia coniunctæ fuerint, stabit quoque connexio earum cum donis, vt est dictum, ratio, quia charitas est vinculum, & connexio, quæ ab Apostolo appellatur, *vinculum perfectionis*. Coloss. 3. quod si virtutes charitate careant, & gratia, iam appertum est, nullam fieri cum donis connexionem: neque virtutes ipsæ necessario colligabuntur inuicem inter seipsas: deficit namque vinculum, & nexus charitatis, vnde.

Ad opposita. 18 Vnde ex hinc soluere incipimus, quæ in oppositum adducuntur; Et quidem ad ea, quæ deducuntur ex doctrina Scoti, & ad primum, & secundum argumentum principale, responsio est, non currere paritatem, quoniam virtutes illæ, quibus deest vinculum charitatis, possunt ab inuicem separari: at dona sunt coniuncta, cũ charitate, hinc quantũ ad habitum non possunt separari.

19 Ad cætera autem argumenta ex doctrina tradita Bonauenturæ, facile occurritur, dicendo loqui, & concludere quantum ad vsum, vt sic enim separantur, non quantum ad habitum.

20 Specialius autem respondet ad septimum, vbi Augustinus ait, *fieri paulatim processum ab vno ad aliud*, ex quo videtur non esse connexa in infundi: sed respondet Seraphicus Doctor, loqui Augustinum, etiam quantum ad vsum, quoniam homo non potest assuefieri in vsu doni superioris, nisi prius consuescat in vsu doni inferioris.

21 Diuus autem Thomas ad illud Apostoli, *Diuisiones gratiarum sunt*, respondet, ea cõsiderari, vel quatenus sunt gratiæ gratis datæ, vel quatenus sunt dona: primo modo non sunt connexa: secundo sic. Ita etiam respondet ad Augustinum.

QVAE.

QVÆSTIO VII.

Vtrum dona Spiritus sancti sint priora virtutibus, an è contra.

Arguitur, dona esse priora.

1 QVænam vero præcedant, vtrum dona virtutes, an vice versa: arguitur probando dona esse priora virtutibus: Primo, prius est sanari, quam sane operari: at per dona sanatur anima, per virtutes autem habilitatur ad bene operandum, ergo dona sunt priora virtutibus. Secundo prius est declinare à malo quam facere bonum: at per dona prius declinamus à malo, per virtutes namque ordinamur ad faciendum bene. Tertio intellectus est prior affectu, sicut prior est vis intellectiua, quam appetitiua: ergo priores erunt habitus intellectiui, quam appetitiui: at dona, maiori ex parte sunt in rationali, virtutes vero in affectiua, ergo erunt illa priora. Quarto prius est generans quam Genitum: sed per scientiam generatur fides ex August. lib. 14. de Trin. cap. 1. dicente *Scientia est de his, quibus fides saluberrima gignitur, nutritur, & roboratur*, Ergo donum scientiæ prius est, quam virtus fidei. Quinto Glosa super Matthæus 7. inquit, *In precibus est, vt impetremus dona: in donis, vt operemur mandata*: Ergo perfectio Hominis initiũ habet à donis: at illi habitus sunt priores, qui sunt principium bene agendi ergo.

Sententia D. Bonau.

2 Diuus Bonauent. in 3. d. 34. quæst. 2. art. 1. Respondendo ad quæstionem distinquit; quod aut loquimur de donis, & virtutibus quantum ad *originem*, aut quantum ad *vsum*. Primo modo, ait, omnes habitus gratuitos, tum donorum, tum virtutum esse simul: secundo autem modo, virtutes præcedunt ad ipsa dona. Ratio primi, inquit Sãctus Doctor, est, quia omnes habitus gratuiti ortum habent à gratia, ergo infusa gratia, ꝗ infunduntur quoque simul habitus virtutum, & donorum: assumptum probatur, quia gratia est principium habituũ gratuitorum. Quoad secundũ vero, *Licet*, ait *actus alicuius doni specialis præcedat actum alicuius virtutis, sicut actus timoris præcedit actum spei, quia tamen actus primæ virtutis, videlicet fidei, præcedit actum primi doni, scilicet timoris; & generaliter actus cuiuslibet virtutis præcedit actum doni sibi correspondentis, Hinc est, quod generaliter concedi potest habitus virtutum per comparationes ad actus, & vsus, priores sunt respectu donorum, & hoc dico respectu eiusdem*. Hæc D. Bonauentura.

Sententia D. Tho.

3 Diuus Thomas 1. 2. quæst. 68. ad secũdum etiam distinguẽs, inquit *Aliquid est prius altero dupliciter, vno modo ordine perfectionis & dignitatis, sicut dilectio Dei est prior dilectione proximi; & hoc modo dona sunt priora virtutibus intellectualibus, & moralibus, posteriora vero virtutibus theologicis. Alio modo ordine generationis, seu dispositionis, sicut dilectio proximi præcedit dilectionem Dei, quantum ad actum: & sic virtutes morales, & intellectuales præcedunt dona, quia per hoc, quod Homo bene se habet circa rationẽ propriam, disponitur ad hoc, quod bene se habeat in ordine ad Deũ*. hæc Th.

4 His

Responsio Authoris. 4 His stantibus, dicimus, quod loquendo de virtutibus, & donis, quantum *ad habitum*, simul sunt virtutes, & hæc dona: hæc est Diui Bonauenturæ. Sub alijs autem terminis dici potest, vt simul sint quantum *ad infundi*, quod est idem, ac esse simul quoad *originem*, vt loquitur Sanctus Doctor. Fundamentum assertionis est, quoniam gratia est radix, vt loquebatur quæst. præcedenti Bonauentura, omnium donorum, & virtutum infusarum: igitur via generationis, sunt simul. Confirmari potest in via Scoti, quia namque, vt habitum fuit quæst. 5. Virtutes & dona sunt idem, hinc fit, vt etiam in infundi, sint simul: maiorem namque faceßit difficultatem sustinere esse habitus distinctos, ad hoc, vt censeantur in infundi esse prorsus idem Loquendo vero vero quantum ad actum, seu vsum, non sunt simul; cui autem tribuenda sit prioritas, tribuenda erit actibus virtutum. Ita D. Bonauent. & D. Thom ille quidem, probat, quoniam actus cuiuscunque virtutis præcedit actum cuiuscunque doni correspondentis. Et confirmatur; quid namque est vsus doni, nisi vsus eiusdem virtutis, at cum aliquali differentia, de qua diximus quæst. 5. Quod si obstaueris, actus timoris præcedit actum spei, ergo actus doni timoris præcedit actum virtutis spei: Respondet Bonauent. quod licet ita sit, nihilominus non præcedit absolute, & generaliter omnes virtutes; non enim præcedit virtutem fidei, quæ est prima in ordine virtutum.

5 Consimilis est doctrina D. Thomæ, dum ait, quod ordine generationis, & dispositionis virtutes morales, & intellectuales præcedunt dona, quia disponunt in ordine ad Deũ loquitur autem quo ad vsum, ideo que, subdit, *dilectio proximi præcedit dilectionem Dei quantum ad actum*,

6 Confirmatur vtraq; pars Assertionis, primo, Greg. in Iobi 1. super illud, *Ventus vehemens irruit, & concussit quatuor angulos domus, ait, Spiritus ante omnia, mentem ornat septem virtutibus*, Ergo virtutes sunt priora donis. Secundo Hieremiæ, Thren. 1. *Præcipitauit omnia mænia eius*, Glosa ibi inquit, *In his rectus ordo seruatur, quia cum peccatrix anima relinquitur, prius abea, dona virtutum, quæ data sunt ad manifestationem Spiritus, auferuntur deinde fundamenta fidei, spei, & charitatis euertuntur*: Hinc vero arguitur, vltimum in constructione est primum in destructione: & vltimum in destructione est primum in constructione: sed primum, quod destruitur, est donum, ergo dona sunt vltima in cõstructione, vltimũ vero, quod in Anima euertitur, est virtus, ergo virtutes sunt priores, tãquã undamenta, in ædificio animæ. Tertio, timor est primum donorum, quemadmodum fides est prima theologicarum virtutum: sed fides est prior timore, quia timor ortum habet à fide, ergo virtutes sunt priores donis. Quarto habitus virtutũ dantur ad redificandũ: habitus donorũ dantur ad expediendũ, ergo virtutes sũt priores Quinto virtutes dantur ad actum primum, dona autem ad actus vlteriores: actus autem primi sunt priores secundis, ergo virtutes sunt priores donis. Sexto quid sunt dona, nisi quædam excitamenta virtutum: nisi quædam ordinatio virtutum ad actus, vtpote earundem virtutum, licet, singulariores, strenuiores. excellentiores? at comparatiuum supponit positiuum, ergo præcedunt virtutes. Confirmatur, actus donorum sũt actus virtutum, licet singulariores: ergo virtutes præcedunt: Actus namq; singulares, & extraordinarij credulitatis, & fidei est actus doni intellectus actus extraordinarij virtutis charitatis, est actus doni sapientiæ. & huius modi actus sunt actus earundem virtutũ: qui quidem actus, & promanant à virtutibus, & à donis, quia sunt actus amborum habituum: at per prius pro manare dicuntur à virtutibus, quam à donis.

7 Vtique actus strenui, & extraordinari simul prom inat à virtutibus, & donis, nihilominus aliunde censentur aliquo modo prius manare à virtutibus primo, quia actus tales possunt quoad esse simpliciter produ-

producì à virtutibus absque donis; potest namque produci actus fidei, spei, charitatis, temperantiæ, fortitudinis, iustitiæ ac prudentiæ. sine donis; erunt autem actus solius virtutis fidei, spei, &c. At si actus hi producendi fuerint prompte, expedite, faciliriter singulari, extraordinerio, atque excellentiori gradu, & modo; tunc tale adminiculum fiet à donis: Vnde à primo ad vltimum, actus isti radicantur in virtutibus, & perficiuntur in donis.

8 His actis respondetur ad argumenta principalia: Et ad primum respondet Bonauent. quod aliud est sanari à morbo, aliud à sequela morbi: per virtutes quidem sanatur anima à morbo culpæ: at per dona sanatur synthema, & sequela morbi, siue reliquiæ culpæ. Vel secundo dici posset, assumptum esse verum de morbo corporali, non spirituali, ab illo namque sanatur prius corpus, inde vero iam sanatum corpus, opera exercet sanitatis, ab isto autem non prius sanatur anima, quam operetur; immò prius debet anima opera exercere contritionis, dilectionis, & pænitentiæ, & inde postea sanabitur.

9 Ad secundum negatur minor, prius namque id fit per virtutes. Ad tertium, non per hoc, quod plura sunt dona intellectus, quam affectus, ideo erunt priora.

10 Ad quartum, fides præcedit scientiam. Et ad August. dicendum loqui quod generatur non in sè, sed in mente aliorum per scientiam, explicando fidem.

11 Ad quintum, per dona ibi intelliguntur virtutes, solent enim confundi nomina, & vsurpari vnum pro alio.

QVAE-

QVÆSTIO VIII.

Vtrum dona sint nobiliora virtutibus, an e contra.

Vulpis sententia. 1 Quæstionem Vulpes existimat inutilem: quandoquidem dona non distinguntur à virtutibus. ita tom 2. par. 3 d 123. artic. 8. Verum nos existimamus necessariam: Nec ratio sua obest, quia cum identitate eorum stat aliqualis distinctio, vt demonstrauimus supra, quæst. quinta. Dices, sunt idem realiter ergo cessat distinctio, & ratio disquirendi. Respond. cum identitate reali stare distinctionem modalem, de qua ibi, ideoque posse requiri.

Sententia D. Tho. 2 Dinus Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 8. distinguit de multiplici genere virtutum, vna cum sententia communi: quædam namque sunt virtutes theologicæ: quædam intellectuales; & quædam morales Virtutes theologicæ sunt, quibus mens humana Deo coniungitur: Virtutes intellectuales sunt, quibus ratio ipsa perficitur: Et virtutes morales sunt, quibus vires appetitiuæ perficiuntur ad obediendum rationi. Insuper dona sunt, quibus omnes vires animæ disponuntur adhoc, quod subbdantur motioni diuinæ. Sic ergo eadem videtur esse comparatio donorum ad virtutes theologicas, per quas homo vnitur Spiritui sancto mouenti, sicut virtutum moralium ad virtutes intellectuales, per quas perficitur ratio, quæ est virtutum moralium motiua.

3 His prælibatis respondet ad quæstionem, inquiens, sicut virtutes intellectuales præferuntur moralibus & regulant ea: vnde Gregorius lib. 1. Moral cap. 28. ait quod neque ad denarij perfectionem septem filij, idest septem dona perueniunt, nisi in fide, spe, & charitate fiat omne, quod agunt. Sed si comparemus dona ad alias virtutes intellectuales, & morales, dona præferütur virtutibus, quia dona perficiunt vires animę in comparatione ad Spiritum s. mouentē; virtutes autem perficiunt, vel ipsam rationē, vel alias vires in ordine ad rationem. Manifestum est autem, quod ad altiorem motorē oportet maiori perfectione mobile esse dispositū: vnde perfectiora sūt dona virtutibus Concludit ergo, quod sicut virtutes intellectuales sūt nobiliores virtutib. moralibus, ita virtutes theologicę sūt nobiliores ipsis donis Itē, quod dona sunt quidē nobiliora virt. tibus intellectualibus & moralibus: nō tamē sūt nobiliora theologicis: Præcipue autem id in speciali, & nominatim docet de charitate in responsione ad primum, inquiens, *Charitas est virtus theologica, de qua concedimus, quod sit potior donis.*

Sententia D. Bonau. 4 D Bonau in 3. d. 34. q 3. art. 1. docet quod de habitibus virtutum, & donorum possumus loqui tripliciter: vel in comparatione ipsorum ad gratiam ipsos habitus informantem & gratuitos facientem: Vel in comparatione ad actus egredientes: vel in comparatione ad status subseqnētes: Si in comparatione ad gratiam, cum ipsa gratia sit vna, reddēs ęqualiter animā acceptam Deo, & ipsius potentiam, & habitus, & opera; sic æqualis dignitatis & meriti sunt cūcti habitus existentes in eadem anima. Si autem loquamur in comparatione ad actus, sic vnus habitus est nobilior altero, sicut virtutes theologicæ sunt nobiliores cardinalibus; cum actus earum immediate tendāt

in Deum: & inter theologicas charitas est excellentissima. Si autem loquamur quantum ad status consequentes, cum vsus virtutum habeatur in statu imperfectionis; vsus vero donorum promoueat hominem ad statum perfectionis sic dona sunt excellentiora virtutibus, sicut status proficientium perfectior est statu incipientium: & hoc est, quia status ille secundus præsupponit statum præcedentem. Vnde sicut bene esse, melius est, quam esse, quia bene esse dicit esse, & adhuc amplius. sic habitus reddentes potentias expeditas ad actus medios, excellentiores sunt habitibus reddentibus eas expeditas primo ad actus primos, non ratione eius, quod addunt solum, sed ratione eius, quod addunt, & præsupponunt. Hæc Bonau. A primo autem ad vltimum, concludit, dona esse nobiliora virtutibus: speciatim vero loquendo de charitate, in responsione ad primũ, docet *dona esse nobiliora charitate*.

5 Quæstionis principalis punctus est circa comparationem donorum cũ virtutibus theologicalibus: etenim absq; controuersia stat, dona nobiliora esse virtutib. humanis intellectualib. & moralibus. Et quidem D. Th. duo de virtutibus theologicis docet, primum eas esse nobiliores donis: secũdũ, eas regulare ipsamet dona: Vtrũq; vero patitur difficultates.

6 Et quidem quomodo poterit esse verum per virtutes regulari dona, si potius per dona Spiritus sãctus dirigit ipsas virtutes, Dictum est nãque ex eodem D. Tho. dona dari ad prompte, expedite, & faciliter exequendũ impulsum Spiritus sancti; ergo potius dona dirigunt ipsas virtutes. Item Ro. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei*, & ps. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã*. Ergo deductio, siue regula & directio tribuitur dono in ordine ad virtutes, nõ virtutib. in ordine ad dona. Rursus ipsæmet virtutes indigẽt donis ad hoc, vt p dona operẽtur expeditius, & excellẽtius, qua ergo ratione virtutes erũt excellẽtiores donis?

7 Diui autem Bonau. sententia nullam patitur difficultatem ex his: vnde statuit Seraphicus Doctor, dona esse nobiliora virtutibus. Probat vero, primo ex Bernar lib. de Amore Dei c. 25. vbi ait, *Amor profecit in charitatem: charitas autem in sapientiam*. At non est progressus, seu profectus, nisi per progressum ad aliquid excellentius, ergo donũ sapiẽtiæ est excellentius charitate. Itẽ nobilitas habituũ dignoscitur per actus: actus autẽ donorum sunt excellẽtiores actibus virtutũ: ergo & ipsæ virtutes. Rursus, id quod se habet ad alterũ ex additione in genere boni, excellentius est illo: sed dona adduntur virtutibus, vt sint virtutes ad agendum expeditiores, ergo erunt perfectiora. Confirmatur, bene viuere melius est, quam simpliciter viuere: Et melius viuere excellentius est, quam bene viuere: virtutibus bene viuimus; per dona autem excellentius, quia expeditius. Prætera illi habitus sunt perfectiores qui reddũt hominẽ magis similẽ statui gloriæ: dona hoc faciunt, non sic virtutes: probatur minor quia dona remanent in Patria, non autẽ virtutes. Ratio hæc concludit solummodo de virtute fidei & spei, nõ autem charitatis, ideo arguitur aliunde, dona dantur in adiutorium virtutum contra defectus, ergo dona perficiunt id, quod virtutes perficere non possunt. Maior probatur ex Gregor. lib. 2. Moral. cap. 36. inquit enim, *Donum Spiritus sancti in subiecta mente, ante alia, iustitiam, prudentiam fortitudinẽ, & temperantiam format, & sic eandem mentem septem mox virtutibus, idest, donis, temperat, vt contra stultitiam, sapientiam; contra hebetudinem, intellectum: contra præcipitationem, consilium contra timorem, fortitudinem: contra ignorantiam, scientiam: cõtra duritiam, pietatem: contra superbiam, dat timorẽ*; Ergo dum dona formant, seu perficiunt virtutes aduersus hæc vitia, erunt perfectiora virtutibus.

8 Et ex hinc D. Bon. cõcludit, dona esse perfectiora cunctis, tũ intellectualib. & moralibus, tũ vero theologicis virtutibus: ac nominatim id docet de charitate in responsione ad primum.

9. Obijcitur autem, primo ex Paulo 1. Cor. 12. *Adhuc excellentio-*

rem

r.m viam vobis demonstro. vbi Glosa, *Demonstro vobis viam eundi ad Deum idest, charitatem, quia n.atus omnibus donis est.* Et Augu. 15. de Trin. c. 18. *Nullum est isto dono excellentius.* At charitas est virtus, ergo virtutes sunt excelletiores donis. Secundo, *Virtutibus nullus male vti potest* ex August. lib. 2. de liber. arbitr. c. 15. at donis potest quis male vti: probatur ex Gregor. qui lib. 1. Moral. c. 35. sic ait, *Hostiam nostræ preces immolamur, ne sapientia eleuet: ne intellectus, dum subtiliter currit, oberret: ne consilium, dum se multiplicat, cõfundat; ne fortitudo, dũ fiduciam prabet pracipitet; ne scientia, dum nouit, & non diligit, inflet; ne pietas, dum sẽ in rectitudinem inclinat, intorqueat: ne timor, dum plus iusto trepidat, in desperationis foueam mergat*, quod si virtutes frenant, ac dirigunt ipsa dona, erunt perfectiores ipsis donis. Tertio, ex Arist. *Virtus est vltimum de potentia*, at eo, quod est *vltimum potentia*, nihil est maius, neque excellentius. Denique, *perfectum est id, cui non potest fieri additio*: at si dona essent perfectiora virtutibus, fieret additio ad perfectum per superinfusionem donorum.

Obstatur.

Respõdetur

10 Ad primum respondet Bonauent. Apostolum comparare charitatem ad virtutes cæteras quæ possunt esse sine charitate, vt fides, & spes informis; cæteræque virtutes intellectuales, & morales: at quia dona præsupponunt charitatem, & addunt charitati aliquid aliud, sicut donum sapientiæ addit apptitudinem, & promptitudinem ad faciliter degustãdum *quam suauis sit Dominus*; hinc est, quod comparatio illa non habet hic locum pro eo, quod alterum in altero clauditur. Respondendum secundo, charitatem esse cæteris excellentiorem in ratione meriti, cæterum aliunde donum sapientiæ esse nobilius ea. ita Bonau.

Charitas est perfectior cunctis, declaratur.

11 Ad secundum, defectus quidem non esset donorum, sed possidentium dona: ideoque ipse possidés dona eget speciali auxilio, ne male vtatur donis: quemadmodum defectus non est artis, nec scientiæ, nec virtutis, sed ipsius Artificis, ipsiusque scientifici, & possidentis dona Vide Scotum In 3. d. 36. q vn. §. *Per hoc ad quãdã tracta pro prima opinione*, lit. C.

Virtutibus nullus male vti potest, declar.

12 Ad tertium, loquitur de potẽtia naturali: quæ quidem est instrumentum naturæ, naturæque ipsi connaturale, adeo in naturalibus perfectum, vt sit in vltimo perfectionis in genere suo: vt potentia intellectiua, visiua, &c. quibus natura contulit tantam operandi virtutem, quanta ex sui natura competere potest intellectui, voluntati, cæterisque potẽtijs in genere suo: at loquendo de potẽtia supernaturali, vt sũt habitus poterit dari excessus vnius habitus supra aliũ, vt patet in eis, dum vnus est altero perfectior. Item vera maior de potentia intrinseca, vt sunt potentiæ recensitæ, intrinsecæ naturæ. &c. falsũ de potentia extrinseca etenim extrinseca adiutoria possunt cõferri perfecte, & perfectius, &c.

Eo quod est vltimum de potentia nil maius, declar.

13 Ad quartum. Perfectioni quidem simpliciter non potest fieri additio, qualis est perfectio simpliciter, & infinita Dei: at perfecto secundũ quid, fieri potest: perfectæ quidem sunt virtutes, at fiet perfectionis vlterioris additio, dum informantur donis.

Perfecto nõ potest fieri additio, declar.

QVÆSTIO IX.

Vtrum dona Spiritus sancti euacuabuntur in Patria.

Sententia communis.

1 VTrum vero dona Spiritus sācti manebunt, an euacuabuntur in Patria: Est communis sentētia affirmatiua manere Ita D.Bonau in 3.d.34.quæst.3.ar.2. D.Tho. 1.2.quæst.68.art.6. Gabriel, cæterique sententiarij cum Magistro in 3.d.34. Probatur autem in primis ex Ambrosio lib.1.de Spiritu sancto cap.20.vbi ait, *Ciuitas illa Hierusalē cælestis non meatu alicuius fluuij terrestris abluitur, sed ex vitæ fonte procedens, Spiritus sanctus, cuius nos breui satiamur haustu, in illis cælestibus Spiritibus redundantius videtur affluere, pleno septem virtutum spiritualium feruens meatu*. Subdit autem inde quod loquitur de donis Spiritus sancti. Item Christus fuit perfectissimus comprehensor, & tamen in ipso fuerunt omnia septem dona Spiritus sancti, ex Isaiæ 11. ergo poterunt stare etiam in cæteris Beatis. Rursus, donum timoris est vltimum ex enumeratione Isaiæ: at timor manebit in Patria, iuxta ps.18. *Timor Domini sanctus*, permanens in *sæculi*, ergo maiori ratione remanebunt dona alia perfectiora. Præterea manebunt virtutes ibi cardinales, ergo multo magis dona: probatur consequens, quoniam dona sunt ipsis perfectiora: & antecedens probatur ex Beda penes Magistrum in 3.d.33. dicente, *Potestates* cæli quatuor eximijs virtutibus sunt præclaræ, fortitudine prudentia, temperantia, *iustitia*. Erunt autem ibi hæ virtutes semotis tamē imperfectionibus, ita quod Iustitia excludit obliquitatem: prudentia errorem: fortitudo molestiam, & temperantia omnem libidinū repugnantiam: vt etiam amplius dicetur de donis. Erunt ergo ibi dona, semotis tamen imperfectionibus, immo excellentiori modo.

2 D Tho. Respondendo ad quæstionem distinguit, inquiens, posse considerari, vel quantum ad essentiā, vel quantū ad materiam: primo modo, ait, erūt in Patria; vt patet per Ambrosium: Ratio est, quia dona Spiritus sancti perficiunt mentem ad sequendam motionem sancti Spiritus, quod præcipue erit in Patria, *quando Deus erit omnia in omnibus*, vt dicitur 1.Corinth.15. & quando homo erit totaliter subditus Deo: secundo autem modo, spectando materiam *circa quam*, & ita non manebunt in Patria iuxta operationem illam, quam exercebant in via etenim operatio illa repugnat Patriæ. *Responsio D.Tho.*

3 Singulariter vero Gregorius dona explicat, docēdo de vnoquoq; sub qua ratione maneat, vel non remaneat in Patria. Is autem lib.2. Moral. cap.36. de singulis discurrendo, inquit, *Sapientia mentem de æternorū spe, & certitudine reficit: quorum duorum spes transit, sed certitudo remanet. Intellectus in eo, quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illustrat; quorum auditus transit, quia non docebit vir fratrem suum, vt dicitur Hierem 31. sed illustratio mentis manebit. Consilium prohibet esse præcipitem, quod est necessarium in præsenti: & iterum, quod ratione animum replet, quod necessarium est, etiam in futuro. Fortitudo aduersa non metuit, quod est necessarium in præsenti: & iterum quod confidentia cibos apponit, quod permanet,* *Resolutio D.Greg.*

etiam

etiam in futuro. Scientia ignorantia ieiunium ſuperat, quod pertinet ad ſtatum præſentem; Pietas cordis viſcera miſericordiæ operibus replet, quod ad ſtatum præſentem pertinet: ſed in futuro affectum congratulationis præſtat; timor premit mentem, ne de præſentibus ſuperbiat, quod pertinet ad ſtatum præſentem, at in futuro ſperata obtinet, etc. Senſus ergo Gregorij eſt, dona ibi apponere, demptis tamen imperfectionibus, vt amplius patebit in ſolutione argumentorum.

4 Vnde primo arguitur, dona Spiritus ſancti cōferūtur ad tentationes vincendas: nulla autem tentatio erit in Patria, iuxta illud Iſa. 11. *Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo.* Secundo, plurima donorum non poſſunt ibi exerceri actus, ait namque Gregor. 1. Moral. c. 32. *Intellectus facit audita penetrare; Conſilium prohibet eſſe præcipitem: fortitudo facit non metuere aduerſa; & pietas replet cordis viſcera operibus miſericordiæ.* Hæc autem non competūt ſtatui Patriæ. Tertio, habitus donorū ordinantur ad ſanandum ſynthomata at in Patria nulla erit infirmitas. probatur conſeq. quia talis eſt vſus medicinæ. Quarto per donum intellectus cognoſcitur Deus ex Creaturis: at in Patria cognoſcitur Deus ex ſè in ſua propria præſensia, ergo fruſtaneum erit ibi hoc donum. Quinto donum Conſilij eſt dubitantis, & conferentis, atque inquirentis: in Patria autem non erit dubitatio, nec diſcurſus inquiſitio. Sexto donum fortitudinis prodeſt ad pericula, infirmitates, & aduerſa ſuſtinenda: hæc non erunt in Patria. Septimo, ſcientia docet conuerſari in medio Nationis prauæ, & peruerſæ: in Patria non erunt hæc. Octauo, donum pietatis eſt ad compatiendum proximo, ibi autem nulla aderit miſeria, ergo nulla compaſſionis materia. Nono donum timoris eſt ad retrahendum à malo: nullum autē ibi malum. Decimo pietas, & fortitudo ſpectant ad vitam actiuam, at ibi erit non vita actiua.

5 Ad primum, reſpondet D. Thomas non eſſe ibi dona ſub ea ratione, ſub qua ſunt in via, vbi ordinantur ad tentamenta euincēda: quia in Patria non erunt tentationes: erunt vero ſub alijs modis excellentioribus.

6 Ad ſecundum, Gregorius ipſe ſemetipſum declarat quomodo maneant, vel non maneant, vt iam anterius doctrinam eiuſdem attulimus: quod etiam amplius patebit ex ſingularium obiectionum ſolutione.

7 Ad tertium reſpondet D. Bonauent. quod *perfecta medicina vſus eſt non tantum ad reſtituendam ſanitatem, ſed etiam ad præſeruandam, & continuandam:* Vnde dona in ſtatu innocentiæ fuiſſent ad ſanitatem præſeruandam: In ſtatu naturæ lapſæ ad ſanitatem curandam: & in ſtatu gloriæ, ad ſanitatem perpetuo continuādam: & licet in ſtatu gloriæ non ſit ægritudinis curatio, eſt tamen ſalutis in perpetuum *continuatio.*

8 Ad quartum reſpondet idē Doctor, quod donum intellectus in via exercetur per diſcurſum, fundatum ſuper quandam inquiſitionem: in Patria vero videbitur Deus in ſeipſo, ait enim Apoſtolus, *Videbimus eum ſicuti eſt.* Vnde Ariſtoteles ait, ſi eſſemus ſupra lunam, non quæreremus propter quid eclypſatur luna, quoniam videremus intuitiue, ſimplicique aſpectu terram inter poſitā inter ſolem, & lunam. An vero in Beatis contingat diſcurſus, habebitur in Mater: de Viſione beatifica: & ex parte attigimus tom. 1. diſput. 1. q. 4.

9 Ad quintum in conſilio duo ſunt, diſcuſſio, & electio: primum euacuabitur, inquit Bonauentura: & remanebit ſecundum. Diuus autem Gregorius citatus, ait, *Conſilium* prohibet eſſe præcipitem, & ratione animum *replet:* præcipitationis, erroriſque occaſio ibi nulla: & vt ſic, ceſſat conſilium: Animus vero rationi adhæret, ſeu digniorem partem eligit, ex Bonau. & hoc manebit in Patria. *Donum cōſilij, an in Patria.*

10 Ad ſextum: fortitudinis donum ibi remanet, non quia aduerſa, quæ ibi nulla ſunt, ſuſtineat; ſed quia Beatus firmiter, fortiterque adhæreat ex toto corde Deo, in eiuſque amore permaneat: atque in æterna fruitione firmetur. *An donum fortitudinis.*

11 Ad ſeptimum non exinde ar-

ſcade-

tendetur scientia, cum nulla ibi peruersitas, sed omnia consona, & sanctitas: sed qua mediante vnusquisque cognoscet quomodo, & qualiter se debeat habere ad alterum, ait Bonauen. vtpote *condiligendo, congratulando, et congaudendo de ipsorummet Beatorum beatifica associatione, &c.*

An donum fortitudinis. 12 Ad Octauum, pietatis donum non ibi erit ad condolendum, siue ad compatiendum, cum nulla ibi sit materia condolendi, & compassionis; sed ad congaudendum, & condelectandū inuicem inter Beatos.

An donum timoris. 12 Ad nonum, donum timoris non erit ibi quantum ad mali cautelam, ait Bonauent. sed quantum ad ipsiusmet Dei summam reuerentiam: Erit autem timor *filialis*, qui erit *timor Sanctorum*, non erit ergo timor alicuius mali, quia *Non accedet ad te malum, nec flagellum appropinquabit tabernaculo tuo.* Psalm. 13. & amplius infra.

An vita actiua. 13 Ad decimum, licet non erit actiua, erit tamen ibi vita contemplatiua, & ratione huius erunt ibi dona ex D.Thoma ad 3.

14 Et in summa adimplebitur ibi id, quod Apocalypsis 21. dicitur, *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt: & dixit qui sedebat in Trono; ecce noua facio omnia.*

Donum intellectus, et scientiæ quid. 15 Circa donum tamen intellectus, & scientiæ contigit aduertere, vtrumque donum esse habitum fidei, infusæ ex Scoto 3.d.34.quæst. vnica, lit. O. *Est enim intellectus*, inquit ipse, *Fides imperfecta, qua est notitia articulorum primorum; & scientia, fides perfecta, qua est explicita notitia de articulis, sicut in scibilibus naturalibus intellectus dicitur esse principij, & scientia, conclusionis.* Stante autem hoc, donum intellectus, & scientiæ, quatenus sunt habitus fidei, siue implicite, siue explicite, euacuabuntur in Patria, quia fidei succedit visio, *Et videbimus eum, sicuti est*, licet sumpta in alio sensu ex relatis, possint remanere, demptis imperfectionibus, sicut docet Gregorius, & Bonau.

16 Circa sapientiam vero, ipsam *Sapientia*, Scotus considerat prius, quatenus *quid ex Sco* per *Sapientiam sapit mihi Deus in se, to.* & *secundo quatenus sapit mihi, vt bonum.* Secundo modo sumpta in, docet esse idem, ac spem, quia *Qui sapit, & saporem in se approbat, & sibi appetitur quia ipsi succedit tentio*, ideo sapientia, vt sic, euacuabitur, quemadmodum euacuabitur ipsa spes; At sumpta primo modo, remanebit, quoniam sapientia est idem, ac charitas, remanebit vero eadem charitas, imò perficietur, quia *cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.*

Resolutio's lis quæstionis ex Arc. 17 Accedit, & modus alter ad quæstionem respondendi: dona omnia remanere ibi quantum ad *habitum*, licet nō omnia quantū ad *actum*, ex eo, quod non omnes donorum operationes erunt ibi. Hoc autem stante, poterit responderi ad singula obiecta quibus probatur, vel timorē, vel consiliū, vel fortitudinē, & huiusmodi, non habere ibi locū, possit quidem dici ex sententia illorum, remanere quoad habitum, non quoad actum. Inter cæteros est Arcturus in 3.d.34.q.vn.art. 2. versus finem. Verum ex hoc colligitur non remanere ibi donum aliquod quoad habitum, simul, & actum, nisi donum sapientiæ, quod est charitas; at ex hinc sequitur cætera a dona esse ibi omnino frustranea; ad quid namque tot dona, si nusquam exibūt in actum? Quod si saluari possunt, æque bene, tum in ratione habitus, tum actus, vt bene docet Greg. D. Bonau. D.Th. cum communi, semouendo imperfectiones, vt diximus, non est vt absolute negemus remanere in ratione actus; Remanent ergo dona etiam in ratione actus, sed respectiue, & proportionaliter ad statum Patriæ & gloriæ.

Timor quā triplex. 18 Circa *Timorem* tamen est amplius insistendum, qualis, & quomodo admittatur. Supponimus vero in primis distinctionem illam de timore etenim diuidi solet, & primo diuiditur in timorem *naturalem*: secundo in timorem *mundanum*: tertio in timorē *filialem*, & quarto in timorem *seruilem*; hic vero subdiuiditur, vt alter sit

malus

malus, & alter *bonus*

Timor Naturalis quid.

19 Timor naturalis est passio naturæ, seu portionis inferioris, quo mediante, natura duce, vnum quodque, etiam brutale animal, timet ea, quæ noxia sunt naturæ, vt pati incommodis, violentias, mortem, & huiusmodi. Et timor hic vniuersim sumptus reperitur nedum in homine, verum, & in brutis, ratio, quia *naturaliter vnusquisque desiderat conseruari in suo esse. &c.* Timor autem iste est bonus bonitate ex *genere*, quia mediante eo cupimus conseruari in esse, & vitare obnoxia, at hoc præstare, est bonum bonitate ex *genere*, vnusquisque enim timet sui destructionem.

Timor mundanus quid

20 Secundus timor, est, quo mediante timentur potius hominum, & Tyrannorum minæ, persecutiones, & afflictationes, quam offensa Dei, adeo vt eligat quis potius Deum offendere vt minas, & insectationes Tyrannorũ euitet: timor hic est omnino mundanus, quandoquidem nil habet de cælesti, atque totus impenditur propter homines, non propter Deum: aduersus hos loquitur Christus Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, & 1. Pet. 3. *Timorem eorum ne timueritis, Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris*. Et propter hoc timor hic est omnino malus, ante ponit enim homines Deo, & paratus est mediante hoc timore perterritus homo, semper offendere Deum.

Timor filialis quid.

21 Tertius timor est *filialis*, est autem is, quo mediante timemus culpam, & offensam Dei. Hic autem timor sanctus est, & de hoc exponunt Patres illud ps. 18. *Timor Domini sanctus*, vbi Augu. *Timor castus est, quo filij timent offensam Patris*. Est vero cõparatio filij diligentis ex toto corde Patrem, vt timeat Patrẽ, timore euitãte offensam Patris, de quo Conc. Tr. sess. 6. c. 6. Hic quoque timor diuidi solet in *initialem*, et *perfectum*, ex D. Th. 1. 2. q. 42. art. 8. & indicat D. Augu. lib. 83. quæst. 36. dicens, *Timor inchoat, & perficit sapientem; hic autem est qui summe diligit*. Habet hic timor fundamentum in charitate.

Timor initialis, & perfectus.

Timor seruilis in bonum, & malum.

22 Quartus est *seruilis*, diuisus in bonum, & malum: & quidem timor seruilis malus est ille, quo peccator cauet à peccato, solius pœnæ fugiendæ causa, nullatenus tamẽ amore Dei, ita vt si nulla foret infligenda pœna, vtique peccaret. Timor hic malus est, etenim includit animi præparationem ad peccandum. De hoc autem, ita loquitur Augu. in ps. 118. Conc. 25. *Timor, quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, seruilis est, quia carnalis est, & ideo nõ crucifigit carnem; viuit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas, cum vero pœna creditur sequutura, latenter viuit, viuit tamen, mallet enim licere, & dolet non licere quod lex vetat, quia non spiritualiter delectatur eius bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur.* Appellatur autem de toto seruilis, quia seruorum est ad seruiendũ Domino proprio, induci sola ratione pœnæ.

Timor seruilis bonus quid.

23 Seruilis bonus est ille, quo pœnas gehennæ timemus, aliaque incõmoda, & ob id à peccatis abstinemus, non tamen ea lege, quod si Infernus nõ esset, etiam peccaremus, hoc namque spectat ad timorem seruilem malum: sed à peccato cauemus timore Inferni, & ratione cæterarum pœnarum. Controuertitur autem, vtrum timor hic censendus sit bonus, an malus: impius Lutherus censet esse malum. At concors Patrum, & Scholasticorum sentẽtia est, esse bonum. Ita inprimis docet Conc. Trid. sess. 14. c. 4. nempe esse bonum, atque vtilem, & à Deo excitari. Idipsum habet sess. 6. c. 6. & Cano. 8. Item Christus Dominus hortatur discipulos Mat. 10. inquiens *Timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam*. Prou. 1. dicitur, *Initium sapientiæ timor Domini* Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit iustificari*, & c. 25. *Timor Domini, initium dilectionis eius*. Isa. 26. *A timore tuo concepimus, & peperimus Spiritum salutis*. & 63. *Quare nos errare fecisti de via tua? indurasti cor nostrum, ne timeremus te?* Insuper Chrisos. ho. 15. ad Pop. Antioch. ait, *Timorem gehennæ esse in animis iusti quasi militem fortem, & armatum, qui latrones, & fures, ac hostes omnes arcet à Domo*. Hierony-

nymus Epist.ad Eustoch. de seruanda virginitat.ait, *se Timore gehennæ solitudinem, genusque illius asperrima vitæ elegisse.* Idemque Basil.in ps.33.inquit, *tentationes à viris iustis, timore gehennæ superari*; Et in orat. in princi. Prouerb. *iustos* ait, *hoc timore à peccatis impediri, non secus, ac clauis impediuntur, qui cruci affixi sunt, ne se moueant* iuxta illud psalm. 35. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timori.* Denique Apoc.14. dicitur, *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.* Beati autem appellantur ij, quibus talis timor incumbit, iuxta, Ecclesi.25. *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Domini.* Accedit, ratio, quia auerti à peccato, ab offensa Dei, & proximi, bonum est: hoc autem præstat talis timor. Insuper fugere sempiternam visionis Dei carentiā sempiternosque gehennæ cruciatus, bonum est, at hæc præstat iste timor. Bellarm.de pœnit.lib.2.c.17.plura de timore hoc congerit, soluitque c.seq. pugnantia argumenta Lutheri. Afferamus vero verba Cōcilij, oppositos errores confutantia, & doctrinam traditam confirmantia: sessione namque 14.c.4.sic loquitur. Illam vero cōtritionem imperfectam, quoniam pœnarum metu communiter concipitur si voluntatem peccandi excludat cū spē veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus s. impulsum, non adhuc inhabitantis, sed mouentis, &c.

Obstat Durandus.

24 Durandus aduersus aliqua ex dictis, duo obijcit, primum est, culpa non est obiectum timoris ex Aris. lib.2.in Ethic.c.5.& probat, *timor est de malo arduo, quod nō est in nostra potestate, vt vitetur.* Culpa autem non est malum arduum, imò in nostra sita est potestate, ergo timor filialis, & seruilis bonus non habet pro obiecto euitationem culpæ. Secundo, vterque timor, tum filialis, tum seruilis, potest esse de culpa, ergo non distinguntur ex eo, quod seruilis sit de pœna, filialis de culpa. Ita in 3.d.34.q.4.5. Ad primum respond. quod euitare peccata, & vincere tentationes, vtique res ardua est, vnde clamabat Apost. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius.* & ratio, quia *Caro militat contra Spiritum, Spiritus aduersus carnem, &c.* Adeoque est arduum, vt sine speciali auxilio Dei succumbamus, vt patebit ex mater.de necessitate gratiæ Ad secundum, alia ratione timetur pœna timore seruili malo, alia timore filiali: illa ibi timetur tanquam mediū, non tanquam finis, quia finis est præcauentia culpæ. *Soluitur.*

Timor filialis, in Beatis.

25 His vero actis, ad principale redeundo intentum, loquendo de timore filiali, is remanet in Beatis, & nedum quoad habitum, sed & quantum ad actum. Est communis. D. Tho. 3.p.q.19.a.11. D.Bonau.in 3.d.34.ar.1.q.3.cæterorumque ibi, quidquid dicat Durandus: Patet ex ps.18. *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.* August.ibid.& Iob 26. *columnæ cæli, idest, Angeli, contremiscunt. & pauent ad nutum eius.* Exponente Gregor.17.Moral.c.15.& August.14.de Ciuit.c.9.scribit, *Sanctos nolle peccare tranquillitate charitatis.* Est etiam timor ille *reuerentialis*, ex Bon.& Tho. Concludit vero Ambrosius in ps.118 inquiens, *Est etiam timor sanctorum; timete Dominum omnes sancti eius: & beatus vir, qui timet Dominum; qua ratione beatus? quia in mandatis eius cupit nimis.*

QVÆSTIO X.

Quidnam sit Spiritus sancti donum sapientiæ, scientiæ, & intellectus.

Singulariter autem ad singularia dona explicanda descendendo, primo loco est discurrendũ de dono sapientiæ, ea ratione, qua & ipsam primo loco enumerat Isaias 11. Hucusque enim loquuti fuimus de donis Spiritus sancti in generali.

2 De Sapientia quidem Augustinus lib. 14. de Trin. cap. 1. & penes Magistrum in 3. d. 35. ita scribit, *Philosophi disputantes de sapientia, definierũt eam dicentes; Sapienta est rerum diuinarum, humanarumque rerum scientia. Ego quoque vtramque rerum cognitionem, idest diuinarum, & humanarum, & sapientiam, & scientiam dici posse non nego. Verum, iuxta distinctionem Apostoli, qua dixit, alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, illa definitio diuidenda est, vt rerum diuinarum cognitio, sapientia proprie nuncupetur, humanarum vero cognitio proprie scientiæ nomẽ obtinet. Neque vero quicquid sciri ab homine potest in rebus humanis, vbi plurimum supernacuæ vanitatis, & noxiæ curiositatis est, huic scientiæ tribuo, sed illud tantum, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur roboratur: qua scientia non pollent plurimi fideles, quamuis polleant ipsa fide plurimum; aliud enim est scire tantummodo quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam beatam; aliud est scire quomodo hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur; quæ proprio vocabulo appellatur scientia.*

Sapientia, & scientia quid ex August.

3 De his quoque duabus idem Augustin. super psa. 135. & in Enchyrid. cap. 2. absque lib. 12. de Trinit. cap. 14. differentiam insuper assignãs, inquit, *Distat sapientia quodammodo à scĩetia, testante sancto Iob, qui quodammodo singula definiens ait, sapientia est pietas; scientia vero abstinere à malis; pietatem vero hoc loco posuit Dei cultum, quæ Græce dicitur Theosebia, quæ est in cognitione, & dilectione eius, quod semper est, & incommutabiliter manet, quod Deus est: abstinere vero à malis est in medio prauæ nationis prudenter conuersari.* Locus autem Iobi est in cap. 28. iuxta 70. Interpret. Et loco citato de Trinit. subdit. *Distat ab æternorum contemplatione actio, qua bene vtimur temporalibus rebus; & illa sapientia, hæc scientia deputatur; quamuis & illa, quæ sapientia est, possit nuncupari scientia, vt Apostolus asserit, vbi dicit, Nunc scio ex parte; quum scientiam profecto contemplationem Dei vult intelligi; in hoc ergo differentia est quia ad contemplationem sapientia, ad actionem vero scientia pertinet.* Hæc ex Augustino, & Magistro, de sapientia, & scientia.

Idem

4 Pergens vero Magister loqui inde de intellectu, ostendit, in quonam differat sapientia ab intellectu; ait autem, *In hoc differunt illa duo, quia sapientia proprie est de æternis, quæ veritati æternæ contemplando intendit, intelligentia vero non modo de æternis est sed etiam de rebus inuisibilibus, & spiritualibus temporaliter exortis, per eam enim, & natura summa, quæ fecit omnes naturas, idest diuina, consideratur, & quæ post ipsam sunt spirituales, & inuisibiles natura, vt Angeli, & omnes Ani-*

Sapientia quomodo differt ab intellectu, ex Magist.

ma bona affectiones conspiciuntur. In hoc ergo differentia est, quia sapientia Creator tantum conspicitur. intellectu vero, & Creator, & Creatura quadam. Item intellectu intelligibilia capimus tantum, sapientia vero non modo capimus superiora, sed etiam incognitis delectamur. Sic ergo distingui potest inter illa tria, scilicet intellectum, scientiã, & sapientiam; scientia valet ad rerum corporalium rectam administrationem, & ad bonam inter malos conuersationem, intelligentia vero ad Creatoris, & Creaturarum inuisibilium speculationem; sapientia autem ad solius æternæ veritatis contemplationem, & delectationem.

Intellectus differentia à sciẽtia ex Magist.

5 Demum differentiam collocãs inter intellectum, & scientiam, ita subdit, *Et notandum, quod intellectus, & scientia, qua dicuntur dona Spiritus sancti, alia sunt ab intellectu, & scientia, qua naturaliter sunt in Anima Hominis; ha enim virtutes sunt, qua per gratiam infunduntur animis fidelium, vt per eas recte viuant; illa vero naturaliter habet Homo ex beneficio creationis, à Deo tamen. Per has autem virtutes, qua dicuntur dona Spiritus sancti, illa naturalia reformantur, atque adiuuantur, vt verbi gratia, intellectus naturalis peccato obtenebratus, per virtutem quandam, & gratiam, qua dicitur Spiritus intelligentia, reformatur, atque adiuuatur ad intelligendum; ita & per illam virtutem, qua dicitur Spiritus sapientia, iuuatur, atque erigitur mentis ratio ad contemplationem sapientia; iuuatur, atque erigitur mentis ratio ad contemplationem, et delectationem æternæ veritatis.*

Sapientia sũpta multipliciter ex D. Bonau.

6 Diuus Bonauentur. in 3. d. 35 quæst. 1. art. 1. docet, sapientiam sumi posse quadrupliciter, scilicet communiter, minus communiter, proprie, & magis proprie. Communiter sumitur prout dicit generalem cognitionem omnium, iuxta dictum Augustini, & Philosophi, quod *Sapientia est cognitio rerum diuinarum, & humanum*; & Philosophus idem 1. Methaphor. in prohœm. ait, *Sapiens est qui omnia nouit, secundum quod conuenit*. Minus communiter sumpta sapientia dicit *cognitionem non quamcunque, sed cognitionem sublimem, scilicet rerum æternarum*, & sic accipi eam Apost. 1. Corinth. 2. *Alij datur per Spiritum sermo sapientia, alij sermo scientia*, secundum quod exponit Augustinus dicens *Sapientia est cognitio æternorum, scientia vero est cognitio Creaturarum*; vnde dicit etiam Philosophus, quod *Sapientia est cognitio causarum altissimarum*. Proprie sumpta dicit *cognitionem Dei secundum pietatem*; & hæc est cognitio, quæ attenditur in cultu latriæ; quem exhibemus Deo per fidem, spem, & charitatem, secundum quod exponit etiam Augustinus illud Iob lib. 14. de Ciuit. cap. 1. *Ecce pietas, ipsa est sapientia*; vbi Augustinus. *Pietas, & sapientia idem est, quod Theosebia, & Theosebia idem est, quod cultus, qui cõsistit in tribus virtutibus*, Secundum quod ipse dicit in princip. Enchyrid. ad Laurentium. Magis autem proprie dicit *cognitionem Dei experimentalem* & hoc modo est vnum de septem donis Spiritus sancti, cuius actus consistit in degustando diuinam suauitatẽ. Hæc ex Bonauent. Videtur autem D. Bonau. copulare simul potentiã intellectiuam, & affectiuam.

Intellectus sapientia, scientia & consilium, quid ex D. Thom.

7 Diuus Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 4. & in 2. 2. quæst. 9. art. 6. sapientiam, ac scientiam intellectum, & consilium simul copulat, itaut subiectum omnium dicat esse ipsummet intellectum: Specialiter vero hæc explicans ait, intellectus primo penetrat rem: Secundo iudicat recte: tertio applicat ad operationem: Applicatio quidem hæc spectat ad *consilium*: Ea vero, quę proponuntur, in duplici sunt consideratione, vel enim proponuntur ad penetrandum, siue intelligẽdum: & hoc spectat ad donum *intellectus*: vel proponuntur ad insequendum, & opposita fugienda. hæc autem sunt in duplici genere: nam vel pertinent ad res diuinas, & id erit munus doni, *sapientia*. vel ad res creatas, & id spectabit ad donum *scientia*. Ex his autem videtur D. Thomas admittere sapientiam esse habitum intellectualẽ, at de hoc mox dicemus.

8 Scotus denique, ni fallor, resolutissime, & clarissime totam rem elucidat, & demonstrat; incipiendo autẽ

à dono

à dono sapientiæ, ait, *sapientia est habitus appetitiuus, nempe charitas*. Et quidem distinctione antecedenti osté derat amplius sapientiæ donum esse charitatem, prout sæpius retulimus, præsertim quæstione præcedent. & Scotus ipse dist. præced. lit. O. & nos hic infra: In eo autem, quod ait, sapientiam esse habitum appetitiuum differt à D. Thoma, qui videtur sapientiam collocare in intellectu. Verum existimarim non differre Scotum à D. Thoma, etenim & si sapientiæ tribuat iudicare, quod iudicium pertinet ad intellectum, nihilominus subdit inde, quod ad eandem spectat prosequi, & inhærere, atque contraria propulsare, hoc vero competit potentiæ appetitiuæ, ergo non differunt. Nec etiam puto differre à Diuo Bonauentur. qui ait, donum sapientiæ, seu sapientiam esse *partim cognitiuam*, *partim affectiuam*; Scotus vero subdit, *Sapientia est quidem habitus appetitiuus, licet includat fidem, tanquam præuium, sicut actus voluntatis actum intellectus*; Ecce quomodo Theologorum Principes non discordant.

Sapientia quid ex Scoto. 9 Pergit inde Scotus de scientia, & intellectu, inquiens, *Scientia, & intellectus circumloquuntur habitum fidei perfectum, & imperfectum, sicut dictum est prius*, nempe dist. præcedent. liter. O. & nos quæst. præcedent. Scot. Bonauent. & D. Thom. concordant scientia, intellectus, consilium, quid ex Scoto. Consilium autem acceptum pro habitu, est habitus prudentiæ, &c.

Obstatur. 10 Obijcit aduersus hæc resolutorie dicta Scotus, scientia, & intellectus non sunt idem habitus,

Occurritur probatur, in cognitione acquisita alius est habitus principiorum, alius conclusionis; nam habitus principiorum dicitur *intellectus*; habitus conclusionis appellatur *scientia*, ergo & in cognitione infusa alius erit habitus cognoscendi articulos, & alius cognoscendi consequentia, vel explicita ex articulis: igitur habitus intellectus, & habitus scientiæ non sunt vnus habitus fidei, sed plures.

11 Respondet negando consequentiam, quia in acquisitis assentitur intellectus vero complexo propter euidentiam terminorum: aliam autem euidentiam habet proprie principium, aliam conclusio: nam principia habent euidentiam ex notitia terminorum, conclusio euidentiam habet ex cognitione principiorum quæ est immediata, & principia sunt per sè nota, cum tamen conclusio fit nota per aliud, vtpotè per principia: varius autem modus cognoscendi facit notitiam principiorum, & conclusionis differre specie: At in reuelatis, & creditis non assentimur enim propter euidentiam alterius, cum ambo sint articuli crediti, & ambo sint ineuidentes, & de fide: assentimur autem propter authoritatem reuelantis: at hæc se habet eodem modo, & sub eadem ratione formali, vtputà sub ratione veritatis reuelantis, circa vtrumque, ideo est vnica ratio assentiendi in ambobus: vnde intellectus, & scientia, quatenus sunt habitus fidei, non sunt distincti habitus, sed vnus. *Notitia principiorum, & conclusionis vnde*

12 A primo autem ad vltimum, loquendo de sapientia concludit Scotus dist. 34. liter. O. inquiens, *Vniuersaliter quando in scriptura commendatur sapientia, vt Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & huiusmodi; ibi sapientia est charitas; est enim habitus, quo sapit habenti illud obiectum, quod est in sè sapiendum, quo scilicet placet mihi Deus in sè, & illud volo mihi*. Et aliquanto infra, *sapientia est, qua sapit mihi Deus in sè, & qua sapit mihi, vt bonum; nam qui sapit, & saporem in sè approbat, & sibi appetit*. Sic Scotus explicat sapientiam. *Sapientiæ explicatio amplior ex Scoto.*

13 Loquens vero de *intellectu, & scientia*, ita ibidem scribit, *Per alia duo dona, intellectum, & scientiam, exprimitur fides infusa, in quod illa duo non circum loquuntur duos habitus, sed vnum tantum, secundum perfectum, & imperfectum, & vnus potest dari sine alio, sed non è conuerso., potest* *Intellectus & scientia ex eod.*

test enim intellectus dici fides imperfecta. quæ est notitia articulorum primorum; scientia, fides perfecta, quæ est notitia explicita de articulis; sicut in scibilibus naturalibus, intellectus dicitur esse principij, & scientia conclusionis. Sic Scotus explicat *Intellectum*, & *scientiam.*

14 Pro scientia autem non sumimus eam, de qua Aristoteles loquitur in lib. de Demonstrat. & de qua nos loquuti fuimus tom. 1. disputat. quæst. Vtrum Theologia sit scientia: sed loquimur de scientia, quatenus est donum Spiritus sancti. Nec de sapientia hic loquimur ad sensum, quo loquuti fuimus eadem disputat. Quæstione Vtrum Theologia sit sapientia, sed de sapientia hic sermo est, prout donum est Spiritus sancti.

Sapientia, an principalius in actu intellectus, an voluntatis.

15 Ex quo tamen sapientia includit actum intellectus præsuppositiue ex Scoto, licet formaliter consistat in actu voluntatis, ex eodem quæritur, dum dicit vtrumque actum, in quonam ipsorum consistat magis, & principalius. Respondet D. Bonauentur. dist. 35. quæst. 1. art. 1. principalius consistere in affectu, siue in actu voluntatis; vnde ait, quod actus doni sapientiæ, *partim est cognitiuus, partim affectiuus, ita quod in cognitione inchoatur, & in affectione consummatur, secundum; quod ipse gustus, vel saporatio experimentalis boni, est dulcis cognitio.* Confirmatque ex Ecclesiast. 6. *Sapientia doctrinæ secundum nomen suum est.* Nomen autem, seu nomenclatura sapientiæ desumitur à *sapore*, sapor autem respicit affectionem interiorem. Et Scotus iam dixit, *sapientia est, qua sapit mihi Deus* & rursus, *Qui sapit, & saporem in sè approbat, & sibi appetit*, propetereaque Scotus idem sapientiam apposuit in voluntate. Probatur insuper, quoniam Gregorius in 1. Iob ait, *Sapientia est donum, spè, & certitudine æternorum, mentem reficiens*; at refectio spectat ad affectum, ad gustum. Dionys. de diuin. nom. cap. 7. *Hanc igitur stultam, & amentem sapientiam laudamus.* Appellat autem *stultam*, non quoad Deum, sed in ordine ad sapientiam huius sæculi etenim Philosophi gentiles, atque huius sæculi sectatores eam stultam appellant, propter quod Paulus aiebat, *Nos prædicamus Christum crucifissum Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam nam & Græci sapientiam quærunt.* & rursus, *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius sæculi, neque Principum huius sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* & supra: *Quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes.* Et infra, *Quod stultum est Dei sapientius est hominibus*, ac insuper, *Non multi sapientes secundum carnem sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* 1. ad Corinth. cap. 1. Et denique 1. Corinth. 3. *si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Præterea Bernardus lib. de Amore Dei cap. 6. inquit *Charitatem in sapientiam proficere.* atque idem Gregor. *actum sapientiæ esse rectificare* hæc ostendũt reperiri partem affectiuam in sapientia.

16 Non desunt tamen capita alia ostendentia actum cognitiuæ; nam August. 2. de Trinit. cap. 14. ait, quod *Sapientia est rerum diuinarum, humanarumque cognitio:* ergo stat in cognitione. Gregorius loco recensito inquit *Donum sapientiæ datum est in remedium contra stultitiam*; stultitiam autem est defectus intellectus, & opposita habent fieri circa idem, ergo circa subiectum stultitiæ, erit quoque opposita sapientia. Item sapientia appropriatur Filio: Filius procedit per modum intellectus. Denique incognita amare non possumus, licet amare possimus inuisa; ergo licet sapientia sit charitas, & amor, nihilominus postulat quoque intellectus operationem.

17 Vterque quidem vtriusque potentiæ actus concurrit adhoc donum; at initiatiue in actu intelle-

ctus

Sapientia initiatiue, stat in actu intellectus, completiue in actu charitatis.

ctus; completiue in actu charitatis, et affectus: vnde incipit in cognitione, et consummatur in dilectione; perfectior autem est dilectio, eo magis, quo perfectior est voluntas intellectu ex sententia Scoti. Ait insuper Apostolus, *finis legis est dilectio*. Ergo in ipsa sapientia pars nobilior, tanquam finis, erit amor, charitas, et affectio.

Sapientiæ diuinæ opponitur triplex sapientia mala.

18 Sapientiæ sic sumptæ pro dono Spiritus sancti, opponitur triplex aliunde alia sapientia, vtpotè, *terrena, animalis, & diabolica*. Desumitur ex Iacobi 3. *Non est enim ista sapientia*, inquit, *desursum descendens, sed terrena, animalis diabolica*. Dum namque quis finem vltimum in bonis terrenis collocat, sapientia eius appellatur *terrena*; si finem sibi præstituit in bonis, commodisque, ac delectationibus sensus, & corporis, appellatur *animalis*: si demum in aliqua huius mundi super excellentia indebita & inordinata, appellatur *diabolica*. Ex imitatione Diaboli, de quo dicitur Iobi 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Sapientia autem istorum ad nihil prodest, nisi ad faciendum malum, iuxta locutionem Ieremiæ 4. *Sapientes sunt, vt faciant mala; bene autem facere nescierunt*. Cum tamen vice versa Iacobus ibidem loquatur de vera sapientia, inquiens, *Quæ autem desursum est sapientia, primum pudica est; deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione, &c.*

QVÆSTIO XI.

Vtrum donum sapientiæ, & scientiæ differat à sermone sapientiæ, & scientiæ.

1 CVm præcedêti quęstione loquuti fuerimus de dono sapientiæ, & scientiæ, merito quærimus Vtrum hæc duo sint idem cũ sermone sapientiæ, & scientiæ, de quo loquitur Paulus 3. Corin. 12. inquiens *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum.*

2 Est autem in primis sententia dicentium, sermonem sapientiæ, & scientiæ in eo differre inuicem, vt sermo scientiæ, siue scientia, pertineat solummodo ad cognitionem: sapientia vero ad explicationem, siue ad docendam. Ita Chrysostomus homil. 29. inquiens, *Quid est sermo sapientiæ? Quem habebat Paulus, quem habebat Ioannes filius Tonitrui. Quid est autem sermo scientiæ? Quem habebant multi ex fidelibus, qui scientiam quidem habebant non poterant autem docere, nec facile alijs annunciare, quæ sciebant.* Idemq; habet Theophylactus ad loc. Pau. dicens, *sapientia docet, perspicuitas quædam existens, quæ opera recludit, obscuraque clara reddit.* Alij vtrumque referunt ad cognitionem, scilicet diuinorum ita August. lib. 13. confess. cap. 18. vbi ait, *Alij datur sermo sapientiæ, tanquam luminare maius, propter eos, qui perspicuæ veritatis luce delectantur; Alij autem sermo scientiæ, tanquam luminare minus.* Id vero refert ad cognitionem, sub inferens, *sermo scientię quæ continentur omnia sacramenta, quæ variantur temporibus, tanquam luna; & cætera notitię donorum, quantum differunt ab illo candore sapientię, quo gaudet prædictus dies.* Diuus Ambrosius refert ad prudentiam, ipsam scientiam, dum ad locum Pauli inquit, *Non ex literis, sed ex coruscatione Spiritus sancti, vt cor habent illuminatum, & prudens, & discernat, quæ vitanda sunt quæue fugienda, &c.* Acceditque D. Thom. 2. 2. quæst. 167. art. 1. inquiens, *Sapientia, & scientia computantur inter gratias gratis datas, secundum quod important quandam abundantiam scientiæ, & sapientiæ, vt homo possit, non solum in seipso recte sapere de diuinis, sed etiam alios instruere, & contradicentes reuincere; & ideo inter gratias gratis datas significanter ponitur sermo sapientiæ, & scientiæ; quia, vt* August. dicit 14. de Trinit. cap. 1. *Aliud est scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam; aliud est scire, quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, et contra impios defendatur.*

3 Bellarminus tom. 3. de Grat. & lib. arb. lib. 1. cap. 10. ait, *Nobis autem probabile videtur, parum, aut nihil interesse inter sermonem sapientiæ, & scientiæ, & Spiritum sapientiæ scientiæ.* Et infra, ait, eandem esse sententiam Augustini, vt donum sapientiæ, & scientiæ Isaiæ, non differat à sermone sapientiæ, & scientiæ, relato à Diuo Paulo.

4 Verum Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 14. docet, debere interponi discrimen inter hæc omnia, ait namque, *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alij sermo scientię secundum eundem spiritum; hęc vtique duo, sine dubitatione, distinguit, licet ibi non explicet, quid intersit, & vnde possit*

sit vtrumque dignosci. Quod, cum ita-sit, oportet minutius rem disquirere.

Resolutio quæstionis. 5 Et quidem primo dicimus, illa relata ab Isaia differre ab istis relatis à Paolo; differentia autem in primis communiter accipitur à Theologis, etenim in eo primitus differunt, vt sapientia, & scientia penes Esaiam, appellentur Dona; hæc vero penes Paulum appellantur gratiæ gratis datæ. Hinc autem insurgunt differentiæ cæteræ, quæ enumerari solent à Theologis inter gratiam gratum facientē, ad quam spectant Spiritus sancti dona, & gratias gratis datas, de quibus in materia de Gratia.

Idem explicatur amplius. 6 Item propius accedendo, dicimus secundo, sapientiam, & scientiam penes Esaiam, esse cognitionem æternorum, & temporalium: siue cognitionem habendam per causas, & effectus: itaut reddendo singula singulis, sapientia sit cognitio æternorū, scientia temporalium: sapientia sit cognitio habita per causas, & scientia per effectus, pro vt ex Augustino, Magistro, ac Bonauentura deductum fuit quæst. præcedenti sapientiam vero, & scientiam, penes Paulum, non esse formaliter cognitionem, sed explicationem æternorum, atque temporalium per causas, & effectus, in esse autem in eis cognitionem eorum solummodo præsuppositiue, atque antecedenter: vnde aliud est cognoscere, & aliud loqui: siue aliud est mente concipere, & aliud explicare sermone: hinc fit, vt donum sapientiæ, & scientiæ penes Esaiam consistat in cognitione: sapientia vero, & scientia penes Paulum, consistat in explicatione, & sermone: & propterea non dicitur absolute à Paulo, *Alij datur sapientia, alij scientia*, sed ait, alij datur sermo scientiæ; ergo consistent ista Pauli, in sermone, & explicatione; & hoc formaliter; quia munus formale sermonis sapientiæ, & sermonis scientiæ stat formaliter in explicatione, & sermone; quamuis præsupponat eorundem, quæ explicanda per sermonem veniunt, cognitionem; Id autem suadet ratio, non enim poterit Magister explicare quidquam scite, & rite Auditoribus, nisi id prius optime præcognouerit: igitur dum iam per Spiritum sanctum imbuta fuerit mens dono sapientiæ, & scientiæ, pergere solet inde, quandocunque sibi placuerit, idem spiritus gratiam conferre, iam præcognita, & præintellecta, explicandi sermone: idcoque appellat ista Paulus, sermonem sapientiæ, & scientiæ; Ergo vsque modo differentia in eo stat, vt illa Esaiæ consistat in cognitione, ista vero Pauli in explicatione, & sermone.

Sermo sapientiæ, & scientiæ, quid. 7 Adhuc autē requiritur maior explanatio, ea vero est, vt id fiat reddē do singula singulis: nā sapiētię respōdet sapiētia, & scientię scientia: sit tamē sensus, vt per sermonem sapientiæ explicentur ea, quæ habentur per donum sapientiæ: & per sermonem scientiæ explicentur ea, quæ per donum habita fuerint scientiæ: vnde fit, vt reddendo singula singulis vnumquodque correspondeat alteri alternatim, & ordinate. Cōfirmatur ex Hieronymo ad locum Pauli dicente, *Sermo sapientię est, sapienter, apte, atque rationabiliter loqui.* Et rursus, *Qui ex dono habet sapientia, sine suo conatu loquitur, et laborem.* En quomodo Hieron. sermonē sapiētię, & sciētię refert in loquutionē, seu explicationē: vnde cōcluditur, sermonē sapientię esse sermonē aptū, & accommodatum ad explicandam mentis sapientiam; sermonem vero scientiæ esse sermonem aptum, & accommodatum ad explicandam ipsius met mentis scientiam. Ex quibus denique habetur, non consistere in vtroque nempe in cognitione, & explicatione simul, sed formaliter in explicatione, ac proptetea appellantur sermones, præsuppositiue autem in cognitione: sicut nec illa Esaiæ consistūt in vtroque, sed in sola mentis illustratione; & propterea penes Esaiam dicitur, *Spiritus sapientia, spiritus scientia*, cum tamen penes Paulum ad sapientiam, & scientiam addatur sermo inquiens, *alij datur sermo* sapientiæ, alij sermo *scientiæ*.

Obiiciatur. 8 Dices, explicationem datam de dono scientiæ non esse ad mentem Scoti, ait namque scientiæ donum esse fidem explicitam, prout contradistinctam ab *intellectu* qui est articulo-

rum

rum fides implicita sita in quæst. præcedenti retulimus de eo: & nunc vero diximus, donum scientiæ, esse cognitionem temporalium, siue æternorum per effectus. Respondetur, varie circumscribi differentiam inter sapientiam, & scientiam, vt constitit q. anteced. ibi ex August. & Magistro, nunc enim sic, nûc sic vsurpatur: quapropter loquendo ad mentem eorum bene currunt quæ diximus. De Scoto autẽ, ita est, ipsum considerare sic donum scientiæ: at non per hoc excludit cognitionem, & notitiam, siue fidem; dum namque docet scientiam esse fidẽ explicitam, vtique præsup ponit in tali explicante per scientiam, præsup ponit, inquam ipsam fidem, licet nondum explicatam, sed implicitam quẽadmodum, & ipsemet ibidem loquendo de sapientia inquit, *sapientia est habitus appetitiuus, licet includat fidem, tanquam præuium.*

Occurritur

Sermo sapientiæ, & scientiæ quid

9 Ex his autem colligi potest descriptio vtriusque. Et quidem, *sermo sapientiæ est gratia Spiritus sancti, qua Spiritus sanctus mentem Doctoris illuminat, linguam, & calamum dirigit ad rite, & recte fidei mysteria explicanda per causas superiores, & eminentes.* Sermo autem scientiæ, *Est Spiritus sancti gratia, qua Spiritus sanctus mentem Doctoris illuminat, linguam, & calamũ dirigit ad fidei mysteria, rite, & recte explicanda per causas inferiores, & temporales.*

Donorum, & gratiæ, gratis datæ differentia.

10 Occasione vero præstita, desumpta à collatione doni sapientiæ, & scientiæ, cum sermone sapientiæ, & scientiæ, dimittenda non putamus cætera subsequentia ad sermonem scientiæ, & sapientiæ; id autem duplici ratione, tum ne in completa remaneat tractatio; tum quia vtraque recensita ab Esaia, & à Paulo, sunt à Spiritu sancto; etenim 2. Corinth. 12. in fine enumerationis eorum concludit dicens, *Hæc autem operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis, prout vult.* Licet aliunde differant, quoniam illa pertinent ad gratiam gratum facientem, ista ad gratias gratis datas; tum quoque, quoniam illa conferuntur solis iustis, ex supradictis per D. Thoma, hæc vero stare quoque possunt, cum mortali, vt patebit ex dicendis de Caipha prophetante. illa denique dantur in ordine ad propriam sanctificationem: & ista dantur ad aliorum vtilitatem, vt loquitur Apostolus *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.*

Gratia fidei quid.

11 Ergo ordinem enumerationis prosequendo, post sermonem sapientiæ, & scientiæ, subsequitur fides, inquiẽte Paulo, *Alij datur fides in eodem spiritu.* Quid vero ipsa sit, in primis D. Thom. 1. 2. quæst. 111. art. 4. docet per eam intelligi, *certissimum assensum fidei catholicæ, quem in Doctore Catholico necesse est supponere.* Consentit Lyranus in 1. Corinth. 12. ac inde Gregor. de Valent. tom. 2. disput. 8. quæst. 3. punct. 1. vna cum Suarez de Grat. tom. 1 Prolegom. 3. cap. 5. num. 9. & 3. part. tom. 1. disput. 21. sect. 2. Ac obstatur contra, quoniam hæc fides non esset distincta à fide infusa: quam uis namque accederet, verbi gratia, maior, firmiorque adhæsio, nihilominus non per hoc exiret genus ipsius fidei infusæ, quia spectaret quoque ad ipsam. Obstatur etiam, quoniã fides infusa infunditur in ordine ad iustificationem, & ad gratiam gratũ facientem, cum tamen fides recensita à Paulo spectet ad gratias gratis datas. Respondet Suarez non esse inconueniens aliquem perfectionis gradum esse simul gratiam gratum facientem, & gratis datam, diuersis tamen respectibus. Sed contra etiam obstatur, quoniam gratia gratum faciens confertur in ordine ad propriam salutem at gratis data cõfertur ad alterius, ergo talem hinc, nõ erunt idem. Alij fidem hanc referunt ad constantiam ipsius fidei, vt sit firma, atque constans fidei confessio, prædicatio, & instructio. Sic Ambros. ad locum Pauli: id ipsum disiunctiue, docet quoque D. Thom. tum ioco Pauli, tum 2. 2. quæst. 4. art. 5. ad 4. inquiens. *Fides nõ accipitur pro fidei virtute, quia hoc est commune omnibus membris Christi, sed pro constantia fidei*, vel, &c. Ibique Caetanus, cum Glosa interlin. accedit que Anselmus, dicens, *Alij fides, idest, constantia fidei, vt quamuis alios, dican-*

Aliorum placita.

dicendo, nesciat instruere, tamen recte, & firmiter credat, nullo metu, vel pudore, fidem suam ore confiteri omittat. At obstatur, quoniam constantia fidei, ad propriam salutẽ spectat, ideoque euadit limites gratiæ gratis datę. Insuper constantia confessionis fidei pertinet ad fortitudinem, quæ opponitur timori Tyrannorum, dicente D. Thòma 2.2. quęst. 3. ar. 1. ad 2. *Fortitudo remouet impedimentum confessionis fidei, nempe temorem, &c.* Alij referunt ad fidem *priuatam* ea autem est fides præbenda reuelationibus quandoque factis, personis priuatis, de quibus apud Concil. Trident. sess. 6. cap. 12. & Canon. 16. Verum videtur gratia hæc valde restringi, vt intelligatur de fide sola in ordine ad personas priuatas, ob quod appellanda venit talium reuelationum fides, fides inquiunt Theologi, *priuata*; Nõ negamus quidem id, attamen videtur posse amplius extendi suum significatum; eo magis, quo gratiæ gratis datę, dicuntur conferri propter commodum, & vtilitatem aliorum: talis vero loquutio, seu loquendi modus sonare videtur, debere esse ampliorem gratiæ istius effectum, & exequutionem.

Resolutio quæstionis. 12 Propterea dicendum videtur per hanc fidem, intelligendum esse, *sermonem, & explicationem ipsiusmet virtutis fidei*. Modum hunc insinuat ex duobus, quos refert, D. Thomas; etenim dum supra iam dixerat, *fides non accipitur pro fidei virtute, quia hoc est commune omnibus fidelibus*, subdit tamen inde sub inferens modos duos atque inquiens, *Sed sumitur pro constantia fidei, vel pro sermone fidei; prout scilicet potest homo recte proponere ea, quæ fidei sunt.* En qualiter, licet sub disiunctione, doceat fidem hic significare sermonem, & propositionem fidei: & suadetur ita esse, quandoquidem antecedenter ad gratiam istam Paulus loquutus fuit quidem de sapientia, & scientia, at non de sapientia, & scientia absolute sentie, sed de sermone sapientię, & scientię, inquiẽs *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ*; Ergo consimili ratione, dum loquitur hic de fide, censendus videtur loqui de *sermone eiusdem fidei*; eo magis, quo ipse consequenter loquitur ad eundem sapientiæ, & scientiæ spiritum inquiens, *Alij datur fides in eodem spiritu*: dum vero ait, in eodem spiritu, consequens videtur, vt fides hæc pendeat eodem modo ab eodem spiritu, quomodo pendebat sapientia, & scientia: at sapientia, & scientia sunt à spiritu, penes Paulum, sub ratione sermonis, dum inquit, *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientia secundum eundem spiritum, ergo, & fides dum datur hic in eodem spiritu*, Signum est, quod detur tanquam sermo, & explicatio ipsius fidei. Consistit ergo hæc fides, non præcise, nec primo in assensu fidei, etenim hoc est commune omnibus membris Christi: nec in sermone qualicunque, seu communi, & ordinario fidei, hoc namque communiter faciunt fideles, dum namque, vel symbolum apostolicum recitant, vel sacramenta recipiunt, vel opera legis faciunt, vtique exterius profitentur, & propalant fidem: sed consistit in gratia illa talis confessionis fidei, vt sciat, callens hac fide, proponere recte explicare, sapienter confirmare, defendere, & propugnare a duersus impugnatores, nostrã fidem: De hoc autem habemus scripturam Matt. 10. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquãmini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* De qua etiam fide repletus legitur Stephanus Act. 6. *Elegerũt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto.*

13 Et ex his elici potest descriptio huius fidei, vt fides sit *gratia Spiritus sancti, qua idem spiritus linguã, & calamum Ecclesiastici Doctoris dirigit, ad fidei mysteria rite, & recte proponenda, atque explicanda.* Cuncta patent ex dictis, vnde concluditur esse *gratiam, ad fidei mysteria proponenda, & explicanda per sermonem sapientia, & scientia.*

14 Subsequitur gratia sanitatum inquiente Paulo, *Alij gratia sanitatum* Indeque operatio virtutum, dicente eodem, *Alij operatio virtutum.* At oritur dubitatio, operatio virtum est

Operatio virtutum, et gratia sanitatum an idem. operatio miraculorum, gratia sanitatum, cum est gratia sanitatis conferendæ miraculose: igitur videntur esse vnum idemque: vt quid igitur diuidit illas Apostolus? Assumptum de sanitate patet, quandoquidem non est sermo hic de sanitate per causas naturales conferenda, vtpotè consilio Physicorum: Antidotorum, ac medicinarū haustu, & applicatione, sed superna virtute miraculose restituenda. Respondetur in primis confundi inuicē, ac connecti simul aliqualiter, ista duo: Et quidem operatio virtutum se habet tanquam genus: gratia autem sanitatum, tanquam species: vtraque pertinet ad miraculorum perpetrationem: et operatio virtutum, seu miraculorum se habet, veluti genus extendens se ad vniuersa, quæ miraculose contingunt: inter cætera vero, quæ miraculose aduenire solent, est gratia sanitatum, quandocunque supra vires naturæ sanitas miraculose restituitur, ergo merito gratia sanitatum se habet vt species ad operationem virtutum. Respondetur secundo in eo differre, ex quo gratia sanitatum refertur ad corporum salutem: operatio virtutum ad diuinæ potestatis ostensionem: ita D. Thom. 1. 2. quæst. 111. art. 4. Vel tertio differunt, quia gratia sanitatis minus se extendit, quam operatio virtutum; cum illa se extendat ad sanitatem solummodo conferendam: hæc vero ad liberādum hominem à quauis grauissima vexatione per operationem diuinæ potestatis, & virtutis. Et ad hanc referri etiam potest expulsio Dæmonū ab hominibus obsessis, vt ait Ambro. & Hieronymus ad locum Pauli. Sicut & mortui suscitatio, sicut etiā, & par diuinæ potestatis operationem, Ananiæ, & Sapphiræ ad verbum Petri per mortis illationem punitio: atque ad verbum Pauli, Elimæ excęcatio: prout illud Actorum quinto, hoc autem registratur quintodecimo. Appellatur *operatio virtutum*, nempe quia vi, ac virtute superna hæc, cæteraque miraculosa opera fiant, non autem virtute inferiori, ac naturali.

Obstatur. 15 Verum si gratia sanitatum comprehenditur tanquam species sub operatione virtutum; cum & plures aliæ species contineantur sub genere operationis virtutum, cur est, vt Paulus solum gratiam sanitatum specificet, & non alias? Responsio in promptu est, quoniam inter cæteras species vtique sanitas & notior, frequentior est, atque communior, atque ad eam quotidie, singulisque momentis tuendam laboramus: quemadmodū ex opposito, infirmitates, & morbi, communiores, notiores, frequentioresque sunt in humana natura: quo fit, vt Paulus eam gratiam specificauerit, quę pro materia habeat id, quod frequentius, sensibiliusque cuenit, & à cunctis desideratur, vt est liberatio à morbis, atque restitutio pristinæ sanitatis. *Respond.*

16 Gratia hæc sanitatum, quandoque confertur per modum transeuntis, vt aliquibus Dei seruis confertur aliquando potestas hæc curandi infirmos. Quandoq; uero per modū permanentis, & generaliter ad omnes languores. Hanc super omnia habuit Christus Dominus, de quo dicitur Matt. 10. *Afferebant ad eum infirmos, & curabantur omnes.* Habuitque eam excellentius cunctis: at non loquimur in enumerandis gratijs istis de Christo Domino, constat enim quod *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes &c.* De Apostolis quoq; dicitur, quod contulerit eis Christus potestatem *supra omnem languorem*; & ibidem, dixit eis, *Curate infirmos, mortuos suscitate, leprosos mundate, Dæmones eiicite, &c.* Consimilique potestate extitit in lege veteri insignitus Moyses Exo. 3. & amplius: præcipue inquiente Domino, *Vade, vt omnia ostensa, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone.* Nihilominus intererat inter potestatem Christi Domini, & Moysis, atque Apostolorum, Christus namque Dominus faciebat hæc, independenter à sè, cæteri vero, siue per modum habitus potestatem hanc habuerint, siue per modum actus, faciebant ea dependenter à Deo: & tunc quidem gratia hac vtebantur, quando expediens erat, & quando supernum in seipsis recipiebant impulsum, ac motionem. Quandoque denique conferri solet *Gratia sanitatum differenter cōfessa.* *Rex Francorum gratiam habet curādi strumas.*

solet ad vnum tantum morbum curandum, vt de Rege Francorum dicitur, quod gratiam habeat curandi strumes.

Gratia sanitatum, et operatio virtutum quid.

17 Ex dictis pro vtraque sic potest elici descriptio, & quidem *gratia sanitatũ est potestas, qua Spiritus sãctus alicui assistit ad aliorum corporalem salutem conferendam, in ordine tamen ad salutem animæ, supra vires causarum secundarum.* Operatio virtutum est, *potestas perpetrandi miracula supra naturam, ad aliorum vtilitatem nostrę que fidei confirmationem.*

Gratia prophetię quid.

18 Subsequitur Gratia prophetiæ, ait namque Paulus, *Alij prophetia.* Est autem prophetia ex Cassidoro, *Inspiratio, vel reuelatio diuina, rerum euentus immobili veritate denuncians.* Declaratur autem descriptio ex doctrina D. Thomæ, qui 2.2. quęst. 17. art. 5. sic ait, *Mens Prophetæ dupliciter à Deo instruitur: vno modo per expressam reuelationem, alio modo per instinctum quendam occultissimum, quem nescientes humanæ mentes, patiuntur: vt S. Augustinus tract. 8 in Ioannem dicit: Ad ea, quæ cognoscit per instinctum, aliquando sic se habet, vt non plane dicere possit, vtrum hæc cogitauerit diuino instinctu, vel per spiritũ proprium. Non autem omnia, quæ cognoscimus diuino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur; talis enim instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiæ.* Ex his autem patet tradita descriptio, non enim absque causa appositum est, *inspiratio, seu instinctus,* prout distinctus à reuelatione: & vltra dicta: instinctus, & inspiratio est quid occultum, reuelatio autem quid apertum, & expressum, iuxta tamen varios reuelandi modos, vt infra, reddẽdo singula singulis. Pergit vero descriptio, *immobili veritate denuncians.* Quod namque per prophetiam indicitur futurum, id immobiliter eueniet & irreuocabiliter. Hoc autem locum habet in prophetia assertoria non autem semper in comminatoria: primum spectat ad loca plura scripturæ, vt Esa. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.* Matt. 5. *Cum venerit Filius hominis in sede Maiestatis suæ, & omnes Angeli eius cum eo, &c.* & alia huiusmodi: hæc immobiliter, & firmiter veritatem continent, vere enim Virgo concepit, & peperit Christum Dominum: vereq; Christus idem venturus est iudicare viuos, & mortuos. Secundum pertinet ad comminationes factas à Deo peccatoribus, nisi conuertantur: quę quidem comminatio reuocatur, agẽtibus peccatoribus pęnitentiam, vnde prophetia talis non erit firma, & immobilis, ita patet Iosuæ 4. *Adhuc & 40. dies, Niniue subuertetur;* Ita penes Esaia. 30. *dispone domui tuæ, quia morieris.* Hæc autem, & similia, reuocata fuerunt à Deo; sicque de cæteris in pœnam comminationibus factis peccatoribus, iuxta Hierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod loquutus sum aduersus eam; agam, & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* vnde Ambros. *Nouit Deus mutare sententiam, si tu mutaueris, & correxeris delictum.*

Prophetiæ obiectum.

19 Prophetiæ obiectum, proprie, & rigorose loquendo, sunt res futuræ; sic namque communiter vsurpari solet prophetia in rigore, pro rẽ futura, inquit enim Gregorius *Sunt Prophetæ, qui futura prædicant.* Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 171. art. 3. Nihilominus, ex eodem, prophetia se extẽdit ad omne tempus, tũ pręteritũ tũ præsens, tum futurum: exempla de singulis habemus penes eundem Gregorium, is enim homil. 1. in Ezechielem sic scribit: *Prophetia de futuro est, Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, Prophetia de præterito. in principio Deus creauit cælum, & terram: de illo enim dixit tempore homo, quo non erat homo; prophetia de præsenti est, quando Paulus Apostolus dicit 1. Corinth. 14. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, iudicatur ab omnibus, occulta enim cordis eius manifesta fiunt. Cum dicitur, occulta cordis eius manifesta fiunt, profecto non siratur, quod per hunc modum spiritus prophetia non prædicit quod futurum est, sed ostendit quod est.* Obiectum ergo prophetiæ, generice loquendo, est omne tempus: licet per anthonomasiam

fiam fit de re futura, vnde propheta per anthonomasiam est, *qui futura prædicit.*

De varijs modis propheticæ cognitionis.

20 Qualis vero fit modus propheticæ cognitionis, est discurrendum. Et in primis Spiritus sanctus immutare solet intellectum Prophetæ, aliquando, species iam à sensibili obiecto acceptas, ordinando: aliquando species nondum habitas imprimendo, vt si in phantasia cæci nati imprimeret species, verbi gratia colorum, quas eo vsque ratione cæcitatis non potuisset comparare: Hæc vero fieri possunt tum in vigilia, tum in dormitione: In dormitione quidem, quomodo factum fuit cum Ioseph Matt. 22. In vigilia etiam, vt contigit sæpissime in testamento veteri: & id, vel per sensibilem visionem alicuius rei, quæ tamen ordinabatur ad aliquid vlterius significandum, vt Hierem. 1. qui vidit virgam vigilantem, *virgam*, inquiens, *vigilantem ego video*: quique & inde interpretationem à Deo habuit; dicente, *Bene vidisti, quia ego vigilabo super populum meum* Vel per imagines in dormiendo impressas, vt de Pharaone, Genes. 21. de septem & septem vaccis, pinguibus, & macie confectis: cuius tamen visionis intelligentia fuit data Iosepho ab ipso Deo: ac Ioseph retulit inde pharaoni: siue de visione Nabuchodonosoris, de statua, ad cuius interpretationem vocatus inde fuit Daniel. vt in Danielis 2. Vel demum id contingit per internam ipsius mentis illustrationem de rè aliqua: contingit vero hoc, quandocunque Deus immediate causat conceptum alicuius rei, quemadmodum de Moyse enarratur in lib. Num. cap. 12. de quo dicitur, quod *Deus loquebatur cum eo os ad os, sicut loqui solet amicus cum amico* His modis, contingit haberi prophetiam, siue in somno, siue in vigilia Et hinc Gregorius 18. Moral. cap. 2. *Aliquando Dominus voluntatem suam indicat imaginibus, cordis oculis ostensis, aliquando imaginibus ante oculos corporeos ex aere assumptis, potuit, & interius per semetipsum Dominus vim suæ sententiæ cordi sine verbis insonare.*

Vtrum omnia, quæ videant prophetæ, intelligant.

21 Quod autem controuertitur occasione huius est, Vtrum omnia, quæ viderint prophetæ, ipsius nota fuerint, & manifesta, an vero aliquorum, quæ viderant, intelligentia ipsos latuerit? D. Thom. 2.2. quæst. 174. art. negat omnes omnia visa scire: ait n. *Sciendū est; quod quia mēs Prophetæ est instrumentū deficiens, etiā veri Prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis, Spiritus sanctus intendit.* Diuus Augustinus lib. 12. in Genes. ad lit. cap. 9. differentiam admittit inter prophetas, vt alij noscant, quæ viderint, alij minime; inquit enim, *Minus propheta, qui rerum, quæ significantur, sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt: & magis Propheta, qui solo earum intellectu præditus est; sed & maxime propheta, qui vtroque præcellit, vt & videat in spiritu corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat.* At verò idem D. Tho. ibid. q. 171, art. 1 ad 4. ait per prophetiam tolli obscuritatis, & ignorantiæ velamen: & art 3. ad 2. distinguit prophetiam à fide eo quod fides nō affert cognitionem, seu euidentiam rerum, dat autem solam certitudinem; cum tamen prophetiæ tribuat cognitionem. Item non est de ratione intrinseca prophetiæ vt sit cognitio obscura, quia non oportet, vt cognitio prophetica sit actus puræ, & obscuræ fidei, immo sæpius prophetæ vident, clareque intuentur ea, quæ prophetant, Suarez citandus ait de sè abstrahere à charitate, & obscuritate.

Obscuritas non est de ratione prophetiæ.

22 Hinc vero dicimus primo, non esse de ratione prophetiæ, vt sit obscura: probatur, primo, quia prophetæ penes testamentum vetus appellabantur, *videntes* Interrogantes enim de Samuele aiebant, *vbi est videns?* Visus autem, & visio perfectiorem ostendunt operationem, quam cæteri sensus, quoniam, & perfectior est potentia visiua exteris

teris

veris potentijs, & *testis de visu* inter cæteros eminet in iudicio, &c. Secundo, si de ratione prophetiæ est obscuritas, ergo prophetia non differt à fide. Atque tertio, si est obscuritas de eius ratione, ergo Christus non fuit Propheta; sequitur consequens, habuit namque clarissimam cognitionem futurorum, cæterorumque, quæ obiectum esse possunt prophetiæ: Quidquid dicat Abulensis in cap. 11. Num. quæst 64. Christum ratione scientiæ beatæ non habuisse vere, donum prophetiæ, sed in extimatione, & appellatione, vulgi, at oppositum constat præcipue ex D. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 8 post Ambrosium serm. 8. in psalm. 118. Cyrill. lib 8. contra Iulian. Chrisost. homil. 35. in Ioann. Hieronym. Hierem. 1. Augustin. lib. 16. contra Faust cap. 18 &c. Quarto, Basil. præbat: in Esaiam, & Cyrill lib. 3. in Esa. aiunt *Prophetas videre futurum tempus, tanquam instans*; ac August. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. docet, *cognitionem propheticam esse luce clariorem*. concluditur ergo obscuritatem non esse de ratione prophetiæ.

Propheta non semper norunt, quę dicebant.

23 Dicendum secundo, non semper prophetas nosse quæ dicunt probatur primo ex Daniel. 20. *Intelligentia est opus in visione*, igitur, vt visio prophetica percipiatur, opus est intelligentia: at hoc signum est, quod si intelligentia non daretur, nil minus visio esset prophetica. Secundo à simili, siquidem scriptores sacri non semper nouerunt ea, quæ prophetabant, probatur. quia Ionas prædicans Niniuitis aiebat, *Adhuc, & quadraginta dies, & Niniue subuertetur, cap. 3.* prophetauit quidem, at vltimatum sensum suæ prophetiæ tunc non nouit, etenim minime fuit Niniue subuersa. Item Esaias 38. ad Ezechiam dicit, *Dispone domui tuæ, quia morieris*, & nihilominus, nec euentum tunc prophetando nouit, quia contrarium accidit: satuationem vero; & salutem tum Nininitarum, tum Ezechiæ nouerunt postmodum ex contrario euentu. non ante euentum in ipsa prophetia. Ac insuper, Caiphas dixit Ioann. 11. *Expedit, vt vnus moriatur pro populo, ne tota Gens pereat*. Hæc vero, textus ait, *à semetipso non dixit, sed prophetauit*, & nihilominus prophetando non nouit sensum Domini, sensum Spiritus sancti, etenim Spiritus sancti sensus erat, fore per Christi mortem liberandum totum genus humanum, ac per sanguinem Christi agni immaculati adaperiendas fore portas Regni cælorum, cum tamen intentum Caiphæ erat liberatio temporalis, atque solius populi Iudæorum, aiebat namque, *Ne veniant Romani, & tollant locum nostrum, & Gentem*. Ex hinc vero arguitur, si scriptores canonici non semper norunt sensus eorum, quæ scribebant, sed quandoque eos latebant, prout etiam demonstrauimus tom. 1. disput. 2. quæst. 6. & 10. nil mirum, si in casu nostro stare posset prophetia absque intelligentia eorum, quę prophetantur: Hinc autem Suarez tom. 1. de Grat. Prologm. 3. cap. 5. num. 22. in fin. ait, neque Pharaonem Gene. 41. Neque Nabuchodonosorrem, nec insuper Danielem cap. 2. 4. 5. veros prophetas fuisse in visione Vaccarum, arboris, & manus illius scribentis, quia visiones non intelligebant, vnde vocati fuerunt Ioseph, atque Daniel ad interpretandas eas, licet, aliquam, subdit, inchoationem prophetiæ habuerint: Sicut neque, & Caiphas, inquit, propriam gratiam prophetiæ habuit dicendo *Expedit, vt vnus moriatur pro populo*, quia non intelligebat sensum propheticum, licet habuerit quendam instinctum prophetiæ; & in hanc sententiam citat Augustinum lib. 12. super Genes. ad lit. cap. 9 Epiphanium contra hæres. 48. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 12. atque D. Tho. 2. 2. q. 171. art. 1. & sequent. & q. 174. art. 3. & 4.

Caiphas an profeta ex Suarez.

Propheta, ut plurimũ intelligunt, quæ prophetant.

24 Dicimus tamen tertio, Prophetas, vt plurimum, & sæpissime intelligere quæ prophetant. Est communis: atque hoc ipsum docet vox ipsa Prophetæ, appellabantur namque *videntes*, vt diximus, ergo intelligebant, desumitur namque argumentum à visione corporali ad intelle-

ctua-

ęqualem ratione certitudinis, & claritatis: quoniam operatio de visu, seu ipsa visio est clarissima, & apertissima: confirmatur quia propheta dicitur, quasi *Procul fans*, idest, *procul videns*: ergo quamuis distantes, & procul existentes nihilominus ad ea videnda, & apprime intelligenda prophetæ rapiuntur. Addendum vero, Quandocunque prophetia fuerit prophetæ ipsimet obscura, tunc non differt à fide: & si namque ea videat, quæ videt, dummodo non intelligat, remanet vtique talis obscuritas sub fide: quandocunque vero est clara, differet ab ea, propter superadditum speciale lumen reuelantis, atque declarantis.

Discretio spirituum, quid. 25 Subsequitur discretio spirituũ, *alij discretio spirituum*; Hæc vero consistit, vel in discernendis cogitationibus cordium ex D. Thom. 1. 2. quæst. 111. art. 4. Vtique Deus est ille *cui omne cor patet, & quem nullum lat et secretum*, vt canit Ecclesia in quadam collecta; ipse enim est *scrutator cordium*, quia *Homo videt ea, quę parent, Deus autem intuetur cor*, 1. Reg. 12. nihilominus, & donum hoc concedit quandoque Deus creaturis, & vocatur discretio spirituum, de pluribus namque Dei seruis id ferunt historiæ. Consistit quoque in discernendis motibus ipsius spiritus, siue in discernẽdis spiritibus, verum ex Deo sint: ita Chrisostom. homil. 29. interrogans enim, *Quid est discretio Spirituum?* Respondet continuo, *Nosse quis sit spiritualis, & quis non spiritualis, & quis impostor*. Gratiam hanc per necessariam esse docet Anselmus, quandoquidem, *Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis* vnde discretio vnius ab alio, *difficillima est*, inquit Anselmus, ac propterea opus est Speciali illustratione Dei ad discernendos spiritus: vnde, & Ioannes aiebat, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint*. epist. 1. cap. 4 atque Paulus, *Omnia probate, & quod bonum est tenete.* Petes autem, Gratia hæc videtur non differre à prophetia, etenim secreta cordis rimari est donum prophetiæ. Respondetur, prophetiam se habere veluti genus, seu tanquam superius, & discretionem Spirituum se habere, veluti speciem: quapropter continetur sub illa, tanquam species sub genere. Cõuenienter autem nominata fuit, quoniam quam maxime confert ad vtilitatem spiritualem proximi, si occulta ipsius manifesta fient, & redarguantur, vt exinde ad meliorem viuendi normam conuertantur. Hinc vero describi poterit, vt sit speciale Spiritus sancti auxilium, ad discernendos bonos, & malos spiritus, atque secreta cordium, &c. Et hinc Ambros. in 1. Corint. 12 *Alij datur discretio spirituum: vt intelligat, & indicet, quod dicitur, an Spiritus sancti sit, an mundi.* & Theodoret. *Vt intelligat quo spiritu veniat, et loquatur.*

Discretio spirituum, quomodo differat à prophetia.

Genera linguarum. 26 Accedit post hæc, Gratia, seu donum linguarum: *alij genera linguarum*. Est autem gratia hæc, *Facultas pluribus linguarum generibus loquendi, proponendi, & declarandi ea, quæ ad aliorum pertinent salutem.*

Gratia linguarum, an stet ex parte loquentis an audientium, 27 Quod vero præcipuum est in hoc genere linguarum, est disquirere vnde nam se teneat talis varietas linguarum: Et quidem quæri potest, vtrum stet ex parte loquentis, an ex parte Audientium: nempe, vtrum Concionatores, seu Apostoli in die Penthecostes, loquuti fuerint vere linguis varijs, itaut vere plures callnerint linguas, & inter concionandum, modo vsi fuerint vno dicendi idiomate, modo altero: an ex opposito, vnico existente in ipsis idiomate, plures tamẽ cõgeniti fuerint in aure, & mente Auditorum, sensus, & conceptus, vt vox vna à Concionatore prolata, plura tamen simul, & semel significauerit concepta in Auditoribus.

Chrisost. ex parte audientium. 28 Videtur hoc secundum accidisse, & probatur ex Chrisostm. cap. in de Christi oper. vbi inter cætera habet, *Euangelica doctrina, propria lingua probata, ad omnium auditum tandem efficientiam obtinere.* confirmatur ex textu Lucæ Actor. 2. *Quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?* Et rursus, *Audiuimus eos loquen-*

quentes nostris linguis, ac vlterius, *audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes*. Ergo prodigium hoc Spiritus sancti accidit ex parte audientium, vt stante vnico in Apostolis, verbi gratia, idiomate, intelligeret tamen inde vnusquisque idioma illud, seu loquutionem illam iuxta phrasim proprij idiomatis.

Basilius ait ex parte loquentium. 29 Ex opposito tamen Basilius sermon. de Innoc. ex parte loquentium, docere videtur, euenisse miraculum, vt vere non vno, sed pluribus idiomatibus loquuti fuerint, & tot quidem, quot opus fuerat pro diuersitate Audientium: ita enim loquitur, *Vnius cuiusque vocem ad omnium gentium sensus accommodante, & adaptante gratia: adeo vt, fluentum sermonis, quod profundebatur ex labris, fieret familiare omnium auribus à Spiritu sancto transformato in id, quod erat cognatum vocis vnius cuiusque eorum, qui audiebant*. Augustinus insuper tract. 32. in Ioann. quærit dicens, *Quare nunc nemo baptizatus loquatur linguis omnium gentium?* Respondet inquiens, *Quia iam ipsa Ecclesia omnium gentium linguis loquitur*. Hinc vero arguitur, Ecclesia totum fere dispersa per orbem, varijs nunc loquitur linguis; prædicans fidem iuxta varia, in quibus reperitur genera idiomatum Nationum; ergo & tunc ex responsione Augustini, Apostoli non vnico, sed varijs vtebantur generibus linguarum. Item Hieronymus differentiam admittens inter Apostolos, eosque, qui constructioni intendebant turris Babylonis, ait, *Quod infabricatione turris linguarum vnitas scissa, in actibus Apostolorum ostendebant dona linguarum*. Paulus 1. Corinth. 14. de seipso ait, *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguis loquor*. Accedunt rationes; Et quidem si ex parte Audientium se teneret, iam non fuisset gratia hæc data Apostolis, sed audientibus. Item Apostolis quoque ipsis necessaria erat varietas linguarum, vt ex varijs Nationibus accedentes viros, ac mulieres, cum ipsis Apostolis, colloquentes, Apostoli ipsi eorum idiomata intelligerent, quomodo namque procurare potuissent salutem Nationum, vel docendo, vel confessiones audiendo vel ad interrogata respondendo, nisi habuissent idiomata ipsarũ externarum Nationum?

30 Vtrũq; quidũ accidere potuit, & vtrũq; est probabile, vel vt gratia hæc steterit ex parte auditiũ, vel ex parte loquẽtium, ita Suarez. *Vtrumque accidere potuit.* Nihilominus communior sententia est, donum hoc se tenuisse ex parte ipsorum loquentium Apostolorum. Ita Anselm. super 1. Corinth. 12. Nazianzenus, Cyprianus in exposit. symbol. Augustinus loco citato. Chrysost. hom. 35. in 1. ad Corinth. 14. Glosa in 2. ibique Beda: ac D. Thom. 2. 2. quæst. 176. art. 1. Ad opposita vero scripturæ loca, cum dicitur *Audiuimus eos loquentes nostris linguis*, Nazianzenus ait, *Lynostris linguis, non se tenere solummodo cum verbo Audiuimus*, sed coniungenda sunt cum participio *loquentes*, idest *Audiuimus eos loquentes quidem, sed loquentes nostris linguis*; ita quoque illud alterum, *Audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes vt lingua sua coniungatur vna cum loquentes &c.* confirmari potest, quoniam post ipsos Apostolos non desunt concionatores varias linguas callentes, vtpote Latina, Græca, Hebraica, Syriaca, alijsque vltra vernaculam, & vulgarem: & inter concionandum modo vtuntur vna modo altera, sic multo magis Apostoli.

31 Vltima est gratia *interpretatio sermonum*. Hæc vero ad duo potest referri; tum ad verba, tum ad sensum verborum: primum erit, cum gratia hæc deseruiet ad intelligentiam alieni, & peregrini, siue, alioqui ignoti sermonis; vel etiam scripturæ in peregrino idiomate exaratæ: ad hunc modum trahit donum hoc Ambros. 1. Corinth. 12. inquiens, Gratiam hanc esse, *dicta illorum, qui linguis loquuntur, vel literis, per donum Dei fideliter interpretari*. Secundum vero erit, cum sensus quoque verborum, sermonum, & scripturarum probe sciet quis interpretari: huc quadrat illud Petri epist. 2. cap. 1

Nos

Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scriptura propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est prophetia. Et adhanc quoque intelligentiam trahit donum hoc D. Thm. in loco Pauli lect.2.

Obstatur. 32 Aduersus hæc duo occurrunt, primum est, donum hoc non distingui à genere linguarum; probatur, si namque primus huius doni sensus est verba interpretari ex Ambrosio: hoc itidem præstat gratia generis linguarum. Secundum est, quoniam Petrus, & Paulus habebant genera linguarum, & interpretationis sermonum, & nihilominus vtebantur interpretibus, Marcus namque fuit interpres Petri ex Iren. lib.3. cap.1. & Hieronymus idem habet de Marco, lib de scriptor: Ecclesiast. atque de Tito, ait fuisse interpretem Pauli, in epist. ad Hedibiam quæst.11.

Respond. 33 Ad primum licet sint idem; non tamen omnino, quando quidem interpretatio sermonum addit supra genera linguarum, sinceritatem, atque fidelitatem, ne interpres errare possit in translatione, & interpretatione sermonum: sunt ergo idem quidem materialiter, quoniam materia vtriusque doni est communis: at distinguuntur in formalitate hac, quam superaddit, ne erret in interpretando sermone.

Marcus, et Titus interpretes Petri, & Pauli. 34 Ad secundum responsio ellicitur primo ex Hieronymo, qui loco citato, ita scribit, de Paulo inquiens, *Licet haberet scientiam sanctarum scripturarum, & sermonis, diuersarumque linguarum gratiam possideret, diuinorum sensuum maiestatem digno non poterat græci eloquij explicare sermone: & adhoc habebat Titum interpretem, sicut Petrus Marcum.*

Eloquutio Pauli et Apostolorum, qualis ex D.Thom. Accedit adhoc id, quod docet D. Thomas 2. 2. quæst.176. art.1. inquiens *Paulum, & Apostolos instructos fuisse in linguis omnium Gentium, quantum requirebatur ad fidei doctrinam: sed quantum ad quadam, quæ superadduntur humana arte adornatum, & elegantiam locutionis, Paulum instructum fuisse in propria lingua, non in aliena.* De rè autem hac nos copiosius egimus 1. tom. disput. 2. quæst. 2. Ex doctrina ergo sanctorum doctorum recensita habetur prima responsio. Vel secundo est respondendum, Titum, & Marcum fuisse interpretes in translatione de vno idiomate in aliud, interpretes quidem inscribendo: etenim Petrus, & Paulus dũ cõcionabãtur nõ indigebãt interprete, dũ vti poterant dono linguarũ poterãt ergo esse interpretes inscribẽdo, itaut dum varijs Apostoli prædicabant linguis Titus; tamen, & Marcus scribebant, quæ Apostoli dicebant, non quidem scribendo in omnibus, & singulis idiomatibus, sed in illo, singulari, in quo scripsere. Aiunt Alii deseruisse eos in leuando labore Apostolorum, itaut quæ Apostoli altius, & profundius dicebant, ipsimet ad communem intelligentiam exponerent simplicium, rudium, mulierum, ac paruulòrum.

35 Quærendum foret, vtrum spectantia ad gratias gratis datas se hàbeant per modum actus, an per modum habitus; præscindimus autem à Christo Et quidem magis probabile est, fuisse habitus sermonem sapientiæ, scientiæ, gratiam fidei genera linguarum, interpretationem sermonum: non tamen gratiam sanitatum, nec operationem virtutum: discretionem spirituum probabile est ad vtramque partem, de prophetia, esse habitum ait D. Tho. Verum est tamen quod prophetę indigent actuali excitatione ad prophetadum.

36 De donis spectantibus ad gratiam gratum facientem quæsitum fuit, vtrum fuerint sufficienter ab Esaia ennmerata: de quibus supra; modo autem quęrendum esset an dona spectantia ad gratias gratis datas fuerint sufficienter à Paulo exarata? in qua rè D. Thomas 2. 2. loc. cit esse ad plenum docet, ab Apostolo enumerata, itaut nec supersint plura amplius enumeranda. Dissentit vero Bellarminus de grat. & libe. arbit cap. 10. Suarez loc. cit. in fin. atque Medina ad locum D. Thomæ Vnde aiunt plura remanere alia enumeran- *Vtrum sufficienter enumerata.*

meran-

meranda: eo magis, quo idem Paulus ibidem, recenſet, *epulationes, gubernationes*. Vnde Suarez enumerat ibi alia plura.

Poteſtas ſacramentorũ, an gratia gratis data.

37 Bellarminus autem quærit, vtrum poteſtas conferendi ſacramẽta pertineat ad hęc genus donorum, & reſpondendo negat, quoniam poteſtas ſacramentorum confertur viſibiliter per homines gratiæ autem, grattis datæ conferuntur inuiſibiliter, & immediate à Spiritu ſancto: item Sacramentorum poteſtas confertur vnicuique cupienti ordines ſuſcipere, dummodo cætera rite diſponantur: at gratiæ gratis datæ conferũtur ad libitũ Spiritus ſancti, & à Spiritu ſancto: ait namque Apoſtolus, quod *hæc omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*: Ex oppoſito tamen Suarez ſuſtinet ſpectare ad gratiam gratis datam; Ratio eius, quia confertur gratia hęc in aliorum vtilitatem, in miniſteriũ Eccleſiæ. Inſuper poteſtas Sacramenti pænitentiæ ordinatur ad ſalutem aliorũ: ac demũ poteſtas, quæ reſidet in Sũmo Pontifice, & in Cõcilio à Põtifice approbato, & cõfirmato ad definiendas res fidei, exercetur ad communem Eccleſię vtilitatem.

Dona ſpectantia ad gratiã gratum facientem, an nobiliora ſpectantib. ad gratias gratis datas.

38 Vltimo autem conferenda ſunt dona ſpectantia ad gratiam gratum facientem, cum ſpectantibus ad gratias gratis datas, atque quærendum quænam ſint preſtantiora. Lis pendet ex libratione virtutis charitatis in ordine ad virtutes cæteras: vnde dicendum, charitatem, cæteris cunctis præſtare: ita Apoſtol. ſupr. inquiens, *Adhuc excellentiorem virtutem vobis demonſtro*. Loquitur autem de charitate. Inſuper gratiæ gratis datæ poſſunt ſtare cum peccato mortali, vt de Balac, & Caipha prophetantibus, &c. Dona autem Spiritus ſancti ſpectantia ad gratiam gratum facientem, dantur ſolis iuſtis, ex ſupra habitis. Item gratia gratum faciens coniungit immediate hominem cum Deo, facit amicum Dei formaliter, & per ſe, at gratię gratis datæ ſunt, veluti inſtrumenta, quibus vnus homo per alterum diſponitur ad ſalutem, etenim conferuntur ad aliorum vtilitatem.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Spiritus sancti sint fructus habitus, an actus distincti à Spiritus sancti donis, & beatitudinus, ac virtutibus.

Sententia D.Thom.

1 DE duobus quæritur hic, primo an fructus Spiritus sancti sint habitus, vel actus. Et secundo an distincti; &c.

2 Circa primum D. Thom. 1.2. quæst. 70. art. 1. docet fructus non esse habitus, sed actus. Probat autem primo quia fructus est vltimum quod expectatur ex arbore; ergo ex ipso homine, fructus, qui expectantur, erunt ipsa operatio hominis. Item quemadmodum operatio hominis procedens secundum facultatem rationis, dicitur esse fructus rationis; ita operatio hominis procedens secundum altiorem virtutem quæ est virtus Spiritus sancti, dicetur esse operatio hominis, & fructus Spiritus sancti. Insuper, fructus non sunt frondes, nec flores sed vltimum, quod sequitur, & quod expectatur inde ita, vltima operatio hominis, prout moti à Spiritu sancto, erit fructus. Confirmatur ex Matt. 12. *Omnis arbor bona, bonos fructus facit, &c.* Item ex 1. Ioann. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet.* Demum Augustinus in Enchyrid. cap. 8. inquit, *Fides est credere quod non vides*: at credere dicit actum.

3 Circa secundum, ait, fructus à donis, virtutibus, & beatitudinibus differunt sicut actus ab habitu: sequitur hoc ex probatis; namque fructus non sunt habitus: dona autem, & virtutes sunt habitus; ergo differunt, tanquam actus, & habitus. consimiliter docet, Beatitudines esse actus, atque à donis, & virtutibus differre, veluti actus, & habitus.

4 Vtrum vero fructus differant à beatitudinibus, ait, quod sic, & probat quia differunt in ennumeratione, vt patet: ergo differunt quoque specie. Item plus requiritur ad rationem beatitudinis, quam ad rationem fructus; etenim ad rationem fructus sufficit, quod sit aliquid habens rationem vltimi, & delectabilis; sed ad rationem beatitudinis vlterius requiritur, quod sit aliquid perfectum, & excellens: Hinc vero infert, omnes beatitudines appellari posse fructus, sed non è contra. Item aliqua omittuntur de eis, etenim Lucas quatuor, Matthæus vero octo admisit Beatitudines. Insuper septem sunt dona Spiritus sancti, at Beatitudines octo, & fructus duodecim: ergo non idem.

5 Scotus autem, veluti ad vtramque quæstionis partem respondens, ait esse prorsus idem, dona, virtutes, fructus, ac Beatitudines. ita in 3. d 34 quæst. vnica lit. P. vbi sic scribit, *De fructibus dico, quod quidam illorum sunt virtutes secundum illam regulam, secundum quam ennumerata sunt in illo septenario:* *Enmeratio & resolutio Scoti.*

Qua-

Quadam autem sunt species virtutum ibidem enumeratarum. Quædam nec sic nec sic: sed delectationes consequentes actus, verbi gratia, charitas exprimitur ibi proprio nomine: & similiter fides; spes autem in hoc, quod dicitur longanimitas, unde legitur de Patriarchis, longanimes in spe, quasi in longum animose expectantes. Virtutes morales exprimuntur ibi; fortitudo quidem in patientia; iustitia in sua specie, quæ est misericordia in hoc, quod dicitur bonitas sicut communiter dicitur bonus, qui communicat se proximo. Et in alia specie, quæ est amicitia, exprimitur ibi benignitas, quæ est quasi beneuolentia, & bona igneitas. In tertia specie, quæ pertinet ad regimen, vel ad subiectionem, ibi Mansuetudo; vel specialiter exprimitur ibi obedientia: mansuetus enim est qui exequitur iniuncta sine murmure. Temperantia exprimitur in duabus speciebus suis, in cōtinentia, & castitate, si placeat dicere cōtinentiā circa alia delectabilia, & circa venerea castitatē, vel potest poni una species tēperantia, vt cōtinētia dicatur vna species, & castitas circa quæcunq; delectabilia, quomodo Philosophus 7. Ethyc. ponit castitatem esse quandam gradum in qualibet virtute. Prudentia exprimitur per modestiam: modestus enim est qui modum debitum tenet in agendo: & prudentia est inuenire modum in actione, & præfigere, & terminare. Sic igitur habemus tres virtutes in se; fortitudinem in patientia; iustitiam in tribus speciebus: temperantiam in vna specie, vel duabus; prudentiam in vna specie; & ita omnes virtutes, tām intellectuales, quām morales. Alia quædam enumerantur ibi, quæ sunt delectationes concomitantes, vel consequentes actum, vt gaudium, quod proprie est delectatio in voluntate; & pax, quæ est securitas habendi obiectum sine repugnantia. Sic igitur patet, quod in sustinendo, septem virtutes sufficienter perficere hominem in via, in se, vel in suis specibus, non erunt necessarij alij habitus, qui nec sunt illi, nec species earum; nec numerantur alij in donis, nec in Beatitudinibus, nec in fructibus. Et licet numerus sit aliter explicitus Beatitudinum, & donorum, hoc est, quia aliqua species illarum septem virtutum aliter exprimuntur hic quam ibi, & non quia sint alij habitus, qui nō sunt illarū virtutum species. Si etiam tantum ponderaretur scriptura, quæ ponit alicubi octonarium, alicubi septenarium, vt oporteret eos distinguere, vt diuersos habitus, quare igitur non ponuntur distincti habitus illi, de quibus facit mentionem Apostol. 1. Cori. 12. vbi ponitur nouenarius ab illis, quos enumerat Petrus 2. Petr. 1: Ministrate in fide vestra virtutem, &c. Frequenter igitur scriptura eadem realiter exprimens, exprimit sub alijs verbis, nunc emittens, quædam, nunc alibi explicans omissa. Vsque huc Scotus. Scotum sequitur Gabriel in 3. d. 34. quæst. vnica Maior ibi q. 1; ibiq. Almaynus, Aretin. &c.

6 Sunt qui negant de mente Scoti, fructus esse habitus, cum Scotus id non dicat: quod si Scotum opponas dicentem, *fructus non esse alios habitus*, Respondent non inde sequi esse habitus: sed intentum Scoti esse, fructus non addere nouos habitus ad habitus virtutum, & donorum: ita, & de Beatitudinibus, non tamen inde sequi esse habitum: ita vt Scoti loqnutio sit præcise negatiua, & nullatenus positiua: positiua autem esset, si diceret esse habitus: sicut negatiua inde inferretur, non esse distinctos habitus. Verū, istud est extorquere textū Scoti, dū nāq. ait, *non esse alias habitus* loquitur affirmatiue & negatiuē: affirmatiue quidē, implicite dicendo esse habitus: & negatiue, asserēdo nō esse habitus distinctos. Atque hæc est vnanimis interpretatio Discipulorum: & ita ex discursu suo Scotus enumerando, & conferendo concludit, duodecim Spiritus sancti fructus non esse habitus distinctos à virtutibus theologicis, & moralibus, exceptis tamen fructibus duobus, vtpotè, gaudio, & pace, quoniam hæc sunt delectationes, seu passiones insurgentes ex victoria tentationum: Vnde hinc dicendum, fructus, & virtutes esse idem.

Obstatur ex Scoto.

Respond. 1.

7 Dicendum secundo, Beatitudines non esse habitus à virtutibus,

Respond. 2.

& donis distinctos, Est eiusdem Scoti: Probatur autem conferendo inter se singula: Et quidem Matth. 5. Octo enumerantur Beatitudines: vt *Beati pauperes Spiritu: Beati mites: Beati qui lugent. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; Beati misericordes; Beati mundo corde, Beati pacifici; Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Singula vero singulis conferendo, *paupertas spiritus* significat *humilitatem*, & *timorem*, ex Augustin. de Verb. Domin. serm. 8. dicente, *Pauperes spiritu sunt timentes Deum non habentes spiritum inflantem. Munditia cordis*, significat *castitatem*, hæc vero est species *temperantiæ*. Beati qui *persecutionem patiuntur*, &c. Hoc autem correspondet *fortitudini*. Misericordia, seu Beati *misericordes*, hoc pertinet ad aliquam speciē *iustitiæ*, quia iustum est subleuare alienam proximi miseriam, & misereri proximo indigenti. Beati *Mites*: Mititas correspondet quoque ad aliā speciem *iustitiæ*, qua iustū est esse cum proximo mitem. Beati *pacifici*, Pax respondet quoque *iustitiæ*, quoniam iustum est pacem cum omnibus seruari: tum inter æquales, tum inter superiores ipsos, atque subditos. Beati qui *esuriunt*, & *sitiunt iustitiam*: hoc correspondet *charitati*, qua mediante amamus Deum, esuriendo, & sitiendo eum, tanquam ceruus ad fontes aquarum, vt dicamus, *sitiuit anima mea ad Deum viuum*. hoc autem esurire, & sitire animæ, est amare Deum in se, qui est per essentiā ipsa iustitia. Beati qui *lugent*, luctus autē confertur cum *spe*, quoniā luctus est siue de amissione, siue de spe charorū: speramus autē reinuenire per gratiam, Deum, quem per peccatum amisimus: & speramus ipsum consequi per gloriam in æterna Beatitudine: Ex hac autem collatione conuincitur esse idem. Confirmatur ex Ambrosio, qui lib. primo in Lucam cap. 6. quærit cur est, vt Lucas quatuor tantum Beatitudines referat, Matthæus vero octo? Respondet inquiens, *Quatuor tantum beatitudines Sanctus Lucas Dominicas posuit, octo vero Sanctus Matthæus; sed in illis octo ista quatuor sunt, & in quatuor istis illa octo: hic enim quatuor, velut virtutes amplexus est cardinales, ille in illis octo mysticum numerum reserauit*. Ex his autem Ambrosius docet Beatitudines esse idem cum virtutibus. Item si forent distinguenda omnia hæc, ergo, & similiter oporteret distinguere habitus enumeratos ab Apostolo Paulo 1. Corinth. 12. *Alij datur sermo sapientiæ, &c.* Ab illis enumeratis à Petro 2. epistol. cap. 1. *Ministrate in fide vestra virtutem, &c.* Vnde subdit Scotus, *frequenter scriptura eadem exprimit sub alijs verbis, nunc omittens quædam, nunc alibi ex plicans omissa*.

Beatitudines quid in speciali.

8 Atque dicendum tertio, fructus à Beatitudinibus nō distingui in ratione habitus. Est eiusdem Scoti. Vnde omnia hæc, ex eius mente, non sunt distincti habitus, dona, virtutes, fructus, & Beatitudines. Probatur, fructus significant virtutes, ex prima assertione, exceptis illis duobus, gaudio, & pace, item Beatitudines non sunt habitus distincti à donis, & virtutibus, ex secunda assertione: Ergo nec fructus erunt habitus distincti à Beatitudinibus. *Respond. 3.*

9 Verum licet non sint distincti in ratione habitus, nihilominus aliqualem aliunde sortiuntur distinctionem, & quidem appellantur *Virtutes*, quia sunt principia operationis virtuosæ, & meritoriæ. Appellantur *dona*, quoniam gratuito donantur, & infunduntur à Spiritu sancto: Nominantur *fructus* quandoquidem ex ipsarum virtutibus, donisque veluti è radice, promanant ipsi fructus. Et denique censentur *Beatitudines*, quia hæc omnia disponunt ad beatitudinem. Loquimur autem de homine iusto. Et ita habetur sufficiens ratio eorum; Nec enim plurificanda sunt entia absque necessitate: Quod si æque bene concludi possunt sub vnico habitu, ad quid multiplicatio habituum? Distinctio autem aliqualis inter ea sufficiens est, vt cessent argumen-

Virtutes, Beatitudines, dona, fructus, quare sic appellata.

argumenta, quæ possent obstare; vnde *respectiue, & relate* ad varia capita recensita, posset concedi aliqualis distinctio.

Fructus est habitus, quod expectatur, declaratur. 10 His actis respondetur ad oppositamum, posita: Et primo ad opposita de fructibus, dicendum fructus Spiritus sancti & esse fructus, & habitus: non enim ratio fructus obstat habitui: vnde in ordine quidem ad virtutes, & dona, appellantur fructus, quia sunt veluti partus virtutum, & donorum: attamen etiam vt sic possunt esse habitus: cum vis. fructum esse vltimum, quod expectatur, verum de fructu considerato in actu secundo, non in actu primo; quia in actu primo est habitus, & non vltimum: in actu autem secundo est actus, siue passio, & est vltimum: atque ita in actu secundo non sunt flores, nec frondes, sed ipsa operatio, quæ est vltima, procedens à fructibus, veluti ab habitu, & in esse primo, seu in actu primo, & sic patet ad rationes.

Ad opposita. 11 Ad illud Matthæi, & Ioannis, vere fructus isti pendent ab arbore fructifera, & diuina, Spiritus sancti, quoniam sunt fructus manantes appropriate à Spiritu sancto: at procedunt primo tanquam habitus, inde vero subsequuntur actus, & vt sic, sunt vltimi.

12 Ad Augustinum, ly *credere* stat habitualiter, & actualiter: si stet habitualiter, erit constructio intransitiua; vt idem sit dicere, *fides est credere*, ac fides est credere in actu primo: dum vero fit constructio transitiua, *credere* stat pro actu secundo, & erit sensus, *fides est credere*, idest, fides & habitus inclinans ad credendum.

13 Et hinc soluuntur, quæ dicuntur de secundo, seu de distinctione fructuum à cæteris; etenim fundamentum distinctionis nitebatur super distinctione eorum, veluti fructus sint actus, cætera habitus: at negatum fuit, fructus esse omnino actus: quod si sunt habitus, & iidem, ac cætera, non distinguentur ab ipsis.

14 Ad caput alterum de distinctione eorum à Beatitudinibus, responsio prima patet ex dictis, concessimus namque non esse prorsus idem, sed aliquo modo differre, *respectiue, & relate* ad varia capita nuper recensita: cæterum non est hinc inferenda omnimoda distinctio, sed aliqualis, vt diximus & ideo propter aliqualem distinctionem conceditur, Beatitudines dicere aliquid plus, quam fructus, & non valere prædicationem conuersinam ex vtraque simul parte: sicut voluntas, & intellectus sunt idem realiter, cum vero distinguantur formaliter, non valet predicatio formalis vnius de altero, &c.

15 Ad illud de enumeratione, dicendum, quod & si numerus non sit idem, non tamen id prouenit ex distinctione habituum ab habitibus sed specierum intermediarum, vel specialissimarum contentarum sub illis. Ita Scotus ad primum. Et pauloante aiebat, *Licet numerus sit alius explicitus Beatitudinum, & donorum, hoc est, aliqua species illarum alter exprimuntur hic, quam ibi, non autem quia sint alij habitus.*

16 Ad illud de omissione, & si aliquæ illarum omittuntur alicubi, recensentur tamen alibi: vnde enumerata ibi, & ibi erunt eadem.

17 Ad Lucam, iam respondit Ambrosius citatus præsagiens difficultatem prætactam, inquiens, *Quatuor tantum Beatitudines Sanctus Lucas Dominicas posuit, octo vero Sanctus Matthæus; sed in illis octo istæ quatuor sunt, & in quatuor istis illæ octo; hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales; ille in illis octo mysticum numerum reserauit.*

18 Ad illud de octaua Beatitudine, ait Bassolius in 3. dist. 34. ad secundum, quod *illa octaua Beatitudo est declaratiua aliarum*. Adde responsionem allatam Ambrosij.

19 Sed vnum superest, quoniam inter Beatitudines, & virtutes non exprimuntur virtutes intellectuales, non quidem fides infusa, non prudentia, ergo distinguuntur;

Res-

Respondet Scotus significari *præsuppositiue*, quoniam virtutes appetitiuæ præsupponunt intellectiuas, tanquam Regulam, & mensuram earum, ergo comprehenduntur præsuppositiue, quia præsupponuntur ad illas; eo magis, quo fides est fundamentum, & basis in ordine ad salutem: sicut prudentia est fundamentum, & regula virtutum moralium.

Est autem Deus finis omnium, cui sit honor, & gloria in sæcula sempiterna. Amen.

FINIS

INDEX
RERVM NOTABILIVM

In quo, l. librum: f. folium: n. numerum indicat.

A

AEqua-

Circuminſeſſio

D

De

Deus Deitas

E

F

Fides;

Franciscus

H

H

Hieronymus

I

Inge-

An

Pro-

Paulus

Petrus

Pater, Paternitas

Persona Personalitas

natu-

S

Spiritus sanctus, spiratio Spiritus.

Salamon

Stephanus

T

Titus

Volun-

Ver-

F I N I S.